INSTITUTI
SOCIETATIS IESU

VOLUMEN SECUNDUM

INSTITUTUM

SOCIETATIS IESU

VOLUMEN SECUNDUM

EXAMEN ET CONSTITUTIONES

DECRETA CONGREGATIONUM GENERALIUM

FORMULAE CONGREGATIONUM



FLORENTIAE

EX TYPOGRAPHIA A SS. CONCEPTIONE

1893

SUMMA TOTIUS VOLUMINIS.

INDEX SECUNDI VOLUMINIS.

CANONES
CONGREGATIONUM GENERALIUM.

CENSURAE ET PRAECEPTA.

FORMULAE CONGREGATIONUM.

FORMULA CONGREGATIONIS GENERALIS.

FORMULA CONGREGATIONIS PROVINCIALIS.

FORMULA CONGREGATIONIS PROCURATORUM.

DILECTIS IN CHRISTO FRATRIBUS

SOCIETATIS IESU

SALUTEM *

En vobis tandem, Fratres in Christo Iesu dilectissimi, quae communibus omnium nostrum votis summopere expetebantur, Constitutiones Societatis nostrae, omni ex parte absolutae et promulgatae. Quae etsi serius, quam desiderabamus, in lucem prodeunt; id tamen necessaria et utilissima ratione factum est, ut maturiori videlicet consilio et maiori devotione atque diligentia conscriberentur, et diuturniori experientia probatae magis in posterum confirmarentur. Nam cum ad eas condendas Sedes Apostolica Societati in eius institutionis et confirmationis litteris facultatem ita dedisset, ut, simul atque conditae primum et approbatae ab ea fuissent, eo ipso apostolica auctoritate et approbatae et confirmatae censerentur: cumque ipsa Societas per varias tunc mundi regiones dispersa, et gravissimis fidei ac religionis negotiis occupata esset, suo primo auctori et institutori, Patri nostro, inquam, Ignatio sanctae memoriae in Urbe manenti hoc conscribendarum et ferendarum Constitutionum negotium iure optimo demandavit. Is vero impositum atque in se susceptum munus tam diligenter, tam sapienter sancteque obivit, ut per multos annos in hanc unam curam potissimum incumberet, et multis lacrimis, ferventissimis precibus, assiduis Missarum sacrificiis Spiritus Sancti

* Haec epistola, a P. Petro Ribadeneira, ut fertur, conscripta, primae Constitutionum editioni olim praefixa fuit; postea vero omissa, quod nonnulli, teste Sacchinio, existimarunt nihil Constitutionibus addendum, quod non edidisset Ignatius. Sed quum alia atque alia successivis Constitutionum et Instituti editionibus vel praemissa vel superaddita necessario sint, nihil amplius obstare visum est, quominus perinsigne hoc monumentum, a primis Patribus approbatum, pristino suo loco restituatur.

unctionem a Domino efflagitaret, ut, illo inspiratore et duce, id, quod humano consilio non poterat, divino munere consequeretur. Itaque Constitutiones omnes et omnes earum partes summis laboribus confecit et suis numeris absolvit. Sed, qua erat Pater ille admirabili prudentia et singulari animi modestia praeditus, cum intelligeret diversas esse diversarum regionum consuetudines, et non omnia omnibus convenire; Societatis porro ut unus color et una facies ubique esset, et Constitutiones, ut ratae atque stabiles haberentur, omnibus omnium Provinciarum moribus, quoad eius fieri posset, quadrare oportere, et rursus non tantum sibi tribueret, ut suo modo, sensu et arbitratu in re tanta uti vellet; anno iubilaei 1550 omnibus fere Patribus Professis, qui tunc superstites erant (Romam enim venerant), Constitutiones a se conscriptas ostendit, et discutiendas tradidit; et iis, quae ab illis tunc notata fuere, et aliis multis, quae quotidiana experientia docebat, observatis, tandem anno 1553 in Hispaniam promulgandas transmisit; quod aliis quoque locis, non tamen omnibus, factum est; ut paulatim periculum fieret, quam appositae ad omnium Provinciarum mores essent, et usus confirmaret id, quod ratio antea constituerat.

Quod etsi satis omnino superque erat ut Constitutiones reverenter a nobis susciperentur, tamen, ut tenacius adhuc nostris animis haererent, extremam illis manum Congregatio generalis imposuit, quando anno 1558 proxime elapso universa Societas, ut in defuncti Patris Nostri Ignatii locum Praepositum Generalem substitueret, in Urbem convenit. Qua quidem electione rite sancteque transacta, cum totius generalis Congregationis iudicio Constitutiones examinandae committerentur, magna sunt ab illa veneratione susceptae, et communi consensu atque studio confirmatae. Fuit autem tunc approbatum Constitutionum exemplum, ex autographo Patris Nostri Ignatii exscriptum; et quoniam hispanico idiomate idem eas Pater conscripserat, considerandae versionis in latinam linguam factae cura a Congregatione P. Praeposito nuper electo aliisque nonnullis, qui ad eam rem idonei videbantur, demandata est. Qui diligenter eam cum hispanico exemplari contulerunt, et non verbum verbo, sed sensum sensui ita ad unguem reddere studuerunt, ut proprietatis ac elegantiae

latini sermonis non magnam, in quibusdam praesertim locis, habendam esse rationem existimarint; quin potius, vetustissimum ac probatissimum omnium artificum morem sequuti, quaedam, quae propria sunt nostrae Religionis, propriis etiam vocabulis exponere sunt conati. Accessit ad haec, quod, cum Sanctissimus Dominus noster Paulus, divina providentia Papa IV, examinandas duobus Reverendissimis Cardinalibus Constitutiones nostras tradidisset, illi integras nobis, et ne verbo quidem mutato, reddiderunt: postea vero eius Sanctitas non praesenti modo Congregationi, sed universae etiam Societati ubicumque terrarum commoranti, apostolicam benedictionem impartiit, omnesque gratias, ac privilegia et indulta, per praedecessores Pontifices concessa, rursus confirmavit, et auctoritate apostolica stabilivit. Quae cum ita sint, non dubitamus, Fratres in Christo IESU dilectissimi, hasce Constitutiones, tot calculis sententiisque probatas, vobis observandas proponere et publicare, et quidem auctoritate Reverendissimi in Urbe Vicarii, et Magistri sacri Palatii, quibus excudendorum librorum cura a Summo Pontifice commissa est, praelo excusas, ut describendi tot exemplaria taedio, et errorum, qui in describendo obrepunt, vitato periculo, et facilius et emendatius ad vestras manus perveniant.

Ad harum autem Constitutionum promptam et perfectam omnique ex parte observationem, quid ego vos, Fratres, vestra sponte currentes et incitatos impellam aut inflammem? Ipsa siquidem nostrae vocationis gratia et sanctum vitae propositum, quod, DEO inspirante, concepimus, plurimum apud nos ponderis habere debet, ut, cum nostrae professionis rationem intellexerimus et toto cordis affectu complexi fuerimus, omni deinceps studio et contentione animi, quod recepimus, praestare, et gratiae supernae vocationis respondere nitamur. Haec autem gratia in ea formula nostri Instituti continetur, quae litteris apostolicis declaratur. Sed quia illae universim, potius quam singillatim, nostrae vocationis et Instituti rationem comprehendunt; idcirco Constitutiones necessario condendae videbantur, quae pro rerum varietate distinctius et uberius singula persequerentur. In iis itaque nostrae Societatis nervi, in iis Religionis firmamenta, in iis vincula illa continentur, quibus constrictum et compactum totum hoc corpus esse debet, ut in illo coelestis spiritus et di-

vina gratia, quae vera est Religionis vita, permaneat. Hic exemplum, quod imitetur; viam, quam insistamus; lucem, quam sequamur; perfectionem, ad quam adspiremus; speculum denique inveniemus, in quo conversationem nostram intueamur: ut pro se quisque absolutam omnium virtutum et perfectionis imaginem, quam in hisce Constitutionibus depictam cernimus, ad vivum moribus et vitae sanctimonia exprimamus. Hinc singuli, quae ad informationem nostri, quae ad proprii status munera rite obeunda pertinent, alacriter petamus. Hinc, qui Superiores sunt, petant, quomodo praelucere aliis, quam sancte et sollicite subditos moderari, Novitios probare, rudes expolire, imbecillos confirmare, robustos exercere, omnes denique ad perfectionem verbo et exemplo perducere debeant. Hinc discant inferiores Superiores suos reverenter colere, amare ut parentes, vereri ut magistros, eorum iussis devotissimis animis obedire, consiliis credere, monitis obtemperare, in eis postremo Christum sibi praecipientem intueri. Hinc intelligant Praeceptores quas et qua methodo disciplinas tradant, quibus exercitationibus discipulorum animos confirment, et virtutibus, non minus quam litteris, instituant. Hinc Scholastici studiorum suorum finem agnoscant, et, ne fervor spiritus illorum occupationibus vel obruatur vel intepescat, discant orationem cum lectione, pietatem cum doctrina, voluntatis denique affectum cum intellectus meditatione coniungere. Quid iam de nostris ad res temporales Coadiutoribus dicam? Nonne et ipsi in Constitutionibus pinguntur, bonae conscientiae, quieti, tractabiles, perfectionis amatores, ad devotionem propensi, et Marthae sorte contenti? Nam spiritualium rerum Coadiutores, cum universae virtutis studiosi, tum vero strenui, constantes, zelo animarum salutis succensi esse debent. Professi vero, ut reliquos ordine et gradu antecellunt, sic exemplo et coelesti quadam conversatione superent oportet; et, tamquam morti destinati, eo sint animo, ut ad minimum Summi Pontificis et Christi in terris Vicarii nutum, cui se peculiari quodam voto obxstrinxerunt, quovis terrarum, quovis gentium, sive ad Turcas, sive ad Indos, ad infideles iuxta atque fideles, laetissimi, ut Christum annuntient, proficiscantur, summique beneficii loco, ut re vera est, ducant sanguinem suum et vitam hanc momentaneam profundere, ut, qui redempti sunt Christi sanguine, in

sempiterna et immortali vita pergaudeant. Omnes denique nos Constitutiones ad perfectionem informant, et quibus armis muniti contra tres impotentes et infestissimos hostes nostros depugnemus, erudiunt, ac docent concupiscentiae carnis castitatem, concupiscentiae oculorum paupertatem, superbiae vitae obedientiam esse opponendam. Atque, ut nihil de castitatis, qua angelicam puritatem pro nostra imbecillitate iubemur imitari, nihil de paupertatis observatione dicam, quae tam est exacta, ut non reditus, non possessiones, sed ne perpetuas quidem eleemosynas vel ecclesiae vel Domus Professorum procurare possint; obedientiam certe, qua praecipuam atque nobilissimam nostri partem in Religione Deo consecramus, tam expeditam, tam devotam, tam perfectam et suis partibus omnibus consummatam Constitutiones nostrae a nobis exigunt, ut ne latum quidem, quod dicitur, unguem a Superiorum praescripto declinemus; ut non solum actio praeceptum, et voluntas voluntatem, sed, quod difficilius est, intellectus etiam noster in iis, quae ad obedientiam pertinent, Superioris intellectum sequatur. Atque, ut paucis multa dicam, homines mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus, Constitutiones nostrae nos esse volunt; homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum induerent; sibi mortuos, ut iustitiae viverent; qui, ut D. Pauli verbis utar, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, se Dei ministros exhibeant, et per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera denique et adversa, magnis itineribus ad coelestem patriam contendant. Haec est summa, hic scopus nostrarum Constitutionum.

Quare obsecro vos, Fratres in Domino, ut digne ambulemus vocatione, qua vocati sumus; et, ut hanc vocationem agnoscamus, legamus et relegamus hasce divino munere nobis oblatas Constitutiones, et nocturna diurnaque manu versemus; in iis ediscendis, meditandis, observandis, mutua inter nos aemulatione certemus. Sic enim fiet ut concordet nostra vita cum nomine, et professio sentiatur in opere. Valete in Christo.

Romae, in aedibus Societatis Iesu, 1559.

APPROBATIONES ET CONFIRMATIONES
SUMMORUM PONTIFICUM.

GREGORIUS XIII *Institutum Societatis, a Paulo III et Iulio etiam III confirmatum, et a Paulo IV diligentissime examinatum, nec non a Concilio Tridentino commendatum, non modo laudat, sed ipse etiam illud, atque Constitutiones et statuta approbat et confirmat in haec verba:* Motu proprio, certaque scientia nostra, et de Apostolicae potestatis plenitudine, laudabile huiusmodi Institutum, ac praedicta caeteraque omnia dictae Societatis privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta, tam a praedictis quam aliis praedecessoribus Nostris, et etiam a Nobis concessa; Constitutiones quoque et statuta, qualiacumque sint ea omnia, ac si ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus; supplentes omnes iuris et facti defectus, si qui intervenerint in praedictis Constitutionibus et statutis, etc. *In litteris Apostolicis datis kalendis Februarii anno salutis humanae* MDLXXXII. *Approbat etiam in Constitutione* ASCENDENTE, *dat. octavo kalendas Iunii* MDLXXXIV.

Idem Institutum atque Constitutiones et statuta approbavit et confirmavit fel. rec. Gregorius XIV *in sua constitutione quarto kalendas Iulii, anno Domini* MDXCI. *Paulus* V *in litteris pridie nonas Septembris datis anno* MDCVI. *Clemens* XIII *in constitutione septimo idus Ianuarii* MDCCLXIV, *Pius* VII *in constitutione edita septimo idus Augusti anno* MDCCCXIV, *et postremo Leo* XIII *in litteris die decimo tertio Iulii datis, anno* MDCCCLXXXVI.

EXAMEN ET CONSTITUTIONES

SOCIETATIS IESU

CUM DECLARATIONIBUS

PRIMUM AC GENERALE

EXAMEN

IIS OMNIBUS

QUI IN SOCIETATEM IESU ADMITTI PETENT * PROPONENDUM. *A

CAPUT I.

DE INSTITUTO SOCIETATIS IESU, ET VARIETATE PERSONARUM QUAE IN IPSA SUNT.

1. Haec minima Congregatio, quae a Sede Apostolica, prima sui institutione, Societas Iesu nominata est, primum fuit approbata per felicis memoriae Paulum Papam III anno 1540, et per eumdem postmodum 1543 confirmata, ac rursus per Iulium III illius successorem anno 1550: ut interim omittantur diversae litterae apostolicae, in quibus de ea sermo habetur, et ei variae facultates, supposita magna approbatione et confirmatione, conceduntur.

a] P. 1 c. 2 n. 8. c. 3 n. 1. P. 3 c. 1. n. 9. P. 4 *prooem.* c. 12 n. 1. P. 6. c. 3 n. 4. P. 7 c. 1 n. 1. P. 10 n. 2.

2. Finis *a*] huius Societatis est, non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere.

b] P. 5 c. 3 n. 3, 6. c. 4 n. 2, 3, 4. P. 6. c. 1, 2.

c] P. 6. c. 2. n. 2, 5, 6, 11, 12.

3. Ad hunc finem melius consequendum, *b*] tria vota in ea, obedientiae, paupertatis et castitatis emittuntur; *c*] sic paupertatem accipiendo, ut nec velit, nec possit reditus ullos ad suam sustentationem, nec ad quidvis aliud habere. Quod non tantum in particulari de unoquoque, sed etiam de ecclesiis et Domibus Societatis professae est intelligendum. *d*] Nec etiam, quamvis aliis sit licitum, pro Missarum sacrificiis, vel praedicationibus, vel lectionibus, vel ullius sacramenti administratione, vel quovis alio pio officio ex iis, quae iuxta suum Institutum Societas potest exercere, stipendium *1*] ullum vel eleemosynam, quae ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent, ab alio quam a Deo, ob cuius obsequium omnia pure facere debent, possunt admittere.

d] *Inf.* c. 4 n. 27. P. 4 c. 7 n. 3. c. 15 n. 4. c. 17, F. P. 6 c. 2 n. 7, G. P. 7 c. 4 n. 4, B. P. 10 n. 5.

1] C. 5 d. 29. C. 12 d. 39. C. 22 d. 42, 43.

e] P. 6 c. 2.

4. Et *e*] quamvis habeat Societas Collegia et * Domos Probationis reditibus dotatas ad Scholasticorum sustentationem, antequam in Societatem professam vel eius Domos recipiantur; *f*] non possunt tamen huiusmodi reditus in usum alium, iuxta litteras apostolicas in Constitutionibus declaratas, expendi: nec *2*] Domus *B

f] P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 1. P. 6 c. 2 n. 3. P. 9 c. 3 n. 18. c. 4 n. 7. P. 10 n. 5.

2] C. 7 d. 50.

Professorum, nec aliquis eorum, aut etiam Coadiutorum eisdem uti poterit.

g] P. 5 c. 3 n. 3, C. P. 7 c. 1 n. 1, B.

5. Professa *g*] itidem Societas, praeter tria vota dicta, votum facit expressum Summo Pontifici, ut Vicario qui nunc est vel pro tempore fuerit, Christi Domini nostri; nimirum ad

h] P. 6 c. 2 n. 13, I. P. 7 c. 1 n. 3.

proficiscendum sine excusatione, *h*] non petito viatico, quocumque gentium eius Sanctitas iusserit, inter fideles vel infideles, ad res, quae ad divinum cultum et religionis christianae bonum spectant.

i] P. 6 c. 2 n. 15, 16.
3] C. 1 d. 96.

6. Caeterum ratio vivendi in exterioribus iustas ob causas, maius Dei obsequium semper intuendo, *i*] communis est: nec *3*] ullas ordinarias poenitentias vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habet; sed illas

k] P. 3 c. 1 n. 12. P. 6 c. 3 n. 1.
* C
l] Inf. c. 4 n. 33. P. 3 c. 1 n. 15.

assumere quivis poterit, quae sibi videbuntur (*k*] cum * approbatione Superioris) ad maiorem sui spiritus profectum convenire; et *l*] quas propter eumdem finem Superiores eis poterunt imponere.

m] P. 5 c. 1, A.
* D
n] Inf. n. 11. c. 4 n. 17. c. 5 n. 8.

7. Personarum *m*] autem, quae admittuntur in hanc Societatem generaliter sumptam, * quatuor sunt classes, si finem, quem ipsa spectat, intueamur: *n*] tametsi omnes qui ingrediuntur, quod ad ipsos attinet, quartae classis esse debent, de qua dicetur.

o] P. 5 c. 3. n. 1, 2, 3.
p] P. 5 c. 2 n. 2.
q] P. 5 c. 2 n. 1. P. 10 n. 7.

8. In primis *o*] aliqui admittuntur, ut professionem in Societate, quatuor solemnibus votis, ut dictum est, emissis, faciant, peractis prius experimentis et probationibus debitis: et hos sufficienter in *p*] litteris eruditos, ut in Constitutionibus postmodum dicetur, et in vita *q*] ac moribus diu, quemadmodum haec vocatio exigit probatos, et omnes ante professionem Sacerdotes esse oportet.

r] Inf. c. 6 n. 1, 2, 3, 8. P. 5 c. 4 n. 1, 2, 3.

9. Secundae *r*] classis sunt, qui in Coadiutores, ad divinum servitium et Societatis auxilium in rebus spiritualibus vel temporalibus, admittuntur; et ii quidem, post experimenta et probationes, vota simplicia obedientiae, paupertatis et castitatis, omisso quarto ad Summum Pontificem pertinente et alio quovis solemni, debent emittere: *s*] qui sua sorte contenti esse debent, intelligentes eos in conspectu Creatoris et Domini nostri magis mereri, qui maiori charitate se impendunt auxilio et obsequio omnium ex amore divinae maiestatis, sive in rebus altioribus, sive in aliis inferioribus et humilioribus.

s] Inf. c. 6 n. 5, 6. P. 1 c. 2 n. 2. P. 5 c. 4 n. 5.

10. Tertiae *t*] classis sunt, qui in Scholasticos admittuntur, si ingenio et reliquis dotibus ad studia convenientibus praediti inveniantur; ut, *u*] postquam docti evaserint, *v*] in Societatem ingredi, et Professi vel Coadiutores, prout iudicabitur expedire, esse valeant. Hi *x*] autem, ut Scholastici Societatis approbati censeantur, post experimenta et probationes, eadem *y*] tria vota simplicia paupertatis, castitatis et obedientiae, cum *4*] promissione ingrediendi Societatem in altero prius dictorum modorum, ut in Constitutionibus videbitur, ad maiorem Dei gloriam emittent.

t] P. 4 c. 3 n. 1, 2. P. 5 c. 2 n. 5.
u] P. 5 c. 2 n. 2.
v] Inf. c. 7 n. 1. P. 5 c. 4, E.
x] Inf. c. 7 n. 1. P. 4 c. 3 n. 3.
y] Inf. c. 7 n. 1. P. 4 c. 3 n. 3. P. 5 c. 1, A. c. 4 n. 4.
4] C. 5 d. 5 C. 7 d. 32.

11. Quartae *z*] classis sunt, qui indeterminate ad id admittuntur, ad quod idonei esse temporis successu invenientur; nondum statuente Societate ad quem ex dictis gradibus eorum talentum magis sit accommodatum. Illi *a*] autem indifferentes ingredientur ad quemvis ex dictis gradibus, qui Superiori videatur: et *b*] ex parte sua omnes, ut dictum est, eadem animi dispositione ingredi oportet.

z] Inf. c. 8.
a] Inf. c. 8 n. 1.
b] Sup. n. 7. Inf. c. 4 n. 17.

12. Ad haec, antequam quisquam admittatur ad professionem, vel sim-

plicia vota Coadiutorum vel Scholasticorum, superius dicta, secundum Institutum nostrum emittere teneatur, * c] biennium integrum ad probationem habebit: et, ut admittantur Scholastici ad quemvis ex prioribus gradibus Professorum vel Coadiutorum formatorum, d] unum adhuc annum post absoluta sua studia exspectabunt: e] quod tempus, cum Superiori visum fuerit, poterit prorogari.

* E

c] *Inf.* c. 4 n. 16, 41. c. 6 n. 8. P. 4 c. 3 n. 3. c. 4 n. 5. P. 5 c. 1 n. 3. c. 4 n. 3, 6.

d] *Inf.* c. 4 n. 16. c. 6 n. 8. P. 5 c. 1 n. 3.

e] *Inf.* c. 4 n. 43 P. 5 c. 1 n. 3, C.

13. Hoc medio tempore duorum annorum, *f*] in quo * habitus ullus certus Societatis non sumitur, ante praefinitum tempus, in quo votis eos ligari in Societate oportet, *g*] videre unusquisque et considerare debet diplomata apostolica Instituti Societatis, et * Constitutiones ac Regulas, quas in ea est observaturus, idque non semel. Primum enim id fiet, *h*] dum in Domo primae Probationis erunt; in quam, qui Societatem ingredi volunt, 5] hospitum more ad duodecim vel quindecim dies, ut res suas melius considerent, solent admitti, antequam in Domum vel Collegium Societatis ad * cohabitandum aliis et inter eos versandum ingrediantur. Secundo id fiet, *i*] sex mensibus experimentorum et probationis elapsis. Tertio, post alios sex menses; et sic deinceps, donec professionem, qui studiis absolutis Professus, et tria vota, qui Coadiutor, et tria itidem vota cum sua promissione, qui Scholasticus approbatus est futurus, emittat. *k*] Quod ideo fit, ut utrimque maiori cum claritate et cognitione in Domino nostro procedatur, et ut quanto fuerit magis probata singulorum constantia, tanto stabiliores ac firmiores sint in divino servitio et vocatione prima, ad gloriam et honorem divinae maiestatis.

* F

f] P. 1 c. 4 n. 4. P. 3 c. 2, C. P. 6 c. 2, M.

g] *Inf.* c. 4 n. 41. P. 1 c. 4 n. 5, E.

* G

h] P. 1 c. 4 n. 1, A.

5] C. 2 d. 14.

* H

i] *Inf.* c. 4 n. 41.

k] P. 1 c. 1 n. 3. c. 4 n. 1.

DECLARATIONES IN CAPUT I.

A. *Hoc* a] *examen, ut plurimum, omnibus proponi solet, postquam in Domum primae Probationis ingrediuntur. Si tamen in aliquo particulari dictaret ratio aliud examen brevius esse proponendum, aut hoc ipsum relinquendum ut legatur, nullo postulato responso ad ea quae continet, vel si satis alioqui notus est qui ingreditur; non necesse erit iuxta hoc examen procedere. Id tamen ille,* b] *cui examinandi munus committitur, cum Superiore conferat, et eius iudicium sequatur.* c] *Ante autem, quam Domi recipiantur, fere semper de quibusdam rebus maioris momenti, praesertim de iis quae solent excludere, examinari eos oportebit.*

a] P. 1 c. 1, D. c. 4 n. 5, E.

b] P. 1 c. 1 n. 3.

c] P. 1 c. 1, D. c. 4, D.

B. *Huiusmodi Domus Probationis velut membra sunt Collegiorum,* d] *ubi admitti et probari ad tempus solent, qui postmodum in Collegiis sunt constituendi.*

d] P. 1 c. 4 n. 6. P. 4 c. 2, D.

C. *Hoc Superiori iudicandum relinquetur. Ille autem vices suas Confessario, vel aliis, quando expedire censuerit, poterit delegare.*

D. *Praeter haec* 6] *quatuor genera personarum, nonnulli ad* e] *solemnem professionem trium votorum tantum, iuxta litteras apostolicas Iulii* III, *admittuntur.*

6] C. 1 d. 21.

e] P. 5 c. 2 n. 3. c. 3 n. 5, 6.

E. *Quamvis* f] *biennii tempus praefigatur, tamen nec libertas, nec devotio, nec utilitas illa spiritualis vel meritum, quod consequi solent qui Christo Domino nostro se obstringunt, illis adimitur, qui ante id tempus vota sua offerre volent: licet conveniat sine Superioris facultate ea non emitti. Nec tamen, quod ea emiserint, propterea ante ordinarium tempus admittentur ad professionem, vel in Coadiutores formatos, vel in Scholasticos approbatos.*

f] P. 3 c. 1, T. P. 5 c. 4 n. 6.

F. *Quamvis habitus nullus certus sit, discretioni tamen eius, qui curam habet Domus, relinquitur, an cum eisdem vestibus, quas ex saeculo tulerunt, incedere sint permittendi; an cum aliis eas permutari oporteat: aut, cum deterentur, an aliae tribuantur, quae magis conveniant, vel ipsis, ut, qua parte opus habent, iuventur, vel domui, ut eorum opera uti possit.*

g] P. 1 c. 4. E.

G. *Non* g] *oportebit Constitutiones universas ab iis, qui novi accedunt, legi; sed compendium quoddam earum, ubi quisque quid sibi observandum sit intelligat: nisi forte Superiori videretur alicui, peculiares ob causas, omnes ostendi oportere.*

H. *Dicitur, ad cohabitandum aliis, et inter eos versandum; quia in ingressu, duodecim vel quindecim dies vel usque ad viginti, seorsum in Domo primae Probationis teneri solent;* h] *ut in prima parte Constitutionum videbitur.* h] P. 1c.4n.1, A.

CAPUT II.

*A

DE QUIBUSDAM * CASIBUS, QUOS INTERROGARI OPORTET, AN ACCIDERINT IIS, QUI SOCIETATEM INGREDI PETUNT.

a] P. 1 c. 3 n. 3, A B.

*B

1. Ex iis casibus, de quibus honestas ob causas omnes interrogari oportet, a] primus est, recessisse a gremio Sanctae Ecclesiae, fidem abnegando; vel in errores contra ipsam sic incurrendo, ut damnatus ob aliquam propositionem haereticam quis fuerit; vel ut * suspectus haeresis per sententiam publicam declaratus; vel si infamis ob excommunicationem tamquam schismaticus, spreta auctoritate et providentia Sanctae Matris Ecclesiae, exstiterit.

b] P.1c.3n.4, C.
c] P.1c. 3n.4, D.
*C

2. Secundus b] est, homicidium aliquo tempore perpetrasse, vel publice * c] infamem propter enormia peccata fuisse.

d] P.1c.3n.5, E.
1] C. 1 d. 129. C. 13 d. 7.

3. Tertius d] est, habitum sumpsisse alicuius 1] Religionis Fratrum vel Clericorum, vitam aliquandiu in obedientia cum eis agendo, sive emissa, sive non emissa professione; vel Eremitam cum vestibus monachalibus fuisse.

4. Quartus e] est, vinculo matrimonii consummati, vel servitutis legitimae ligatum esse. e] *Inf.* c.3 n.5, C. P. 1 c. 3 n. 6, F. P. 2 c. 2 n. 5.

5. Quintus f] est, infirmitatem pati, unde obscurari vel parum sanum iudicium ei reddi soleat; vel dispositionem notabilem ad huiusmodi infirmitatem habere. f] P. 1 c. 3 n. 7.

6. Praedicti g] casus impedimenta sunt, cum quorum aliquo 2] nemo in Societatem admitti potest: cum nobis in Domino videatur, praeter alias causas, quod, qui in eam sunt ingressuri ad bene et fideliter evangelizandum, et in agro Domini verbum divinum seminandum, eo aptiora ad id instrumenta erunt, quo minus primi et secundi defectus notam habuerint, propter consuetam multis et communem infirmitatem. g] *Inf.* A. P. 1 c. 3 n. 2, G. P. 2 c. 2, B. P. 4 c. 3 n. 2. 2] C. 7 d. 42.

Cum tertio etiam non admittuntur; quod nobis in Domino videatur, eum, qui bonus christianus sit, de-

bere firmum esse in sua prima vocatione: praesertim cum illa tam sit sancta; in qua scilicet quis, universo saeculo relicto, se totum dedicat maiori servitio et gloriae sui Creatoris et Domini. Postremo sic nobis persuademus, praeterquam quod maior sit futura aedificatio proximorum, eo melius in Domino, ipsius gratia aspirante, conservari posse omnes Professos, Coadiutores atque Scholasticos, quo magis liberi fuerint ab huiusmodi impedimentis, ac veluti unius coloris et similitudinis omnes.

Nullus etiam admittitur cum duobus ultimis impedimentis. Nam quartum esset cum detrimento proximorum, si uxoris vel domini consensus non obtineretur, aliaeque circumstantiae, prout ratio iuris exigit, observarentur. Quintum etiam in damnum esset non mediocre ipsius Societatis.

7. Si aliquod ex his impedimentis in quoquam detegeretur, non est quod ulterius in interrogationibus procedatur; sed qui Examinatoris officio
h] P. 1 c. 4 n. 2. fungitur, h] quoad eius fieri poterit,
*D eumdem consolando, * dimittat: si nullum esset tale, ulterius examine-
*E tur * sequenti modo.

DECLARATIONES IN CAPUT II.

A. *Quamvis ea quae sequuntur,*
a] Sup. n. 6. *impedimenta sint, quae* a] *a Societate excludunt, tamen non ut impedimenta proponi debent, donec veritas eliciatur. Qui enim duceretur desiderio ingrediendi Societatem, accipere occasionem posset veritatem celandi, si haec impedimenta esse intelligeret, etc. Et nihilominus admoneri Confessarium oportet, ut si quis vere non respondisset, eius conscientiam de ea re* b] *exstimulet.* b] Inf. c. 3, A.

B. *Qui suspectus esset de opinione aliqua erronea in re ad catholicam fidem pertinente, constat, quamdiu suspicio manet, eum non esse admittendum.*

C. *Haec infamia eo in loco excludit, ubi ea exstat. Qui tamen in remotissimis locis in eam incidisset; cum omnino ad divinum servitium se recepisset, huiusmodi infamia eum a Societate non excluderet: quamvis eamdem in huiusmodi hominis probatione magis circumspectam reddere debeat.*

D. *Caeterum,* c] *si in eo dona aliqua* c] P. 1 c. 3, G.
Dei illustriora cernerentur, ille, qui examinandi munere fungitur, antequam eum dimittat, rem cum Superiore conferat.

E. *Ordo examinis est, in primis prosequi id, de quo omnes interrogantur: secundo, de quo speciatim litterati: tertio, de quo etiam specialiter illi, qui in Coadiutores: quarto, de quo illi, qui in Scholares: quinto, de quo illi, qui ut indifferentes admittuntur. Et primo quidem attingitur, quod ad personas pertinet; deinde, quod illis est observandum.*

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM INTERROGATIONIBUS AD EOS, QUI INGREDI VOLUNT, MAGIS COGNOSCENDOS.

1. AD MAIOREM personarum notitiam aliqua sunt interroganda, quibus * vere omnino et sincere respondere oportet: et, si quid erit, quod secretum requirat, id observabitur, ut par erit et interrogato placuerit. Incipiendo itaque a nomine, interrogetur primum: Quo nomine vocetur: Quot annos natus sit: Quae sit eius patria.

*A

2. An sit ex legitimo matrimonio, nec ne: quod si ex illegitimo, quo pacto id sit, interrogetur. Num a progenitoribus iam olim christianis, *1*] an a modernis descendat.

1] C. 5 d. 52, 53. C. 6 d. 28.

An aliquis ex eius progenitoribus notatus fuerit vel declaratus ob aliquem errorem contra nostram christianam religionem, et quomodo id sit.

An patrem habeat et matrem; et quae sint eorum nomina: quae conditio, et officium, et modus vivendi sit illis: et an rerum temporalium * penuria premantur, an illarum commoditate potiantur, et quo pacto id habeat.

*B

3. Si quo tempore in difficultatem vel dubium aliquod incideret circa aes alienum, vel quod teneatur subvenire parentibus vel consanguineis, in spirituali vel corporali vel quavis alia temporali necessitate constitutis, eos invisendo, vel alia ratione; num, proprio sensu ac iudicio deposito, conscientiae vel iudicio Societatis, vel sui Superioris id velit relinquere, ut, cum statuerit ille quod in Domino iustum esse senserit, ei acquiescat.

4. Quot fratres et sorores habeat, et quis eorum sit status, num matrimonii, an alius: Quod officium aut vivendi modum habeant.

5. Num aliquando * verba ediderit, quae ad matrimonium illum obligare videantur, et quo pacto id sit. An habuerit vel habeat filium aliquem.

*C

6. Num habeat *a*] aes alienum, aut civiles obligationes: quod si habeat, quantae et quales eae sint.

a] P. 1 c. 3 n. 15, L. P. 2 c. 2 n. 5.

7. Num didicerit artem aliquam mechanicam. Num legere et scribere sciat: et si scit, probetur quo modo utrumque faciat, si aliunde non sciretur.

8. Num *b*] habuerit vel habeat morbum aliquem occultum vel manifestum, et qualem; eum speciatim interrogando, num vexationem aliquam stomachi vel capitis, vel quodvis aliud impedimentum naturale, seu defectum in aliqua sui parte patiatur. Et hoc, non solum interrogetur, sed, quoad fieri potest, inspiciatur.

b] P. 1 c. 3 n. 15.

9. Num aliquos Ordines ecclesiasticos susceperit. Num aliquam obli-

gationem voti habeat, quale est peregrinationis, vel aliud quodcumque.

10. Quem modum, vel animi propensionem habuerit in tenera aetate, et postea hucusque ad res suae conscientiae salutiferas: primum circa orationem, quoties orare solebat interdiu et noctu, quibus horis, qua corporis compositione, quibus orationibus, et cum qua devotione vel sensu spirituali.

Quo modo se habuerit circa audiendas Missas, et alia divina officia, et conciones. Quo modo circa lectionem rerum piarum, et bonorum virorum familiaritatem. Quo modo circa meditationem vel considerationem rerum spiritualium.

11. Interrogetur, an habuerit vel habeat conceptus aliquos vel opiniones, ab iis differentes, quae communius ab Ecclesia et Doctoribus ab
c] P. 3 c. 1, O. eadem approbatis tenentur: *c*] et si quando huiusmodi opiniones animum
2] C.5 d.6, 50 n.2. subierint, *2*] num paratus sit ad iudicium suum submittendum, sentiendumque, ut fuerit constitutum in Societate de huiusmodi rebus sentire oportere.

12. Interrogetur, an quibusvis in scrupulis, vel difficultatibus spiritualibus, vel aliis quibuscumque, quas patiatur vel aliquando pati contigerit, se diiudicandum relinquet, et ac-
*D quiescet * aliorum de Societate, qui doctrina et probitate sint praediti, sententiis.

13. An omnino decreverit saeculum relinquere et consilia Domini nostri Iesu Christi sequi.

Quam dudum decreverit, in genere scilicet, mundo renuntiare. Postquam id apud se statuit, an in ea animi sententia remissior factus fuerit, et quatenus. A quo tempore desideria haec renuntiandi saeculo et consilia Christi Domini nostri sequendi, suboriri ei coeperint; vel quibus signis, aut causis ad id moventibus, ei in mentem venerint.

14. Num *d*] deliberatum habeat animi propositum vivendi et morien- d] P. 1 c. 4 n. 3, P. 5 c. 1, A.
di in Domino cum hac et in hac Societate Iesu Creatoris et Domini nostri: et a quo tempore, ubi, et per quem, primum ad id motus fuerit.

Si negaret se a quoquam de Societate motum fuisse, progrediendum erit ulterius: si affirmaret se fuisse motum (quamvis licite, et cum merito moveri potuisset); ad maiorem tamen ipsius utilitatem spiritualem fore videtur, si tempus ei aliquod praescribatur, ut, ea de re cogitando, Creatori et Domino suo se totum commendet, perinde ac si nullus de Societate ipsum movisset; ut maiori cum robore spiritus procedere ad maius obsequium et gloriam divinae maiestatis possit.

15. Si post huiusmodi considerationem senserit ac iudicaverit sibi valde convenire Societatis ingressum ad maiorem laudem et gloriam Dei, et ut melius saluti et perfectioni, tum animae suae, tum proximorum suorum incumbat; et postulaverit in eamdem nobiscum in Domino admitti; tunc ulterius in examine procedi poterit.

DECLARATIONES IN CAPUT III.

A. *Obligatio* a] *vera* 3] *dicendi in* a] Sup. c. 2, A. 3] C. 7 d. 43.
examine, ad peccatum esse debet; et quidem eidem, cui, quod celatum est, aperiendum erat, vel qui eius locum teneat, reservatum; ut fraus evitetur, quae locum habere posset, si quis sincere suo Superiori animum suum non declararet;

unde incommoda, et quidem in totius Societatis non mediocre detrimentum, possent oriri.

B. *Si praesens et extrema necessitas auxilii eorum urgeret; constat, huiusmodi admitti non debere. Raro tamen huiusmodi necessitas solet accidere.*

C. *Si spopondisset per verba de prae-*
b] Sup. c. 2 n. 4. P. 1 c. 3 n. 6. *senti,* b] *matrimonium consummando, vel modo aliquo pari; duceretur is quartum habere impedimentum, cum quo nemo in Societatem admitti potest, nisi adsint conditiones illae, quae exigi solent, ut coniugatus Religionem ingredi possit.*

4] C. 1 d. 22. D. *Personarum huiusmodi* 4] *electio, quibus se iudicandum relinquere debet is, qui in huiusmodi difficultatibus versatur, penes Superiorem erit, si subdito ea placuerit; vel penes subditum, si Superior eam approbaverit: cui si in casu aliquo, et propter causam aliquam iustam, videretur ad* DEI *obsequium fore, maiusque auxilium illius, qui huiusmodi difficultatibus laborat, ut aliquis, vel etiam plures eorum, qui iudicaturi sunt de eis, extra Societatem assumantur, permitti poterit: electione tamen, vel saltem approbatione eorum penes Superiorem, ut dictum est, manente. Si difficultates huiusmodi ad personam ipsius Superioris pertinerent, electio vel approbatio, de qua diximus, penes Consultores erit. Qui tamen Praeposito Generali vel Provinciali inferior esset, sine alicuius eorum facultate, licet Rector sit Collegii vel alicuius Domus Praepositus, nec constituere poterit nec permittere, ut huiusmodi difficultates ad suam personam pertinentes arbitrio aliorum extra Societatem subiiciantur.*

CAPUT IV.

DE REBUS QUIBUSDAM, QUAS PRAECIPUE SCIRE EOS CONVENIT, QUI IN SOCIETATEM ADMITTUNTUR, EX IIS, QUAS IN IPSA OBSERVARE DEBENT.

1. PROPONATUR illis, quod haec mens fuerit eorum qui primi in hanc Societatem convenerunt, ut in eam ii admitterentur, qui saeculo renuntiassent et DEI servitio se omnino mancipare, sive in hac sive in alia Reli-
a] Inf. n. 3. gione, statuissent. *a*] Quocirca quicumque Societatem ingredi volent, antequam in Domo aliqua vel Collegio eius vivere sub obedientia incipiant, debent omnia bona temporalia, quae habuerint, distribuere, et renuntiare, ac disponere de iis quae ipsis obvenire possent. Eaque distributio primum in res debitas et obligatorias, si quae fuerint, et tunc, quam citissime fieri potest, providere oportebit: si vero tales nullae fuerint, in pia et sancta opera fiet, iuxta illud: *Dispersit, dedit pauperibus;* et illud Christi: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus, et sequere me;* dispensando tamen haec bona *1*] 1] C. 2 d. 23.
iuxta propriam devotionem, et a se omnem fiduciam submovendo eadem ullo tempore recuperandi.

2. Quod *b*] si statim propter aliquas honestas causas bona non relin- b] Inf. n. 3, 5. P. 3 c. 1 n. 7, 25. P. 4 c. 4, E. P. 6 c. 2, H.

quet, promittat se prompte relicturum omnia, ut dictum est, post unum 2] ab ingressu absolutum annum, quandocumque per Superiorem iniunctum ei fuerit in reliquo temporis probationis: quo completo, ante professionem Professi, et ante tria vota publica Coadiutores, re ipsa relinquere, ac pauperibus, ut dictum est, dispensare debent, ut consilium evangelicum, quod non dicit, da consanguineis, sed pauperibus, perfectius sequantur; et ut melius exemplum omnibus exhibeant inordinatum erga parentes affectum exuendi, et incommoda inordinatae distributionis, quae a dicto amore procedit, declinandi; atque ut, ad parentes et consanguineos recurrendi, et ad inutilem ipsorum memoriam aditu praecluso, firmius et stabilius in sua vocatione perseverent.

2] C. 3 d. 19.

3. Si c] tamen dubitaretur, num maioris foret perfectionis dare vel renuntiare consanguineis huiusmodi bona, quam aliis, propter parem vel maiorem ipsorum penuriam, et iustas alias ob causas; nihilominus, ad declinandum errandi in huiusmodi iudicio periculum, quod ab affectu sanguinis solet proficisci, contenti esse debebunt negotium hoc 3] arbitrio * unius, duorum, aut trium, qui vita et doctrina commendentur, quos unusquisque cum Superioris approbatione elegerit, relinquere, et in eo conquiescere, quod illi perfectius et ad maiorem Christi Domini nostri gloriam esse censebunt.

c] Inf. n. 5. P. 3 c. 1, G.

3] C. 2 d. 76.

* A

Interrogetur itaque, num d] placeat ei statim, sicuti dictum est, bona sua distribuere; vel certe num e] paratus sit ad huiusmodi distributionem, quandocumque, exacto primo anno, per Superiorem ei fuerit iniunctum.

d] Sup. n. 1.

e] Sup. n. 2.

4. Admoneantur, quod, post ingressum in Domum, nemo f] pecuniam apud se nec apud amicum aliquem externum in eodem loco habitantem habere potest; quin potius eam in pia opera dispenset, vel asservandam ei tradat, cui cura huiusmodi domi commissa est: qui g] quidem, quidquid unusquisque feret, scribendum curabit, ut id sciri possit, * si quando scitu opus fuerit.

f] P. 3 c. 1 n. 7. P. 6 c. 2, H.

g] P. 1 c. 4 n. 6.

* B

Interrogentur itaque, num aliquam habeant pecuniam, et an eam dispensare, ut dictum est, sint contenti.

5. Admoneantur itidem, si ecclesiastici sint, quod, postquam in Societatis corpus ut Professi vel Coadiutores cooptati fuerint, nulla ecclesiastica beneficia possunt retinere: et h] quod tempore probationis, post primum annum absolutum, ut superius diximus, 4] quandocumque Superiori visum fuerit, ea relinquere debent, iuxta i] suam devotionem, vel ei qui contulit resignando, vel ad pia opera applicando, vel alioqui dignis viris, quibus haec instrumenta sint ad Dei obsequium, conferri curando. k] Quod si consanguineis conferenda esse viderentur, id non facient, nisi ab uno, duobus, aut tribus, ut superius dictum est, iudicetur, quod id magis conveniat, et ad maius Dei obsequium sit futurum.

h] Sup. n. 2. P. 6 c. 2, H.

4] C. 1 d. 140. C. 5 d. 19. C. 7 d. 17 n. 4.

i] P. 3 c. 1 n. 7.

k] Sup. n. 3. P. 3 c. 1, G.

6. Cum l] autem communicatio, quae cum amicis et sanguine iunctis verbo aut scripto fit, potius ad quietis perturbationem, quam ad eorum, qui spiritui vacant, profectum, praesertim in initiis, facere soleat; interrogentur, num contenti sint cum huiusmodi non communicare, nec litteras accipere, nec scribere, nisi aliqua m] occasione Superiori aliter videretur: et quamdiu domi fuerint, num contenti sint, ut

l] P. 3 c. 1 n. 2.

m] P. 3 c. 1 n. 2, B. P. 1 c. 4 n. 4.

videantur litterae omnes, et quae ipsis scribentur, et quas ipsi aliis scribent, ei, cui huiusmodi munus commissum est; cura relicta, ut eas det, vel non det, quemadmodum in Domino nostro magis expedire iudicabit.

7. Unusquisque eorum, qui Societatem ingrediuntur, consilium illud Christi sequendo: *Qui dimiserit patrem,* etc. existimet sibi patrem, matrem, fratres et sorores, et quidquid in mundo habebat relinquendum; immo sibi dictum existimet verbum illud: *Qui non odit patrem et matrem, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus.*

* C Et ita curandum ei est, ut * omnem carnis affectum erga sanguine iunctos exuat, ac illum in spiritualem convertat, eosque diligat eo solum amore, quem ordinata charitas exigit, ut qui,
5] C. 2 d. 85. 5] mundo ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli vivit, eumque loco parentum, fratrum et rerum omnium habet.

8. Ad maiorem in spiritu profectum, et praecipue ad maiorem submissionem et humilitatem propriam, interrogetur, an contentus sit futurus, ut omnes errores et defectus ipsius, et res quaecumque, quae notatae in eo et observatae fuerint,
6] C. 5 d. 58. Superioribus 6] per quemvis, qui ex-
C. 6 d. 32, 33. tra confessionem eas acceperit, manifestentur.

Num etiam boni sit consulturus (quod et ipse et quivis alius facere debet) ab aliis corrigi, et ad aliorum correctionem iuvare: ac num manifestare sese invicem sint parati, debito cum amore et charitate, ad maiorem spiritus profectum; praesertim ubi a Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita praescriptum aut interrogatum ad maiorem Dei gloriam.

9. Praeterea, antequam quisquam in Domum vel Collegium ingrediatur, vel postquam ingressus fuerit, sex n] n] *Inf.* n. 16. c. 7 n. 6.
experimenta praecipua, praeter alia multa de quibus ex parte inferius dicetur, requiruntur. o] Poterunt ea o] *Inf.* n. 16. c. 7 n. 6.
tamen anteponi, et postponi, et mo- P. 9 c. 3, E.
derari, et aliquo in casu auctoritate Superioris, habita ratione personarum, temporum et locorum, tum caeterorum quae occurrerint, in alia permutari.

10. Primum p] est, in Spirituali- p] P. 3 c. 1 n. 20, R.
bus Exercitiis 7] mensem unum plus 7] C. 4 d. 67.
minus versari: id est, tum in examinanda conscientia, et anteacta vita recogitanda, et q] confessione gene- q] *Inf.* n. 41.
rali facienda, ac peccatorum suorum P. 1 c. 4 n. 6.
meditatione; tum in contemplatione rerum ac mysteriorum vitae, mortis, resurrectionis et ascensionis Christi Domini nostri; tum etiam in oratione vocali et mentali, iuxta cuiusque captum, prout in Domino edocti fuerint, se exercere.

11. Secundum est, servire in uno vel pluribus xenodochiis per mensem alium, ibidem cibum capiendo et dormiendo, vel per aliquam vel plures horas quotidie, pro temporum, locorum et personarum ratione, auxilium et ministerium omnibus aegris et sanis, prout iniunctum eis fuerit, impendendo; ut magis se demittant et humilient, ac eo, veluti argumento, demostrent se prorsus ab hoc saeculo eiusque pompis ac vanitate recedere: ut omnino suo Creatori et Domino pro ipsorum salute crucifixo serviant.

12. Tertium est, peregrinari mensem alium sine pecunia; r] immo r] *Inf.* n. 27.
suis temporibus ostiatim pro Christi amore mendicare, ut possint ad incommoditatem comedendi et dormiendi assuefieri: atque adeo, ut, omni spe

illa abiecta, quam in pecuniis et rebus aliis creatis possent constituere, integre, vera cum fide et ardenti amore eam in suo Creatore et Domino constituant: vel utrumque mensem ministerio hospitalium vel alicuius eorum, aut etiam utrumque peregrinationi, prout Superiori visum fuerit, impendent.

s] *Inf.* n. 28. P. 4 c. 6, C.

13. Quartum *s*] est, post ingressum in Domum omni cum diligentia et sollicitudine in variis officiis abiectis et humilibus se exercere, bonum sui exemplum in omnibus exhibendo.

14. Quintum est, doctrinam christianam vel aliquam eius partem pueros et alios rudiores homines, publice vel privatim, et prout occasio se obtulerit et in Domino commodius visum fuerit, et iuxta personarum proportionem, docere.

15. Sextum est, postquam in probationibus bonae aedificationis specimen praebuerint, ulterius ad praedicandum, vel confessiones audiendas, vel in utroque se exercendum, pro tempore et loco et hominum dispositione progredi.

t] *Sup.* n. 9.

v] *Inf.* c. 7 n. 6. P. 9 c. 3 n. 8, E.

x] *Sup.* c. 1 n. 12. *Inf.* n. 41. *Inf.* c. 6 n. 8. P. 4 c. 3 n. 3. P. 5 c. 1 n. 3. c. 4 n. 3, 6.

16. Antequam ingrediantur in secundum annum probationis, quae fit in Domibus vel Collegiis, per sex menses omnes vacare huiusmodi sex *t*] experimentis debent, et totidem alios diversis aliis probationibus impendent. *v*] Poterunt tamen illa sex experimenta fieri, vel in totum vel ex parte, toto probationis tempore, ut aliquando haec, aliquando illa praecedant: et a Scholasticis quidem, vel studiorum tempore vel post studia absoluta, habita personarum, locorum et temporum ratione, prout in Domino convenire videbitur. Illud *x*] tamen omnino observabitur, ut, antequam Professi futuri professionem, et Coadiutores formati tria vota sua publica, licet non solemnia, emittant, duo anni experimentorum et probationum expleantur: et in Scholasticis, *y*] studiis absolutis, praeter tempus, quo probantur ut Scholastici approbati censeantur, tertius alius annus, antequam ad professionem vel in Coadiutores formatos admittantur, in *z*] variis probationibus, et speciatim in dictis, si prius illis perfuncti non sunt (immo quamvis perfuncti fuerit), vel in nonnullis earum ad maiorem Dei gloriam exigetur.

y] *Sup.* c. 1 n. 12. *Inf.* c. 6 n. 8. P. 5 c. 1 n. 3.

z] *Sup.* n. 9 P. 5 c. 2 n. 1.

17. Quamdiu huiusmodi experimenta et probationes fiunt, nullus dicat ex Societate se esse; sed potius, qui examinatus fuerit ad professionem ex parte ipsius Societatis (quamvis *a*] ex parte sua cum indifferentia ad omnes gradus sit ingressus), cum loquendi occasio se obtulerit, dicere debet se in experimentis versari, atque optare se admitti in Societatem, quocumque in gradu ipsa Societas ad gloriam Dei eo uti volet: si ut Coadiutor examinatus fuerit, dicet se in probationibus adhuc esse, atque optare in gradum Coadiutorum recipi: simili modo de Scholasticis, et de aliis, qui *b*] ut indifferentes examinati sunt, intelligatur; ut quisque iuxta sui examinis rationem respondeat.

a] *Sup.* c. 1 n. 7, 11.

b] *Inf.* c. 8.

18. Circa huiusmodi experimenta diligenter, quod sequitur, est observandum; scilicet, ut, ubi *c*] aliquis in primo experimento, nempe Exercitiorum Spiritualium, versabitur, is qui illum exercet, ad Superiorem referat, quid de eodem sentiat ad finem Societati praefixum.

c] P. 2 c. 2, C.

19. Cum *d*] in secundo, serviendi in hospitalibus, afferat qui probatur Gubernatoris testimonium, vel Prae-

d] P. 2 c. 2, C.

fecti eorum qui inserviunt hospitali, de boni nominis odore, quem in eo reliquerit.

e] P. 2 c. 2, C.

20. Cum *e*] in tertio, peregrinationis, ab ultimo loco ad quem pervenit, vel non procul ab eo, testimonium ab aliquibus vel uno certe fide digno secum ferat, quod, suam devotionem secutus, sine ulla cuiusquam querela eo pervenit.

f] P. 2 c. 2, C.

21. Cum *f*] in quarto, exercendi se in officiis domesticis humilitatis, pro testimonio erit, data omnibus, qui Domi sunt, aedificatio.

g] P. 2 c. 2, C.

22. Ubi *g*] vero in quinto, de doctrina christiana, et sexto, de praedicatione, et confessionibus audiendis, vel de utroque munere obeundo versabitur; eius testimonium erit, si quidem Domi nostrae habitaverit, a domesticis accipiendum; et ex aedificatione, quam populus, ubi Domus est, acceperit: si praedicare et confessiones audire acciderit aliis in locis, extra huiusmodi populum ac Domum, testimonium afferre debet ab huiusmodi locis, ubi diutius versatus fuerit, vel a personis publicis (praecipuam habendo rationem Praelatorum Ordinariorum) quae fidem plane faciant, quod cum doctrina sana ac bonae vitae exemplo, sine cuiusquam offensione verbum divinum seminavit, et officio Confessarii functus est.

23. Praeter haec testimonia, poterit Societas, quando id expedire videretur, curare ut aliunde certior fiat; ut ipsa sibi magis ad Dei et Domini nostri gloriam satisfaciat.

h] P. 2 c. 2, C.

24. Si huiusmodi *h*] testimonia in praedictis experimentis non afferrentur, diligenter causa inquirenda erit; curandumque, ut rei totius veritas intelligatur, quo melius omnia quae convenient provideri possint, ut melius bonitati divinae, ipsius gratia aspirante, inserviatur.

i] P. 3 c. 1 n. 3, C.

25. Praeterea, *i*] postquam Domi fuerit, egredi eam sine facultate non debet: et, *k*] si laicus fuerit, confiteatur oportet, et sanctissimum Sacramentum Eucharistiae sumat octavo quoque die, nisi Confessario aliquod esse impedimentum ad communionem videretur: si Sacerdos est, confitebitur, ut minimum, octavo quoque die, et crebrius Missae sacrificium offeret; simul ordinationes vel constitutiones alias Domus, ut in eius Regulis edoctus erit, observabit. *l*] Omnes, qui Domi sunt, in addiscenda doctrina christiana se exercebunt; et *m*] etiam in praedicatione illi, quibus Superior Domus id faciendum iudicabit; inter quos nullus erit eorum, qui in Coadiutores temporales admissi sint.

k] P. 3 c. 1 n. 11. P. 4 c. 4 n. 3, B. P. 6 c. 3 n. 2.

l] P. 3 c. 1 n. 20.

m] P. 3 c. 1 n. 21. P. 4 c. 8 n. 3. P. 10 n. 3.

n] P. 3 c. 2 n. 3, C. P. 6 c. 2 n. 15, 16, M.

26. Sui *n*] victus, potus, vestitus et lecti rationem, si Societatem sequi velit, sibi persuadeat fore ut pauperibus accommodatam; quodque, quae vilissima erunt ex iis quae Domi sunt, ei tribuentur, propter ipsius maiorem abnegationem et spiritualem profectum, et ut ad quamdam aequalitatem et veluti mensuram ab omnibus perveniatur. Cum enim, qui primi in Societatem convenerunt, per huiusmodi indigentiam ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum probati fuerint; qui post eos accedent curare debent, ut, quoad poterunt, eo pertingant quo illi pervenerunt, vel ulterius etiam in Domino progrediantur.

27. Ad haec, praeter reliquas peregrinationes et probationes sic declaratas, antequam Professi suam professionem, et Coadiutores sua vota emittant, et, si Superiori videbitur, Scholastici, antequam approbati cen-

seantur et vota sua ac promissionem superius dictam faciant; per triduum suis constitutis temporibus, vestigia sequendo primorum de quibus mentionem fecimus, o] ostiatim pro Christi Domini nostri amore mendicare debent, ut, contra quam est communis hominum sensus, ad divinum obsequium et laudem magis se possint submittere, magisque in spiritu proficere ad gloriam divinae maiestatis: p] ut etiam magis sint dispositi ad id ipsum faciendum, quando illis iniunctum fuerit, vel conveniens aut necessarium erit, dum per varias mundi partes, iuxta quod eis praescriptum vel constitutum per Summum Christi Vicarium, vel eius loco per Superiorem Societatis fuerit, discurrent. Quandoquidem exigit nostrae professionis ratio, ut parati et in procinctu simus ad ea omnia, quae quovis tempore in Domino nobis iniuncta fuerint, nec q] petendo nec exspectando praemium ullum in praesenti hac et labili vita; sed eam, quae undecumque aeterna est, ex summa Dei misericordia semper sperando.

o] *Sup.* n. 12.

p] P. 4 c. 2 n. 6. P. 6 c. 2 n. 10, 13, I. P. 7 c. 1, E. c. 2, G.

q] P. 4 c. 15 n. 4. P. 6 c. 2 n. 7.

28. Et r] ad particularia quaedam descendendo, in probationibus humilitatis et abnegationis sui, et in exercendis officiis abiectis et humilibus (cuiusmodi sunt: in culina servire, domum everrere, et reliqua omnia servitia obire), promptius ea suscipi convenit, a quibus sensus magis aborrebit; si quidem iniunctum fuerit ut in eis se exerceant.

r] *Sup.* n. 13. *Inf.* n. 46. P. 3 c. 1 n. 22, 27.

29. Cum s] aliquis ad ministeria culinae obeunda ingredietur, vel ad eum iuvandum qui coquus est, eidem obedire cum magna humilitate in rebus omnibus ad ipsius officium pertinentibus debet. Si enim ei integram obedientiam non praestet; nec ulli ex Superioribus, ut videtur, praestaret: quamdoquidem vera obedientia non considerat personam cui fiat, sed propter quem fiat: et, si propter solum Creatorem et Dominum nostrum fiat, eidem omnium Domino obedietur. Unde nulla ratione considerandum est, an sit coquus vel Superior Domus: an hic vel ille sit, qui iubet; quandoquidem nec illis nec propter illos, sane intelligendo, ulla obedientia praestatur, sed soli Deo et propter solum Deum Creatorem ac Dominum nostrum.

s] P. 3 c. 1 n. 24.

30. Ideo melius est, ut coquus * non roget sibi inservientem, ut hoc aut illud faciat; sed cum modestia iubeat vel dicat: " hoc fac, vel illud. " Si enim rogat, potius ut homo hominem alloqui videbitur: et coquum laicum rogare Sacerdotem, ut ollas abstergat, vel res huiusmodi faciat, nec decens, nec iustum videretur. Sed si iubeat vel dicat: " fac hoc, vel illud, " significabit magis, quod ut Christus homini loquitur, quandoquidem ipsius loco iubet: atque ita, qui obedit considerare ac perpendere vocem, a coquo, vel alio qui sit ei Superior, egressam debet, ut si a Christo Domino nostro egrederetur, ut omnino placere divinae maiestati possit.

* D

31. Hoc ipsum in aliis humilibus officiis intelligatur, quando aliquis in eis ministerium suum impendit: atque t] eodem modo accipiatur in * officialibus subordinatis, qui accepta a Superiore auctoritate Domum gubernant.

* E

t] P. 3 c. 1 n. 24. P. 4 c. 10 n. 8.

32. Aegritudinis u] tempore, non solum observare unusquisque obedientiam magna cum puritate debet erga Superiores spirituales, ut ipsius animam regant; sed cum eadem humi-

u] P. 3 c. 1 n. 17. c. 2, G.

x] P. 6 c. 4 n. 1.

litate erga medicos corporales et infirmarios, ut corpus eius regant; quandoquidem illi plenam ipsius sanitatem spiritualem, hi vero corporalem omnino curant. *x*] Praeterea, qui aegrotat, humilitatem et patientiam suam prae se ferendo, non minorem aedificationem, dum morbo laborat, iis qui ipsum invisent, et cum eo versabuntur et agent, quam dum valebat corpore, ad maiorem Dei gloriam praestare curet.

y] *Sup.* c. 1 n. 6. *Inf.* n. 41. P. 3 c. 1 n. 15.

33. Ad maiorem firmitatem omnium quae sic narrata sunt, et ad maiorem spiritualem profectum eius qui examinatur, interrogetur, an omnino obedientem se exhibere in omnibus, quae hic dicta et declarata sunt, velit, subeundo *y*] et adimplendo quasvis poenitentias, quae propter defectus et negligentiam suam, vel quidvis aliud fuerint iniunctae.

z] *Inf.* n. 35. P. 3 c. 1 n. 12. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 2.

34. Re in Domino considerata, visum nobis est in divinae maiestatis conspectu mirum in modum conferre, ut *z*] Superioribus subditi omnino perspecti sint; quo melius regi et gubernari, et per eos in viam Domini dirigi possint.

a] P. 3 c. 2, G. P. 4 *Prooem.* A. P. 7 c. 1 n. 1. c. 2, H.

b] *Sup.* n. 34.

35. Praeterea, quanto exactius Superiores res omnes internas et externas suorum noverint, tanto maiori cum diligentia, amore et sollicitudine iuvare eos, ipsorumque animas a variis malis et periculis, quae in progressu possent accidere, conservare poterunt. Cum *a*] etiam semper parati esse, iuxta nostrae professionis rationem et procedendi modum, ad discurrendum per has et illas mundi partes debeamus, quandocumque per Summum Pontificem, vel Superiorem nostrum immediatum fuerit nobis iniunctum; ut melius secundum Dei voluntatem huiusmodi missiones fiant, his et non illis mittendis, vel his ad hoc munus, illis vero ad alia; non solum refert valde, sed summopere, ut Superior *b*] plenam habeat notitiam propensionum ac motionum animi, et ad quos defectus vel peccata fuerint vel sint magis propensi et incitati, qui sub eius cura sunt; ut, eius rei habita ratione, melius ipsos dirigere possit, nec supra mensuram virium suarum in periculis vel laboribus gravioribus, quam in Domino ferre suaviter possint, constituat: et etiam, ut (quae audit sub secreti sigillo custodiendo) melius Superior possit ordinare ac providere, quae corpori universo Societatis conveniunt.

8] C. 12 d. 15.

9] C. 5 d. 58.

36. Ideo, quicumque hanc Societatem in Domino sequi volet, et in eadem ad maiorem Dei gloriam manere, priusquam ad primam probationem accedat, vel postquam ingressus fuerit, antequam generaliter examinetur, vel post examen, intra aliquot menses, si Superiori differendum videretur, sub sigillo confessionis vel *8*] secreti, vel quacumque ratione ei placuerit et ad maiorem ipsius consolationem fuerit, debeat conscientiam suam magna cum humilitate, puritate et charitate manifestare, re nulla, qua Dominum universorum offenderit, celata; et totius anteactae vitae rationem integram, vel certe rerum maioris momenti, Superiori, *9*] qui tum fuerit Societatis, vel cui ex Praepositis vel aliis ex inferioribus ille iniungeret, prout magis convenire videretur, reddat: ut melius omnibus in Domino prospiciatur, ipseque magis in spiritu, cum gratia uberiori, ad maiorem divinae bonitatis gloriam proficiat.

37. Sic igitur progredientes in gratiae atque spiritus incremento,

plenoque cum desiderio ingrediendi et perseverandi quamdiu vixerint in
c] *Sup.* n. 36. hac Societate, tantumdem *c*] facient aliquoties, antequam ad professionem qui Professi, et ad sua vota qui Coadiutores formati sunt futuri, admittantur: et id, quo sequitur modo.

38. Postquam primo aliquis eorum integram vitae rationem Superiori
d] *Sup.* n. 36. Domus reddidit, *d*] ab eodem die inchoando, prioribus quae eidem dixit non repetitis, iterum post semestre proximum, plus minus, ei, vel cui a Superiore fuerit constitutum vitae rationem reddet. Deinde, a secunda hac ratione incipiendo, eodem ordine procedetur; et sexto quoque mense rationem hanc sui quisque reddet. Ultima vero, circiter triginta dies antequam Professi futuri suam professionem, et Coadiutores sua vota emittant, reddetur.

e] *Sup.* n. 36. P. 4 c. 10 n. 5. 39. Scholastici *e*] eodem modo procedent, praeterquam quod, absolutis suis studiis, cum primum rationem vitae suae reddent, ab ultima quam reddiderunt in Domo unde ad studia missi sunt, vel ab initio vitae, si aliqua de causa numquam reddiderunt, incipient.

f] *Sup.* n. 36. P. 6 c. 1 n. 2. P. 9 c. 3 n. 19. 40. Sic *f*] etiam videtur quod Coadiutores formati et Professi, si alicubi agent ubi Praepositi alicuius Societatis obedientiae subiaceant, singulis annis, vel crebrius si Praeposito videbitur, suae conscientiae rationem dicto modo, ab ultima quam reddiderunt incipiendo, ei reddant.

41. Qui senserit ad omnia quae dicta sunt animum ac vires sibi a Domino dari, ac ad maiorem Dei gloriam fore, suaeque animae magis salutiferum iudicat in corpus huius
g] *Sup.* c. 1 n. 13, G. P. 1 c. 4 n. 5. Societatis admitti; *g*] praeter litterarum apostolicarum et Constitutionum et reliquorum quae ad eius Institutum pertinent, ipso initio, ac postea sexto quoque mense, ut dictum est, considerationem, *h*] debet generalem vitae totius confessionem apud aliquem Sacerdotem a Superiore assignatum, propter multiplicem spiritus utilitatem, quae ea in re deprehenditur, facere. h] *Sup.* n. 10. P. 1 c. 4 n. 6.

Quod si aliquando generaliter confessus fuerit alicui de Societate, vel in Exercitiis Spiritualibus, vel extra illa, satis erit generalem confessionem ab alia etiam generali ad id usque tempus inchoare, et post eam sacratissimum Christi Domini nostri corpus sumere: et sic sexto quoque mense, eodem modo generaliter, ab ultima inchoando, confitebitur. Demum, continuum puritatis ac virtutum augmentum, et inflammata in Domino desideria multum in hac Societate divinae maiestati serviendi procurando, *i*] exactis duobus annis probationis, et se perpetuo obedientem exhibendo, et in sua conversatione et variis experimentis aedificationem praebendo, *k*] ac poenitentias pro erratis et negligentiis et defectibus iniunctas magna cum humilitate subeundo; si et *10*] ipse, et Societas vel Superior Domus contenti fuerint, in Societatis corpus admitti poterit, *l*] consideratis prius litteris apostolicis et Constitutionibus, et confessione generali peracta, ut superius est dictum. Quam ut melius instituat, seseque in sua prima deliberatione confirmet, per unius hebdomadae spatium se colligendo, et aliqua Spiritualia Exercitia ex iam factis vel aliis faciendo; postremo suam oblationem ac vota, sive solemnia sint in Professis, sive simplicia in Coadiutoribus et Scholasticis, quemadmodum

i] *Sup.* c. 1 n. 12. P. 4 c. 3 n. 3. c. 4 n. 5. P. 5 c. 1 n. 3. c. 4 n. 3, 6.
k] *Sup.* n. 33. c. 1 n. 6. P. 3 c. 1 n. 15.
10] C. 9 d. 39 n. 1.
l] *Sup.* c. 1 n. 13, G.

in Constitutionibus declarabitur, ad maiorem DEI gloriam uberioremque fructum animae suae emittat.

11] C. 4 d. 53.

42. Admoneantur, quod, *11*] votis huiusmodi emissis, iuxta tenorem litterarum apostolicarum non possint ipsi ad alias Religiones, sine facultate a Superiore Societatis concessa, transire.

43. Quod si, exacto probationis tempore, contentus quidem ipse est, et exoptat sic ad professionem vel in Coadiutorem vel in Scholasticum admitti; verum dubitaret Societas de ipsius talento vel moribus; securius *m*] erit in alium annum, vel tempus quod videbitur, id prorogari; donec utrique parti plene in Domino sit satisfactum.

m] *Sup.* c. 1 n. 12. P. 5 c. 1 n. 8, C.

44. Praeterea diligenter animadvertant oportet qui examinantur, (magni faciendo, summique momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quantopere iuvet ac conferat ad vitae spiritualis profectum, omnino, et non ex parte, abhorrere ab omnibus quae mundus amat et amplectitur; et admittere et concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quae mundi sunt sequuntur, diligunt et quaerunt magna cum diligentia honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet; sic, qui procedunt in spiritu et serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant et ardenter exoptant quae iis omnino contraria sunt; indui, nimirum, eadem veste ac insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reverentia: adeo ut, si sine offensione ulla divinae maiestatis et absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia et iniurias pati, ac stulti haberi et existimari, (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo quod exoptant assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum IESUM Christum, eiusque vestibus et insignibus indui: quandoquidem illa ipse propter maiorem profectum nostrum spiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus, quoad eius fieri poterit divina gratia aspirante, eum imitari et sequi, cum vera sit via, quae ducit homines ad vitam, velimus. Igitur interrogentur, an huiusmodi desideria tam salutaria, et ad perfectionem animarum suarum tam fructuosa, in se sentiant.

45. Quod si quis, propter humanam nostram debilitatem ac miseriam, in se huiusmodi tam inflammata in Domino desideria non sentiret, interrogetur, an certe desiderium in se sentiat huiusmodi desideria sentiendi. Si affirmando responderit, optare se nimirum huiusmodi tam sancta desideria animo concipere; quo melius ad eorum effectum perveniatur, interrogetur, an decreverit paratusque sit huiusmodi iniurias, illusiones et opprobria in Christi insignibus inclusa, et alia quaevis quae ei inferrentur, sive per quemvis ex Domo vel Societate, in qua obedire et humiliari ac aeternam beatitudinem consequi exoptat, sive extra eam per quemvis viventium, nulli malum pro malo, sed bonum pro malo reddendo, admittere, et patienter cum DEI gratia ferre.

46. Ut melius ad hunc perfectionis gradum in spirituali vita tam pretiosum perveniatur, eius maius ac impensius studium sit *n*] quaerere in Domino maiorem sui abnegationem,

n] *Sup.* n. 28. *Inf.* c. 6 n. 6. P. 3 c. 1 n. 22, 27.

et continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem. Nostrum autem erit in eisdem iuxta gratiam, quam Dominus nobis conferre ad suam maiorem laudem ac gloriam dignabitur, eum iuvare.

DECLARATIONES IN CAPUT IV.

A. *Intelligendum est intra Societem, nisi Superiori iustas ob causas viderentur horum aliqui extra Societatem assumi debere.*

B. *Si accideret hunc a Societate dimitti, et Societati quid dedisset, ei restitui debet, iuxta* a] *declarationem tertii capitis secundae partis.*

a] P. 2 c. 3, B.

C. *Ut loquendi modus sentiendi modum iuvet, sanctum est consilium ut assuescant, non dicere quod parentes vel fratres habeant, sed quod habebant, etc. praeseferendo se id non habere, quod, ut Christum omnium rerum loco habeant, reliquerunt. Hoc tamen illis magis est observandum, qui maiori in periculo versari videntur, ut ab aliquo naturali amore perturbentur; cuiusmodi, ut plurimum, Novitii esse solent.*

D. *Utrumque bonum est, rogare et iubere: nihilominus in initiis magis proficiet aliquis si iubetur, quam si rogaretur.*

E. *Cuiusmodi esse solent Minister et Subminister, vel alii qui in Collegiis similia munera gerunt.*

CAPUT V.

DE ALIO EXAMINE, AD PARTICULARIA ALIQUANTO MAGIS DESCENDENTE, QUOD ERUDITIS, ET COADIUTORIBUS SPIRITUALIBUS, ET SCHOLASTICIS CONVENIT.

1. Quo melius intelligi atque cognosci queant quae ad huiusmodi homines spectant, unusquisque eorum interrogetur: ubi studuerit, qua in facultate, quibus auctoribus ac doctrinae deditus, quantum temporis studiis impenderit, quantumque suo iudicio profecerit, ac nominatim quam sit ei familiaris latina lingua.

2. An ad gradus artium liberalium, vel theologiae, vel iuris canonici, vel alterius cuiusvis facultatis sit promotus.

a] P. 1 c. 2 n. 7.

3. An a] existimet se memoria, ad bene capiendum et retinendum quod didicerit, esse praeditum.

An b] sibi videatur pollere intellectu, qui cito ac bene penetret ea quibus studuerit. b] P. 1 c. 2 n. 6.

An in se propensionem naturalem aut voluntariam ad studia sentiat.

4. An existimet studia sanitati sui corporis aliquid detrimenti attulisse.

An c] vires sibi corporales et spirituales suppetere sentiat ad labores, qui in Societate requiruntur, ferendos, sive in studiis, quamdiu illis vacat, sive in vinea Domini, cum in ea laborandum est. c] P. 1 c. 2 n. 11.

5. Si Sacerdos fuerit, an se in audiendis confessionibus, vel in predicatione, vel aliis ministeriis ad proximum iuvandum exercuerit.

6. Cum ad huiusmodi officium ac ministerium divini verbi seminandi, et spirituali proximorum auxilio attendendi, litterarum bonarum sufficiens eruditio requiratur; et Scholasticos etiam aliquod sui profectus in litteris, quibus studuerunt, specimen praebere oporteat, omnes examinentur. d] Quod fiet, si quisque lectionem unam in quavis facultate, cui operam dederit, praelegat; et postea exhortationem unam quisque, idque ante egressum a prima probatione, faciat: et postea, in secundam ingrediendo, si ei fuerit iniunctum, ut inferius dicetur, hoc ipsum faciet.

d] P. 1 c. 4 n. 5.

7. Praeterea intelligat, si Sacerdos est, vel quandocumque promotus ad Sacerdotium fuerit, quod confessiones nec domi nec foris audire, nec ulla sacramenta ministrare sine peculiari probatione, aedificatione et facultate sui Superioris per totum probationis tempus debet: sed nec publice Missam dicere debet, donec coram aliquo vel pluribus domesticis privatim eam dicat, et admoneatur, e] ut in modo dicendi conveniat cum aliis de Societate inter quos agit, et se ad aedificationem eorum, qui illam sunt audituri, componat.

e] P. 4 c. 8 n. 2. P. 8 c. 1 n. 8.

8. Ad maiorem utilitatem et perfectionem eruditorum, Coadiutorum spiritualium et Scholasticorum, si de eo qui Societatem est ingressurus dubitatur, an idoneus sit futurus ut ad professionem, vel in Coadiutorem spiritualem, vel Scholasticum eius admittatur; cum id tamquam certissimum statuatur, quod multo melius et perfectius sit, ut ipse iudicari et regi se a Societate sinat; quandoquidem non minus quam ipse, quod exigitur ut in ea maneat, Societas intelliget; ipsi vero maiori humilitati et perfectioni tribuetur, maioremque dilectionem ac fiduciam in his, a quibus est gubernandus, ostendet; f] interrogetur, an velit proprium sensum ac iudicium Societati submittere vel eius Superiori, ita ut acquiescat eius sententiae; sive inter eos illum constituat, qui in Societate professionem emittunt et Christi Domini nostri Vicario obligantur, sive inter Coadiutores, sive inter Scholasticos Societatis, in studiis ulterius progrediendo. Interrogetur ulterius, si Superior vellet semper eumdem, solum ut Coadiutorem, in rebus exterioribus Societatis curandis occupari, ac sic in suae animae salutem incumbere; an paratus sit in humilibus et infimis officiis se exercere, vitamque omnem in utilitatem et auxilium eius exigere; sibi persuadendo, quod dum ei inservit, Creatori ac Domino suo, pro cuius amore et debita reverentia omnia facit, inservit.

f] *Sup.* c. 1 n. 7, 11. c. 4 n. 17. *Inf.* c. 8.

CAPUT VI.

DE ALIO EXAMINE AD SOLOS COADIUTORES ACCOMMODATO.

1. AD maiorem rei notitiam, declaretur unicuique ex huiusmodi Coadiutoribus latius, quod in initio attingebatur: a] quod scilicet in hanc Societatem Coadiutores spirituales et temporales admittuntur: b] spirituales quidem, qui Sacerdotes sunt et litteris sufficienter ornati, ut in rebus spiritualibus Societatem iuvent; c] temporales vero, ad sacros Ordines non promoti, cum litteris vel sine illis, in rebus externis, quae necessariae sunt, possunt iuvare.

a] Sup. c. 1 n. 9. P. 5 c. 2 n. 4. c. 4 n. 1, 2, 3.

b] P. 1 c. 2 n. 5.

c] P. 1 c. 2 n. 2.

2. Priorum magis proprium est Societatem in audiendis confessionibus, in exhortationibus, in doctrina christiana et aliis litteris edocendis iuvare. His vero eaedem gratiae ad animarum auxilium communicari possunt, quae Professis ipsis solent.

3. Posteriorum d] magis est proprium (licet possint in rebus maioribus, pro talenti eis a Domino concessi ratione occupari) ut in ministeriis omnibus inferioribus et humilioribus, quae ipsis iniungentur, se exerceant; persuasi, quod, Societatem iuvando e] quo melius illa saluti animarum vacare possit, eidem omnium Domino servient; quandoquidem propter divinum ipsius amorem ac reverentiam id faciunt. Ideo prompti esse cum omni humilitate et charitate, quoad fieri poterit, debent ad officia, quae eis credita fuerint, exacte obeunda. Quo fiet, ut non solum mercedem suam integram habeant, sed participes sint omnium bonorum operum, quae DEUS per universam Societatem ad obsequium et laudem suam operari dignabitur, et omnium indulgentiarum et gratiarum, quae Professis ad suarum animarum bonum a Sede Apostolica concessae fuerint.

d] Inf. c. 8 n. 2. P. 1 c. 2 n. 2. P. 4 c. 6, B.

e] P. 1 c. 2, A.

4. Et f] nihilominus eniti debent in colloquiis spiritualibus, ad maiorem utilitatem spiritualem proximorum, aliquid conferre, et quod noverint docere, et ad bene agendum quoscumque poterunt (quandoquidem unicuique DEUS proximi sui curam dedit) excitare.

f] P. 7 c. 4 n. 8.

5. Si quis instructus et examinatus fuerit, ut sit futurus spiritualis Coadiutor, sic vacare debet rebus spiritualibus, quae cum sua prima vocatione proprie sunt coniunctae, g] ut in posterum directe vel indirecte, per se vel alium innovare, aut mutationem aliquam a sua vocatione in aliam, scilicet a gradu Coadiutoris spiritualis ad Professi vel Scholastici vel Coadiutoris temporalis gradum, tentare non debeat; sed cum omni humilitate atque obedientia incedere ac progredi eadem via, quae ipsi ab eo qui nescit mutationem, et in quem illa non cadit, ostensa est.

g] P. 5 c. 4 n. 5.

6. Eadem ratione, si quis examinatus et instructus fuerit, ut sit futurus Coadiutor temporalis; sic se totum rebus quae cum sua prima vo-

vocatione proprie sunt coniunctae addicat, ut *h*] non curet ulla ratione a statu Coadiutoris temporalis in statum spiritualis, vel Scholastici, aut Professi progredi; nec etiam, si in suo eodem maneat, plus litterarum addiscere, quam sciebat cum est ingressus, curet: sed perseverare magna cum humilitate debet, in omnibus Creatori ac Domino suo iuxta primam suam vocationem inserviendo, *i*] ac sollicite in abnegationis sui ipsius profectum et verarum virtutum studium incumbendo.

h] P. 5 c. 4 n. 5.
i] Sup. c. 4 n. 46. P. 3 c. 1 n. 27.

7. Interrogentur huiusmodi, ut de re propria suae vocationis, an *k*] contenti et quieti sint futuri, in obsequio Creatoris et Domini sui, in officiis ac ministeriis abiectis et humilibus ad auxilium Domus et Societatis pertinentibus, cuiuscumque rationis illa sint, parati ad vitam omnem in eis exigendam; sibi persuadendo, quod ea in re obsequium et laudem praestant suo Creatori et Domino, dum omnia propter divinum ipsius amorem et reverentiam agunt.

k] P. 1 c. 2 n. 2.

8. Omnes Coadiutores, tam spirituales quam temporales, *l*] exacto biennio quod experimentis et probationibus datur, et *m*] uno adhuc anno, si Scholastici fuerint, ut prius est declaratum, *1*] si velint in Societate manere, et ipsa vel Superior eius contentus fuerit, *n*] oblationem suam trium votorum facient (quae publica, licet non solemnia, sint, iuxta litteras apostolicas Iulii III) obedientiae, paupertatis et castitatis, ut initio diximus; et exinde Coadiutores formati, vel spirituales, vel temporales censendi sunt; ita ut * ex *o*] parte ipsorum ligati ad semper vivendum et moriendum in Domino in hac Societate, ad divinae maiestatis gloriam maiusque meritum et stabilitatem propriam, maneant. Nihilominus Societas vel eius Superior, qui commune bonum debet intueri, cum eorum opera ad maius Dei obsequium se non iuvari, sed contra potius accidere, cerneret; eos dimittere et a sua Congregatione separare potest: et *p*] tunc illi omnino liberi, nulloque voto obstricti, remanent.

l] Sup. c. 1 c. 12. c. 4 n. 16. P. 5 c. 1 n. 3.
m] Sup. c. 1 n. 12. c. 4 n. 16. P. 5 c. 1 n. 3.
1] C. 9 d. 39 n. 2.
n] Sup. c. 1 n. 9. P. 5 c. 4 n. 1, 2, 3, A, B.
* A
o] P. 5 c. 4, B.
p] P. 2 c. 4 n. 3. P. 5 c. 4, B.

DECLARATIONES IN CAP. VI.

A. *Ex parte ipsorum convenit eos ligari, quandoquidem eorum stabilitas quaeritur. Nec est iniustum, ut patet in litteris apostolicis, si Societas libertatem ad eos dimittendos,* 2] *quando non faciunt quod debent, retineat: quandoquidem illi, si id accideret, soluti manent; et alioqui facilius est aliquem ab eo, quod debet, deficere, quam Societatem vel eius Praepositum Generalem, quorum tantum erit posse dimittere, nec id sine causis iustissimis, ut in secunda parte Constitutionum videbitur, fieri debebit.*

2] C. 1 d. 23.

CAPUT VII.

* A

DE * ALIO EXAMINE, SCHOLASTICIS ACCOMMODO, AC IN PRIMIS ANTEQUAM IN SCHOLASTICOS ADMITTANTUR.

1. EXPERIMENTIS et probationibus praedictis absolutis, si Scholastici voluerint studere in Collegiis *a*] vel Domibus Societatis, ut in eis in Domino sustententur; si Societas vel eius Superior contentus etiam fuerit; antequam ad studia se conferant, vel dum in eisdem manebunt, ob suum maius meritum ac stabilitatem *b*] vota simplicia paupertatis, castitatis et obedientiae, ac promissionem, quod, studii sabsolutis, in Societatem ingredientur, DEO ac Domino nostro facient. *c*] Sic autem intelligendus est huiusmodi ingressus, ut professionem vel vota Coadiutorum formatorum, si Societas eos admittere volet, emittant, *d*] et exinde Scholastici approbati Societatis censeantur. *e*] Libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad professionem nec in Coadiutores formatos, si studiorum tempore male se gererent, adeo ut Superior Societatis existimaret DEO gratum non fore si in eam admitterentur: et *f*] tunc *1*] ipsi etiam suis votis soluti erunt.

a] P. 3 c. 1 n. 27, X.

b] *Sup.* c. 1 n. 10. P. 5 c. 4 n. 4. P. 4 c. 3 n. 3.

c] *Sup.* c. 1 n. 10. P. 5 c. 1, A. c. 4, E.

d] *Sup.* c. 1 n. 10. P. 4 c. 3 n. 3.

e] P. 5 c. 4, D.

f] *Inf.* n. 2. P. 2 c. 4 n. 3. P. 5 c. 4, B.

1] C. 9 d. 39 n. 3.

2. Si quando studiorum tempore, qui maiorem ad ea propensionem animi prae se tulerunt, quam ad aliud in Societate ministerium; ostenderent ac certum indicium praeberent, *g*] unde Societas vel eius Superior in Domino sentiat eos idoneos non esse, ut in litteris proficiant, eo quod ingenio vel sanitate corporis destituantur, vel aliis defectibus laborent; interrogentur, an *2*] patienter se dimitti a Societate, dum *h*] ab omni voto ac promissione liberi maneant, sint laturi.

g] P. 4 c. 6 n. 15, N.

2] C. 5 d. 6, d. 50 n. 3.

h] *Sup.* n. 1.

3. Qui ad studia litterarum idoneus invenietur, interrogetur, *i*] an velit se duci sinere circa ea, quibus studere debeat, ac studiorum modum et tempus, iuxta quod Societati vel eius Praeposito, aut Collegii, ubi daturus est litteris operam, Superiori videbitur.

i] P. 4 c. 5 n. 2, 3, D. c. 13 n. 4, E.

4. An contentus futurus sit eodem atque alii modo ibi agere, nullisque privilegiis aut praerogativis minimum omnium, qui in Collegio fuerit, anteire, omnem sui curam Superiori Collegii relinquendo.

5. An *k*] statuerit omnino apud se, studiis absolutis ac probationibus peractis, Societatem ad vivendum in ea et moriendum ingredi, ad maiorem DEI gloriam.

k] *Sup.* c. 3, 14.

6. Sic examinatus et instructus se accingere incipiet, ut ad studia se conferat vel ea prosequatur, paratus interim in eisdem studiis aliis experimentis et probationibus variis exerceri; *l*] quibus si non fuerit, propter causas aliquas legitimas, ac fine aliquo bono prae oculis habito, antequam ad studia mittatur, perfunctus; eis confectis, omnia experimenta et

l] *Sup.* c. 4 n. 9, 16.

probationes superius declaratas subibit.

PRO SCHOLASTICIS, QUI STUDIA IAM ABSOLVERUNT.

7. SCHOLASTICI, studiis iam confectis, antequam in Societatem vel eius Domos ingrediantur, ut in eadem ad omnimodam obedientiam ac communem vivendi in Domino modum admittantur, generatim interrogandi sunt, an firmi in sua deliberatione, et votis, ac promissione, DEO oblatis antequam ad studia se conferrent, vel in eisdem, si quidem admissi primo fuerint in Collegiis, permaneant.

m] P. 1 c. 4 n. 7.
3] C. 9 d. 39 n. 4.

8. Interrogentur *m*] etiam et *3*] examinentur particulatim eisdem interrogationibus et examine, quo, priusquam ad studia mitterentur, interrogati fuerunt; ut Superioribus memoria ac notitia eorum renovetur, ac melius pleniusque stabilitas et constantia, vel etiam mutatio, si aliqua accidisset in rebus primo interrogatis et affirmatis, cognoscatur.

DECLARATIONES IN CAPUT VII.

A. *Hoc et superius examen, non solum iis qui tunc primum ad studia mittuntur, verum etiam illis qui in eis progrediuntur, cum ad Domos veniunt ut alio mittantur, proponitur.*

CAPUT VIII.

DE ALIO EXAMINE INDIFFERENTIBUS ACCOMMODO.

a] Sup. c. 1 n. 11.

1. AD *a*] maiorem illius notitiam, qui ut indifferens examinandus est, ut omni ex parte cum maiori cognitione et luce in Domino procedatur, instruendus idem erit et admonendus, quod nullo tempore nec ratione, potest nec debet, * praetendere nec tentare, directe nec indirecte, potius hunc quam illum gradum in Societate; nimirum, non potius Professi vel Coadiutoris spiritualis, quam Coadiutoris temporalis vel Scholastici: quin potius, perfectae humilitati ac obedientiae locum dando, omnem sui ipsius curam, et ad quod officium vel gradum sit eligendus, suo Creatori et Domino, ac eius nomine et pro ipsius amore ac reverentia ipsimet Societati vel eius *1*] Superiori debet relinquere. 1] C. 4 d. 52.

* A

b] Sup. c. 1 n. 7, 11. c. 4 n. 17. c. 5 n. 8.

2. Postquam *b*] sic fuerit admonitus, interrogetur, an se omnino sentiat indifferentem, quietum et paratum ad inserviendum Creatori ac Domino suo in quovis officio vel ministerio, quod ei Societas vel eius Superior commiserit. Interrogetur etiam, si Societas vel eius Superior illum vellet, vacantem quidem animae suae saluti, ad officia tantum inferiora et humilia semper applicare, *c*] an se paratum sentiat ad vitam omnem in huiusmodi officiis inferioribus et humilioribus in auxilium ac ministerium Societatis exigendam; existimando, quod ea in re obsequium et laudem c] Sup. c. 6 n. 3.

praestat Creatori suo ac Domino, dum omnia ob ipsius amorem et reverentiam agit.

3. Cum omnino ei placuerint omnia in Domino quae dicta sunt, instrui poterit et examinari de reliquis, iuxta aliquod examen ex praedictis vel omnia illa, prout magis convenire videbitur; ut utrique parti in omnibus satisfiat, ac maiori cum claritate procedatur: quandoquidem omnia instituta et ordinata sunt ad maius obsequium et laudem DEI et Domini nostri.

DECLARATIONES IN CAPUT VIII.

A. *CUM* a] *tamen aliquid constanter eis se se offerret, quod ad maiorem DEI gloriam fore iudicarent; post* b] *orationem, simpliciter Superiori proponere poterunt, ipsius iudicio omnino rem committentes, nihil amplius procurando.*

a] P. 5 c. 4, F. P. 7 c. 2, I.

[b P. 3 c. 2 n. 1.

*C. 4 d. 50.

CONSTITUTIONES*

CUM DECLARATIONIBUS.

PROOEMIUM

CONSTITUTIONUM.

1. QUAMVIS summa sapientia et bonitas DEI Creatoris nostri ac
a] P. 10 n. 1, 12. Domini sit, quae a] conservatura est, gubernatura atque promotura in suo sancto servitio hanc minimam Societatem IESU, ut eam dignata est inchoare; ex parte vero nostra, interna charitatis et amoris illius lex, quam Sanctus Spiritus scribere et in cordibus imprimere solet, potius quam ullae externae Constitutiones ad id adiutura sit; quia tamen suavis dispositio divinae providentiae suarum creaturarum cooperationem exigit, et quia Christi Domini nostri Vicarius ita statuit, et Sanctorum exempla et ratio ipsa nos ita docet in Domino; necessarium esse arbitramur Constitutiones conscribi, quae iuvent ad melius in via incepta divini obsequii procedendum, iuxta Instituti nostri rationem.

2. Quamvis primum illud sit et maximi momenti in nostra intentione, quod ad corpus universae Societatis spectat (cuius unio et bonum regimen et conservatio in suo bono statu ad maiorem DEI gloriam in primis quaeritur); quia tamen corpus hoc ex suis membris constat, et in ipsa executione primo loco occurrit quod ad singulos spectat, tam in ipsis admittendis, quam in promovendis ac deinde per vineam Christi Domini nostri dividendis; * hinc exordium sumetur, eo favore quem lux aeterna nobis ad honorem et laudem suam conferre dignabitur. * A

PROOEMIUM IN DECLARATIONES ET ANNOTATIONES CONSTITUTIONUM.

a] P. 9 c. 3 n. 8. *CUM* a] *Constitutionum hic finis sit, ut universum corpus Societatis et particularia eius membra ad sui conservationem et incrementum, ad gloriam DEI et universalis Ecclesiae bonum, iuventur; praeterquam quod omnes et singulae earum per se ipsas ad finem dictum accommodatae sunt, tria alia in eis expeti possunt.*

Primum, ut plenae sint; quo omnibus quae incidere possint, quantum fieri potest, provideatur.

Alterum, ut perspicuae sint; quo minor scrupulis detur occasio.

Tertium, ut breves sint, quantum plenitudinis ac perspicuitatis ratio patitur; ut memoria retineri possint.

Quo tria haec melius observentur,

praeter Constitutiones universaliores et breviores, quae, ut observentur a Nostris et ostendantur, cum oportebit, externis, erunt magis ad usum accommodatae; visum nobis est in Domino has declarationes et annotationes esse adiiciendas: b] P. 6 c. 1, A. *quae* b], *cum non minoris sint auctoritatis quam reliquae Constitutiones, magis descendendo ad particularia, eos, qui reliquis praesunt, de rebus quibusdam possint edocere, quas brevitas et universalitas aliarum minus dilucidas reddebat. Sed, praeter utrasque, quae ad res immutabiles pertinent et uni-* 1] C. 1 d. 133. C. 3 d. 21, 23. C. 4 d. 22. *versaliter observari debent,* 1] *aliae* c] c] P. 4 c. 7 n. 2, C. c. 10 n. 6. P. 7 c. 4 n. 12. P. 9 c. 6, I. *quaedam ordinationes erunt necessariae, quae diversis temporibus, locis et personis, in diversis Domibus, Collegiis et officiis Societatis* d], d] P. 8 c. 1 n. 8. P. 10 n. 9. *uniformitate tamen, quoad eius fieri poterit, in omnibus retenta, possint accommodari. De huiusmodi ordinationibus vel regulis hic non agetur; sed id solum admonebimus, quod ab unoquoque, qui ibi fuerit ubi hae observentur, iuxta voluntatem Superioris qui ei praefuerit, sunt observandae.*

Ut redeamus ergo ad id quod agitur hoc loco, harum declarationum ordo hic erit, ut Constitutionibus respondeant. Itaque pars parti, caput capiti, cum declarandum aliquid fuerit, reddetur; quod in margine Constitutionum littera quaedam indicabit, cui alia similis in declarationibus respondebit: et sic ordinate procedetur, eius favore aspirante, qui ordinis totius principium est, utpote perfectissima et infinita Sapientia.

DECLARATIONES IN PROOEMIUM CONSTITUTIONUM.

A. *Congruus esse solet procedendi modus ab imperfectioribus ad perfectiora, praecipue in iis quae pertinent ad praxim; cum id primum in exsecutione occurrat, quod est in consideratione postremum, nam haec a fine ad media descendit; et sic in decem praecipuis partibus, ad quas reducuntur omnes Constitutiones, procedetur.*

Prima de iis admittendis ad probationem agit, qui nostrum sequi Institutum expetunt.

Secunda, de iis dimittendis, qui ad illud non esse idonei videbuntur.

Tertia, de iis, qui retinebuntur, conservandis, et in spiritu ac virtute promovendis.

Quarta, de iis instituendis in litteris et aliis mediis proximos iuvandi, qui in spiritu et virtute in seipsis profecerint.

Quinta, de cooptandis in corpus Societatis iis, qui sic fuerint instituti.

Sexta, de iis quae in seipsis observare debent, qui in hoc corpus iam cooptati sunt.

Septima, de iis quae observanda sunt erga proximos, distribuendo scilicet operarios et eos in Christi Domini nostri vinea occupando.

Octava, de iis quae faciunt ad mutuam et cum suo capite unionem eorum, qui distributi sunt.

Nona, de iis quae ad caput pertinent, et ad gubernationem, quae ab eo ad corpus descendit.

Decima, de iis quae universaliter ad conservationem et augmentum totius corporis huius Societatis in bono suo statu pertinent.

Hic est ordo in Constitutionibus et declarationibus tenendus, finem illum intuendo gloriae et laudis Dei Creatoris ac Domini nostri, quem nobis praefiximus.

PRIMA PARS.

DE ADMISSIONE AD PROBATIONEM.

CAPUT I.

DE EO QUI ADMITTENDI FACULTATEM HABET.

a] *Inf.* B. c. 2, C. c. 3, H. P. 9 c. 3 n. 1.

1. FACULTAS *a*] admittendi ad probationem, quorum et quanta sit, iudicio Praepositi Generalis relinquatur, qui in ea communicanda considerabit quid ad maius servitium DEI ac Domini nostri conveniat.

2. Quando aliquis, qui idoneus videatur ad nostrum Institutum sequendum, ad eum accederet, qui huiusmodi admittendi potestatem non habet; * mittere eum poterit ad illum, penes quem ea sit, vel scribere ei, significando qualis ille sit, et quibus praeditus DEI donis qui admitti petit, et exsequatur quod ei in Domino praescriptum fuerit; si quidem ille * in absentia id praescribendi facultatem habebit.

* A

* B

b] P. 4 *Prooem.* A. P. 10 n. 7.

3. Quia *b*] refert plurimum ad divinum servitium convenientem haberi delectum eorum qui admittuntur, et *c*] diligentiam adhiberi, ut intelligatur quae eorum sint dotes et vocatio; qui talem admittendi facultatem habet, si per seipsum id ipse non praestet, habeat in iis qui assidue apud se agunt *d*] aliquem, cuius opera utatur ad cognoscendum eos qui ingrediuntur, ad agendum cum illis eosque examinandum: qui quidem prudentia praeditus sit, et non ignoret agendi modum, qui cum tam variis generibus et conditionibus personarum est tenendus, ut maiori cum intelligentia et *e*] utriusque partis satisfactione negotium ad DEI gloriam transigatur.

c] *Inf.* c. 4 n. 1, D. *Exa.* c. 1 n. 13.

d] *Exa.* c. 1, A.

e] *Inf.* c. 4 n. 1. *Exa.* c. 1 n. 13.

4. Tam ille, penes quem est facultas admittendi, quam is cuius opera ille utitur, habeat oportet cognitionem rerum Societatis, ac zelum boni progressus ipsius; ut nulla ratione dimoveri ab eo possit, quod in Domino convenientius ad divinum servitium in hac Societate iudicaverit. Quod ut consequatur, * moderatus admodum sit oportet in admittendi desiderio; *f*] et ut liberior sit ab omni minus ordinato affectu, ubi vitii huiusmodi occasio esse posset (ut cum consanguineis et amicis); ille, in quo aliquid periculi huiusmodi timeretur, examinandi officio non fungatur.

* C

f] *Inf.* c. 3 n. 16.

5. Quicumque autem eo fungetur, * in scriptis habeat quae ad tale officium pertinent; quo melius et certius id possit praestare, quod in hac parte ad divinum servitium quaeritur.

* D

DECLARATIONES IN CAPUT I.

A. *Si commode non possit aliquis huiusmodi, ad Societatis Institutum idoneus, ad eum mitti, qui potestatem habet admittendi; interim, dum ille admonetur, licebit cuique, si id necessarium esse aut valde convenire iudicabitur, eum tamquam hospitem penes se retinere, donec responsum ab eo, ad quem relatum est de eo negotio, accipiat: et tunc iuxta ordinem sibi praescriptum procedet.*

B. *Qui ordinarie admittere poterunt in absentia sunt Praepositi Provinciales; extraordinarie vero quivis Commissarius Praepositi Generalis vel eiusdem Provincialis. At Rectoribus Collegiorum et Praepositis Domorum magis consuetum erit committere, ut, quos idoneos iudicabunt, Domi suae aut in Collegio possint admittere, cum praesentes fuerint.*

C. *Ut par est sollicite cooperari motioni et vocationi divinae, curando ut augeatur in Societate numerus operariorum vineae Christi Domini nostri; ita diligenter considerari oportet, ne quis admittatur, nisi qui donis illis Dei praeditus sit, quae hoc Institutum ad ipsius gloriam exigit.*

D. *Ubicumque admittendi facultas fuerit, liber completus Examinis sit oportet, et quidem in iis linguis, quae fere solent esse necessariae: huiusmodi sunt, vernacula loci illius ubi agitur et latina.* a] *Illud autem Examen ei proponi debet, qui admitti cupit, antequam Domum ad communem cum aliis convictum ingrediatur.* a] *Inf.* c. 4 n. 5, E. *Exa.* c. 1, A.

Et b] *quidem impedimenta quae necessario excludunt, etiam antequam ad primam probationem admittatur, proponi debent.* b] *Inf.* c. 4, D. *Exa.* c. 1, A.

Erit etiam scriptum alterum Examen, quod contineat ea quae sexto quoque mense per biennium probationis proponi debent: aliud item perbreve, quo illi utentur, qui cum iis, qui ingredi volunt, colloquuntur; ut utrimque, id quod expedit intelligatur, antequam ad primam probationem quis admittatur. Iidem officium etiam Examinatoris scriptum habere debent, et quod in eo continetur exsequi curent.

CAPUT II.

DE ADMITTENDIS IN SOCIETATEM.

1. In universum loquendo de iis qui admittendi sunt, quo pluribus Dei donis naturalibus et infusis praediti ad promovendum iuxta Societatis Institutum divinum servitium, et quo certioribus experimentis perspecti fuerint; eo magis idonei erunt ut in eam admittantur.

2. Ut *a*] particulatim de his loquamur, qui in Coadiutores admittuntur ad res temporales vel exteriores curandas *b*] (qui plures esse non debent quam qui necessarii sint ad sublevandam Societatem in iis rebus, in quibus * occupari alii non possunt sine detrimento maioris boni), a] *Exa.* c. 6 n. 1. b] P. 3 c. 2 n. 7. P. 4 c. 3 n. 2. * A

esse eos oportet, quod ad animam spectat, bonae conscientiae, quietos, tractabiles, amatores virtutis ac perfectionis, propensos ad devotionem, qui domesticis et externis aedificationi sint, * c] qui, sorte Marthae in Societate contenti, et ad eius Institutum bene affecti, eam iuvare ad DEI gloriam exoptent.

* B

c] *Exa.* c. 1 n. 9. c. 6 n. 7.

3. Quod ad externa attinet, honesta specie, sanitate, aetate et viribus ad labores corporis, qui in Societate se offerunt, sufferendos praediti esse deberent; et qui habere, vel certe habituri esse, aliquando talentum aliquod ad eam iuvandam viderentur.

d] *Inf.* c. 3 n. 14. P. 2 c. 2 n. 4.

4. Admittere d] homines difficili admodum ingenio, vel inutiles Congregationi, licet ipsismet non inutile foret admitti, considerantes tamen Instituti nostri finem ac procedendi modum, persuademus nobis in Domino 1] ad ipsius maius servitium et laudem non expedire.

1] C. 20 d. 12 n. 1.

5. Qui ad hoc admitterentur, ut in rebus spiritualibus Societatem iuvarent, considerando quid huiusmodi ministerium requirat ut animae proximorum iuventur, sequentibus donis DEI ornari deberent.

e] *Inf.* c. 3 n. 13. *Exa.* c. 5 n. 3.

6. Quod e] ad intellectum attinet, doctrina sana, vel aptitudine ad eam addiscendam, et in rebus agendis discretione, vel certe indole boni iudicii ad eam acquirendam:

f] *Exa.* c. 5 n. 3.

7. Quod f] ad memoriam, aptitudine ad percipiendum et fideliter percepta retinendum:

8. Quod ad voluntatem, ut universae virtutis et perfectionis spiritualis studiosi sint; quieti, constantes, strenui in iis quae ad divinum servitium aggrediuntur; quique zelum habeant salutis animarum, et ea de causa ad nostrum Institutum (quod g] ad illas iuvandas, et disponendas ad ultimi sui finis de manu DEI Creatoris nostri ac Domini consecutionem recta tendit) sint affecti.

g] *Exa.* c. 1 n. 2.

h] P. 7 c. 2, F.

9. In h] exterioribus exoptanda est sermonis gratia, ad agendum cum proximis pernecessaria.

10. Species honesta, quae aedificationi esse solet iis quibuscum agitur.

i] *Exa.* c. 5 n. 4. P. 2 c. 2 n. 4.

11. Bona i] valetudo ac vires, quibus ferre possint Instituti nostri labores.

k] *Inf.* c. 3 n. 15, K.

12. Aetas, quae ad ea quae dicta sunt conveniat: quae k] quidem, ut admittantur ad probationem, excedere debet decimum quartum annum; ut ad professionem vero, vigesimum quintum.

13. Dona externa nobilitatis, divitiarum, bonae famae et similia, ut non satis sunt, si desint alia; ita, cum alia suppetent, haec non erunt necessaria: quatenus tamen ad aedificationem faciunt, reddunt magis idoneos ut admittantur, qui sine ipsis alioqui essent idonei propter dotes alias praedictas; in quibus, quo magis praecelluerit qui admitti cupit, eo magis erit ad hanc Societatem aptus ad Domini DEI nostri gloriam; * quo vero minus excelluerit, eo minus erit idoneus. Quae tamen mensura omnibus in rebus teneri debeat, unctio sancta divinae sapientiae eos docebit, qui id curae ad eius obsequium ac laudem uberiorem susceperunt.

* C

DECLARATIONES IN CAPUT II.

a] P. 4 c. 10, H.

A. HUIUSMODI a] *fere sunt magnis in Domibus coqui et dispensatoris occupationes, emptoris, ianitoris, infirmarii, lotoris, praefecti horti, eleemosynarum curatoris, ubi ex eleemosynis vivitur;*

atque id genus aliae esse possent. Quia tamen, pro maiori aut minori numero hominum, qui in Domibus vel Collegiis versantur, pro maiori etiam vel minori distractione in huiusmodi exercitiis, magis vel minus necesse esset huiusmodi officiales ad haec officia omnino deputari; eorum prudentiae, qui reliquis praesunt, id committitur: modo hanc curam sibi impositam sciant, ut finis meminerint, qui ad huiusmodi homines in Societatem admittendos movet: is est
b] *Exa.* c. 6 n. 3. P. 4 c. 6, B. *necessitas,* b] *ut alii, qui in vinea Christi Domini nostri laborant vel litteris dant operam ut postmodum in ea laborent, subleventur, quo se in rebus ad maius* DEI *ac Domini nostri obsequium pertinentibus exerceant.*

B. *Qui sic dispositus cerneretur, ut videretur diu in externis ministeriis non esse conquieturus, eo quod ad studia vel ad Sacerdotium affectus cognosceretur, non esset in Coadiutorem temporalem admittendus, nisi aptus ad progressum in litteris faciendum, quantum opus esset, videretur.*

C. *Quamvis* c] *aliquis undecumque* c] *Inf.* c. 3, H, I, K.
idoneus ad Societatem omnibus his praeditus esse debeat, si tamen in aliquo quid eorum desideraretur, verbi gratia, vires corporis, vel aetas ad professionem, vel quid simile, et in Domino iudicaretur aliis DEI *donis quod ea ex parte deest compensari, omnibusque perpensis, ad* DEI *obsequium fore et ad Societati propositum finem convenire*
ut admitteretur ; d] *dispensare cum eo* d] *Inf.* c. 3, H, K.
Praepositus Generalis poterit, vel etiam alii, quatenus eis communicata ab ipso facultas se extendet.

CAPUT III.

DE IIS QUAE IMPEDIUNT, NE QUIS IN SOCIETATEM ADMITTATUR.

1. QUAMVIS charitas et zelus animarum, in quo se Societas haec exercet iuxta Instituti sui finem, omnia hominum genera complectatur, ut eorum serviat spirituali utilitati, ac ad beatudinem consequendam in Domino iuvet; ut tamen in Societatis ipsius corpus admittat, amplecti non debet, ut dictum est, nisi quos iudicabit ad propositum Societati finem utiles fore.

a] *Inf.* G. *Exa.* c. 2 n. 6. P. 2 c. 2, B. 1] C. 7 d. 42. 2. Ex *a*] impedimentis ad admissionem, nonnulla eos qui vellent ingredi *1*] omnino excludunt, quia rationes efficaces nos ad id in Domino movent. Ea vero huiusmodi sunt.

b] *Exa.* c. 2 n. 1, B. 3. Aliquando *b*] a gremio Sanctae Ecclesiae abscessisse, fidem abnegando inter infideles, vel incidendo in errores contra eam, in quibus * reprobatus fuerit per publicam sententiam; vel se * more schismaticorum ab Ecclesiae unitate seiunxisse. * A * B

4. * Perpetrasse *c*] homicidium, vel * esse *d*] propter enormia peccata infamem. * C c] *Exa.* c. 2 n. 2. * D d] *Exa.* c. 2 n. 2, C.

5. * Assumpsisse *e*] Religionis habitum, vel eremitam cum vestitu monachali fuisse. * E e] *Exa.* c. 2 n. 3.

6. * Matrimonii *f*] vinculo, vel servitutis legitimae, ligatum esse. * F f] *Exa.* c. 2 n. 4. c. 3, C. P. 2 c. 2 n. 5.

7. * Capitis *g*] infirmitatem pati, unde accidat obscurari et parum sanum esse iudicium; vel si notabilem habeat ad illud dispositionem, ut in Examine fusius tractatur. * G g] *Exa.* c. 2 n. 5.

h] *Inf.* n. 16. 8. Caetera *h*] impedimenta, quamvis singula * H * a Societate non excludant, reddunt tamen minus idoneum eum, qui admitti exoptat; et posset tanti momenti esse defectus, ut e servitio Dei non esset futurum cum eo quemquam admitti.

9. Impedimenta autem haec secundaria, de quibus modo est sermo, huiusmodi sunt. Quod ad interiora attinet, passiones vel affectus, qui domari non posse videantur; vel peccatorum habitus, de quibus non magna emendatio speretur.

10. Intentio minus recta, quam par esset, ad Religionis ingressum, ut quae cum humano aliquo fine sit admixta.

11. Inconstantia vel remissio animi notabilis, ex qua, qui de ingressu agit, parum utilis futurus credatur ad Societatis munera obeunda.

12. Indiscretae devotiones, quae in causa esse solent, ut aliquis in illusiones et non exigui momenti errores incidat.

i] *Sup.* c. 2 n. 6, 7. P. 4 *Prooem.* A. 13. Litterarum *i*] ignorantia, vel ingenii aut memoriae ad eas addiscendas vel linguae ad explicandum defectus in illis, qui prae se ferunt intentionem vel desiderium ulterius progrediendi, quam solent Coadiutores temporales.

k] *Sup.* c. 2 n. 4. P. 2 c. 2 n. 4. 14. Iudicii *k*] defectus, vel notabilis in proprio sensu obduratio, quae omnibus Congregationibus multum solet facessere negotii.

l] *Exa.* c. 3 n. 8. 15. In *l*] exteriori homine, defectus in integritate corporis, morbus, debilitas vel * I * notabilis deformitas.

* K * Aetas valde tenera, vel plus satis provecta.

* L * Aes *m*] alienum, vel civiles obligationes. m] *Exa.* c. 3 n. 6. P. 2 c. 2 n. 5.

n] *Sup.* n. 8. 16. Quo *n*] huiusmodi defectibus quis magis est obnoxius, eo minus est idoneus, ut Deo Domino nostro in hac Societate ad animarum auxilium serviat: *o*] et, qui facultatem habet admittendi, videat ne charitatis particularis affectus universali noceat, quae, ut magis ad gloriam et honorem Christi Domini nostri facit, ita semper praeferri debet. o] *Sup.* c. 1 n. 4.

DECLARATIONES IN CAPUT III.

A. *Quamvis per publicam sententiam quis condemnatus non fuerit; si tamen error eius publicus exstitisset, ac vehementer suspectus esset, et quod in iudicio conveniri posset timeretur, admitti non debet. Verum hoc iudicium Praeposito Generali relinquetur.*

B. *Quod ad schisma attinet, qui in terris schismaticorum nasceretur, ita ut schisma* 1] *generale peccatum esset patriae et non solum particulare ipsius, non esset hic talem ob causam inter eos numerandus, qui a Societate excludun-* 1] C. 1 d. 54. *tur (et tantumdem dictum sit de iis, qui in terris haereticorum nascerentur); sed ille potius excludi intelligatur, qui esset infamis, excommunicatus, contempta auctoritate et providentia nostrae Sanctae Matris Ecclesiae, ita ut haeresis vel schisma* 2] *peccatum sit particulare personae, et non generale nationis aut patriae.* 2] C. 1 d. 54.

C. *Quod* a] *ad homicidii impedimentum attinet, nulla, ut nec in aliis, declaratio adhibetur. Num autem sit homicidium necne si dubitaretur, discernant Praepositi Generales; nec se faciles in huiusmodi dubiis exhibeant. Qui cum deliberatione homicidium perpetrari iussisset, si effectus est consecutus, quamvis manu sua non occiderit, inter homicidas erit existimandus.* a] *Exa.* c. 2 n. 2.

D. *Infamia* b] *propter enormia peccata ibi impedimentum esse intelligitur,* b] *Exa.* c. 2, C.

ubi, qui sic peccavit, infamiam contraxisset. Si procul esset ab eo loco, tamque serio resipuisset, ut de eo nihil timendum videretur; posset in Domino admitti. Qualia vero sint, vel non sint, huiusmodi enormia peccata, iudicet Praepositus Generalis.

E. *Non solum si professionem emisisset, sed si vel unum diem habitum*
3] C. 1 d. 129. C. 13 d. 7. 3] *Religionis gestasset, admitti, propter rationes in Examine dictas, non potest. Intelligendum est autem, quod habitum eo animo, ut sit Religiosus, non propter aliam causam, quae posset accidere, induisset.*

F. *Quando hoc vinculum solutum esset, quod a domino vel a coniuge facultas concederetur, observatis aliis circumstantiis, quae iuxta sanam doctrinam et usum Sanctae Ecclesiae solent observari, impedimentum esse desinet.*

c] Sup. n. 2. Exa. c. 2 n. 6. P. 2 c. 2, B. P. 4 c. 3 n. 2. G. *In* c] *omnibus his impedimentis expedit, ut nec Generalis Praepositus nec Societas universa dispensare possit: quandoquidem in universum ita Societati convenit, ut in huiusmodi non dis-*
d] Exa. c. 2, D. *pensetur.* d] *Sed, si cerneretur aliquod ex his impedimentis in homine, qui talibus* Dei *donis ornatus esset, ut pro certo haberetur Societatem ad* Dei *et Domini nostri obsequium eius opera admodum iuvari posse; si ille Summo Pontifici, vel eius Nuntio, vel summo Poenitentiario supplicaret sibi concedi, ut in Societatem, non obstantibus Constitutionibus, admitti posset, Praeposito eius Generali non repugnante; posset idem Praepositus consensum ad eum admittendum praestare: dum tamen ostium non multis, immo nulli, qui raris, ut dictum est, dotibus non sit praeditus, aperiatur.*

H. *Quodvis ex his secundariis impedimentis ex se satis esse posset, ne*
e] Inf. I. Sup. c. 2, C. *quis admitteretur.* e] *Sed quia accidere posset aliquem huiusmodi defectum aliis praeclaris* Dei *donis compensari, ac in Domino tolerandum esse iudicaretur;* f] f] Sup. c. 2, C.
id discernendum prudentiae eius, qui admittendi facultatem habet, relinquitur: et eiusdem erit in huiusmodi casibus dispensare, habita nihilominus ratione iudicii Superioris, ad quem referendum erit quidquid difficultatem ingereret, et, quod statuerit, faciendum est.

I. *Animadvertendum est, eos qui deformitates vel defectus insignes habent, ut gibbos vel alia quaepiam monstruosa, sive sic nati fuerint, sive ex aliqua externa causa, ut percussione et similibus, id acciderit; ad Societatem nostram non esse idoneos; partim quod res huiusmodi ad Sacerdotium obstare solent, partim quod ad proximorum aedificationem, quibuscum ex Instituti nostri ratione versamur, minime iuvant; nisi, ut superius* g] *dictum est, aliis eximiis virtutibus ac donis* Dei *compensarentur,* g] Sup. H. c. 2, C.
cum quibus huiusmodi defectus corporis, potius ad augmentum, quam ad diminutionem aedificationis facturi viderentur.

K. *Quod* h] *ad aetatem attinet qua-* h] Sup. c. 2 n. 12.
tuordecim annis minorem ut quis ad probationem, aut viginti quinque ut ad professionem admittatur, si in quibusdam peculiaribus de causis antevertendum esse id tempus, ad finem maioris divini servitii nobis praefixum, videretur;
i] *penes Praepositum Generalem facultas erit prudenter ac circumspecte dispensandi: et idem, cum provectior aetas fuerit, considerabit, an expediat, necne, ad universale bonum huiusmodi defectum tolerari.* i] Sup. c. 2, C. P. 9 c. 3 n. 8.

L. *De aere alieno diligenter consideretur, ne inde offendiculi vel perturbationis occasio oriatur; praesertim in obligationibus civilibus, de quibus iura disponunt; praeter rationem, quae habenda est, aedificationis.*

CAPUT IV.

DE MODO ADMITTENDI.

1. Quia nobis in Domino valde persuademus, ad hoc ut, divina et summa maiestas ministerio huius minimae Societatis uti dignetur, multum referre, ut, qui ad eam admittuntur, non solum diu probentur, antequam in eius corpus cooptentur, verum etiam, a] ut valde noti sint, antequam ad probationem eam admittantur, quae fit in communi convictu cum domesticis; expedit * b] habitationem aliquam nostrae communi coniunctam designari, ubi, qui ad probationem admittuntur, hospitum more duodecim dies, vel usque ad viginti et amplius, prout Superiori videbitur, diversentur; ut id temporis de iis quae pertinent ad Societatem c] illi certiores reddantur, et Societas eosdem plenius in Domino nostro cognoscat.

a] *Inf.* n. 3. *Sup.* c. 1 n. 3.

* A

b] *Exa.* c. 1 n. 13, H.

c] *Exa.* c. 1 n. 13.

2. In hanc Domum, quae primae Probationis dicitur, facilius admitti possunt qui id optant, si clare ad Dei et Domini nostri Iesu Christi obsequium idonei in hac Societate esse viderentur; et contra, qui clare non esse tales cernerentur, d] consilio, et si quid aliud charitas suggerit, adiuti, ut alibi Deo ac Domino nostro servire curent, statim dimitti poterunt.

d] *Exa.* c. 2 n. 7.

3. Quod si res non esset Societati tam clara quam oporteret, postquam qui admitti cupit voluntatem suam proposuerit, e] et de primis impedimentis decenter interrogatus fuerit, et summam nostri Instituti probationesque ac difficultates quae in eo sunt intellexerit; quamvis efficaciter desiderare videatur in Societatem admitti f] ut in ea vivat et moriatur * (quod quidem si deesset, ut plurimum, nemo ad primam probationem admitti deberet), * responsum tamen ac sententia ultima aliquamdiu differatur; ut eo tempore res melius considerari et Deo commendari possit, ac * diligentia conveniens adhiberi, ut g] magis cognoscatur, et ut de eius constantia periculum fiat. Quantum autem differri oporteat, et quae diligentia sit adhibenda, prudenti considerationi illius, qui admittendi facultatem habet, relinquendum est, qui semper maius Dei obsequium spectabit.

e] *Sup.* c. 3 n. 3-7. *Exa.* c. 2 n. 1-5.

f] *Exa.* c. 3 n. 14. P. 5 c. 1, A.

* B

* C

* D

g] *Sup.* n. 1. c. 1 n. 3.

4. Postquam in Domino statuetur quod ad probationem aliquem admitti conveniat; h] solitis vestimentis indutus, aut pro cuiusque devotione, nisi aliud Superiori videbitur, ingredi poterit: et in praedicta Probationis Domo, seu in loco ad id destinato, ut hospes constituetur: ac postridie quomodo eo in loco se gerere debeat ei declarabitur; ac nominatim, i] ne verbo aut scripto, nisi Superiori aliqua de causa non levis momenti aliud videretur, cum externis vel domesticis agat, praeterquam cum iis, qui ad id designati a Superiore fuerint. Quod fit, ut liberius secum et cum Deo perpendat vocationem suam, ac propositum divinae ac summae maiestati in hac Societate serviendi.

h] *Exa.* c. 1 n. 13, F. P. 3 c. 2, C.

i] *Exa.* c. 4 n. 6. P. 3 c. 1 n. 2.

5. Elapsis duobus aut tribus diebus post ingressum in Domum Probationis, examinari accuratius incipiat, prout in officio examinatoris declaratur: k] et relinquatur ei scriptum Examen, ut solus id maturius consideret: l] postea eidem * ostendantur diplomata apostolica, ac Constitutiones et Regulae in Societate ac Domo, quam ingreditur, observandae: m] et, qui litteris operam dederunt, 1] de singulis facultatibus in quibus versati sunt, singulas praelegant lectiones, et id coram eis, qui a Superiore ad eius talentum in doctrina et proponendi modo cognoscendum sunt constituti.

k] Sup. c. 1, D. Exa. c. 1, A.

* E

l] Exa. c. 1 n. 13, G. c. 4 n. 41.

m] Exa. c. 5 n. 6.

1] C. 4 d. 67.

6. Eodem n] hoc tempore primae probationis conscientiam suam Superiori, vel ei quem ipse delegaverit, aperiet, nisi id negotii cum Superioris consensu in aliud tempus differretur; o] et generaliter confitebitur, si nondum id fecisset, et illi quidem Confessario, qui a Superiore fuerit ad id destinatus. p] Et, cum in libro ad id designato scriptum fuerit et * manu eius subscriptum quidquid Domum tulit, et quod contentus sit observare omnia ei proposita; postremo, post reconciliationem, accepto sanctissimo Eucharistiae sacramento, ingredietur in Domum communis habitationis, q] ubi cum aliis versari et in secunda probatione diutius exerceri solent Novitii.

n] Exa. c. 4 n. 36.

o] Exa, c. 4 n. 10, 41.

p] Exa. c. 4 n. 4.

* F

q] Exa. c. 1, B.

7. Quod * dictum est de iis, qui tunc primum ad Societatem admittuntur, bona ex parte cum illis observabitur, r] qui a studiis, aut aliis locis Societatis, ubi diligenter examinati non fuerint, veniunt; qui quidem non ut Professi vel Coadiutores formati in corpus Societatis admissi sunt; ut, quo maiori cum luce procedetur, eo quisque constantior in sua vocatione maneat; et ipsa etiam Societas melius discernat, an conveniat ad maiorem laudem et gloriam Dei et Domini nostri illum apud se retinere.

* G

r] Exa. c. 7 n. 8.

DECLARATIONES IN CAPUT IV.

A. *Cum Domus primae Probationis distincta et coniuncta nostrae habitationi esse non posset; curandum est, ut in nostris Domibus aliqua habitatio separata ad id designetur; ut qui admittuntur minorem habeant occasionem conversandi cum aliis, qui non fuerint a Superiore deputati.*

B. *Si aliquis ob causas rationi consonas in Domum reciperetur, qui nondum obsequio divino in hac Societate se dedicare omnino statuisset; perinde ut hospes, et non ad primam vel secundam probationem admittetur. Sed ea in re, ultra triduum, qui aliis praeest non facilem se exhibeat, nec sine facultate Praepositi Generalis, vel certe Provincialis, id faciet: et difficilius ubi Novitii fuerint, quam ubi non fuerint, ea facultas concedi poterit.*

C. *Ut responsum et deliberatio ultima aliquandiu differatur et diligentia ad id, ut perspectior ille sit, adhibeatur, in universum quidem observari debet: aliquando tamen peculiares ob causas (ut si quis videretur raris dotibus ornatus, et in periculo versari, ne per dilationem a proposito suo dimoveri vel certe valde sollicitari posset) compendio maiori, qua convenit diligentia adhibita, in Domum primae Probationis esset admittendus, vel post examinationem ad alia Societatis loca transmittendus.*

D. *Diligentia ad eos, qui ingredi volunt, magis cognoscendos adhibenda haec est, ut compendio quodam Examinis, an aliquo* a] *ex primis impedimen-*

a] Sup. c. 1, D. Exa. c. 1, A.

tis vel etiam ex secundariis, quae tertio capite attinguntur (cuiusmodi est bonae valetudinis vel integritatis corporis defectus, obligationes civiles vel aes alienum), teneantur, intelligatur.

b] *Sup.* c. 1 n. 3. *Conferet* b] *etiam, ut, praeter examinatorem, aliqui ex iis, quos Superior designaverit, agant ac versentur cum eo, qui recipiendus sit: et, intellecto etiam eius nomine et eorum quibus cognitus est, extra Domum inquiri poterit, cuiusmodi homo ille sit, si Domi nulli fuerit satis notus.*

Iuvabit etiam ad hoc ipsum, si frequenter ad confessionis sacramentum in ecclesia nostra aliquamdiu accesserit, antequam Domum ingrediatur. Et, si adhuc de eo dubitaretur, non parum conferet, si in Spiritualibus Exercitiis constituatur; ut ea claritas de eo habeatur, quae ad gloriam Dei *Domini nostri requiritur.*

E. *Iis, qui litteras apostolicas latinas non intelligerent, satis esset earum summam, ut etiam Constitutionum et Regularum, declarare:* c] *ex quibus ea pars ostendenda unicuique intelligitur, quae ei est observanda; ex qua summarium haberi potest, quod simul cum Examine unicuique relinquatur, ut per otium illud magis consideret.* c] *Exa.* c. 1, G.

F. *Si scribere nesciunt, alius coram eis eorum nomine scribet.*

G. *Praeter dilationem admittendi ad primam Probationem (qua uti cum iis, qui aliis in locis Societatis fuerint, non esset aequum), reliqua fere omnia in eisdem locum habent: licet, quo magis noti sunt et firmi, minus necesse sit eam diligentiam adhibere, quae adhiberi solet ad cognoscendos et stabiliendos eos, qui admittuntur ad probationem.*

SECUNDA PARS.

QUAE AD EOS DIMITTENDOS PERTINET, QUI, ADMISSI, PARUM APTI IN PROBATIONE AD SOCIETATEM INVENIRENTUR.

CAPUT I.

QUI DIMITTI POSSINT, ET PER QUOS.

1. Ut autem ad propositum huic Societati finem divini obsequii et auxilii animarum convenit conservari, et numero augeri operarios idoneos ac utiles ad hoc opus promovendum; *a*] ita dimitti eos oportet, qui tales non fuerint inventi, et successu temporis deprehendatur, vel quod haec non sit eorum vocatio, vel quod ad commune bonum Societatis non conveniat, ut in ea maneant. Sed tamen, ut non faciles esse

a] P. 10 n. 7.

ad admittendum, ita neque ad dimittendum, immo minus oportet; sed mature omnino et considerate in Domino procedendum est. Et, quamvis causas ad dimissionem dignas eo graviores esse oportet, quo quis arctius Societatis corpori coniunctus est; *

* A

b] P. 9 c. 4 n. 7.

quamtumlibet b] tamen quisque sit coniunctus, in quibusdam casibus separari ab ea posset ac deberet, ut sequenti capite videbitur.

2. Dimittendi facultas, in primis, ad universam Societatem pertinet, quando in Congregationem generalem conveniret. c] Eadem erit penes Praepositum Generalem in omnibus, praeterquam si quid ad ipsius personam pertineret. Penes reliquos ex Societate tantum erit huius facultatis, quantum eis a capite collatum fuerit. * Praepositis tamen d] Provincialibus amplam satis conferri expediet, ac * debita e] proportione etiam Praepositis localibus et Rectoribus; quibus videbitur esse conferenda, ut f] eo melius in toto Societatis corpore subordinatio sanctae obedientiae servetur, g] quo clarius intelligent inferiores se a suis immediate Superioribus pendere, et quod sibi conveniat plurimum, immo necesse sit, in omnibus eis subesse propter Christum Dominum nostrum.

c] P. 9 c. 3 n. 1, B.

* B

d] P. 9 c. 6 n. 2. P. 10 n. 8.

* C

e] P. 4 c. 10 n. 4. P. 10 n. 8.

f] P. 8 c. 1 n. 4. P. 9 c. 6 n. 2.

g] P. 8 c. 1 n. 6.

DECLARATIONES IN CAPUT I.

a] P. 10 n. 7.

A. *Licet* a] *omnes, ut in Constitutionibus dicitur, dimitti possint; alii tamen facilius quam alii dimittentur.*

b] Inf. c. c. 3, A.

b] *Qui in Domum primae Probationis admissi sunt, antequam cum aliis versentur, si eo tempore appareret non esse ad Societatem idoneos, facilius quam alii possent dimitti.*

c] Inf. c. c. 3, A.

In c] *proximo gradu illi sunt, qui in secunda probatione in Domibus vel Collegiis, nullis adhuc votis ligati, versantur; si experimento comperirietur, quod ad maius Dei obsequium non foret, si in Societate manerent.*

d] Inf. c. c. 3, A.

In d] *tertio gradu illi sunt, qui, votis quidem sponte sua se Deo obligaverunt, verum in Scholasticos approbatos vel Coadiutores Societatis formatos, exacto iam tempore probationis solitae, non sunt admissi.*

e] Inf. c. c. 3, A.

In e] *quarto, et qui graviori consideratione et causa indigeant, sunt Scholastici approbati.*

f] Inf. c. c. 3, A. P. 5 c. 4, B.

In f] *quinto gradu, ubi quidem maior erit difficultas, sunt Coadiutores formati, tam spirituales quam temporales, si post vota sua publica, licet non solemnia, necessario dimittendi viderentur.*

g] Inf. c. c. 3, A. P. 9 c. 4 n. 7.

In g] *quibusdam casibus etiam Professi, cuiuscumque gradus et dignitatis in Societate sint, dimitti possent, si retineri sine detrimento illius ac divini obsequii non posse iudicaretur.*

h] Inf. c.

Praeter h] *ea quae dicta sunt, quo magis alicui Societas deberet, quod de ipsa bene meritus esset; vel quo pluribus Dei donis ad eamdem in divino obsequio iuvandam praeditus esset; eo maiori cum difficultate esset dimittendus: ut contra, cui minus deberet Societas, quique minus ad eamdem iuvandam in divino obsequio esset idoneus, facilius posset dimitti.*

B. *Quamvis Praepositus Generalis in patentibus litteris, ad Praepositos particulares missis, amplissimam eis facultatem impartiat, quo magis subditi eosdem venerentur et humiliores ac submissiores se exhibeant; nihilominus tamen per secretas litteras haec potestas contrahi, prout convenire videbitur, et limitari poterit.*

i] Sup. A. Inf. c. 3, A. C. *Quod* i] *ad eos attinet, qui in prima Probatione et secunda sunt, necdum votis emissis, facultatem ad eos dimittendos habebit quicumque ad eosdem admittendos eam habuerit: si tamen circumstantiae aliquae non id impedirent (cuiusmodi esset, in Domum aut Collegium, ubi manent, a Generali vel Provinciali Praeposito, vel ab aliquo, cuius habenda sit ratio, destinati fuissent; vel si de Societate ipsi tam bene meriti fuissent, ut eorum esset particularis ratio habenda). In his enim et similibus casibus dimitti aliquis per quemvis Praepositum non deberet, nisi causae admodum urgentes et graves essent; ita ut minime dubitaretur Superiorum mentem huiusmodi futuram esse.*

k] Sup. A. Inf. c. 3, A. *Qui* k] *iam votis se obstrinxerunt in Domibus aut Collegiis, et Scholastici praeterea, biennio probationis exacto, approbati, si dimittendi essent, Praepositus localis, nisi re communicata cum Provinciali, id facere non deberet. Provincialis autem, pro modo facultatis a Generali acceptae, vel dimittere poterit, vel non poterit, quamvis Generalem non consuluerit.*

Coadiutores l] *formati, sive spirituales sive temporales, nisi consulto et approbante Generali, dimitti non debent; nisi in quibusdam remotissimis locis, ut in Indiis, huiusmodi facultatem Provinciali communicari oporteret, vel Generalis extra ordinem alicui, cui tamquam sibi ipsi fideret, et propter causas magni momenti eam communicasset.* l] Sup. A. Inf. c. 3, A. P. 5 c. 4, B.

Erga m] *Professos minus etiam huiusmodi facultas inferioribus Praepositis est communicanda; nisi res ad Praepositum Generalem delata et gravi consideratione expensa foret, ita ut convenire ad divinum obsequium et commune Societatis bonum huiusmodi hominem dimitti videatur; ut si contumax* n] *vel incorrigibilis esset.* m] Sup. A. Inf. c. 3, A. P. 9 c. 4 n. 7. n] Inf. c. 2 n. 2.

CAPUT II.

DE CAUSIS, PROPTER QUAS DIMITTI ALIQUEM CONVENIAT.

1. Causas eas, quae ad aliquem dimittendum sufficiant, ponderare coram Domino debebit prudens charitas Superioris, qui huiusmodi facultatem habuerit: sed, generatim loquendo, quatuor earum genera fore videntur.

2. Primum, si in Domino iudicaretur contra ipsius honorem et gloriam fore, quod is in hac Societate maneret, *a*] qui videatur in quibusdam pravis affectibus aut vitiis, quae divinam offendunt maiestatem, *b*] corrigi non posse: * quae, eo minus tolerari deberent, quo graviora essent et plus culpae haberent; licet aliis nullum offendiculum, quod manifesta non essent, praeberent. a] P. 10 n. 7. b] Sup. c. 1, C. * A

3. Alterum est, si existimaretur in Domino aliquem retinere contra Societatis bonum fore, quod, *c*] cum universale sit, haud dubie bono particulari alicuius praeferri ab eo debet, qui sincere divinum obsequium quaerit. Tale quid esset, * si in probationum decursu aliqua impedimenta vel c] P. 1 c. 3 n. 16 * B

insignes defectus, quos antea in examine tacuisset, detegerentur; vel si * experimento comperiretur d] valde inutilem fore eum, et per quem praepedienda magis quam adiuvanda esset Societas, propter eius insignem ad quaevis eius munera ineptitudinem. Et multo magis dimitti oporteret, si damnum allaturus malo vitae exemplo iudicaretur; ac praecipue, si inquietum se ostenderet, et * verbis aut actibus offendiculum aliis praeberet: hoc enim tolerare e] charitatis non esset, sed vitii contrarii, in eo quidem, qui tenetur conservare quietem et bonum statum Societatis sibi commissae.

* C
d] P. 4 c. 6, N.
* D
e] Inf. n. 5.

4. Tertium, si iudicaretur id fore contra Societatis ac simul ipsius dimittendae personae bonum: quod ex parte corporis posset accidere, f] si tempore probationis in aliquo morbus aut debilitas huiusmodi cerneretur, cum qua eum non posse progredi in laboribus, quos noster procedendi modus requirit ad Deo in eo serviendum, videretur; ex parte vero animi, g] quando, qui ad probationem admissus fuit, se componere ad vitam, sub obedientia et iuxta modum procedendi Societatis ducendam, non posset; quod nequeat vel nolit proprium suum sensum aut iudicium infringere, vel propter alia impedimenta, quae a natura vel a consuetudine promanarent.

f] Inf. B.
g] P. 1 c. 2 n. 4. c. 3 n. 14.

5. Quartum, si cerneretur id fore contra bonum aliorum, qui de Societate non sunt; h] ut, si detegeretur vinculum matrimonii vel servitutis legitimae, vel i] aes alienum magni momenti; quibus in rebus, dum k] initio examinaretur, veritatem subticuisset.

h] Exa. c. 2 n. 4. P. 1 c. 3 n. 6.
i] Exa. c. 3 n. 6. P. 1 c. 3 n. 15, L.
k] Inf. B.

Quaevis harum quatuor causarum satis esse videtur, ut Deo gratius fore iudicemus honeste dimitti eum in quo locum habuerint, l] quam imprudentem in eo retinendo charitatem exercere.

l] Sup. n. 3.

DECLARATIONES IN CAPUT II.

A. *Quatenus defectus aliqui, qui contra divinum honorem et Societatis bonum esse dicuntur, debeant tolerari; cum id ex multis circumstantiis particularibus personarum, temporum et locorum pendeat; discreto zelo eorum, quibus ea cura commissa est, relinqui est necessarium:* a] *qui eo impensius rem Domino commendabunt, et diligentius cum aliis, qui ad cognoscendam Dei voluntatem iuvare possint, communicabunt; quo eis difficilius negotium magisque dubium videbitur.*

a] Inf. c. 3 n. 2, 3, A.

B. *Si ille, qui ingreditur, ipso in initio morbum aliquem vel dispositionem ad illum detexit, et ea conditione, ut periculum fieret sanitatis eius, admissus est; cum cerneretur non convalescere, nec labores Societatis ferre posse in posterum, dimitti, ac extra Domum, prout vera charitas dictaverit, iuvari poterit.*

Si ingressus est sine ulla conditione, manifestata quidem infirma corporis habitudine, sed spe concepta 1], *quod ad maiora aptus esset futurus, quam esse experimento comperiatur; quamvis etiam dimitti possit, animadvertendo quod sanitate ad nostrum Institutum necessaria careat, magis erit considerandum, num dimitti debeat, necne; et multo magis, si, cum sanus ingressus fuerit, in* 2] *obsequio Societatis in aegritudinem incidit. Tunc enim, si ipsemet contentus non esset, iustum non foret hac sola causa a Societate dimitti.*

1] C. 1 d. 55.
2] C. 5 d. 6, 50 n. 3.

Si in ingressu quis aegritudinem aliquam celasset; cum ea detegeretur, con-

stat liberius et iustius eum dimitti posse. An autem revera sit dimittendus, necne, propterea quod aliis dotibus magni momenti ad divinum obsequium polleat, prudentiae Superioris relinquatur. b] *Tantumdem sit dictum, si deprehenderetur, quod in aliqua re alia in examine veritatem suppressisset.* c] *Quod si aliquod ex quinque impedimentis dissimulasset, tunc non est aequum ut in Societate maneat, iuxta id quod in prima parte dictum est.*

b] *Sup.* n. 5.

c] *Exa.* c. 2 n. 6. P. 1 c. 3 n. 2, G.

C. *Si* d] *bonum testimonium non referret ex probationibus quae extra Domum fiunt vel etiam Domi, nec ea remedia, quae charitas ante dimissionem solet adhibere, sufficerent; conducibilius est eum dimittere, quam in corpus Societatis homines, qui ad eius Institutum non videntur convenire, admittere.*

d] *Exa.* c. 4 n. 18 - 24.

D. *Aliis offendiculum praebere ille intelligitur, qui suo exemplo peccandi occasionem eis praebet; et quidem amplius, si verba adiiceret suasoria, ut ad aliquid mali alliceret, praecipue ad instabilitatem in sua vocatione,* e] *vel ad discordiam, vel si quid* 3] *contra Superiores vel commune Societatis bonum moliretur. In quibus enim talia locum haberent, rationi consentaneum non esset, ut ii in Societate manerent.*

e] P. 8 c. 1 n. 5, F.

3] C. 5 d. 54. C. 6 d. 2. C. 9 d. 5, 25.

Quando, non tam propter rationem vel magnitudinem peccati, quam ob removendum offendiculum quod aliis praebuit, dimitti aliquem necesse esset; si alioqui aptus esset, expendet prudentia Superioris, an expediat facultatem ei dare, ut ad locum alium Societatis valde remotum, eamdem non egrediendo, proficiscatur.

CAPUT III.

DE MODO DIMITTENDI.

* A

1. Cum iis, qui dimittendi erunt, * observari eum modum conveniet, qui in conspectu Dei dimittenti, dimisso, et aliis domesticis et externis magis satisfaciat. Quod attinet ad dimittentem, ob causas superius dictas, tria observentur.

a] *Sup.* c. 2, A.

2. Primum *a*] est, ut oret ipse Dominum, et Domi orari ea intentione curet, (quamvis quis sit, pro quo oratur, non intelligatur) ut docere Dominus noster dignetur ea in re, de qua agitur, suam sanctissimam voluntatem.

b] *Sup.* c. 2, A.

3. Alterum, *b*] ut id conferat cum aliquibus seu aliquo ex domesticis, qui ad hoc negotium aptiores ei videantur, et audiat quid illi sentiant.

4. Tertium, ut, omnem exuendo affectum, et maiori Dei gloria prae oculis constituta, ac communis boni, tum etiam, quoad eius fieri poterit, particularis ratione habita, expendat hinc inde causas, et statuat, an dimittere debeat, necne.

5. Quod ad dimissum attinet, tria itidem observentur: primum exterius, ut recedat ex Domo, quantum fieri possit, *1*] sine dedecore vel ignominia, ac * secum omnia sua ferat.

1] C. 9 d. 30.

* B

6. Alterum interius, ut eum dimittere Superior curet, conservata, quantum fieri potest, charitate ac benevolentia erga Domum, et quanta cum consolatione in Domino fieri poterit.

7. Tertium, ut circa statum vitae studeat eum dirigere, ut aliquam convenientem viam serviendi Deo ineat, vel in Religione vel extra eam, prout divinae voluntati convenientius fore videbitur. Demum consilio et oratione, et si quid aliud charitas dederit, iuvare curet.

8. Ut satisfiat aliis domesticis et externis, tria etiam observentur. Primum est, ut, quantum fieri poterit, curetur ne quid perturbationis in alicuius animo propter dimissionem maneat, * ratione reddita, quantum satis erit, quibus reddi opus sit; abstinendo, quantum fieri poterit, a defectibus, qui publici non fuerint, declarandis, quamvis in eo qui dimittitur nonnulli deprehensi fuissent.

* C

9. Alterum, ne male affecti maneant 2] erga dimissum, et, quantum fieri possit, ne de eo male sentiant; sed potius eius vicem doleant, et in Christo eum diligant, ac divinae Maiestati in suis orationibus, ut eum dirigere et ei misericordiam impendere dignetur, commendent.

2] C. 1 d. 119.

10. Tertium, ut detur opera, ut eius exemplo iuventur, si qui minori cum aedificatione, quam par esset, Domi versantur; et timeant, ne sibi tantumdem accidat, si nollent proficere: et externi itidem, quibus id innotuerit, aedificationem accipiant, quod Domi non toleretur id, quod tolerari ad Dei gloriam non debet.

DECLARATIONES IN CAPUT III.

A. *Animadvertendum est, quod Constitutiones de eo modo dimittendi loquuntur, cum palam id, ac propter causas manifestas efficitur. Sed praeter hos nonnulli occulte dimitti possunt, quando causae (quae plurimae, et quidem ex illis aliquae sine peccato esse possent) essent occultae, et, si non dicerentur, in aliis aliquid perturbationis timeretur. Tunc enim conducibilius est aliquo praetextu, ut probationum, extra Domum mitti, quam si eorum dimissio publicaretur.*

Ad a] *hos hoc modo dimittendos satis erit, si Praepositus, qui ad id facultatem habuerit, re Domino commendata, et unius aut plurium audita sententia (si iudicaverit in Domino cum eis rem esse conferendam), statuat quod facto opus sit, et exsequatur.* a] *Sup.* c. 2, A.

Notandum b] *est etiam ea, quae de modo dimittendi dicuntur, iis magis convenire, qui in probationibus versantur; minus autem illis, qui in corpus Societatis cooptati sunt, ut Scholastici approbati et Coadiutores formati; ac multo minus Professis, in quibus charitas et discretionis donum a Spiritu Sancto datum docebit modum, qui in eis dimittendis tenendus sit; si Deus permitteret, ut hoc facere esset necessarium.* b] *Sup.* c. 1, A, C.

B. *Ea,* c] *quae ipsius esse constet, difficile non est statuere ut secum ferat. Verum in iis, quae vel expendisset vel dedisset Societati, vel alioqui, si accidisset, ut ficto animo in Domo vel Collegio ipsius habitasset, prudentiae Superioris dimittentis relinquetur, ut, habita ratione tum aequitatis tum aedificationis, statuat* 3] *num illi aliquid amplius, quam quod invenitur de rebus* c] *Exa.* c. 4, B

3] C. 5 d. 8.

ipsius, dari debeat, necne: et si amplius, quantum.

C. *Reddere rationem causarum propter quas aliquis dimittitur, vel non reddere, in communi vel in particulari, magis vel minus conveniet, prout is, qui dimittitur, in maiori vel minori existimatione, et magis aut minus domi et foris charus fuerit.*

CAPUT IV.

QUOMODO SE GERAT SOCIETAS CUM IIS, QUI SUA SPONTE RECEDERENT, VEL QUOS IPSA DIMITTERET.

1. Qui dimittuntur, vel iniussi discedunt, si ad alium locum
* A Societatis se conferant, * videntur nobis in Domino admittendi non esse; nisi prius, qui dimisit, vel qui loco praeest unde discessit, vel Praepositus Generalis, aut qui eius vices gerit, admonitus suum praestiterit assensum; ne defectus cognitionis rerum aut personarum alicuius erroris in Dei offensam causa sit.

2. Communicationem autem facultatum aut gratiarum, quae iis, ut Societatis membris, concessae fuerant, simul atque membra esse desierint constat cessare.

a] Exa. c. 6 n. 8, A. c. 7 n. 1, 2. P. 5 c. 4, B. 3. Declaretur a] iis, qui dimittuntur, quod absoluti maneant a votis simplicibus, si ea iuxta formulam Societati consuetam, quae in quinta parte videbitur, emiserint; quodque nulla alia dispensatione indigeant.

4. Ad eos reducendos, qui sine licentia recederent, si prius parum idonei ad Societatem habebantur, nulla diligentia opus erit; sed potius dirigantur ad aliud Institutum, ubi Deo
1] C. 1 d. 56. servire possint, 1] relaxato illis voto, ut omnes scrupuli eis eximantur.

5. Si huiusmodi essent, ut Deo gratum fore videretur eos non sic relinquere, praecipue si ex aliqua vehementi tentatione, aut ab aliis decepti egressi videantur, * diligentia adhi- * B
beri ad eos reducendos poterit; et privilegiis ad negotium huiusmodi concessis a Sede Apostolica, quantum Superiori in Domino videbitur, uti licebit. Et, cum aliquis horum sic reductus esset, * relinquetur prudentiae * C
eiusdem Superioris, ut videat, num satisfactione aliqua opus sit, et quanta; an melius censeat omnino in spiritu mansuetudinis procedere. Qua in re, et eius qui reductus est bonum, et aedificatio domesticorum spectanda est.

6. Si quis sponte sua ad Collegium vel Domum, unde sine facultate recesserat, rediret, et alioqui idoneus ad Deo serviendum in ea iudicaretur; considerandum erit, * an veram per- * D
severandi voluntatem afferat, et an sit paratus ad quamvis satisfactionem et probationem. Quod si secus esset, ut qui verae poenitentiae signa non ostendit, admitti non merebitur.

7. Si, qui fuit merito dimissus, ad

eamdem Domum, unde dimissus est, rediret ad quamvis satisfactionem paratus; si adhuc eaedem rationes, propter quas fuit dimissus, manerent, perspicuum est non esse admittendum: si non manerent, et qui dimisit iudicaret DEO gratum fore, ut denuo reciperetur in eamdem vel aliam Domum, admoneat Generalem vel Provincialem Praepositum, et quod ab eo praescriptum fuerit exsequatur.

8. Sive recesserit sponte sua, sive dimissus, qui redit, si admittitur, denuo examinari debet *b*] et generalem confessionem facere ipso in ingressu, ab ultima quam fecit inchoando; et aliis probationibus et experimentis exercebitur, prout Superiori, habita semper ratione aedificationis universalis et particularis, ad gloriam DEI videbitur.

b] *Exa.* c. 4 n. 41.

DECLARATIONES IN CAPUT IV.

A. *QUAMVIS in genere dicatur, eum, qui sponte sua vel dimissus recessit, in aliam Domum admitti, nisi consulto prius Praeposito, in cuius Domo vel Collegio fuit, et eius exspectato responso, non debere; nihilominus tamen prudentiae Praepositi Domus, ad quam rediit, relinquetur, ut consideret,* a] *an tamquam hospes sit admittendus, vel non, donec responsum accipiat a Superiore, cuius voluntatem exsequi debet.*

a] P. 1 c. 1, A.

B. 2] *Qui a Societate discedunt, quamvis ad eam idonei videantur, si aliam Religionem ingressi et eiusdem habitu induti fuissent, nec litigandum esse Societati nec procurandum videtur, ut eos reducat. Si habitum Religionis non induissent, poterit ea diligentia adhiberi, quam ordinata et prudens charitas dictaverit, ad eos reducendos ad illum locum, ubi in Domino iudicatur quod DEO servient.*

2] C. 1 d. 24.

C. *Quod ad satisfactionem attinet eorum, qui sponte sua redeunt et admittuntur, vel qui reducti redeunt; cum eius satisfactionis scopus sit aliorum aedificatio, et eiusdem, qui rediit, profectus; ex circumstantiis personarum, temporis et locorum, num fieri debeat, necne, et, si fieri debet, quanta ea futura sit iudicabitur: et haec omnia prudentiae Superioris, in cuius Domum vel Collegium ingreditur, committi oportet.*

D. *Cum de illorum, qui sponte sua redeunt, constantia dubitaretur, in aliquo xenodochio vel aliis probationibus possent constitui, ubi, pauperibus Christi ex ipsius amore aliquandiu inserviendo, suae stabilitatis et constantiae specimen praebeant; quod et ad expurgandam praeteritae levitatis culpam pars quaedam satisfactionis esset.*

TERTIA PARS.

DE IIS CONSERVANDIS ET PROMOVENDIS, QUI IN PROBATIONE MANENT.

CAPUT I.

DE CONSERVATIONE IN IIS, QUAE AD ANIMAM ET PROFECTUM IN VIRTUTIBUS PERTINENT.

1. Ut in iis admittendis, quos ad nostrum Institutum vocat Deus, talentum ad id conveniens concedendo, et in dimittendis illis, qui, cum eo careant, se a divina sapientia non esse vocatos ostendunt, consideranda sunt quae superius attigimus; ita in eis conservandis in sua vocatione, qui retinentur et probantur in Domibus et Collegiis, et in eisdem iuvandis, ut sic proficiant in via Dei spiritu et virtutibus; ut sanitatis et virium corporis, quae ad laborandum in vinea Domini necessariae sunt, ratio habeatur, consideratione ac providentia debita opus est. Et ita agetur, primo loco quidem, de iis quae ad animam; secundo, de iis quae ad corpus pertinent.

2. Quod ad animam attinet, cum tanti referat eos, qui in probationibus versantur, ab omnibus imperfectionibus et quibusvis impedimentis maioris spiritualis profectus removere; multum ad id *a*] confert * omnem communicationem per verba et scripta ut abiiciant cum iis, qui in proposito sibi Instituto intepescendi causa esse possent; et ut, in via spirituali incedendo, * cum iis dumtaxat personis et iis de rebus agant, quae iuvent in divino obsequio ad id consequendum, quod in ingressu Societatis sibi, ut scopum, praefigebant.

a] *Exa.* c. 4 n. 6. P. 1 c. 4 n. 4.
* A
* B

3. Eadem *b*] de causa egredi Domo non debent, nisi * quando, et *c*] cum quo *1*] socio Superiori visum fuerit. Nec Domi hi cum illis pro suo arbitratu colloquantur, * sed cum iis tantum, qui a Superiore praescripti fuerint: quorum exemplo et spiritualibus colloquiis aedificationem accipiant, non autem offensionem, et proficiant in Domino.

b] *Exa.* c.4 n. 25.
* C
c] P. 4 c. 4, F.
1] C. 22 d.44 n.3.
* D

4. Omnes diligentissime curent portas sensuum suorum, oculorum praecipue, aurium et linguae, ab omni inordinatione custodire; ac se in pace et vera humilitate interna conservare, et eam in silentio, cum id observandum est, cum autem loquendum, in circumspectione et aedificatione verborum, et modestia vultus, ac maturitate incessus motuumque omnium, sine ullo impatientiae aut superbiae signo, exhibere: in omnibus procurando atque optando potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo

tamquam sibi Superiores ducendo, et exterius honorem ac reverentiam, quam exigit cuiusque status, cum simplicitate et moderatione religiosa exhibendo: atque ita fiet, ut, se mutuo considerantes, in devotione crescant, Deumque Dominum nostrum laudent, quem quisque in alio, ut in illius imagine, agnoscere studeat.

5. In refectione corporis curandum est, ut temperantia, modestia et decentia interius et exterius in omnibus observetur. Praemittatur *2*] benedictio, et sequatur actio gratiarum, quas omnes agere debent cum ea, qua par est, devotione et reverentia. Et, dum corpus edendo reficitur, sua etiam animae refectio praebeatur, libro aliquo pio, potius quam difficili, quem capere et a quo omnes iuvari possint, legendo, vel id temporis *d*] aliquis, cui a Superiore id iniungetur, concionabitur, vel * aliquid simile ad Dei gloriam fiet.

2] C. 1 d. 99. C. 4 d. 60.
d] *Inf.* n. 21, S.
* E

6. Omnes, quamdiu corpore bene valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant in quo occupentur. Et, qui officium vel ministerium aliquod certum habent, ut de auxilio providendum est eis, si sit necessarium, ita, *e*] cum vacant, aliis rebus occupari deberent, ne *3*] otium, malorum omnium origo, quoad eius fieri possit, Domi nostrae locum habeat.

e] P. 4 c. 10 n. 6.
3] C. 18 d. 22 n. 3.

7. Ut *f*] experiri incipiant sanctae paupertatis virtutem, doceantur omnes, quod nulla re *4*] tamquam propria uti debeant; *g*] quamvis necesse non sit probationis tempore * possessione bonorum suorum se abdicare, nisi id Superior, post elapsum primum annum, iuberet, iudicans in huiusmodi bonis tentationum occasionem et minus proficiendi in spiritu habere aliquem, ut qui illis adhaereat aliquo immoderato amore vel confidentia; et * tunc, qui se exuit bonis suis, sequatur Christi consilia: *h*] pro sua tamen devotione, ad hoc potius quam illud opus dispensare bona sua vel eorum partem poterit, prout in Domino intellexerit ad divinum beneplacitum magis convenire, ut in Examine dictum est.

f] *Exa.* c. 4 n. 4. P. 6 c. 2 n. 11, H.
4] C. 5 d. 50 n. 4, d. 59.
g] *Inf.* n. 25. *Exa.* c. 4 n. 2, 3, 5. P. 4 c. 4, E. P. 6 c. 2, H.
* F
* G
h] *Exa.* c. 4 n. 5.

8. Intelligant etiam, quod mutuo dare, vel accipere, vel dispensare quidquam de iis, quae Domi sunt, minime possunt, nisi Superior conscius consensum praestiterit.

9. Qui in ingressu ipso, vel post ingressum ad obedientiam, motus sua devotione, vellet bona sua vel eorum partem in Societatis subsidium dispensare; * haud dubie opus faceret maioris perfectionis, alienationis et abnegationis universi amoris proprii, non descendendo tenero quodam affectu ad particularia loca, nec iuxta illum sua bona, huic potius quam illi, applicando. Quin potius, exoptando maius et universalius bonum Societatis (quae tota ad maiorem Dei gloriam ac universale bonum et utilitatem animarum instituta est), hoc iudicium ei relinquat, qui eius universae curam habet, num applicari huic loco, potius quam illi, *5*] in eadem provincia debeant: quandoquidem ille, melius quam quisquam alius, intelligere potest, quid conveniat et quid maxime urgeat in omnibus eius locis, *i*] ratione habita Regum, Principum ac aliorum Potentatum, ne eis causa ulla offensionis detur; sed ad maiorem aedificationem omnium, et spiritualem utilitatem animarum, et gloriam Dei omnia cedant.

* H
5] C. 2 d. 23. C. 3 d. 16, 39.
i] P. 10 n. 11, B.

10. Doceantur quomodo ab illusionibus daemonis in suis spiritualibus exercitationibus caveant, et quomodo

se contra omnes tentationes tueantur: simul rationes sciant, quae adhiberi possint ut eas superent; k] et ad veras solidasque virtutes consequendas insistant, sive plures adsint visitationes spirituales, sive pauciores. Curent vero semper in via divini servitii gressum facere.

k] P. 10 n. 2.

11. Utantur l] quotidie conscientiae suae examinatione consueta, m] et, octavo quoque die saltem, ad confessionis et communionis sacramenta accedant, nisi aliqua de causa aliud Superiori videretur; et unus omnium sit Confessarius n] ab eodem Superiore constitutus. * Quod si fieri non poterit, quisque certe suum stabilem habeat Confessarium, o] cui ipsius conscientia prorsus aperta sit: qui quidem Confessarius non ignoret quos casus sibi Superior reservat. Illi autem reservabuntur, 6] quos ab eo cognosci necessarium videbitur aut valde conveniens, p] quo melius, et remedium adhibere possit, et suae curae commissos praeservare ab omnibus, quae nocitura sunt.

l] P. 4 c. 4 n. 3, 4.
m] *Inf.* Q. *Exa.* c. 4 n. 25. P. 4 c. 4 n. 3, B. P. 6 c. 3 n. 2.
n] *Inf.* Q. P. 6 c. 3 n. 2.
* I
o] *Inf.* n. 12, Q.
6] C. 2 d. 60. C. 5 d. 51, 57. C. 7 d. 45. C. 9 d. 43. C. 16 d. 17. C. 20 d. 6, 24.
p] P. 4 c. 10 n. 5.

12. Perutile q] erit esse Domi aliquem, * virum fidelem et in rebus spiritualibus sufficienter versatum, qui instruat eos ac doceat quomodo et interius et exterius sese habere debeant, et ad id eos hortetur, et in memoriam redigat, et amanter admoneat; quem omnes, qui in probatione sunt, diligant, ad quem in suis tentationibus confugiant, cui confidenter sua omnia detegant, et a quo consolationem et auxilium in omnibus sperent in Domino. Et admoneantur, quod nullam debeant celare tentationem, quam huic, vel r] Confessario, vel s] Superiori non aperiant; immo vero totam animam suam illis integre manifestam esse pergratum habeant. Nec solum defectus aperiant, sed etiam t] poenitentias vel mortificationes, et devotiones ac virtutes omnes, voluntate pura optantes ab illis dirigi, sicubi a rectitudine deflecterent; nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniat cum iudicio illorum, quos Christi Domini nostri loco habent.

q] P. 4 c. 10 n. 7.
* K
r] *Sup.* n. 11. *Inf.* Q.
s] *Exa.* c. 4 n. 34 etc. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 2.
t] *Inf.* c. 2 n. 5. *Exa.* c. 1 n. 6. P. 6 c. 3 n. 1.

13. Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis: ut, cum quis animadvertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abiectioribus, quae ad humiliandum ipsum utiles futurae videantur: et sic de aliis pravis animae propensionibus.

14. Praeterea, honestatis et decentiae ratione, convenit * feminas non ingredi Domos nostras nec Collegia, sed tantum ecclesias: et arma nulla, nec * instrumenta rerum vanarum Domi haberi; sed tantum ea, quae faciunt ad finem illum divini servitii et laudis, quem sibi praefixit Societas.

* L
* M

15. * In v] correctionibus et poenitentiis iniungendis, qui modus teneri debeat, 7] prudenti charitati Superioris et eorum quos sibi substituerit relinquetur: qui in eis rationem habebunt dispositionis personarum, et aedificationis universalis et particularis earum ad gloriam Dei. x] Poenitentias vero huiusmodi prompta voluntate quisque admittere deberet, cum vero emendationis et spiritualis profectus desiderio, etiam si propter defectum non culpabilem iniungerentur.

* N
v] P. 9 c. 2 n. 4. c. 3 n. 11.
7] C. 20 d. 16. C. 21 d. 27.
x] *Exa.* c. 1 n. 6. c. 4 n. 33, 41.

16. Syndicus y] Domi constituatur, cuius erit officium observare in omnibus quod ad honestatem et decentiam externam pertinet, ecclesiam et Domum perlustrando; et, si quid non conveniat, adnotando et Superiori

y] P. 4 c. 10 n. 7 c. 17 n. 7.

referendo, vel eumdem qui errat commonefaciendo, si id facultatis ei, ut utilius in Domino suo fungatur officio, tribuetur.

z] *Inf.* c. 2, G. *Exa.* c. 4 n. 32.

17. Curent *z*] omnes ex morbis corporis fructum capere, non solum sibi, sed etiam ad aliorum aedificationem; non impatientes aut morosos se exhibendo, sed potius patientiam magnam habendo et prae se ferendo, ac obedientiam medico et infirmario praestando, verbis piis et ad aedificationem facientibus utendo, quae ostendant aegritudinem acceptari, ut donum, de manu Creatoris ac Domini nostri; quandoquidem non minus donum est quam sanitas.

a] P. 4 c. 5 n. 4. c. 14 n. 1. P. 8 c. 1 n. 8, K. P. 10 n. 9.

* O

b] P. 4 c. 6, O. P. 7 c. 4 n. 11.

8] C. 5 d. 9.

9] C. 10 d. 11. C. 15 d. 9. C. 16 d. 15. C. 22 d. 20.

c] P. 8 c. 6 n. 8

* P

18. Idem *a*] sapiamus, idem, quoad eius fieri possit, dicamus omnes, iuxta Apostolum. * Doctrinae igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec scriptis libris, *b*] qui quidem edi non poterunt in lucem *8*] sine approbatione atque consensu Praepositi Generalis, qui *9*] eorum examinationem saltem tribus committat sana doctrina et claro iudicio in ea facultate praeditis. Immo et iudiciorum de rebus agendis diversitas, quae mater esse solet discordiae et inimica unionis voluntatum, quantum fieri potest, evitari debet. *c*] Unio vero et conformitas mutua diligentissime curanda est, * nec quae ei adversantur permittenda: quo, iuncti invicem fraternae charitatis vinculo, melius et efficacius possint se divino obsequio et auxilio proximorum impendere.

19. Quia ad progressum in virtutibus faciendum multum confert antiquiorum exemplum, quo reliqui ad eorum imitationem animentur; qui praeest aliis, (si aliter peculiares ob causas non iudicaretur convenire) et omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, aliquando intra annum officium vel officia eorum, qui inserviunt Domi, ad tempus aliquod obibunt: quo aliis gratius reddatur huiusmodi ministerium, in quo ad maius Dei servitium et gloriam sunt constituti.

d] *Exa.* c. 4 n. 25.

* Q

e] P. 4 c. 4, B, C.

* R

f] *Exa.* c. 4 n. 10.

20. Explicetur *d*] aliquot diebus in singulis hebdomadibus doctrina christiana, ac * *e*] modus bene et cum fructu confitendi, communicandi, Missam audiendi et in eadem ministrandi, orandi itidem, meditandi et legendi pro captu uniuscuiusque tradatur: cureturque, non solum ut addiscant quae conveniunt, sed etiam ut memoria teneant et exerceant quae didicerint. Omnesque suum tempus rebus spiritualibus impendant, et devotioni quaerendae, pro mensura gratiae Dei ipsis communicatae, insistant: ad quod * conferet *f*] aliqua Exercitia Spiritualia illis, qui nondum se exercuerunt in eis, vel omnia tradere, prout unicuique convenire in Domino iudicabitur.

g] *Sup.* n. 5. *Exa.* c. 4 n. 25. P. 4 c. 8 n. 3. P. 10 n. 3.

* S

21. Convenit *g*] omnes exerceri, si aliquem Superior non eximeret, * in concionibus domesticis; ut, praeterquam quod utiliter in hoc expendetur aliqua hora a prandio, animentur et aliquem usum comparent, quod ad vocem et modum attinet et ad reliqua, et ut specimen etiam eius talenti, quod in hoc genere Dominus eis communicat, praebeant, et ut suos bonos conceptus ad suam et proximorum aedificationem exprimant, de iis crebro tractantes, quae ad sui abnegationem et in virtutibus profectum et omnimodam perfectionem attinent; ad ea se invicem exhortando, et praecipue ad unionem et charitatem fraternam.

h] *Exa.* c. 4 n. 28.

22. Magnopere *h*] conferet devote,

quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas et charitas. Et, in universum loquendo, quanto aliquis se * arctius DEO adstrinxerit, et liberaliorem erga summam maiestatem se praestiterit; tanto eum in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias et dona spiritualia uberiora recipienda.

* T

23. Expedit in primis ad profectum, et valde necessarium est, *10*] ut omnes perfectae obedientiae se dedant, Superiorem, quicumque ille sit, *i*] loco Christi Domini nostri agnoscentes, et interna reverentia et amore eum prosequentes. *k*] Nec solum in exsecutione externa eorum, quae iniungit, integre, prompte, fortiter et cum humilitate debita, sine excusationibus et obmurmurationibus obediant, licet * difficilia et secundum sensualitatem repugnantia iubeat; verum etiam conentur interius resignationem et *l*] veram abnegationem propriae voluntatis et iudicii habere, *m*] voluntatem ac iudicium suum, cum eo quod Superior vult et sentit, in omnibus rebus, *n*] ubi peccatum non cerneretur, omnino conformantes, proposita sibi voluntate ac iudicio Superioris pro regula suae voluntatis et iudicii, quo exactius conformentur primae ac summae regulae omnis bonae voluntatis et iudicii, quae est aeterna bonitas et sapientia.

10] C. 21 d. 27.
i] P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 1, 2. P. 7 c. 2 n. 1, A, I. P. 8 c. 1, D. P. 9 c. 3 n. 20.
k] P. 6 c. 1 n. 1, C.
* V
l] *Inf.* n. 27. *Exa.* c. 4 n. 46. P. 5 c. 2 n. 1.
m] P. 4 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 1.
n] P. 6 c. 1 n. 1, B.

24. Et, *o*] ut magis in obedientiae virtute se exerceant, convenit, atque etiam valde necessarium est, ut, non solum Superiori Societatis vel Domus, sed etiam subordinatis officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, in iis omnibus, in quibus super ipsos potestatem habent, obediant; et assuescant non intueri, quis ille sit, cui obediunt; sed potius quis ille, propter quem, et cui in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus.

o] *Exa.* c. 4 n. 29, 30, 31, E. P. 4 c. 10 n. 8.

25. Diligant *p*] omnes paupertatem, *11*] ut matrem, et, iuxta mensuram sanctae discretionis, suis temporibus eius effectus aliquos experiantur; et, ut in Examine dictum est, *q*] parati sint, post primum annum exactum, ad temporalia bona distribuenda, quandocumque a Superiore iniunctum id fuerit, et ea ratione servata, quae ipsis in *r*] Examine proposita fuit.

p] P. 6 c. 2 n. 1 P. 10 n. 5.
11] C. 18 d. 22 n. 2. C. 20 d. 7. C. 22 d. 25, 26.
q] *Sup.* n. 7. *Exa.* c. 4 n. 2, 3, 5.
r] *Exa.* c. 4 n. 2.

26. Omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitae suae statum, verum etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, ut serviant et placeant divinae bonitati propter seipsam, et propter charitatem et eximia beneficia, quibus praevenit nos, potius quam ob timorem poenarum vel spem praemiorum, quamvis hinc etiam iuvari debeant; et crebro admoneantur, ut in omnibus quaerant DEUM, exuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, et omnes in eo, iuxta sanctissimam ac divinam ipsius voluntatem.

27. Studium, *s*] in quod incumbent qui in Domibus Societatis probantur, id esse debet, quod eos magis ad superius dictam abnegationem sui, et in virtutibus ac devotione profectum iuvabit. * Studia *t*] vero litterarum, in universum loquendo, in Domibus non erunt, nisi cum quibusdam, peculiaribus de causis, dispensatione opus esse videretur. *u*] Collegia enim ad litteras addiscendas sunt, Domus vero ad eas, quas didicerint, exercendas, vel ad praeparandum earum fun-

s] *Sup.* n. 23. *Exa.* c. 4 n. 46.
* X
t] *Exa.* c. 7 n. 1.
u] P. 4 *Prooem.* c. 3 n. 1. c. 11 n. 1. P. 10 n. 4.

damentum, humilitatis scilicet ac omnis virtutis, in iis qui operam eis sunt daturi.

28. Sit qui singulis hebdomadibus, vel saltem decimo quinto quoque die, haec et similia omnibus in memoriam redigat, vel illi haec legere teneantur; ne, pro nostrae fragilis naturae conditione, obliti, ab eorum executione cessent. Et aliquoties singulis annis omnes a Superiore sibi poenitentias iniungi propter defectum observationis Regularum petant, ut haec cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali in via Dei quisque habet.

DECLARATIONES IN CAPUT I.

A. *Si in aliquo loco sollicitatur vel perturbatur aliquis ab hominibus, qui in via spiritus non bene procedunt, videat Superior, num eumdem in alium locum transmitti expediat, ubi divino obsequio commodius insistat; et tunc Superior, ad quem mittitur, certior fieri debet de rebus ipsius, quantum sit satis ad eum magis iuvandum, et alios, quibus praeest.*

B. *Si aliquando permittendum videretur, ut consanguineos vel amicos, quos, cum esset in saeculo, habebat, alloqueretur; coram aliquo a Superiore designato id fiat, et breviter; nisi, particulares ob causas, is qui supremam curam habet aliud statueret. Sic etiam, si aliquis ex iis, qui Domi sunt, cuiquam scriberet; non nisi obtenta facultate, et litteris ei ostensis, quem Superior destinaverit, id faciet. Si ad eumdem litterae mitterentur, ei primo reddentur, qui a Superiore fuerit constitutus; qui eas lectas reddet, aut non reddet, illi, ad quem sunt destinatae, prout in Domino expedire ad melius ipsius bonum et Dei gloriam existimabit.*

C. *Considerabit Superior, num aliqui, quibus confidendum videatur, soli mitti possint; et si qua etiam quibusdam facultas* 12] *generalis dari debeat,* 12] C. 1 d. 57
vel non, sed singillatim eam peti, quandocumque Domo egrediuntur, oporteat.

D. *Ut plurimum Novitios inter se conversari non convenit, sed silentium invicem observare, nisi in rebus in quibus loqui necesse sit. Agent vero potius cum maturis ac prudentibus, qui scilicet a Superiore cuique fuerint designati. Sic etiam, si duo in eodem cubiculo lectulos suos habeant, alter eorum huiusmodi sit, ut minime dubitetur, quod alter eius societate proficiat; et eamdem ob causam inter cubicula, quae seorsum unicuique iuniorum assignantur, par est aliquos ex antiquioribus intermisceri.*

Sine facultate autem a Superiore accepta, ordinarie unus cubiculum alterius non ingredietur; et, si cum ea facultate ingressus fuerit, ostium semper apertum maneat, quamdiu cum alio ibidem fuerit; ut et Superior et Officiales ad id destinati, quandocumque eis visum fuerit convenire, ingredi possint.

E. *Simile quid erit litteras, quae ad aedificationem faciunt, legere; et si qua alia exercitatio aliquando convenire videretur.*

F. *Possessione bonorum suorum se abdicare, tam de propriis bonis intelligendum est, quae habet penes se vel alios, quam de iure vel actione, quae ei competit ad bona quae sperat, sive saecularia illa sive ecclesiastica sint. Quando hoc fieri debeat, Praepositi Generalis, vel eius, cui ille facultatem communicaverit, arbitrio relinquetur.*

G. *Ante ingressum quivis de bonis suis temporalibus pro suo arbitratu statuere potest. Sed postquam ingressus*

13] C. 1 d. 140. C. 5 d. 19. C. 7 d. 17 n. 4. *est,* 13] *tam de ecclesiasticis quam de saecularibus disponat oportet ita, ut decet virum spiritualis vitae sectatorem.*

a] Exa. c. 4 n. 3, 5. A. *Ideoque* a], *cum existimaret in consanguineos ea esse dispensanda, committere id debet iudicio* 14] *unius, vel duorum, vel trium virorum, qui et doctrina et pietate commendentur, et eisdem acquiescere; et quod illi sentient perfectius et* DEO *ac Domino nostro gratius esse, habita omnium circumstantiarum ratione, ut in Examine, cap. 4, fusius dicitur, exsequi debet.*

14] C. 2 d. 76.

H. *Rectores, vel Praepositi locales, vel Provinciales, vel quicumque alii, cum quibus aget qui sic habet in animo sua bona dispensare, ut in caeteris rebus, ita et in hac, quod perfectius est, quodque maioris meriti in divino conspectu, ei repraesentare debent. Nihilominus, si in eo propensio animi ad locum unum, potius quam ad alium, quamvis imperfectum id sit, cerneretur; etiam si iudicio Superioris suum submittere vellet; certiorem tamen reddere Praepositum Generalem poterunt, vel eum, qui eius gerit vices, an sit aliquid huiusmodi imperfectionis tolerandum, sperando quod ea cessabit aliquando, suppletbitque divina bonitas quod ad suam maiorem gloriam et maiorem ipsius perfectionem deesse cernitur.*

I. *Convenienter non posset fieri propter multitudinem, vel quod aliquis ab alio Confessario magis quam ab ordinario iuvari posse videretur, propter causas quae possent accidere; quas considerabit Superior, et, quod in Domino iudicaverit convenire, providebit.*

K. *Hic erit Magister Novitiorum, vel quem Superior ad hoc munus, ut aptiorem, constituet.*

L. *Ut feminae non ingrediantur Domos nec Collegia Societatis, fere semper debet observari. Sed, si illae eximia charitate, vel auctoritate simul cum charitate essent conspicuae; prudentia Superioris, iustas ob causas, ut illae, si id optarent, videndi gratia ingrederentur, posset dispensare.*

M. *Cuiusmodi essent instrumenta ad ludendum vel ad rem musicam, libri etiam profani et alia id genus.*

N. *In correctionibus, licet prudentia rebus particularibus adhibita hunc ordinem mutare possit, est advertendum,* b] *quod, primo, in charitate ac dulcedine qui peccant sunt admonendi; secundo, in charitate quidem, sed eo tamen modo, ut eis confusio et rubor iniiciatur; tertio, amori ea quae timorem incutiant adiicientur. De publicis autem defectibus publica debet esse poenitentia, iis tantum, quae ad omnium aedificationem faciunt, declaratis.* b] P. 8 c. 1, G.

O. *Novae opiniones admittendae non sunt: et, si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo quod Ecclesia et eius Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis* 15] *debet subiicere,* c] *ut in Examine declaratum est. In opinionibus etiam, in quibus catholici Doctores variant inter se vel contrarii sunt,* 16] *ut conformitas etiam in Societate sit, curandum est.*

15] C. 5 d. 6, 50 n. 2. c] Exa. c. 3 n. 11. 16] C. 20 d. 10 C. 21 d. 14.

P. *Ferenda non est inter ullos domesticorum perturbatio vel ira mutua; et, si aliquid huiusmodi accideret, curetur, ut statim cum satisfactione debita in gratiam invicem redeant.*

Q. *Praeter modum bene confitendi,* d] *tempus etiam eis designetur, intra quod, si ad confessionem non accederent, subtrahatur eis cibus corporis, donec cibum spiritus sumant. Qui* e] *autem alii, quam suo Confessario designato, confiteretur, debet postmodum, quantum recordari poterit, eidem suo Confessario totam suam conscientiam aperire, ut, nihil ignorando, quod ad eam perti-* d] Sup. n. 11. e] Sup. n. 11. P. 6 c. 3 n. 2.

neat, melius in Domino possit eumdem iuvare.

R. *Cum iis, qui ex se Exercitiorum Spiritualium intelligentiam habent, et in ipsis facile progrediuntur, ac methodum in eisdem bene procedendi habent, vel qui aliis occupationibus distinentur, poterunt omnino, vel certe ex parte, Superiores in communibus huiusmodi regulis dispensare.*

Quosdam qui, quamvis ad Spiritua-
f] P. 4 c. 4, B. *lia Exercitia apti sint,* f] *nondum tamen ea sunt experti, operae pretium erit aliquando iuvare, ad particulares considerationes descendendo, quae ad timorem et amorem* DEI *ac virtutum, et ad exsecutionem earum, prout ratio convenire docuerit, incitent.*

Eis, qui ad huiusmodi exercitationes
17] C. 7 d. 30 n. 19. C. 8 d. 38 n. 4. C. 18 d. 22 n. 7. C. 22 d. 44 n. 6. *apti non esse viderentur, qualis* 17] *ex Coadiutoribus temporalibus aliquis esse posset, proponi debent ea, quae ipsorum captui conveniant, et quibus ad servitium* DEI *ac Domini nostri illi iuventur.*

S. *Qui domi concionantur, reprehensionem alicuius ex Fratribus domesticis vel ipsius Societatis non attingant. Idem caveant, qui in ecclesiis concionantur, nisi prius Superiorem ea de re consuluerint: quamvis possit unusquisque et se, et Fratres suos simul, ad progressum in maiori obsequio* DEI *(quod potius in domesticis quam in publicis in ecclesia concionibus convenit) excitare.*

T. *Coniungi magis cum* DEO *ac li-*
g] Exa. c. 4 n. 1. *beralem se in eum exhibere,* g] *est se totum immobiliter divino servitio mancipare: quod illorum est, qui, votis emissis,* DEO *se dedicant. Quamvis autem id multum iuvet ad uberiorem gratiam accipiendam, nemini tamen praecipiendum est, ut id agat; nec primo biennio quisquam ullo modo ad id compellatur.*

Quod h] *si sponte, ex sua devotione,* h] Exa. c. 1, E. P. 5 c. 4 n. 6.
ad vota sua ante biennium exactum emittenda moverentur, nec in manibus cuiusquam ea admitti, nec solemnitas adhiberi debet; sed quisque in secreto animi sui id offerat DEO *ac Domino nostro. At, cum id sint facturi, convenit, ut formulam, quae consuevit in votis simplicibus observari, petant, et scriptum habeant quod* DEO *promiserunt, ad suam memoriam confirmandam.*

V. *Conferet, ut Superiores aliquando occasionem praebeant iis, qui probantur, exercendi obedientiae et paupertatis virtutem, eosdem tentando, ad maiorem ipsorum utilitatem spiritualem, eo modo quo Dominus Abraham tentavit; ut specimen virtutis suae praebeant, et in eadem crescant. In eo tamen, quoad eius fieri possit, mensura et proportio, iuxta uniuscuiusque vires, ut discretio dictabit, observetur.*

X. *Quamvis, in genere loquendo, studia litterarum in Domibus Societatis non teneantur; quicumque tamen praedicationi et confessionibus audiendis vacant, studium adhibere possunt ad ea, quae ipsis usui futura sunt. Et, si alicui particulariter conveniret aliis etiam rebus studere, prudentiae Superioris relinquitur, ut id consideret et in eo dispenset.*

CAPUT II.

DE CONSERVATIONE CORPORIS.

a] *Sup.* c. 1 n. 1. P. 4 c. 4 n. 1. P. 6 c. 3 n. 1. P. 10 n. 13, C.

1. Ut nimia sollicitudo in iis, quae ad corpus pertinent, reprehensibilis est; ita *a*] cura moderata tuendae ad divinum obsequium valetudinis ac virium corporis laude digna, et ab omnibus adhibenda est; et, ea de causa, cum animadverterint aliquid sibi nocere, vel quid aliud necessarium esse circa victum, vestitum, habitationem, officium aut exercitationem, et sic de aliis rebus, admoneant omnes ea de re Superiorem, vel quem ad id Superior constituerit, duo interim observantes: primum, ut, antequam ad eum quid referant, se ad orandum recipiant, et, *b*] post orationem, si senserint rem deferendam ad Superiorem, id faciant; alterum, ut, cum verbo aut scripto brevi, ne excidat memoria, Superiori rem exposuerint, ei totam curam rei expositae relinquant, et quidquid ille statuerit optimum ducant; * nec contendere aut urgere per se vel alium (sive concedatur quod petitur, sive non) pergant: quandoquidem sibi persuadere debent, id magis expedire ad divinum obsequium ac suum maius bonum, quod Superiori, re intellecta, in Domino visum fuerit.

b] *Exa.* c. 8, A.

* A

c] P. 4 c. 10 n. 9.

2. Statuatur *c*] tempus, quoad eius fieri poterit, edendi, cubandi, surgendi, * quod communiter omnes observent.

* B

d] *Exa.* c. 4 n. 26. P. 6 c. 2 n. 15, 16, M.

* C

3. In *d*] iis, quae ad victum, * vestitum et habitationem, et alia corpori necessaria pertinent, curetur cum divino auxilio, ut, quamvis sit in quo probetur virtus et sui ipsius abnegatio, non desit tamen quo sustentetur natura, et ad divinum obsequium laudemque conservetur, habita convenienti ratione personarum in Domino.

4. Ut * *e*] non expedit tanto labore corporali quemquam onerari, ut spiritus obruatur et corpus detrimentum patiatur; ita aliqua corporalis exercitatio, quae utrumque iuvet, omnibus communiter convenit, etiam illis, qui mentalibus exercitiis debent insistere. Quae quidem externis interrumpi deberent, et non continuari, nec sine mensura discretionis assumi.

* D

e] P. 10 n. 10.

5. Corporis *f*] castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta * in vigiliis, et abstinentiis, et aliis poenitentiis externis * ac laboribus, quae, et nocumentum afferre, et maiora bona impedire solent. *g*] Ideo suo Confessario detegi ab unoquoque convenit quidquid in hac parte faciat: qui, si iudicat excedi mensuram, aut certe dubitat de excessu; illum ad Superiorem remittat. Haec autem omnia eo fiunt, ut clarius procedatur, et in animis corporibusque nostris Deo Domino nostro maior gloria deferatur.

f] P. 10 n. 10.

* E

* F

g] *Sup.* c. 1 n. 12. *Exa.* c. 1 n. 6, C. P. 6 c. 3 n. 1.

6. Sit aliquis domi, qui praesit in iis, quae ad corporis bonam valetudinem pertinent, tum conservandam in sanis (et quidem in iis praesertim, qui ex aetate vel aliis de causis

sunt debiliores), tum restituendam
* G in aegrotantibus, * cui debeant omnes, si male se habere extraordinarie senserint, id referre; ut de remedio, prout charitas exigit, convenienti provideatur.

7. In iis, quae pertinent ad rerum temporalium conservationem, praeter curam illam, quam omnibus charitas et ratio imponit, aequum erit alicui peculiariter demandari hoc munus, ut tamquam bona Domini nostri Iesu Christi propria ea curet. Ad alias etiam functiones necessarias, et eas
* H praecipue, * quae honestius domi quam
h] P. 1 c. 2 n. 2. A. P. 4 c. 3 n. 2. c. 10 n. 6. foris fiunt, curandum est, ut h] officialium necessarius numerus constituatur. Et expedit, ut huiusmodi officia Coadiutores temporales, si ea ignorent, addiscant, omnia ad maiorem gloriam Dei Creatoris et Domini nostri semper dirigendo.

DECLARATIONES IN CAPUT II.

A. *Licet, qui exponit quod necessarium sibi existimat, non debeat ex se idem denuo petere nec urgere; si Superior tamen nondum satis intellexisset, et declarationem vellet maiorem, ea quidem danda erit. Et, si forte ex oblivione non provideret, cum tamen significasset se velle id facere; non erit abs re, debita cum modestia, ei in memoriam reducere vel repraesentare.*

B. *Quamvis ordinem temporis in refectione et somno, ut plurimum, omnes observare debeant; si tamen peculiares ob causas alicui aliud conveniret, videat Superior, num dispensatione cum eo sit utendum, necne.*

C. *In vestitu habenda est ratio eius finis, qui est ab iniuria frigoris et ab*
a] *Exa.* c. 1 n. 13, F. P. 1 c. 4 n. 4. *indecoro defendi. Caeterum convenit, ut,* a] *qui probantur, vestitus ratione ad mortificationem et abnegationem sui, et ad mundum eiusque vanitatem sub pedibus conculcandum, iuventur. Et id quidem, quantum, considerata natura, consuetudo, officium et aliae personarum circumstantiae patientur.*

Cum Scholasticis approbatis et iis qui studiis vacant, videtur in iis quae ad vestitum attinent, magis quam cum iis qui probantur, ratio haberi posse decentiae exterioris et commoditatis, propter studiorum laborem, et quia Collegia reditus habent: quamvis superflua semper evitari oporteat. In particularibus vero, prout unicuique convenit, procedetur.

D. *A* b] *prandio, praesertim in ae-* b] P. 4 c. 4 n. 1.
state, per unius vel duarum horarum spatium permitti non debent, quoad eius fieri poterit, corporis aut mentis graviora exercitia. Si quid vero necessitas postulabit, id, quanta poterit charitate, erit et metiendum et moderandum. Id autem temporis in aliis levioribus exercitiis occupari poterit. Sed nec extra huiusmodi horas labores nimium continuari, sine aliqua relaxatione vel convenienti recreatione, debebunt.

E. *Tempus* c] *somno tribuendum,* c] P. 4 c. 4 n. 1. P. 6 c. 2 n. 16.
in genere loquendo, intra sextae et septimae horae spatium debere esse videtur; nec sine indusiis dormiendum est, nisi necessitatis alicuius excusationem Superior admitteret; sed, quia, in tanta varietate personarum ac habitudinum, certa regula praescribi nequit; ut detrahatur vel addatur huic tempori, Praepositi prudentiae relinquetur, qui curabit, ut quisque, quod necessitas naturalis exigit, retineat.

F. *Quamvis unusquisque paratus esse debeat ad quodvis officium assumendum, quod ei fuerit impositum; animadvertendum tamen erit, in illis, quae robustiores ac fortiores homines requirunt*

(qualia sunt officia sacristae, ianitoris atque infirmarii), ut ii homines, qui corporis habitudine iuxta officiorum rationem praediti sunt, quantum fieri potest, constituantur.

G. *Cura habeatur aegrotorum magna; quorum aegritudo simul atque infirmario indicata fuerit, si senserit ille rem esse alicuius momenti, Superiorem admoneat, et vocetur medicus, qui unus tantum ordinarie esse debet, si in casibus quibusdam Superiori aliud non videretur.* d] *Observetur autem, tam in victus ratione, quam in medicinis, quod medicus praescripserit, quantum fieri poterit. Nec infirmus in his quidquam curet;* e] *sed illud potius studeat, ut patientiam et obedientiam exerceat, relicta cura reliquorum omnium Superiori ac eius ministris, per quos a divina providentia regitur.*

d] P. 6 c. 2 n. 16.

e] *Sup.* c. 1 n. 17. *Exa.* c. 4 n. 32.

Et, f] *quamvis nostrae vocationis sit diversa loca peragrare, et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi maius* DEI *obsequium et animarum auxilium speretur; nihilominus tamen, si experimento comperiretur aliquis ferre non posse alicuius regionis coelum, et male habere continenter cerneretur, Superiori considerandum relinquitur, num ille migrare alio debeat, ubi, melius habens corpore, impensius divino servitio vacare possit. Non erit tamen ipsius infirmi huiusmodi mutationem postulare, nec animi propensionem ad eam ostendere, sed Superioris curae id relinquetur.*

f] *Exa.* c. 4 n. 35. P. 4 *Prooem.* A. P. 7 c. 1 n. 1. c. 2, H.

H. *Officiales in iis, quae domi honestius quam foris fiunt, intelliguntur lotor pannorum lineorum, tonsor et huiusmodi: quos esse domi, si fieri posset, expediret.*

QUARTA PARS.

DE IIS, QUI IN SOCIETATE RETINENTUR, INSTRUENDIS IN LITTERIS ET ALIIS, QUAE AD PROXIMOS IUVANDOS CONFERUNT.

PROOEMIUM.

a] *Inf.* c. 5 n. 1. c. 6 n. 1. c. 12 n. 1. *Exa.* c. 1 n. 2. P. 1 c. 2 n. 8. P. 3 c. 1 n. 9. P. 7 c. 1 n. 1. P. 10 n. 2.

1. CUM *a*] scopus, ad quem Societas recta tendit, sit suas ac proximorum animas ad finem ultimum consequendum, ad quem creatae fuerunt, iuvare; cumque ad id, praeter vitae exemplum, doctrina et modus eam proponendi sint necessaria; postquam in iis, qui admissi sunt ab probationem, iactum esse videbitur abnegationis propriae et profectus in virtutibus necessarii conveniens fundamentum, de litterarum aedificio et modo eis utendi agendum erit, quo iuvare possint ad magis

** A.*
b] Inf. c. 3 n. 1. c. 11 n. 1. P. 3 c. 1 n. 27. P. 10 n. 4.
1] C. 2 d. 9.

cognoscendum magisque serviendum Deo Creatori ac Domino nostro. * Ad hoc *b*] Collegia, *1*] et aliquando etiam Universitates vel Studia Generalia Societas amplectitur: in quibus, qui bonum sui specimen in Domibus, dum probarentur, praebuerunt, nec tamen doctrina ad nostrum Institutum necessaria satis instructi accesserunt; in ea et in aliis rebus, quae ad iuvandas animas conferunt, instruantur. Prius ergo de iis, quae ad Collegia, deinde de iis, quae ad Studia Generalia pertinent, dicetur cum eo favore, quem divina sapientia, ad maiorem gloriam laudemque suam, nobis dare dignabitur.

DECLARATIONES IN PROOEMIUM.

a] Exa. c. 4 n. 35, P. 3 c. 2, G. P. 7 c. 1 n. 1, A. c. 2, H.

b] P. 1 c. 1 n. 3. P. 8 c. 1 n. 2, B. P. 10 n. 7.
2] C. 1 d. 25.

A. *Cum scopus ac finis, ad quem tendit haec Societas, sit,* a] *varias mundi partes, ex obedientia summi Vicarii Christi Domini nostri, vel Superioris eiusdem Societatis, peragrando, verbum Dei praedicare, confessiones audire, et reliquis quibuscumque poterit mediis uti, divina gratia aspirante, ad animas iuvandas; necessarium esse, vel in primis rationi consentaneum visum est,* b] *ut,* 2] *qui in eam sunt ingressuri, viri sint vitae probitate et litterarum eruditione ad id officium idonei. Et quia boni simul et eruditi pauci inveniuntur, si cum aliis comparentur, et ex paucis maior pars iam a susceptis laboribus vellet conquiescere; perdifficile fore deprehendimus huiusmodi hominibus, qui boni simul ac litterati essent, hanc Societatem augeri posse, tum propter magnos labores, quos eius Institutum exigit, tum propter magnam sui ipsorum abnegationem. Ideo nobis omnibus, qui conservationem et incrementum eius, ad maiorem laudem et obsequium Dei ac Domini nostri, cupiebamus, alia via tenenda esse visa est; admittendi nimirum iuvenes, qui bonorum morum et* c] *ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul ac doctos viros, ad colendam Christi Domini nostri vineam, essent evasuri:* d] *admittendi etiam Collegia cum iis conditionibus, quae in litteris apostolicis continentur, sive in Universitatibus, sive extra illas fuerint: et quidem, si in Universitatibus, sive illae Societatis curae commissae sint, sive non. Hac enim ratione nobis in Domino persuademus, ad maius* 3] *divinae maiestatis obsequium fore, si et numero augeantur, et in litteris ac virtutibus progressum faciant ii, qui eidem obsequio se totos impendunt. Primo ergo, de iis quae ad Collegia pertinent; deinde, de iis, quae ad Universitates, agetur. Et, quod ad Collegia, primo loco, de iis quae ad fundatores; secundo, de iis quae ad Collegia iam fundata, quoad materialia vel temporalia bona eorum, pertinent; tertio, de Scholasticis, qui in eisdem studiis vacant, admittendis, conservandis, litteris et aliis mediis ad proximum iuvandum promovendis, et a studiis educendis; quarto, de iis quae ad gubernationem eorum pertinent.*

c] Inf. c. 3 n. 2. P. 1 c. 3 n. 13. P. 5 c. 2 n. 5.

d] Inf. c. 2 n. 1. c. 11 n. 1, 2. P. 9. c. 3 n. 17.

3] C. 1 d. 58.

CAPUT I.

DE MEMORIA HABENDA FUNDATORUM ET BENE DE COLLEGIIS MERITORUM.

1. QUONIAM valde aequum est, ut, quod in nobis erit, illorum devotioni ac beneficentiae correspondeamus, quibus divina bonitas ad fundationem ac dotationem Collegiorum utitur administris; primum, in quovis nostrae Societatis Collegio, perpetuo, singulis hebdomadibus, Missa semel pro eius fundatore et benefactoribus vivis et mortuis celebretur.

2. Initio item cuiusque mensis, omnes Sacerdotes, qui in Collegio fuerint, pro eisdem semel offerre idem Sacrificium perpetuo debeant. Singulis insuper annis, eo die, quo Collegii cuiusque possessio Societati tradita est, * cum *a*] solemnitate Missa pro fundatore et benefactoribus celebretur; et id temporis in eodem Collegio, quicumque Sacerdotes adfuerint, eodem sua referent Sacrificia.

* A

a] P. 6 c. 3, B.

3. Eodem die candela cerea *1*] fundatori offeratur, * aut uni ex suis, qui ipsi sit cognatione proxime coniunctus, aut illi demum, quem ipse fundator designaverit: in qua candela armorum fundatoris, aut devotionis insignia exstent. * Illa vero testabitur Societas, quam fundatori in Domino debet, gratitudinem.

1] C. 5 d. 11.

* B

* C

4. Cum primum Societas in Collegii alicuius possessionem venerit, Praepositus Generalis curet indici per universam Societatem, ut quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat pro superstite *2*] fundatore ipsius Collegii ac benefactoribus, ut illos sua benignitate Dominus in rebus omnibus dirigat, et suis donis semper augeat. Rursus, * cum ex hac vita illi excesserint, curabit idem Praepositus Generalis, ubi primum resciverit, ut per totam Societatem singuli Sacerdotes ter Sacrum pro animabus illorum faciant. Quoties autem dictum est Missas esse a Sacerdotibus celebrandas, caeteri omnes, qui in Collegiis degunt ac Sacerdotes non sunt, ad eamdem illam intentionem orare debent: quandoquidem eiusdem gratitudinis nomine utrique obligentur in Domino.

2] *De fundatore Domus Professae,* *Vid.* C. 3 d. 41. C. 6 d. 20.

* D

5. Fundatores praeterea ac benefactores Collegiorum participes peculiariter efficiuntur omnium bonorum operum, quae, tum in ipsis Collegiis, tum in reliqua Societate, DEI gratia fiunt.

6. * In universum autem, tum *3*] fundatoribus, tum etiam ipsorum necessariis, et quoad vivunt et postquam obierint, peculiariter sese devinctam esse Societas ex charitate cognoscat; ut omni officio illos prosequatur, quod a nobis praestari, iuxta minimam hanc nostram professionem, ad divinam gloriam possit.

* E

3] *De exequiis et sepultura,* *Vid.* C. 1 d. 120, 121. C. 4 d. 61.

DECLARATIONES IN CAPUT I.

A. *Solemnitas eo modo intelligatur, qui Societati sit usitatus, et in eo loco ubi Missa celebratur.*

B. *Si in loco, ubi huiusmodi Collegium institutum est, temporis successu non esset aliquis de posteritate fundatoris; mitti candela poterit alio, ubi ex eius progenie aliquis inveniretur, vel in altari constitui poterit, ubi divinum Sacrificium celebratur, nomine et loco fundatoris huiusmodi.*

C. *Per huiusmodi candelam significatio fit gratitudinis erga fundatores tenendae, non iuris* 4] *patronatus, vel actionis ullius, quae illis aut eorum successoribus ad Collegium vel eius bona temporalia competat: nihil enim tale erit.*

4] C. 1 d. 112.

D. *In Communitatibus vel Rebus publicis, quae non moriuntur, dicentur huiusmodi Missae pro earum defunctis; et pro illis praesertim, qui de nobis melius meriti sunt in Domino.*

E. *Quod dictum est, observari omnino conveniet erga eos, qui completa Collegia facient. Cum iis autem, qui aliquod dumtaxat principium dederint, ea pars eorum, quae diximus, praestabitur, quam Praepositus Generalis praestandam in Domino iudicaverit.*

CAPUT II.

DE IIS, QUAE AD RES TEMPORALES COLLEGIORUM PERTINENT.

a] Sup. Prooem. A. P. 9 c. 3 n. 17.

1] C. 2 d. 8. C. 3 d. 20.

1. Ad collegia, a] quae libere Societati offeruntur, ut iuxta suas Constitutiones omnino eis utatur, admittenda, Praepositus 1] Generalis nomine totius Societatis plenam potestatem habebit.

b] Inf. c. 11 n. 2, A. P. 9 c. 3 n. 17.

c] Inf. c. 11 n. 2.

2] C. 2 d. 71. C. 3 d. 43.

d] P. 9 c. 3 n. 17.

2. Si fundator b] aliquas conditiones exigeret, ordini ac modo procedendi Societati consueto non omnino consentaneas; eidem Praeposito Generali, auditis sententiis aliorum, c] quos ipse de huiusmodi rebus melius iudicare censebit, considerandum relinquatur, an, 2] omnibus perpensis, utile sit futurum Societati, ad finem divini servitii quem sibi praefixit, huiusmodi Collegium admittere, necne. d] Sed, si temporis decursu se gravari eo onere animadvertet Societas, poterit ipsa in Congregatione Generali id proponere et statuere, ut relinquatur Collegium huiusmodi, vel prospicere ut onus temperetur, vel certe ut ad onus id ferendum vires maiores praebeantur. Hoc tamen dictum sit, si, ante Congregationem huiusmodi, Praepositus Generalis huic incommodo, prout in Domino convenit, non occurrerit.

3. Ad e] relinquenda vel alienanda Collegia aut Domos iam admissas * Praepositus Generalis, simul cum ipsa Societate, potestatem habebit. Cum enim id sit, perinde ac si membrum ab eius corpore praescinderetur, et res alioqui perpetua et maioris momenti sit; cum ea universa communicari melius est.

e] Inf. c. 10 n. 2. c. 11 n. 2. P. 8 c. 2 n. 2. P. 9 c. 3 n. 5 17, 18. * A

4. In f] Collegiis Societatis * nec 3] curae animarum, nec 4] obligationes ad Missas celebrandas, neque aliae

f] P. 6 c. 3 n. 5, 6. C. * B

3] C. 2 d. 59. 4] C. 1 d. 134.

huiusmodi admittantur, quae a studiis distrahere admodum, et ea, quae in illis ad divinum obsequium quaeruntur, impedire solent; quemadmodum neque in Domibus aliis vel ecclesiis Societatis professae, quae, quoad eius fieri potest, expedita ad Sedis Apostolicae missiones obeundas, aliaque opera ad Dei obsequium et animarum auxilium esse debet.

* C
g] *Inf.* c. 10 n. 1, 2. P. 9 c. 3 n. 3.
h] *Inf.* c. 10 n. 3, 5. P. 9 c. 3 n. 3, 14.
5] C. 1 d. 113. C. 2 d. 84.
* D
* E
i] *Inf.* c. 10 n. 3. P. 9 c. 3 n. 4, 15, C.
6] C. 5 d. 33, 64 n. 2. C. 8 d. 60 n. 4.
* F
k] *Inf.* c. 10 n. 1. *Exa.* c. 1 n. 4. P. 6 c. 2 n. 3. P. 9 c. 3 n. 18. c. 4 n. 7, D. P. 10 n. 4.

5. * Possessionem g] Collegiorum cum rebus temporalibus, quae ad ipsa spectant, capiet Societas, h] et Rectores, qui ad id munus conveniens habeant talentum, constituet; qui curam suscipiant conservandi atque administrandi res ipsorum temporales, ac provideant necessitatibus, tam 5] materialis aedificii quam Scholarium, qui in ipsis Collegiis degunt, * eorumque qui disponunt ut ad illa admittantur, atque * eorum etiam, qui extra Collegia gerunt illorum negotia. i] Totius vero administrationis ratio Rectoribus constet, 6] ut eam reddere, quando, et cui per Praepositum Generalem constituetur, possint. At * Generalis, k] cum nec in suum, nec in ullorum consanguineorum suorum, nec in professae Societatis usum bona temporalia Collegiorum possit convertere, eo purius sese in eorum superintendentia, ad maiorem gloriam et servitium Dei, gerere poterit.

* G
7] C. 3 d. 25. C. 8 d. 59. C. 1 d. 73.

6. In iis Collegiis, quae duodecim Scholasticos praeter praeceptores ex propriis reditibus alere possunt, ob maiorem populi aedificationem, * nec petantur 7] eleemosynae, nec illae aut dona ulla oblata admittantur. Si reditus minores fuerint, quam huic numero alendo sufficiant, admitti quidem, non autem peti aliquae eleemosynae possent; nisi tanta paupertate Collegium premeretur, ut etiam petere, saltem a quibusdam, esset necessarium. Tunc enim, maius divinum obsequium et universale bonum prae oculis semper habendo, peti eleemosynae, l] immo et ostiatim ad tempus, quandocumque necessitas id exigeret, emendicari poterunt.

l] *Exa.* c. 4 n. 12, 27. P. 6 c. 2 n. 10.

DECLARATIONES IN CAPUT II.

8] C. 4 d. 23, 27.
9] C. 1 d. 26.

A. *Praepositus Generalis, simul cum Societate, num admissa iam Collegia vel Domus relinqui debeant, an retineri, statuat. Id tamen in Congregatione generali fieri posset; et etiam sine illa, missis nimirum suffragiis* 8] *ab iis, qui ius habent suffragii. Et tunc* 9] *non potest Societas, nec eius Generalis, quod sic relinquitur vel eius partem ullis extra Societatem hominibus donare. Sed, si ipsa curam quam habebat reliquerit, poterunt, qui alias hanc auctoritatem sibi in fundatione reservaverint, pro sua devotione ad aliud opus applicare id, quod sic relictum fuerit. Si vero huiusmodi non intercesserit reservatio, poterit procedere Societas iuxta suum Institutum, prout ad Dei gloriam magis convenire iudicabit.*

B. *De non admittendis obligationibus, etc. sic intelligitur, quod Missarum obligationes, vel huiusmodi, quae assignato reditui commensuratae videantur, assumi nequeunt. Non tamen perinde inconveniens existimatur aliquam facilem et exiguam obligationem, quae tamen non sit animarum cura, admittere, si causa sufficiens ad id moveret, praesertim si res huiusmodi esset, quae distractionis et occupationis perexiguae, aut nullius futura esset. In Domibus autem Professorum, quando nec illae reditus ullos habent, nec ipsi ita stabilem habitationem; huiusmodi obligationes non tolerantur. De aliis obligationibus lectionum*

a] Sup. n. 2. Inf. c. 11 n. 2, A.

vel lectorum non hic agitur: verumtamen a] *et hae ipsae in Collegiis et Universitatibus non sine magna consideratione, nec ultra limitem, quem Praepositus Generalis convenire ad commune bonum et ipsius Societatis, ad* DEI *et Domini nostri gloriam, iudicaverit, assumentur.*

10] C. 1 d. 59.

C. 10] *Societas in usum Scholasticorum suorum, iuxta litteras apostolicas, redituum administrationem exercebit per Praepositum Generalem, vel Provincialem, vel alium, cui Generalis id commiserit, ad defendendas et conservandas possessiones et reditus Collegiorum, etiam in iudicio, cum id conveniens vel necessarium fuerit. Ac eiusdem Praepositi erit, vel eorum, quibus ille facultatem dederit, admittere quidquid praeterea Collegiis ad sustentationem et incrementum eorum in rebus temporalibus donaretur.*

b] Exa. c. 1, B.
11] C. 1 d. 60.

D. *Qui* b] *disponuntur, ut ad Collegia mittantur, illi sunt, qui in* 11] *Domibus Probationum versantur, et qui ex Domibus Societatis professae vel Domibus Probationum ad studia mittuntur.*

c] P. 9 c. 3 n. 16. c. 6 n. 12, H.
12] C. 1 d. 61.
13] C. 2 d. 82, 83.

E. *Qui* c] *negotia Collegiorum extra* 12] *ea gerunt, in primis intelliguntur Procuratores, qui in Summi Pontificis vel aliorum principum curia negotia Societatis gerunt. Verum quid ad hos vel alios sumptus* 13] *necessarios contribui debeat, Praepositus Generalis, servata proportione debita, per se vel alium id statuet.*

d] Inf. c. 10, A. P. 6 c. 2 n. 3, 4, C.
14] C. 2 d. 82.
e] P. 6 c. 2, C, D.

F. *Cum dicitur non posse Societatem professam, vel eius Praepositum Generalem iuvari reditibus Collegiorum, intelligendum est, iuxta litteras apostolicas, quod non possint in proprios ipsorum usus reditus converti.* d] *Possunt nihilominus expendi in usum illorum, qui Collegiis utiles fuerint, cuiusmodi sunt* 14] *Administratores, Concionatores, Lectores, Confessarii, Visitatores et alii Professi vel similes personae, quae spirituali vel temporali Collegiorum huiusmodi utilitati vacant.* e] *Sine tali etiam causa posset expendi aliquid, quod exiguum sit, cum quovis homine de Societate, mensa per diem aliquem eum excipiendo, vel modicum quid viatici, cum per Collegia in hanc vel illam partem transit, vel quid simile donando. Quod enim tam est exiguum, ut nihilum ducitur; et scrupuli eximuntur, hinc quidem inhumaniter se habendi, inde vero contra Sedis Apostolicae intentionem agendi.*

G. *Quamvis hoc ita se habeat, si tamen benefactores essent, qui possessionem aliquam vel reditum dare vellent, admitti illa possent; ut tanto maior numerus Scholasticorum ac Praeceptorum ad divinum possent obsequium sustentari.*

CAPUT III.

DE SCHOLASTICIS, QUI IN COLLEGIIS CONSTITUENTUR.

a] Sup. Prooem. Inf. c. 11 n. 1. P. 3 c. 1 n. 27. P. 10 n. 4. b] Exa. c. 1 n. 10. P. 5 c. 2 n. 5. P. 10 n. 4.

1. Quod ad Scholasticos attinet, ad quorum institutionem a] Collegia assumuntur, in primis, b] quales esse debeant, ut ad ea vel mittantur vel admittantur, considerare in Domino oportebit.

c] Exa. c. 2 n. 6. P. 1 c. 3 n. 2, G.

2. Primum c] omnium, cum aliquo ex quinque illis impedimentis in prima parte dictis * nullus in Collegio aliquo Societatis inter Scholasticos collocari poterit. Et, praeter Coadiutores ad ministeria vel auxilium Collegii d] necessarios, reliqui huiusmodi esse debent, e] ut secundum rationem sperari possit idoneos ad vineam Christi Domini nostri exemplo et doctrina excolendam esse evasuros. Hi autem, quo magis ingeniosi, bonisque moribus ornati, et sani corpore ad ferendos studiorum labores fuerint, eo magis idonei, et citius ad Collegia mitti, vel in eisdem admitti possunt.

* A

d] Inf. c. 10 n. 6. P. 1 c. 2 n. 2, A. P. 3 c. 2 n. 7. e] Sup. Prooem. A.

f] Exa. c. 1 n. 10. c. 7 n. 1. P. 5 c. 2 n. 5. g] Inf. c. 4 n. 5. Exa. c. 1 n. 12. c. 4 n. 41. P. 5 c. 1 n. 3. c. 4 n. 3. h] Inf. c. 4, E. Exa. c. 1 n. 10. c. 7 n. 1. P. 5 c. 1, A. c. 4 n. 4.

3. Ad haec, f] illi solum in Scholasticos approbatos admittuntur, qui in Domibus vel Collegiis ipsis probati fuerint, et, g] biennio in variis experimentis et probationibus exacto, h] ac votis, cum promissione de Societatis ingressu, iam emissis, ad vitam in ipsa perpetuo ducendam ad gloriam Dei admittuntur.

1] C. 20 d. 12 n. 2.

4. Praeter hos, studia quibusdam conceduntur, qui 1] ante biennium et probationes huiusmodi ad Collegia ex Domibus destinantur (quod sic in Domino expedire videatur), aut in eisdem admittuntur; non tamen approbati Scholastici censentur, donec, biennio exacto * et votis ac promissione illa emissis, in approbatorum numerum referantur. * B

DECLARATIONES IN CAPUT III.

A. *Quando aliquis factus esset idoneus a Christi Vicario, ut in aliqua Domo Societatis manere possit, etiam idoneus esse intelligetur, ut in Collegiis habitet.*

B. *Si in Collegiis Societatis Scholasticorum non suppeteret iustus numerus, qui per promissionem vel propositum Deo in ea serviendi se dedicaverint,* a] *non repugnabit Instituto nostro, ex licentia Praepositi Generalis, et ad tempus quod ei videbitur, alios pauperes Scholasticos, qui tale propositum non habeant, admittere: dum tamen in eis impedimenta illa, quae in prima parte dicuntur, non inveniantur; et huiusmodi indolem prae se ferant, ut sperari possit, quod boni operarii vineae Christi Domini nostri sint futuri, propter ingenium, vel aliquam institutionem in litteris, bonos mores, convenientem aetatem et alia Dei dona, quae in eis cernerentur, ad divinum obsequium, quod solum in iis, qui de Societate et extra illam sunt, expetitur. Huiusmodi autem Scholastici in confessionibus frequentandis, in studiis ac in forma vivendi Scholasticis Societatis conformes esse debent; quamvis et ratio vestitus diversa, et habitatio in eodem Collegio se-* a] Inf. c. 9, A.

parata sit: ita ut, qui Institutum Societatis sequuntur, seorsum et non commixti aliis externis maneant; cum eis tamen versentur, quatenus ad maiorem aedificationem ac maius Dei *ac Domini nostri obsequium Superior expedire iudicaverit.*

Quamvis autem Nostrorum copia suppeteret, tamen non repugnabit nostro Instituto, si aliquis, qui propositum Societatem ingrediendi non habeat, in Collegia admittatur, si pacta cum fundatoribus inita id exigent; siquidem ad finem, quem sibi praefigit Societas, eiusmodi conditionibus Collegium admittere utile censebitur, vel ob causas alias raras et non levis momenti. Verum seorsum habitare hi, nec conversari sine facultate Superioris, nisi cum certis quibusdam personis Societatis ad id designatis, deberent.

Paupertas autem Scholasticorum, qui de Societate non sunt, per Praepositum Generalem, vel eum cui suam ille potestatem communicaverit, expendetur. Et aliquando, honestas ob causas, 2] *quamvis illi divitum aut nobilium hominum filii sint, modo suis vivant sumptibus, nihil esse videtur, cur admitti non possint.* 2] C. 2 d. 18. C. 4 d. 13. C. 12 d. 26.

Aetas conveniens fore a decimo quarto ad vigesimum tertium annum videtur, si in litteris progressum aliquem non fecissent. Et, in universum loquendo, quo pluribus donis ex iis, quae in Societate expetuntur, praediti essent, eo magis erunt idonei ut admittantur. Nihilominus animadvertatur, ut cum huiusmodi restrictiores quam laxiores simus: habeaturque diligenter delectus eorum, qui sunt admittendi, examine aliquo particulari cum eisdem, antequam recipiantur, utendo.

Aliqui, licet rariores, possent inter Nostros, particulares ob causas et Superioris iudicio efficaces, admitti.

CAPUT IV.

DE SCHOLASTICIS ADMISSIS CONSERVANDIS.

1. Ad conservationem eorum, qui in Collegiis sunt, in iis quae ad corpus et res externas attinent, quod in tertia parte dictum est sufficiet. a] Id tamen peculiari cura animadvertendum erit, ut temporibus valetudini corporis incommodis Scholastici non studeant; ut somno, quantum temporis satis sit, tribuant; et in laboribus mentis modum servent. Sic enim fiet, b] ut diutius in illis perseverare, tam in litteris addiscendis, quam in eisdem exercendis ad Dei gloriam, possint.

a] P. 3 c. 2. n. 1, D, E. P. 6 c. 2 n. 16.

b] P. 10 n. 10.

2. Quod attinet ad spiritualia, eadem erit ratio eorum, qui in Collegiis, et qui in Domibus admittuntur, quamdiu in probationibus versantur. c] Post probationem, cum studiis vacant, ut est cavendum, ne fervore studiorum intepescat solidarum virtutum ac religiosae vitae amor; ita * mortificationibus, orationibus ac meditationibus prolixis eo tempore non adeo multum loci tribuetur. d] Quandoquidem, litteris dare operam, quae sincera cum intentione divini servitii addiscuntur, et quodammodo totum

c] Inf. c. 6 n. 3, A.

* A

d] Inf. c. 6 n. 2.

hominem requirunt, non minus quam in illis versari tempore studiorum, immo magis DEO ac Domino nostro gratum erit.

3. Itaque, praeter sacramenta con-
* B fessionis * ac communionis, ad quae
e] Exa. c.4 n. 25. P. 3 c. 1 n. 11, Q. P. 6 c. 3 n. 2. e] octavo quoque die accedendum erit, et praeter Missam, quam quotidie audient, horam unam impendent recitando Beatissimae Virginis Officio,
f] Inf. n. 4. P. 3 c. 1 n. 11. f] ac examinandis bis quotidie suis conscientiis, cum aliis orationibus, pro
1] C. 2 d. 29. C. 4 d. 5. cuiusque devotione, usque 1] ad praedictam horam explendam, si expleta non fuerit. Quae omnia iuxta ordinationem ac iudicium Maiorum suo-
g] P. 3 c. 1 n. 23. rum, g] quibus obedientiam Christi loco praestare debent, facient.

4. Aliqui, cuiusmodi esse possent Coadiutores illi, qui legere non didi-
2] C. 1 d. 97. C. 4 d. 5. cerunt, praeter Missam, 2] horam
* C etiam unam * recitando Rosario vel Coronae Beatae MARIAE Virginis, h] cum
h] Sup. n. 3. P. 3 c. 1 n. 11. duplici examine quotidiano, vel aliis orationibus, pro cuiusque devotione, ut de Scholasticis dictum est, impendent.

i] P. 5 c. 4, H. 5. Ad i] devotionis augmentum, et ad excitandam, qua DEO obstricti sunt, obligationis memoriam, et ad maiorem studentium in sua vocatione con-
* D firmationem, bis annis singulis, * in
3] C. 2 d. 64. festis videlicet 3] Resurrectionis ac
* E Nativitatis, * simplicia vota, quae iuxta formulam in quinta parte, capite quarto, dicendam, emiserunt, congruum erit renovare. Et, qui ea
k] Sup. c. 3 n. 3. Exa. c. 1 n. 12. c. 4 n. 41. P. 5 c. 1 n. 3. c. 4 n. 3. non emisisset, k] exacto biennio probationis, ut in Examine proponitur, emittet.

6. Cum ad publicas scholas eundum erit (nam alia loca sine facultate Superiorum non petent), eant et
* F redeant * invicem associati, cum ea modestia interiori ac exteriori, quae ad sui et aliorum aedificationem conveniat: l] et eorum colloquia cum scholasticis externis sint solum de rebus ad litteras vel profectum spiritus pertinentibus, prout ad maiorem DEI gloriam omnibus utilius fore iudicabitur. l] P. 7 c. 4 n. 8.

DECLARATIONES IN CAPUT IV.

A. *Si in aliquo particulari Rector convenire iudicaret plus esse in his rebus concedendum propter peculiares aliquas rationes, semper discretioni locus erit.*

B. *Frequentius quam octavo quoque die communicare, non nisi peculiares ob causas, et potius necessitatis quam devotionis habita ratione, permittatur. Protrahere ultra octo dies non sine ratione etiam speciali licebit; propter quam possit etiam aliquando Missa intermitti, et in* 4] *quibusdam augeri et minui prae-* 4] C. 1 d. 97.
scriptum orationis tempus. Et haec omnia Superioris prudentiae relinquentur: quamvis unius horae, plus minus, tempus ad Beatissimae Virginis preces recitandas assumendum sit. In Scholasticis tamen, qui ad dicendum officium divinum non tenentur, facilius suis temporibus haec ratio commutari poterit, ut, loco precum Beatae Virginis, meditationes et alia spiritualia exercitia succedant (dum tamen hora in illis compleatur); idque praecipue cum quibusdam, qui, cum uno modo in spiritu non proficiant, alio cum gratia DEI magis iuvabuntur, fiet, cum facultate tamen vel ordinatione Maiorum, quorum semper erit videre, num in quibusdam propter particulares causas aliud magis conveniet, ut id fiat. Habenda autem erit ratio verae devotionis ipsorum vel fundatoris, et circumstantiarum quae ad personas, tempora et loca pertinent. a] *Iis* a] P. 3 c. 1
vero, qui inexperti sunt adhuc rerum n. 20, R.

spiritualium, et in illis iuvari desiderant, 5] *aliqua ad meditationem et orationem capita proponi possent, prout eis magis conveniret. Dum Missa dicitur, quandiu Sacerdos submisse loquitur ut populus non audiat quae is dicit, num Scholastici possint, necne, recitare partem precum suarum, ad quas horam habent designatam, Maiorum vel Superiorum arbitrio id relinquetur: qui, hominum, locorum, ingeniorum et temporum habita ratione, quod ad maiorem Dei gloriam videbitur providebunt.*

5] C. 8 d. 38 n. 4.

C. *Quod* b] *ad Coronam vel Rosarium attinet, doceantur quomodo cogitare vel meditari mysteria, quae in eo continentur, possint, quo maiori cum attentione et devotione se in eo exercere valeant. Et quando, qui legere didicerunt, fructum uberiorem in eo, quam in precibus horariis recitandis, invenirent; iam* c] *diximus, quod in id, quod magis conferet, illae poterunt commutari.*

b] P. 3 c. 1 n. 20.

c] *Sup.* B.

D. *Si videretur Rectori, cum Superioris facultate, commodius fore aliis in festis solemnibus hanc renovationem aliquando particulari aliqua ratione fieri, posset etiam fieri. Cum etiam de festis Resurrectionis et Nativitatis loquimur, simul intra eius octavas, vel totidem dies ante festa, intelligatur.*

E. *Quod autem promittit Scholasticus in Societate, est, in eius corpus ingredi, ut statim observet castitatem, paupertatem et obedientiam actu, iuxta Societatis consuetudinem, sive admissus sit, ut post absoluta studia sit Professus, sive Coadiutor formatus; et sic consequenter potest illum statim Superior admittere in Scholasticum, ac simul in probationem, ad hoc tantum, ut ad Professorum gradum vel Coadiutorum suo tempore admittatur.* d] *Haec consuetudo facit, ut, quamvis paupertatis votum sit emissum, bona tamen temporalia haberi possint ad certum usque tempus, quod Superiori intra probationis spatium videbitur.*

d] *Exa.* c. 4 n. 2, 5. P. 3 c. 1 n. 7, F. P. 6 c. 2, H.

F. *Rectoris erit* e] *designare cuique socium, qui huiusmodi esse debebit, ut uterque alterius opera magis proficere possit.*

e] P. 3 c. 1 n. 3.

CAPUT V.

DE DOCTRINA, CUI SCHOLASTICI SOCIETATIS STUDERE DEBENT.

1. Cum doctrinae, quae in hac Societate addiscitur, hic *a*] scopus sit, suis et proximorum animis, Dei favore aspirante, prodesse; haec erit in universum et in particularibus personis mensura, ex qua, quibus facultatibus addiscendis Nostri incumbere, et quousque in eis progredi debeant, statuatur. *b*] Et quia, generatim loquendo, * Litterae humaniores diversarum linguarum, Logica itidem, naturalis ac moralis Philosophia, Metaphysica, et Theologia, tam quae *1*] scholastica quam * quae *c*] positiva dicitur, et sacra Scriptura ad id iuvant; * harum facultatum studiis operam dabunt qui ad Collegia mittuntur: et quidem maiori cum diligentia illis vacabunt, quae ad finem praedictum, habita ratione tem-

a] *Sup. Prooem. Inf.* c. 6 n. 1. c. 12 n. 1.

b] *Inf.* c. 6 n. 5. c. 12 n. 2, 8, C. * A

* B
1] C. 21 d. 13.
c] *Inf.* c. 12 n. 1. c. 14 n. 1, C. * C

d] *Inf.* c. 17 n. 2. poris, loci et personarum etc., *d*] supremus Moderator studiorum magis in Domino convenire iudicabit.

* D

e] *Inf.* c. 13 n. 4. *Exa.* c. 7 n. 8.

f] *Inf.* c. 13 n. 4.

2. Ad particulares personas descendendo, * quid hi *e*] vel illi addiscere debeant, Superiorum prudentiae relinquetur: *f*] qui tamen indole ingenii praeditus esset, quo in dictis facultatibus solidius fundamentum iaceret, eo rem utiliorum faceret.

g] *Inf.* c. 13 n. 4. c. 15 n. 1. *Exa.* c. 7 n. 8.

3. De *g*] tempore alicui ex his scientiis impendendo, et quando ad ulteriores sit progrediendum, Rector, adhibita examinatione convenienti, considerabit et statuet.

h] *Inf.* c. 14 n. 1. P. 3 c. 1, O. P. 8 c. 1, K.

2] G. 5 d. 56. C. 22 d. 37.

* E

i] *Inf.* c. 14.

k] *Inf.* c. 14 n. 3.

4. Sequantur *h*] in quavis facultate *2*] securiorem et magis approbatam doctrinam, * et eos *i*] auctores, qui eam docent: cuius rei penes Rectorem (qui, *k*] quod statuetur in universa Societate ad maiorem Dei gloriam, secuturus est) cura sit.

DECLARATIONES IN CAPUT V.

a] *Inf.* c. 12, A.

A. *Sub* a] *Litteris humanioribus Rhetorica etiam, praeter Grammaticam, intelligenda est.*

B. *Si in Collegiis tempus non suppeteret ad Concilia, Decreta, Doctores sanctos et res alias morales legendas; postquam ex eis egressi fuerint, unusquisque privato studio, cum approbatione suorum Superiorum, id posset efficere; praesertim si in doctrina scholastica solida iecerit fundamenta.*

C. *Iuxta modum aetatis, ingenii, propensionis animi et institutionis in litteris uniuscuiusque, vel communis boni quod speraretur, posset in his omnibus facultatibus, vel aliqua aut pluribus earum, quis exerceri: qui enim in omnibus non posset, curare deberet, ut in aliqua earum excelleret.*

D. *Aliqui ad Collegia mitti possent, non quod speretur doctos eos esse evasuros, iuxta eum modum, de quo dictum est; sed potius, ut alios sublevent; cuiusmodi esset aliquis* b] *Sacerdos ad audiendas confessiones, etc. Et hi, ac alii, in quibus,* c] *propter aetatem provectiorem, vel alias causas, sperari non potest, quod in omnibus his facultatibus magnum facturi sint progressum; conveniet, ut, iuxta Superioris praescriptum, in iis studiis, quibus vacare poterunt, occupentur; et in linguarum peritia, et in iis,* d] *quae ad doctrinam confessionibus utilem pertinent; et demum in iis, quae ad commune animarum bonum commodiora sunt futura, proficere curent.*

b] *Inf.* c. 6, C.

c] *Inf.* c. 13, E.

d] *Inf.* c. 8 n. 4, D.

E. *In libris ethnicis litterarum humaniorum nihil, quod honestati repugnet, praelegatur. Reliquis, ut spoliis Aegypti, Societas uti poterit. Christianorum opera, quamvis bona essent, si tamen malus fuerit auctor, legenda non sunt; ne ad auctorem aliqui afficiantur. Et convenit, ad particularia descendendo, qui libri sint praelegendi, tam in humanioribus, quam in aliis disciplinis, qui vero praelegi non possint, constituere.*

CAPUT VI.

QUO MODO IUVENTUR SCHOLASTICI AD HAS FACULTATES BENE ADDISCENDAS.

1. UT autem Scholastici plurimum in his facultatibus proficiant, in primis, animae puritatem custodire, ac rectam studiorum intentionem habere conentur; nihil aliud in litteris, quam divinam gloriam et a] animarum fructum quaerentes, et in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant ad hunc finem, crebro petant.

a] Sup. Prooem. c. 5 n. 1. Inf. c. 12 n. 1. c. 16 n. 4.

2. Praetera, b] serio et constanter animum studiis applicare deliberent; sibique persuadeant, nihil gratius se DEO facturos in Collegiis, quam si cum ea intentione, de qua dictum est, studiis se diligenter impendant. Et, licet numquam ad exercenda ea, quae didicerint, perveniant; illum tamen studendi laborem, ex obedientia et charitate, ut par est, susceptum, opus esse magni meriti in conspectu divinae ac summae maiestatis, apud se statuant.

b] Sup. c. 4 n. 2.

3. Impedimenta 1] etiam removeantur, quae a studiis animum avocant, * tam c] devotionum ac mortificationum, quae vel nimiae vel sine ordine debito suscipiuntur, quam curarum * et exteriorum occupationum, quae domi in officiis domesticis, et foris in colloquiis, * confessionibus atque aliis erga proximos functionibus assumuntur; quatenus ab eis declinari in Domino poterit. Est enim consultum, quo aliis postea utiliores cum doctrina, quam didicerint, se praebeant, huiusmodi exercitia, licet pia, donec d] studia sint absoluta, differri: quandoquidem non deerunt alii, qui ea interim exerceant. Et haec quidem omnia maiori cum desiderio obsequii et gloriae divinae fiant.

1] C. 18 d. 22 n. 6.
* A
c] Sup. c. 4 n. 2, A.
* B
* C
d] Inf. c. 8 n. 1. c. 10 n. 10.

4. In disciplinis ordo servandus est, ut prius in latina lingua solidum iaciant fundamentum, quam artium liberalium; et in iis, antequam theologiae scholasticae; et quidem in hac, antequam positivae studiis se dedant. Sacrae Scripturae, vel eodem tempore, vel postea addisci poterunt.

5. * Linguae e] vero illae, in quibus scriptae vel versae fuerunt, prius aut posterius, ut Superiori pro varietate causarum occurrentium ac diversitate personarum videbitur, disci poterunt. Itaque hoc eius prudentiae relinquetur. Sed, si linguarum studio nostri vacant, inter caetera, ad quae discentium intentio feratur, illud sit, ut versionem ab Ecclesia 2] approbatam defendant.

* D
e] Sup. c. 5 n. 1. Inf. c. 12 n. 2, B. c. 13 n. 4.
2] C. 1 d. 27.

6. * Scholastici omnes lectiones publicorum Professorum, iuxta Rectoris Collegii arbitrium, audiant: * qui quidem Professores, f] sive de Societate illi sint sive externi, g] optandum est, ut docti, diligentes et assidui, et profectus studentium, tam in lectionibus quam in aliis litterariis exercitationibus, studiosi sint.

* E
* F
f] Inf. c. 13, B.
g] Inf. c. 12 n. 1, 2, 3. c. 13 n. 3.

7. Bibliotheca communis, si fieri potest, in Collegiis habeatur: cuius clavis illis, qui iuxta Rectoris iudicium habere debebunt tradatur. Praeterea

* G quisque * libros, qui necessarii ei fuerint, habebit.

8. Scholastici in audiendis lectionibus sint assidui, et in eis praevi- * H dendis diligentes, et, * postquam eas audierint, repetendis; iis quae non * I intellexerint interrogandis, * aliis h] h] Inf. n. 16, M. O. vero quae oportuerit adnotandis; quo in posterum memoriae defectui consulatur.

9. Rector autem Collegii id curae habeat, ut videat, num Magistri et discipuli suum in Domino officium faciant, necne.

10. Cum perutilis sit, praesertim Artium ac Theologiae scholasticae studiosis, disputandi usus; intersint Scholastici ordinariis scholarum, ad quas accedunt, licet non sint sub cura Societatis, disputationibus; et singulare sui specimen in doctrina praebere, modeste tamen, curent. Convenit etiam singulis Dominicis, vel aliquo alio die hebdomadae, in Collegio nostro aliquem ex quavis classe Artium et Theologiae studiosorum, a Rectore designatum, a prandio (si aliqua ex causa peculiari impedimentum non accideret) aliquas positiones tuendas suscipere; quae pridie eius diei sub vesperum valvis scholarum, quo ad disputandum vel audiendum qui vellent convenirent, essent affigendae; quibus breviter ab eo, qui responsurus est, confirmatis, argumentari ex externis vel domesticis liceat cuicum- i] Inf. c. 13 n. 3. que libuerit: i] aliquis tamen praesit oportet, qui argumentantes dirigat, et ex ea concertatione eliciat declaretque ad audientium utilitatem doctrinam, quae tenenda sit: qui signum etiam det finiendi iis, qui disputant, ac tempus sic distribuat, ut omnibus, quoad eius fieri poterit, disputandi locus detur.

11. Praeter haec duo disputationum praedictarum genera, quotidie aliquod tempus designandum, quo in Collegiis, k] praesidente aliquo, ut diximus, dis- k] Inf. c. 13 n. 3. putetur; ut, ea ratione, et ingenia magis exerceantur, et difficilia, quae in his facultatibus occurent, magis ad Dei gloriam elucidentur.

12. Qui Litteris Humanioribus vacant, sua etiam stata tempora ad conferendum et disputandum de iis, quae pertinent ad studia illa, l] co- l] Inf. c. 13 n. 3. ram aliquo, qui eosdem dirigere possit, habebunt; et Dominicis vel aliis constitutis diebus, alternatim, vel suae facultatis positiones a prandio tuebuntur, vel se in componenda soluta oratione aut carmine exercebunt; sive id ex tempore, proposito ibidem themate ad explorandam promptitudinem, fiat; sive domi composita, de re prius proposita, illic publice legantur.

13. * Omnes m] quidem, sed praeci- * K pue Humaniorum Litterarum studiosi, m] Inf. c. 13 n. 3. latine loquantur communiter; et memoriae, quod a suis Magistris praescriptum fuerit, commendent; * ac * L n] stylum in compositionibus diligen- n] Inf. c. 13 n. 3 c. 16 n. 3. ter exerceant; nec desit qui eisdem corrigendis operam suam impendat. Licebit etiam nonnullis, iuxta Rectoris arbitrium, o] praeter eos auctores qui o] Inf. n. 16. praeleguntur, quosdam etiam alios privato studio legere: p] et singulis p] Inf. c. 16 n. 3. hebdomadis, die aliquo designato, unus ex provectioribus a prandio orationem latinam aut graecam de re aliqua ad aedificationem domesticorum et externorum pertinente, qua ad perfectiora in Domino animentur, habeat.

14. Praeterea, Artium et Theologiae studiosi potissimum, sed et reliqui * suum habeant privatum studium * M et quietum, quo melius et exactius ea quae tractata sunt intelligant.

15. Ut reprimi oportet quorumdam cursum plus aequo concitatum in studiis; ita movendi, incitandi et animandi ad studia sunt alii, quibus id necessarium est : quod ut melius praestare possit Rector, intelligat oportet per se, et per aliquem alium, cui *q*] Syndici vel Visitatoris Scholasticorum curam ipse dederit, quomodo Scholastici suum officium faciant.

q] *Inf.* c. 17 n. 7.

* N

r] *Exa.* c. 7 n. 2.

* Quod *r*] si animadverteret, aliquem in studiis tempus inutiliter terere, quod nolit aut certe non possit progressum in litteris facere, expedit illum ab eis removere, et eius loco alium, qui ad scopum divini servitii in Collegiis praefixum magis proficiat, constituere.

s] *Sup.* n. 14. *Inf.* M.

t] *Inf.* c. 15 n. 2, 3.

16. Absoluto *s*] studio alicuius Facultatis, eamdem privatim repetere conveniet, auctorem unum aliquem, vel plures *t*] quam prius, iuxta Rectoris arbitrium, legendo. Poterit autem ex iis, quae ad eam facultatem pertinent, si eidem Rectori visum fuerit, * in scripta brevius, distinctius et accuratius redigere ea, *u*] quae prius in lectionum decursu scripserat, cum minori doctrina praeditus erat, quam peracto studiorum curriculo.

* O

u] *Sup.* n. 8. *Inf.* I.

x] *Inf.* c. 15 n. 2, 3.

y] *Inf.* c. 15 n. 4. P. 10 n. 6.

17. Suis *x*] constitutis temporibus, se ad publicos actus examinationum ac responsionum praeparent; et ad gradus consuetos, qui per diligentem examinationem digni invenientur, promoveri poterunt. *y*] Loca tamen certa, ut ab omni ambitionis specie, atque ab aliis affectibus parum temperatis recedant, quamvis ea in Universitate, ubi gradum accipiunt, dari soleant, non accipiant; sed simul omnes extra numerum se constituant: nec sumptus, qui pauperes non deceant, in gradibus huiusmodi faciant; ad quos sine humilitatis detrimento, non ob aliud, quam ut possint proximis ad DEI gloriam esse utiliores, promoveri debent.

z] *Inf.* F. c. 9 n. 2.

18. Num *z*] autem his, qui iam studiorum suorum cursum peregerunt, praelegere privatim vel publice ad suam vel aliorum utilitatem conveniat, penes Superiorem id erit iudicium, qui, quod magis in Domino expedire videbitur, statuet.

DECLARATIONES IN CAPUT VI.

A. *Hoc in genere dictum sit. Caeterum, si alicui necessarium esse, ut devotioni et mortificationi incumberet, videretur, relinquetur Superioris prudentiae, ut statuat, quantum in iis progredi oporteat.*

a] *Inf.* c. 10, H.

b] *Inf.* C. *Exa.* c. 6 n. 3. P. 1 c. 2 n. 2, A.

B. *Adiuvare* a] *eos, quibus huiusmodi officia operosa commissa sunt, aliqua hora, nihil prohibet.* b] *Verum onus ipsorum officiorum sumere, potius Coadiutorum est, qui ad Scholasticos sublevandos in Collegiis constituentur.*

C. *Ea de causa, in iis, qui ad sacros Ordines promoti non sunt, congruum erit, si promotio differatur, ne impedimentum ipsis praestet, donec ad finem studiorum accedant; necessitatis tamen saepe occurrentis ratione dispensari aliquando opus est.*

c] *Sup.* c. 5, D.

d] *Sup.* B.

e] *Exa.* c. 4 n. 13, 16.

Huiusmodi erga proximos functiones aliqui, qui studia sua iam absolverint, c] *vel ad id ipsum mittuntur ad Collegia, explere poterunt: sicut etiam ad domestica officia Collegii obeunda, quae maiorem occupationem secum afferunt, esse aliquos oportet, qui primaria intentione studiis non vacent:* d] *cuiusmodi sunt Coadiutores temporales,* e] *vel aliqui, qui probationis et non studii gratia in Collegiis agunt.*

D. *Convenit in Theologiae Facultate esse ad gradum aliquem promotos, vel in ea mediocriter eruditos, et qui Do-*

ctorum sanctorum et Ecclesiae decisiones intelligant; ut illis linguarum studium utile sit, et nihil noceat. Verum, si aliqui tam humiles et in fide firmi cernerentur, ut a studio linguarum nihil incommodi eis timeretur; dispensare Superior poterit, ut ei studio, quando ad commune vel particulare bonum conveniet, se dedant.

E. *Si in aliquo aliud conveniret, Superior sua prudentia id considerabit et dispensare poterit. Et quod de publicis lectionibus dicitur, privatas, cum necessariae vel utiles Domi vel extra Collegia fuerint, non excludit.*

F. *Nullus de Societate, sine approbatione et facultate Praepositi Provincialis (praeterquam in classibus inferioribus, vel ad tempus, necessitatis gratia), publice legat. Qui* f] *tamen talentum ad id sortiti, ac praesertim qui iam* 2] *studiis perfuncti sunt, in praelegendo, si res maioris momenti aliud non exigerent, possent exerceri.*

f] *Sup.* n. 18. *Inf.* c. 9 n. 2.
2] C. 1 d. 62.

G. *Quamvis hoc ita se habeat, scribere tamen in eis non debent. Constet vero eorum ratio ei, qui bibliothecae praefectus est.*

H. *Quod* g] *ad repetitiones attinet, curet Rector, ut certis quibusdam horis in scholis vel Domi fiant, uno quidem repetente et aliis audientibus, et, quae difficilia occurrerint, mutuo proponentibus: et si quid erit, de quo constituere inter se non possint, Magistrum adeant.* h] *Curabit etiam, ut* 3] *disputationes et reliquae exercitationes scholasticae, quae iuxta modum disciplinarum quae tractantur convenire iudicabuntur, non omittantur.*

g] *Inf.* c. 13 n. 3, D.
h] *Inf.* c. 13 n. 3, A.
3] C. 21 d. 13.

I. *Videant Superiores, num conveniat Scholasticos classium inferiorum libros papyraceos habere, ut scribant in eis lectiones, et inter lineas et ad marginem, quod oportebit, adnotent. Provectiores in Humanioribus Litteris et aliis Facultatibus chartam secum ferant ad ea quae audierint, vel eis occurrerint notatu digna, annotanda; ac postea, maiori cum ordine digesta, transferent in libros papyraceos, quae in posterum conservata velint.*

K. *De repetitionum, et disputationum,* 4] *et latine loquendi exercitationibus, si quid propter circumstantias locorum, temporum et personarum mutari debeat, hoc iudicandum prudentiae Rectoris, facultate a suo Superiore saltem in genere accepta, relinquetur.*

4] C. 21 d. 19. C. 22 d. 30, 31

L. *Ut Scholastici magis in studiis promoveantur, bonum esset aliquos eruditione pares designare, qui sancta aemulatione se invicem provocent. Iuverit etiam interdum mittere ad Praepositum Provincialem vel Generalem aliquod suorum studiorum specimen, nunc huius, nunc illius, ut compositionum, si Litterarum Humaniorum, vel conclusionum, si Philosophiae vel Theologiae studiosi fuerint. Conferet etiam in memoriam eis reducere, quod, cum ad Domos venerint, studiis absolutis, in omnibus Facultatibus, quibus operam dederint, sunt examinandi.*

M. *In* i] *hoc privato studio possent, si Rectori videretur, commentarium aliquem videre: quamdiu autem audiunt, fere unus, et is quidem selectus esse deberet.* k] *Possent etiam scribere quod profuturum magis censeretur.*

i] *Sup.* n. 16.
k] *Sup.* n. 8, 16. *Inf.* O.

N. *Si aliquis non aptus ad studia, sed ad alia ministeria idoneus videretur; posset intra Collegia vel Domos Societatis in iis occupari, quae convenire viderentur: si ad utrumque* l] *inutilis esset, et in Scholasticum fuisset admissus, dimitti a Societate posset: nihilominus* m] *aequum erit, ut Rector, re bene considerata, ad Provincialem* 5] *vel Generalem id referat; et, quod sibi praescriptum fuerit, exsequatur.*

l] P. 2 c. 2 n. 3.
m] P. 2 c. 1, C.
5] C. 5 d. 6, 50 n. 3.

O. *Huiusmodi scripta fieri non debent nisi ab iis, qui maiori doctrina et clariori ingenio et iudicio pollent; et reliqui horum labore frui poterunt. Conveniret etiam a Magistro ea approbari. Alii annotationibus Praeceptoris iuvari possent,* n] *et suis etiam notatu dignioribus. Conferet autem ad usum, ut suas notas in margine, et indicem praeterea habeant rerum, de quibus in huiusmodi scriptis agitur, ut facilius inveniri possit quod quaeritur. Et, quamvis huiusmodi libelli rerum excerptarum, vel propriorum conceptuum, vel alia scripta quaelibet fiant;* o] *intelligi tamen oportet, a nemine librum ullum sine examinatione et approbatione speciali Praepositi Generalis, ut dictum est, publicari debere.*

n] *Sup.* n. 8, M.

o] P. 3 c. 1 n. 18. P. 7 c. 4 n. 11.

CAPUT VII.

DE SCHOLIS COLLEGIORUM SOCIETATIS.

a] *Sup. Prooem.* c. 3 n. 1. *Inf.* c. 11 n. 1. P. 3 c. 1 n. 27. P. 10 n. 4.

1. HABITA *a*] ratione, non solum profectus in litteris Scholasticorum nostrorum, sed etiam profectus in litteris et moribus externorum, quos in nostris Collegiis instituendos suscepimus; * scholae publicae, ubi commode id fieri poterit, aperiantur, saltem in disciplinis humanioribus. * In gravioribus autem disciplinis, pro locorum, in quibus Collegia fuerint, ratione, semper quid DEO gratius sit ante oculos habendo, aperiri poterunt.

* A

* B

b] *Inf.* c. 16 n. 2.

c] *Inf.* c. 16 n. 1, A.

d] *Inf.* c. 8, A.

2. Teneatur *b*] in huiusmodi scholis is modus, quo externi Scholastici in iis, quae ad doctrinam christianam pertinent, bene instituantur: *c*] cureturque, quoad eius fieri poterit, ut singulis mensibus ad sacramentum confessionis accedant, et verbum DEI frequenter audiant; et demum *d*] cum litteris mores etiam christianis dignos hauriant. Et, quia in particularibus multum varietatis esse oportebit pro varietate locorum et personarum, singula persequi non est huius loci. Id tamen dictum sit, * in quovis Collegio *e*] regulas, quae ad omnia necessaria descendant, constitui debere. Hoc tamen commendatum hoc loco volumus, * ne *f*] externis Scholasticis correctio, quoad illis opus erit, desit; quae tamen per aliquem de ipsa Societate exercenda non erit.

* C

e] *Inf.* c. 13, A. c. 17 n. 3, D, E. *Sup. Prooem. declarat.*

* D

f] *Inf.* c. 16 n. 5. c. 17, G.

1] C. 1 d. 74.

g] *Inf.* c. 15 n. 4. c. 17 n. 3, F. *Exa.* c. 1 n. 3. c. 4 n. 27. P. 6 c. 2 n. 7, G. P. 7 c. 4 n. 4, B. P. 10 n. 5.

3. Cum tam *1*] proprium sit nostrae professionis, nullum *g*] temporale praemium accipere pro spiritualibus ministeriis, in quibus iuxta nostrum Institutum in proximorum auxilium occupamur; non convenit ullam Collegii dotationem admittere, per quam ad dandum Concionatorem, aut Confessarium, * aut Lectorem aliquem Theologiae Societas obligetur. Quamvis enim aequitatis et gratitudinis ratio nos ad serviendum cum maiori diligentia in dictis ministeriis, quae nostri Instituti sunt propria, moveat in Collegiis, quae maiori cum liberalitate et devotione fundata sunt; non tamen sunt recipiendae obligationes vel conditiones, quae sinceritatem impediant nostri in procedendo modi,

* E

qui est dare gratis, quae gratis accepimus: quamvis pro eorum sustentatione, qui communi bono Collegiorum serviunt, vel propter illud student, dotatio, quam fundatorum charitas assignare ad gloriam divinam solet, admittatur.

DECLARATIONES IN CAPUT VII.

A. *Praepositi Generalis erit, ubi huiusmodi scholae habendae sint, statuere.*

B. *Et etiam iuxta quod commode id poterit Societas. Nostra tamen mens haec esset, ut in Collegiis communiter Litterae Humaniores, ac linguarum, et doctrinae christianae, et, si opus esset, lectio aliqua de casibus conscientiae praelegeretur: si vero sit qui commode concionetur, aut confessiones audiat, id etiam ut fiat; et de scientiis superioribus non agatur; sed ad eas addiscendas ab iis Collegiis, ii, qui in Humanioribus Litteris profecerint, ad Universitates Societatis mittantur.*

C. *Ex regulis Collegii Romani, aliis, quod cuique conveniet, accomodari poterit.*

D. *Ad hoc, ubi corrector haberi poterit, habeatur: ubi non poterit, excogitetur modus, quo castigentur, vel per aliquem ex ipsis scholasticis, vel alia convenienti ratione.*

E. 2] *Ubi Praepositus Generalis vel Societas curam susciperet alicuius Universitatis, non repugnaret huius Constitutionis intentioni, ut sese ex consequenti obligaret ad lectiones illius ordinarias, quamvis inter illas aliquae theologicae essent.* 2] C. 1 d. 75.

CAPUT VIII.

DE SCHOLASTICIS INSTITUENDIS IN IIS, QUAE AD PROXIMOS SUOS IUVANDOS PERTINENT.

1. Scopum illum intuendo, ad quem studia Societatis diriguntur, a] sub ipsorum finem congruum erit, ut ad arma spiritualia in proximorum auxilium tractanda assuescere incipiant. b] Quamvis enim id proprie magis et diutius in Domibus fiat, poterit tamen in Collegiis inchoari.

a] *Sup.* c. 6 n. 3, C. *Inf.* c. 10 n. 10.

b] P. 3 c. 1 n. 27. P. 7 c. 4 n. 10.

2. Primum, illi, qui iuxta Superioris iudicium ad sacros Ordines erunt promovendi, in ratione Missae dicendae, ut, praeter intelligentiam et devotionem internam, decentem etiam habeant exteriorem modum ad audientium aedificationem, instituantur; c] et ceremoniis eisdem omnis Societas, quantum fieri potest, utatur: in quibus usum romanum, ut magis universalem, et quem peculiari quadam ratione Sedes Apostolica amplexa est, quantum patietur regionum varietas, sequetur.

c] *Exa.* c. 5 n. 7 P. 8 c. 1 n. 8.

3. In d] concionibus etiam et * sacris lectionibus eo modo proponendis, e] qui aedificationi populi conveniat, (qui a scholastico diversus est) 1] se etiam exerceant; studeantque ad id munus obeundum linguam populo

* A

d] *Inf.* c. 10 n. 10. *Exa.* c. 4 n. 25. P. 3 c. 1 n. 21. P. 10 n. 8.

e] P. 7. c. 4 n. 6.

1] C. 1 d. 110. C. 4 d. 10.

* B vernaculam bene addiscere. * Res etiam alias vidisse oportet et prae manibus habere, quae ad hoc officium utiliores futurae sunt; ac demum, ut melius et cum maiori fructu animarum id munus obeant, * omnibus mediis utantur, quibus commode iuvari possint.

* C

f] Sup. c. 5, D. Inf. c. 10 n. 10. P. 7 c. 4 n. 5, C.

4. In f] ministerio etiam sacramentorum * confessionis et communionis se exerceant; et, non solum quod ad ipsorum, sed etiam quod ad poenitentium et communicantium officium pertinet, ut bene ac utiliter ad Dei gloriam ea percipiant et frequentent, perspectum habere ac exsequi curent.

* D

* E

g] Inf. c. 10 n. 10. P. 7 c. 4 n. 8, F.

5. * Ad g] Exercitia Spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus, assuescant; et dent operam omnes, ut et eorum reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possint.

* F

h] Sup. c. 7 n. 2. Inf. c. 10 n. 10. 2] C. 1 d. 64, 137.

6. * Studium h] etiam congruum 2] in modo tradendae doctrinae christianae, qui sit captui puerorum ac rudium accommodatus, adhibeatur.

* G

7. Ut in superius dictis proximi ad bene vivendum iuvantur, ita curandum est, ut ea, * quae ad bene moriendum illis conferunt, percipiantur; quique modus in eo tempore, in quo tantum est momenti ad finem ultimum aeternae felicitatis consequendum vel ab ea excidendum, teneri debeat intelligatur.

i] P. 10 n. 8.

8. In i] universum loquendo, edoceri eos convenit, quem modum tenere oporteat huius Societatis operarios, qui in tam variis mundi regionibus cumque tam diversis hominum generibus versari debent, antevertendo incommoda, quae possunt accidere; et emolumenta, quae ad maius Dei servitium conferunt, captando; omnibus rationibus adhibitis, quae possunt adhiberi. Et, quamvis hoc sola unctio sancti Spiritus, et ea prudentia, quam communicare solet Dominus illis, qui in divina sua maiestate confidunt, docere possit; via saltem aliquo modo quibusdam documentis, quae iuvent et ad effectum divinae gratiae disponant, aperiri potest.

DECLARATIONES IN CAPUT VIII.

A. *Inter legendum, praeter interpretationem, advertendum est, ut aliqua, quae* a] *ad mores et vitam christianam iuvent, attingantur.* b] *Et hoc fiet etiam in classibus Collegii; multo vero impensius, cum populo praelegitur.*

a] Sup. c. 7 n. 2. b] Inf. c. 16 n. 4

B. *Conferet vidisse evangelia toto anno occurrentia, peculiari studio adhibito, quod ad concionandi rationem destinetur; et aliquid ex sacra Scriptura, ut populo praelegatur: praevidisse etiam, quod ad vitia pertinet, et in eorum detestationem inducit, et remedia eisdem applicanda; sicut e contrario, quae ad praecepta, ad virtutes, ad bona opera pertinent; tum ea, quae movere possint ad illa amanda, et media etiam ad eadem consequenda: et haec in compendium, si fieri potest, redacta utiliora esse solent; ne tam multis libris opus sit.*

C. *Huiusmodi media sunt, vidisse praeceptiones, quas de modo concionandi illi tradunt, qui bene hoc munus obierunt; et bonos audire concionatores, et se in concionibus domi aut in monasteriis exercere, bonum habere correctorem, qui de erroribus admoneat, tum in rebus quae dicuntur, tum in voce, tonis, gestibus et motibus. Reflectat et*

ipse considerationem ad ea quae dixit, quo magis undecumque iuvetur.

D. *In confessionibus, praeter studium scholasticum, et casuum conscientiae, praesertim restitutionis, conveniet compendium aliquod casuum et censurarum, quae reservantur, habere, ut videat quo pertingat ipsius iurisdictio, et simul formulas, quae minus usitatae sunt quarumdam absolutionum, quae occurrunt; ac brevem interrogandi methodum de peccatis et eorum remediis; et instructionem ad bene ac prudenter in Domino sine damno suo et cum proximorum utilitate hoc officium exercendum: et, aliqua confessione audita, praesertim in principiis, Confessarius apud se consideret, num in re aliqua defecerit, ut in posterum caveat.*

E. *Possent ad Exercitia aliis tradenda assuescere, nonnullis ea tradendo, in quibus minor iactura esse possit, si quid erretur; et conferre cum aliquo magis exercitato suum procedendi modum, bene annotando quod magis vel minus convenire deprehenderint. Cum vero Exercitiorum ratio redditur, non solum id agatur, ut aliis satisfiat; sed etiam, ut in illis desiderium excitetur, ut eisdem iuvari velint. In universum autem loquendo, quae ad primam hebdomadam pertinent tantum tradantur. Quando vero omnia tradentur, raris hominibus, vel qui de vitae suae statu deliberare velint, tradi oportebit.*

F. *Iuverit etiam in compendium redactam habere explicationem rerum ad fidem et vitam christianam necessariarum.*

G. *Aliud etiam compendium de modo iuvandi ad bene moriendum utile erit; ut memoria renovetur, quando sanctum hoc officium exercendum erit.*

CAPUT IX.

DE SCHOLASTICIS A STUDIO LITTERARUM EDUCENDIS.

* A

1. Ex * Collegiis nonnulli, propter causas in secunda parte dictas et modo inibi explicato, educuntur, ut alii, qui ad divinum servitium magis proficiant, eisdem succedant. Eadem siquidem in hac parte Domorum et Collegiorum est ratio.

2. Aliqui etiam aliquando educentur, quod ipsis ad maiorem in spiritu vel in litteris profectum alio transferri, vel quod ad universale bonum Societatis conveniat: *a*] ut accideret, si, qui Artium curriculum in aliquo Collegio emensus esset, ut easdem alibi praelegeret, ante Theologiae studium educeretur. Et idem dictum sit, si qua in re alia ad maius Dei obsequium et gloriam essent occupandi.

a] *Sup.* c. 6 n. 18, F.

3. Communis autem modus educendi Scholasticos ex Collegio aliquo, ubi omnes praedictae scientiae traduntur, tunc erit, *b*] cum quisque studia sua iam absolverit, *1*] peracto Artium curriculo, et quatuor annis Theologiae studio impensis. Et sub huius temporis finem *c*] suarum esse partium Rector intelligat, Praepositum Generalem vel Provincialem admonere, et

b] *Inf.* c. 15 n. 2, 3, B. P. 5 c. 2 n. 2, B.

1] C. 22 d. 34.

c] *Inf.* c. 10 n. 5.

quantum hi profecerint referre; ac postmodum, quod ei praescriptum fuerit ad Dei gloriam, exsequetur.

DECLARATIONES IN CAPUT IX.

a] *Sup.* c. 3, B. 2] C. 1 d. 28.

A. a] *Alii educuntur* 2] *post septem annos, ii videlicet, qui ad Collegia admissi sunt ad id tempus, absque eo quod constituerint ingredi Societatem, quemadmodum dictum est. Sed tamen dispensari in tempore septem annorum, idque prorogari posset, cum huiusmodi Scholastici, exemplo vitae suae, magnae aedificationis essent; ita ut, vel magnum Dei obsequium ab eis exspectaretur, vel utiles esse Collegio viderentur.*

CAPUT X.

DE GUBERNATIONE COLLEGIORUM.

a] *Sup.* c. 2 n. 5, C. P. 10 n. 4.

b] *Sup.* c.2 n.5, C. *Exa.* c. 1 n. 4. P. 6 c. 2 n. 3. P. 9 c. 3 n. 18. c. 4 n. 7. P. 10 n. 4.

1. Supremam a] curam vel superintendentiam Collegiorum, iuxta Sedis Apostolicae litteras, professa Societas habebit. Cum enim b] quidquam privatae utilitatis ex reditibus quaerere, vel in suum usum convertere non possit; est valde probabile, quod maiori cum puritate ac spiritu, constantius ac diuturnius procedet in iis, quae ad bonum regimen Collegiorum ad maius Dei ac Domini nostri obsequium provideri convenit.

c] *Sup.* c. 2 n. 3. *Inf.* c. 11 n. 2. P. 8 c. 2 n. 2. P. 9 c. 3 n. 5, 17.

d] *Sup.* c.2 n.5, C. P. 9 c 3 n. 1,3.

2. Praeter c] id autem, quod ad Constitutiones, et dissolutionem vel alienationem huiusmodi Collegiorum pertinet, universa potestas et administratio, et, ut in genere dicatur, huius superintendentiae exsecutio penes d] Praepositum Generalem erit; qui finem illum, ad quem Collegia et Societas tota contendit, prae oculis habens, melius, quid eisdem conveniat, intelliget.

e] *Sup.* c.2 n. 5. *Inf.* c. 17 n. 1. P.9 c.3 n.3,14,15.

* A

f] *Sup.* c. 2 n. 5. P.9 c.3 n.4,15. C. 1] C. 5 d. 33. C. 8 d. 60 n. 4.

3. Per e] se ergo, vel per alium, cui suam facultatem communicaverit in hac parte, Praepositus Generalis Rectorem, *] ut praesit cuicumque Collegio, aliquem ex Coadiutoribus Societatis constituet; qui f] Praeposito Provinciali, 1] vel cui Generalis praescripserit, rationem sibi assignati muneris reddet. Et penes eumdem erit Praepositum, Rectorem amovere, talique cura, prout ei convenientius in Domino videbitur, liberare.

g] *Inf.* n. 8. P. 8 c. 1 n. 3.

h] P. 2 c.1 n.2, B. P. 9 c. 6 n. 2. P. 10 n. 8.

4. Curandum g] est autem, ut ille, cui Rectoris officium imponitur, magni sit exempli, magnae aedificationis, magnae etiam mortificationis in omnibus pravis inclinationibus, et in obedientia praecipue ac humilitate probatus; qui donum etiam discretionis habeat, ad gubernandum idoneus, in rebus agendis versatus, in spiritualibus exercitatus sit; qui severitatem suo tempore et loco cum benignitate miscere noverit; qui sollicitus, qui patiens laborum, qui etiam in litteris eruditus sit; et demum eiusmodi, cui confidere, cuique suam potestatem tuto communicare Praepositi Superiores possint: h] quandoquidem, quo haec potestas maior erit, eo melius

regi Collegia ad maiorem Dei gloriam poterunt.

5. Rectoris officium erit, in primis, oratione et sanctis desideriis totum Collegium, velut humeris suis, sustinere. Deinde curare,

* B

i] P. 6 c. 1 n. 1. c. 5. P. 9 c. 3 n. β. c. 6, A. P. 10 n. 13.

k] P. 3 c. 1 n. 11.

* ut i] Constitutiones observentur; omnibus collegialibus cum omni sollicitudine invigilare, k] eosdemque ab iis, quae nocere possint domi et foris, defendere, tum praeveniendo, tum etiam, si quid mali accideret, remedium adhibendo, ut ad singulorum et universale bonum convenit, utque in virtutibus et litteris proficiant curando;

l] Sup. c. 2 n. 5.

* C

l] sanitatem eorum, * et bona etiam Collegii, tam stabilia quam mobilia, conservando, eos, qui officia gerant domestica, prudenter constituendo, et quomodo suis fungantur officiis, considerando, et, prout in Domino convenire iudicabit, vel in eisdem ministeriis detinendo, vel ab iisdem removendo. Et, generatim loquendo, curet, ut quae in superioribus capitibus dicta sunt, quae quidem ad Collegia spectant, observentur.

m] P. 3 c. 1 n. 4. P. 10 n. 9.

m] Memor sit etiam subordinationis integre observandae in obedientia, non solum ad Generalem, sed ad Provincialem quoque; certiorem eum de quibus oportet reddendo, ad eumque referendo quae maioris erunt momenti, et quae ab ipso iniuncta fuerint (quandoquidem ipsum Superiorem habet) exsequendo; ut aequum est ad se referri, sibique obedientiam praestari ab iis, qui in Collegio degunt. Qui quidem Rectorem suum magnopere revereri ac venerari,

n] P. 3 c. 1 n. 23. P. 6 c. 1 n. 1, 2, 3. P. 7 c. 2 n. 1, A, I. P. 8 c. 1, D. P. 9 c. 3 n. 20.

o] P. 3 c. 2 n. 1. P. 7 c. 2 n. 1, I.

* D

p] Exa. c. 4 n. 34 etc. P. 3 c. 1 n. 12. P. 6 c. 1 n. 2.

n] ut qui Christi Domini nostri vices gerit, debebunt; o] liberam sui ipsorum, rerumque suarum dispositionem cum vera obedientia ipsi relinquendo; * nihil p] ei clausum, ne conscientiam quidem propriam, tenendo;

z] C. 22 d. 44 n. 4.

q] P. 3 c. 1 n. 23. P. 6 c. 1 n. 1.

2] quam ei aperire, ut in Examine dictum est, suis constitutis temporibus, et saepius, si causa aliqua id posceret, oportebit; q] non repugnando, non contradicendo, nec ulla ratione iudicium proprium ipsius iudicio contrarium demonstrando; ut per unionem eiusdem sententiae et voluntatis atque per debitam submissionem melius in divino obsequio conserventur et progrediantur.

r] Inf. n. 7, H. Sup. c. 3 n. 2. P. 1 c. 2 n. 2, A. P. 3 c. 2 n. 7, H.

* E

* F

s] Prooem. declarat. P. 7. c. 4 n. 12.

6. Ad bonam Domus gubernationem, non solum r] numerum necessarium officialium Rector provideat, sed * ut idonei sint, quoad eius fieri poterit, ad suas functiones, curet: * cuique s] suas regulas, ubi quae ad singulorum officia pertinent contineantur, tradat, et, ne se hic in illius officium ingerat, videat. Praeterea, ut eis prospicere de subsidio, si necessarium id fuerit, debebit; ita,

t] P. 3 c. 1 n. 6.

t] cum tempus vacuum illis fuerit, ut utiliter illud impendant divino servitio curet.

7. Inter officiales Rectori necessarios, in primis Minister idoneus, qui Vice Rector vel Magister Domus sit, et omnibus, quae ad bonum universale pertinent, provideat, est deligendus.

v] Inf. c. 17 n. 7. P. 3 c. 1 n. 16.

* G

x] P. 3 c. 1 n. 12.

y] Inf. c. 17 n. 1. P. 9 c. 6 n. 14.

v] Syndico etiam ad exteriora observanda, * et aliquo, x] qui rebus spiritualibus superintendat, et y] duobus aliis, vel pluribus, quorum prudentiae et probitati multum confidat, opus est: ut cum eis de iis, quae difficiliora et ad Dei gloriam maiorem communicanda videbuntur, conferre possit.

* H

z] Sup. n. 6.

* Sunt z] et alii ad particularia officia necessarii.

a] Exa. c. 4 n. 31. P. 3 c. 1 n. 24. P. 10 n. 9.

8. Curet Rector, a] ut in suo officio cuique integram obedientiam collegiales praestent, et alii officiales Ministro, et sibi etiam ipsi, prout idem praescripserit. Illud in universum admonuisse convenit,

b] Sup. n. 4.

b] eos, qui curam

aliorum suae obedientiae subditorum habent, praeire eisdem exemplo obedientiae, quam suis Superioribus Christi loco ipsimet praestent, oportere.

c] P. 3 c. 2 n. 2, B. 9. Ad c] omnia conferet temporis ordo in studiis, orationibus, Missis, lectionibus, cibo, somno et in reliquis servatus: * et signum constitutis horis detur, quo audito, omnes statim, vel d] imperfecta littera relicta, ad id, ad quod vocantur, se conferant. Erit autem penes Rectorem, vel eum qui primas tenebit, id curae, ut videat quando hae horae, pro temporum vel aliarum causarum occurrentium ratione, mutandae sint. Et quod ipse statuerit observetur.

* I

d] P. 6 c. 1 n. 1.

* K

2] C. 2 d. 65.

10. * Rector 2] ipse legere, aut docere christianam doctrinam quadraginta dies debet. e] Videat etiam, qui ex collegialibus, et ad quem usque limitem domi et foris in colloquiis spiritualibus, Exercitiis tradendis, confessionibus audiendis, tum etiam in concionibus, vel lectionibus, vel doctrina tradenda, partim ad ipsorum exercitationem f] (praecipue sub finem studiorum), partim ob aliorum domesticorum vel externorum fructum, aliis se communicare debeant: * et in omnibus, quod senserit divinae ac summae bonitati gratius et ad ipsius obsequium ac gloriam maiorem, omnibus perpensis, provideat.

e] Sup. c. 8 n. 3, 4, 5, 6.

f] Sup. c. 6 n. 3, C. c. 8 n. 1.

* L

DECLARATIONES IN CAPUT X.

a] Sup. c. 2, F. P. 6 c. 2 n. 3.

A. *Hoc* a] *non prohibet, quin Professus aliquis, ad visitandas vel reformandas alicuius Collegii res missus, manere in eo posset, vel omnibus aliis ad tempus praeesse, vel aliter; ut magis convenire ad Collegii vel ad universale bonum videretur.*

b] P. 9 c. 3, D.

B. *Sicut* b] *curare, ut observentur omnino Constitutiones, ita et in eisdem dispensare (quando eam fuisse mentem illius, qui eas condidit, in re aliqua particulari iudicaret iuxta eventus rerum et necessitates, maius commune bonum intuendo) ad Rectorem, accepta a suis Maioribus potestate, pertinebit.*

C. *Ad ea quae dicta sunt, reducitur cura conveniens amicos conservandi* c] *et ex adversariis benevolos reddendi.* c] P. 10, B.

D. *Res clausa intelligitur ianua, vel arca, etc.*

E. *Idonei sunt intelligendi, habita ratione tum sufficientiae personarum, tum occupationum. Quae enim officia multum occupationis secum ferunt, valde occupatis in aliis rebus minime convenirent: et quia quibusdam experientia, ut bene fiant, necessaria est, non facile mutari deberent.*

F. *Ex regulis cuique videndae essent singulis hebdomadis illae, quae ad ipsum pertinent.*

G. *Si tanta non esset copia hominum, unus plura officia sustinere posset. Sic Minister et Superintendens dictus curam habere possent eorum, quae ad Rectorem vel Novitios pertinent etc.*

H. *Sic* d] *esse posset, qui scriberet, ianitor, sacrista, coquus, lotor.* e] *Alia officia minus operosa possent inter Scholasticos dividi, si alii non essent, qui ea possent exercere.* d] P. 1 c. 2, A. P. 3 c. 2, H. e] Sup. c. 6, B.

I. *Signum dabitur 3] per campanam, quae pulsabitur, ut se recipiant ad somnum, et ad mensam, etc.* 3] C. 1 d. 63.

K. *Si convenire non videbitur ad aedificationem, vel ob aliquam aliam causam sufficientem, ut Rector ipse legat; re cum Provinciali communicata, si eiusdem ille sententiae fuerit,* 4] *per alium id munus obire poterit.* 4] C. 2 d. 65.

L. *Constitutiones, quae ad Collegia pertinent, seorsum teneri, et* 5] *publice bis aut ter singulis annis legi possent.* 5] C. 1 d. 50. C. 2 d. 66.

CAPUT XI.

DE UNIVERSITATIBUS IN SOCIETATE ADMITTENDIS.

a] Sup. prooem. c. 3 n. 1. c. 7 n. 1. P. 3 c. 1 n. 27. P. 10 n. 4.

1. Eadem a] charitatis ratio, qua Collegia admittuntur, et publicae scholae in eis, non tantum ad Nostrorum, sed magis etiam ad externorum aedificationem in doctrina et moribus, tenentur; extendi poterit ad Universitatum curam suscipiendam; ut in eis hic fructus extendatur latiusque pateat, tam in scientiis, quae traduntur, quam in hominibus, qui ad eas conveniunt, et gradibus, ad quos promoventur; ut aliis in locis cum auctoritate docere possint, quod in his bene ad Dei gloriam didicerint.

b] Sup. prooem. A. c. 2 n. 2. P. 9 c. 3 n. 17. — * A — *c] Sup. c. 2 n. 2.* — *d] Sup. c. 2 n. 3. c. 10 n. 2. P. 8 c. 2 n. 2. P. 9 c. 3 n. 5, 18.*

2. Quibus b] tamen conditionibus * et obligationibus, quibusque in locis huiusmodi Universitates admitti debeant, ei, qui supremam curam Societatis habet, iudicandum relinquitur; qui, Assistentium sibi auditis sententiis et aliorum, c] quos in consilium adhiberi volet, per se ipsum deliberare poterit, an sint admittendae. d] Non tamen, postquam admissae fuerint, sine Congregatione generali per eum dissolvi poterunt.

* B

3. Quia tamen religiosa quies et spirituales occupationes, nec animi distractionem nec alia incommoda, quae iudicandi in rebus civilibus vel criminalibus officium sequi solent, Societati permittunt; iurisdictio huiusmodi, quam per se vel per alios a se dependentes exercere debeat Societas, non admittatur: quamvis ad ea, * quae ad bonum statum Universitatis proprie pertinent, conveniat iustitiae ordinariae, sive saecularis, sive ecclesiasticae ministros, circa punitionem Scholasticorum, voluntatem Rectoris Universitatis sibi significatam exsequi, * et generatim res studiorum favore suo, praesertim cum a Rectore fuerint commendatae, promovere. * C

DECLARATIONES IN CAPUT XI.

A. *Cum fundator a Societate assignari certum Lectorum numerum, vel alias obligationes suscipi vellet; animadvertendum est, quod, si admittantur, iudicando utile etiam tunc esse Societati ad finem propositum divini servitii id oneris subire, omnino in eis implendis deesse non oportet: sicut nec facile aliquid in hac parte praeter id, ad quod obligantur (praesertim si id interpetrari quis possit, quasi nova induceretur obligatio) praestandum est sine Generalis consensu.* a] *Ille autem non se facilem ad id concedendum reddet; quin potius, re in consultationem cum suis Assistentibus adducta, videat ne Societatem gravet: et, si qua in re indulgeatur, constet obligationem nullam induci; sed id quod additur, omnino voluntarium esse.* *a] Sup. c. 2, B.*

B. *Ad* b] *bonum Universitatis statum proprie pertineret, si Scholasticus aliquis rebellis, vel sic offendiculi causa aliis esset, ut non solum scholis eum, sed etiam civitate expelli, vel in carcerem coniici conveniret; ut certiores facti iustitiae ordinariae administratores, id* *b] Inf. c. 16 n. 5, D.*

statim exsequerentur. Et ad hoc et similia a Principe vel a suprema potestate huiusmodi facultatis scriptum habere testimonium oportebit. Ut commendatio etiam Rectoris in alicuius Scholastici favorem momentum apud eosdem iustitiae ministros haberet, ne Scholastici opprimerentur, oporteret.

C. *Quoniam exemptio ab ordinariis iudicibus Scholasticorum numerum allicere non potest; aliis praerogativis et privilegiis ut id compensetur curandum est.*

CAPUT XII.

DE SCIENTIIS, QUAE TRADENDAE SUNT IN UNIVERSITATIBUS SOCIETATIS.

a] *Sup. prooem.* c. 5 n. 1. c. 6 n. 1. *Exa.* c. 1 n. 2. P. 7 c. 1 n. 1. P. 10 n. 2.

1. CUM *a*] Societatis atque studiorum scopus sit, proximos ad cognitionem et amorem DEI et salutem suarum animarum iuvare; cumque ad eum finem medium magis proprium sit facultas Theologiae; in hanc potissimum Societatis *1*] Universitates incumbent: *b*] ac diligenter per idoneos admodum Praeceptores quae *2*] ad scholasticam doctrinam, et sacras Scripturas pertinent, *c*] ac etiam ex positiva, quae ad hunc finem nobis praefixum conveniunt (non attingendo tamen *3*] eam partem Canonum, quae foro contentioso inservit) pertractabunt.

1] *De Cathedris publicis*, *Vide* C. 1 d. 118.
b] *Sup.* c. 6 n. 6. *Inf.* c. 13 n. 3.
2] C. 21 d. 13.
c] *Sup.* c. 5 n. 1, B. *Inf.* c. 14 n. 1, C.
3] C. 14 d. 20. C. 16 d. 30.

* A

2. Et, quia tam doctrina Theologiae quam eius usus exigit, his praesertim temporibus, * *d*] Litterarum Humaniorum, et latinae, ac *4*] graecae, et *5*] hebraicae linguae cognitionem; harum etiam *e*] idonei Professores, et quidem iusto numero, constituentur. * Aliarum praeterea linguarum, qualis est chaldaica, arabica, et indica, ubi necessariae vel utiles ad dictum finem viderentur, habita regionum diversarum et causarum, quae ad eas docendum movent, ratione, possent Praeceptores constitui.

d] *Sup.* c. 5 n. 1. c. 6 n. 5. *Inf.* c. 13 n. 4, B.
4] C. 8 d. 16. C. 9 d. 32. C. 14 d. 17, 18.
5] C. 1 d. 29.
e] *Sup.* c. 6 n. 6. *Inf.* c. 13 n. 3.

* B

3. Sic *f*] etiam, quoniam * Artes vel scientiae naturales ingenia disponunt ad Theologiam, et ad perfectam *6*] cognitionem et usum illius inserviunt, et per se ipsas ad eumdem finem iuvant; qua diligentia par est, et *g*] per eruditos Praeceptores, in omnibus sincere honorem et gloriam DEI quaerendo, tractentur.

f] *Sup.* c. 5 n. 1. * C
6] C. 3 d. 47.
g] *Sup.* c. 6 n. 6. *Inf.* c. 13 n. 3.

4. Medicinae, et Legum studium, ut a nostro Instituto magis remotum, in Universitatibus Societatis vel non tractabitur, vel saltem ipsa Societas per se id oneris non suscipiet.

DECLARATIONES IN CAPUT XII.

A. *Sub* a] *Litteris Humanioribus, praeter Grammaticam, intelligatur, quod ad Rhetoricam, Poesim, et Historiam pertinet.*

a] *Sup.* c. 5, A

B. *Cum in aliquo Collegio vel Universitate eo spectaretur, ut homines ad Saracenos vel Turcas iuvandos praepararentur; arabica lingua vel chaldaica conveniret; cum ad Indos, indica: et sic de aliis dicendum, quae esse possent aliis in regionibus ob similes causas utiliores.*

C. *Tractabitur Logica, Physica,*

7] C. 20 d. 21, 22.

Metaphysica, Moralis scientia, et etiam Mathematicae, quatenus tamen ad finem nobis propositum conveniunt. 7] *In legendo et scribendo alios instituere opus etiam charitatis esset, si is personarum numerus Societati suppeteret, ut omnibus vacare posset; propter earum tamen penuriam hoc ordinarie docere non consuevimus.*

CAPUT XIII.

DE MODO ET ORDINE PRAEDICTAS FACULTATES TRACTANDI.

1. AD tractanda tam Facultatum inferiorum, quam Theologiae studia, dispositio et ordo conveniens tam mane, quam vesperi servandus est.

* A

2. Et quamvis, * pro regionum et temporum diversitate, in ordine et statutis horis studio tribuendis possit varietas accidere; omnes tamen in eo conveniant, ut ubique fiat, quod inibi magis expedire ad maiorem in litteris profectum existimabitur.

* B
a] Sup. c. 6 n. 6. c. 12 n. 1, 2, 3.
* C
b] Sup. c. 6 n. 6.
* D
c] Sup. c. 6, H.
d] Sup. c. 6 n. 13.
e] Sup. c. 6 n. 13. Inf. c. 16 n. 3.
f] Sup. c. 6, H.

3. Nec solum lectiones sint, quae publice praelegantur; sed * a] Magistri etiam diversi, pro captu et numero audientium, constituantur: * qui quidem b] profectum uniuscuiusque ex suis Scholasticis speciatim procurent, et lectionum rationem exigant; * utque eae c] repetantur, et studiosi Litterarum Humaniorum d] familiarem sermonem, latine communiter loquendo, e] et stilum, scribendo, ac pronuntiationem, composita bene pronuntiando, expoliant, curent: et his, ac multo magis Facultatum superiorum studiosis, crebras f] disputationes imponant: quibus dies et horae certae constituantur; ubi non solum cum condiscipulis, verum paulo inferiores cum aliquanto provectioribus disputent in iis, quae ipsi capiunt: quod etiam, vice versa, provectiores cum minus provectis, ad ea, quae illi tractant, descendendo, et Praeceptores alii cum aliis praestabunt, semper, qua decet modestia observata, et g] aliquo 1] praesidente, qui contentionem dirimat, et quid doctrinae elici oporteat ex disputatis declaret.

g] Sup. c. 6 n. 10, 11, 12.
1] C. 1 d. 30.
h] Inf. c. 17 n. 2.
i] Sup. c. 5 n. 2, 3, D. Inf. c. 15 n. 1, 4.
* E
k] Sup. c. 6 n. 5, D. c. 12 n. 2. Exa. c. 7 n. 3.
l] Sup. c. 5 n. 2, C, D. Exa. c. 7 n. 3.
m] Sup. c. 5 n. 2.

4. Erit itidem Rectoris, per se vel per h] Cancellarium semper observare, ut, qui novi accedunt, examinentur; et in iis classibus, cumque iis Praeceptoribus, qui ipsis conveniunt, collocentur: i] et eius discretioni (audita sententia eorum, qui ad id munus designati sunt) relinquetur, num diutius in eadem classe manere, an ad aliam ulterius progredi debeant. * Eiusdem k] erit iudicium de studio linguarum praeter latinam, num Artibus et Theologiae anteponi, an postponi et quamdiu in eis quemque haerere oporteat. Sic etiam in aliis scientiis superioribus, propter ingeniorum et aetatum inaequalitatem, aliaque consideratione digna, ad l] eumdem pertinebit expendere, quantum quisque eas discere et quamdiu in eisdem versari debeat: quamvis iis, m] qui aetate et ingenii aptitudine pollent, melius sit, ut in omnibus proficere, et conspicui esse ad DEI gloriam enitantur.

5. Ut assiduitas in litterario exercitio, sic et aliqua remissio necessaria est. * Quanta haec esse debeat, et quibus temporibus, prudenti considerationi Rectoris, expensis circumstantiis personarum et locorum, relinquetur.

* F

DECLARATIONES IN CAPUT XIII.

a] Sup. c. 6, H. A. *De* a] *statutis lectionum horis, ordine ac modo, et de exercitationibus tam compositionum quas a magistris emendari oportet, quam disputationum in omnibus Facultatibus, et pronuntiandi publice orationes et carmina, speciatim* b] *in quodam tractatu,* 2] *per Generalem Praepositum approbato, agetur seorsum, ad quem haec Constitutio nos remittit; id dumtaxat monendo, illa locis, temporibus et personis accommodari oportere; quamvis ad illum ordinem accedere, quoad fieri potest, conveniat.*

b] Sup. c. 7 n. 2. 2] C. 1 d. 31.

B. *Tres ordinarie erunt Praeceptores in tribus diversis Grammaticae classibus; quartus Humaniores Litteras, quintus Rhetoricam praelegat:* c] *et in horum duorum classibus graeca lingua, et hebraica, et si qua alia disceretur, est praelegenda; ita ut semper sint quinque classes. Quod si tantum negotii aliquae ipsarum exhiberent, ut unus Magister eis solus non satisfaceret, adiutor aliquis ei adiungetur. Si vero auditorum numerus ferre non poterit, ut unus Praeceptor solus omnibus det operam, quamvis alios auxiliares habeat, geminari posset classis ea, quae sic numero abundaret; ita ut duae, verbi gratia, quintae classes, duae quartae essent;* d] *et omnes Praeceptores, si fieri potest, ex Societate sint: quamvis, si necessitas urgeret, externi esse possent. Si exiguus numerus, vel auditorum dispositio, nec tot classes, nec tot Praeceptores exigeret, in omnibus prudentia ad moderandum numerum, et eos dumtaxat, qui satis sint, designandos locum habebit.*

c] Sup. c. 12 n. 2. *d] Sup. c. 6 n. 6.*

C. *An praeter Praeceptores ordinarios, qui speciatim auditorum rationem habeant, esse unum oporteat vel plures, qui more publicorum Professorum legant Philosophiam, Mathematicas scientias, vel quamvis aliam disciplinam, maiori cum apparatu, quam Lectores ordinarii; prudentia id constituet, iuxta locorum et personarum, cum quibus agitur, rationem, prae oculis maiorem aedificationem et Dei servitium habendo.*

D. *Non solum* e] *repetitiones ultimae lectionis fieri oportebit, verum et hebdomadae,* 3] *et longioris temporis, prout expedire iudicabitur.*

e] Sup. c. 6 n. 8, H. 3] C. 1 d. 32.

E. *Posset* f] *aliquis ea aetate vel ingenio esse, ut sola latina lingua ei sufficiat, et ex aliis facultatibus quantum ad confessiones audiendas et agendum cum proximis opus est; cuiusmodi sunt aliqui, qui curam animarum gerunt, nec magnae eruditionis sunt capaces. Alii rursum erunt, qui ad superiores scientias progredientur. Has autem capessere et illas relinquere quatenus conveniat, Superioris erit iudicare; quod cum Scholasticis externis significaverit, si volent illi nihilominus aliam rationem sequi, cogendi non erunt.*

f] Sup. c. 5, D.

F. *Saltem singulis hebdomadis dies unus a prandio quieti destinatus sit: in reliquis conferatur cum Provinciali, qui ordo in vacationibus vel intermissionibus studiorum ordinariis sit tenendus.*

CAPUT XIV.

DE LIBRIS, QUI PRAELEGENDI SUNT.

a] *Sup.* c. 5 n. 4. P. 3 c. 1, O. P. 8 c. 1, K. 1. GENERATIM, *a*] ut dictum est, cum de Collegiis ageretur, illi praelegentur libri, qui in quavis facultate solidioris ac securioris doctrinae habebuntur. * Nec illi sunt attingendi, quorum doctrina vel auctores suspecti sint. Hi tamen particulatim in quavis Universitate nominentur. (* A)

In Theologia legetur vetus et novum Testamentum, * et doctrina scholastica *1*] divi Thomae; * et in ea, *b*] quam positivam vocant, eligentur ii auctores, qui ad scopum nostrum magis convenire videbuntur. (* B) (* C) (1] C. 5 d. 41, 56. C. 22 d. 37.) (b] *Sup.* c. 5 n. 1. c. 12 n. 1.)

c] *Sup.* c 5, E. 2. Quod *c*] attinet ad libros Humaniorum Litterarum latinos vel graecos, abstineatur in Universitatibus quoque, quemadmodum in Collegiis, quoad eius fieri poterit, ab eis iuventuti praelegendis, in quibus sit aliquid, quod bonis moribus nocere queat, * nisi prius a rebus et verbis inhonestis purgati sint. (* D)

3. In Logica, et Philosophia naturali, et morali, et *2*] Metaphysica, doctrina Aristotelis sequenda est, et in aliis Artibus Liberalibus, et in commentariis tam huiusmodi auctorum, quam Humaniorum Litterarum, habito eorum delectu, nominentur ii, quos videre discipuli, quosque ipsi Praeceptores prae aliis in doctrina quam tradunt sequi debeant. *d*] Rector autem in omnibus, quae statuerit, procedet iuxta id, quod in universali Societate magis convenire ad DEI gloriam iudicabitur. (2] C. 1 d. 33.) (d] *Sup.* c. 5 n. 4, E.)

DECLARATIONES IN CAPUT XIV.

A. *QUAMVIS liber suspicione malae doctrinae vacet, cum tamen suspectus est auctor, legi eum non convenit. Solet enim opus in causa esse, ut, qui legit, ad auctorem afficiatur; et auctoritas, quam apud ipsum habet in iis quae bene dicit, posset postmodum aliquid persuadere ex iis, quae male dicit. Rarum est etiam aliquid veneni non admisceri in iis, quae a pectore veneni pleno egrediuntur.*

B. *Praelegetur etiam Magister Sententiarum.* 3] *Sed si videretur temporis decursu alius auctor studentibus utilior futurus, ut si aliqua summa vel liber Theologiae scholasticae conficeretur, qui his nostris temporibus accommodatior videretur; gravi cum consilio, et rebus diligenter expensis per viros, qui in universa Societate aptissimi existimentur, cumque Praepositi Generalis approbatione, praelegi poterit. In aliis etiam scientiis et Litteris Humanioribus, si libri aliqui admittentur in Societate compositi, ut utiliores quam alii, qui communiter in manibus habentur; magna cum consideratione id fiet, prae oculis habendo scopum nostrum maioris boni universalis.* (3] C. 1 d. 65.)

C. *Ut ex aliqua parte Iuris Canonici et Conciliorum, etc.*

D. *Si aliqui omnino purgari non poterunt, quemadmodum Terentius, potius non legantur; ne rerum qualitas animorum puritatem offendat.*

CAPUT XV.

DE CURSIBUS ET GRADIBUS.

1. IN Litteris Humanioribus et Linguis * cursus temporis limitatus ad earum studium absolvendum esse nequit, propter ingeniorum et doctrinae auditorum varietatem multasque alias causas; quae non aliam temporis praefinitionem, quam quae unicuique convenire, a] iuxta prudentis Rectoris vel Cancellarii arbitrium, videbitur, permittunt.

* A

a] *Sup.* c. 5 n. 3. c. 13 n. 4. *Inf.* c. 17 n. 2.

2. In Artium studio cursus erunt ordinandi, in quibus scientiae naturales * (ad quas minus, quam 1] trium annorum spatium satis non erit) praelegantur: b] praeter quos medius adhuc annus ad audita repetenda, et actus scholasticos celebrandos, et gradum magisterii suscipiendum iis, qui eum suscepturi sunt, relinquetur. Cursus ergo integer trium erit annorum cum dimidio, usque ad promotionem ad magisterium. * Singulis autem annis unus huiusmodi cursus inchoabitur, et alius cum divino auxilio absolvetur.

* B

1] C. 2 d. 69. C. 22 d. 34.

b] *Sup.* c. 6 n. 16, 17.

* C

3. Theologiae curriculum sex annis emetietur. c] In primis quatuor, ea omnia quae legi oportebit, praelegentur; in duobus reliquis, d] praeter repetitionem, e] actus soliti ad gradum doctoratus ab iis, qui promovendi sunt, absolventur. * 2] Quarto quoque anno ordinarie cursus inchoabitur, sic libris praelegendis distributis, ut quolibet quatuor annorum quivis studiosus inchoare possit; et quod reliquum est incepti quadriennii, et eius quod sequitur quadriennii, usque ad illum terminum unde inceperat, audiendo, quatuor annis peragere omnino cursum Theologiae possit.

c] *Sup.* c. 9 n. 3. P. 5 c. 2 n. 2.

d] *Sup.* c. 6 n. 16.

e] *Sup.* c. 6 n. 17.

* D

2] C. 2 d. 69.

4. In f] gradibus tam magisterii Artium, quam doctoratus Theologiae, tria observentur: primum, ne quis nisi diligenter * et publice examinatus per 3] personas designatas, quae bene suum officium faciant, et idoneus 4] ad praelegendum eamdem scientiam inventus, promoveatur; sive ille de Societate sit, sive extra eam: alterum, g] ut praecludatur ostium ambitioni; nullis locis certis eis, qui ad gradus promoventur, assignatis; quin potius honore se invicem praevenire, 5] nulla locorum differentia observata, curent: h] tertium, ut quemadmodum gratis docet, ita et ad gradus Societas gratis promoveat; * et non nisi admodum exigui sumptus, licet voluntarii sint, externis permittantur, ne consuetudo vim legis tandem obtineat, et in ea parte, temporis decursu, excessus fiat. Videat etiam Rector, ne Magistris vel ullis aliis de Societate, sibi aut Collegio pecuniam aut dona quaevis ab ullo, pro re quavis in ipsorum utilitatem facta, accipere permittat; i] quandoquidem praemium nostrum solus Christus Dominus iuxta nostrum Institutum futurus est, qui est merces nostra magna nimis.

f] *Sup.* c. 6 n. 17.

* E

3] C. 2 d. 72. C. 4 d. 63.

4] C. 2 d. 70.

g] *Sup.* c. 6 n. 17 P. 10 n. 6.

5] C. 1 d. 34.

h] *Sup.* c. 7 n. 3. *Inf.* c. 17 n. 3, F. *Exa.* c. 1 n. 3. c. 4 n. 27. P. 6 c. 2 n. 7, G. P. 7 c. 4 n. 4, B. P. 10 n. 5.

* F

i] *Exa.* c. 4 n. 27.

DECLARATIONES IN CAPUT XV.

A. *Bono ingenio praeditis, qui studia inchoant, videatur, an medius annus in quavis quatuor classium inferiorum sufficiat, et duo in suprema; quod tempus Rhetoricae et Linguarum studiis impendatur: certa tamen regula praescribi non potest.*

B. *Si aliquis alibi audivisset aliquid ex Artibus Liberalibus, posset eius temporis ratio haberi: ut plurimum tamen, ut quis ad gradum magisterii promoveatur, tres annos, ut dicitur, studuerit oportet: et tantumdem de quatuor Theologiae annis, ut ad actus admittantur et in eadem gradum doctoratus accipiant, dictum sit.*

C. *Si opportunum non fuerit id ita omnino praestare, vel quod desint homines, vel alias ob causas; praestabitur cum Praepositi Generalis, vel certe Provincialis assensu, quod poterit.*

D. *Si talis esset rerum status in aliquo Collegio vel Universitate Societatis, ut secundo quoque anno inchoare melius videretur, vel aliquando post quartum; de consensu Generalis vel Provincialis fieri poterit, quod magis convenire comperietur.*

E. *Si iustas ob causas aliquis publice non examinandus videretur; habita a Generali vel Provinciali facultate, fieri poterit quod Rector ad maiorem* DEI *gloriam fore iudicaverit.*

F. *Et sic non permittentur convivia, nec alii ludi, qui cum sumptibus non mediocribus fiunt, et ad finem nobis propositum inutiles sunt: nec pilei, aut chirothecae, vel quid aliud detur.*

CAPUT XVI.

DE IIS, QUAE PERTINENT AD BONOS MORES.

1. DILIGENTER curetur, ut, qui litteras discendi gratia ad Universitates Societatis se conferunt, simul cum illis bonos ac christianis dignos mores addiscant. Ad quod multum
* A iuverit, * si *a*] omnes singulis saltem
a] *Sup. c.* 7 n. 2. mensibus semel ad confessionis sacramentum accedent, si Missam quotidie, concionem singulis diebus festis, cum ea fiet, audient. Ex Praeceptoribus autem quisque hoc a suis discipulis praestari curabit.

b] *Sup. c.* 7 n. 2. 2. Praelegetur *b*] etiam in Collegio aliquo die cuiuscumque hebdomadae christiana doctrina; et ut pueri eam ediscant et recitent, omnesque etiam adultiores, si fieri potest, eamdem sciant, curabitur.

3. Habebitur *c*] etiam singulis he- *c*] *Sup. c.* 6 n. 13.
bdomadis, ut de Collegiis est dictum,
* ab aliquo ex Scholasticis declama- * B
tio de rebus, quae audientibus aedificationi sint, eosque ad augmentum in omni puritate ac virtute expetendum invitent; *d*] ut non solum stilus *d*] *Sup. c.* 6 n. 13. c. 13 n. 3.
exerceatur, sed mores meliores reddantur. Omnes autem eos, qui latine sciunt, huiusmodi declamationi interesse oportebit.

4. In scholis nec iuramenta, nec iniuriae, verbo vel facto illatae, nec inhonestum aut dissolutum quid in

externis ad scholas accedentibus permittatur. e] Feratur autem Praeceptorum peculiaris intentio, tam in lectionibus, cum se occasio obtulerit, quam extra eas, ad eosdem ad obsequium et amorem DEI ac virtutum, quibus ei placere oportet, movendos, et ut *f*] omnia sua studia ad hunc finem referant. Quod ut ad memoriam eis reducatur, * ante lectionis initium dicat aliquis brevem orationem ad id institutam; quam Praeceptor et discipuli omnes aperto capite attente audient.

e] *Sup.* c. 8, A.

f] *Sup.* c. 6 n. 1.

* C

5. Propter eos, qui tam in diligentia suis studiis adhibenda, quam in iis, quae ad bonos mores pertinent, peccaverint, et cum quibus sola verba bona et exhortationes non sufficiunt, *g*] Corrector, qui *1*] de Societate non sit, constituatur; qui pueros in timore contineat, et eos, quibus id opus erit, quique castigationis huiusmodi erunt capaces, castiget. Cum autem nec verba nec Correctoris officium satis esset, et in aliquo emendatio non speraretur, aliisque esse offendiculo videretur; * praestat *h*] a scholis eum removere, quam, ubi parum ipse proficit et aliis nocet, retinere. Hoc autem iudicium Rectori Universitatis, ut omnia ad gloriam et servitium DEI, ut par est, procedant, relinquetur.

g] *Sup.* c. 7 n. 2, D. *Inf.* c. 17, G.

1] C. 1 d. 35.

* D

h] *Sup.* c. 11, B.

DECLARATIONES IN CAPUT XVI.

A. *QUI facile compelli possunt, compellantur ad id, quod de confessione, Missa, concione, doctrina christiana et declamatione dicitur. Aliis amanter quidem persuadere convenit; sed ad id ne cogantur, nec, si id non praestiterint, a scholis expellantur; dum tamen nec dissoluti, nec aliis offendiculo esse videantur.*

B. *Quamvis, ut plurimum, ex prima classe sit futurus, qui hanc declamationem dicet, sive ex Scholasticis Societatis, sive ex externis sit; posset tamen aliquando aliquis alius, qui Rectori videretur, eam conficere, vel quod alius confecerit pronuntiare. Quia tamen res erit publica, huiusmodi esse debebit, ut, a quocumque pronuntietur, eo loco non indigna esse iudicetur.*

C. *Oratio, vel eo modo dicenda est, ut devotionem et aedificationem addat, vel non est dicenda; sed Praeceptor signo crucis se muniat aperto capite, et incipiat.*

D. *Si casus aliquis accideret, ubi in remedium offendiculi praestiti satis non esset a scholis expellere; videat Rector, quid praeterea conveniat providere: quamvis,* a] *quoad eius fieri poterit, in spiritu lenitatis, pace et charitate cum omnibus conservata, sit agendum.* a] P. 10 n. 11.

CAPUT XVII.

DE OFFICIALIBUS VEL MINISTRIS UNIVERSITATIS.

* A 1. CURA * universalis, vel superintendentia et gubernatio Universitatis penes Rectorem erit; qui idem esse poterit, qui in Collegio praecipuo Societatis praeest, et iis a] *Sup.* c. 10 n. 4. praeditus DEI donis, *a*] de quibus dictum est, ut possit commisso sibi officio dirigendi in litteris et moribus totam Universitatem satisfacere. b] *Sup.* c. 2 n. 5. c. 10 n. 8. P. 9 c. 3 n. 3, 14, 15. *b*] Eius electio ad Praepositum Generalem, vel alium, cui ille id commiserit (cuiusmodi esset Provincialis, vel Visitator) spectabit: confirmatio * B vero semper erit Generalis. * Habebit c] *Sup.* c. 10 n. 7. *Inf.* n. 6. P. 9 c. 6 n. 14, I. *c*] autem Rector quatuor Consiliarios vel Assistentes, qui in rebus ad ipsius officium pertinentibus, ut plurimum, possint eum iuvare, et cum quibus ipse quae sunt maioris momenti conferat.

* C d] *Sup.* c. 5 n. 1. 2. * Erit *d*] et Cancellarius, vir in litteris egregie versatus, qui et zelo bono et iudicio ad ea, quae sunt ei e] *Sup.* c. 13 n. 4. c. 15 n. 1. committenda, polleat: *e*] cuius sit munus, generale Rectoris instrumentum esse ad studia bene ordinanda, et disputationes in actibus publicis dirigendas, et ad discernendum, an sufficiens doctrina sit eorum, qui ad actus et gradus (quos quidem ipsemet dabit) sunt admittendi.

3. Sit Secretarius ex eadem Socie- * D tate, qui librum habeat, * ubi omnium Scholasticorum, qui scholas assidue frequentant, nomina scribantur: quique eorum promissionem de obedien- f] *Sup.* c. 7 n. 2. tia Rectori praestanda, et *f*] constitutionibus observandis, * quas ipsemet * E proponet, admittat; et sigillum Rectoris et Universitatis habeat: *g*] quae g] *Sup.* c. 15 n. 4. tamen omnia sine ullis expensis Scholasticorum fient.

4. * Erit et Notarius, ut fidem * F publicam faciat de susceptis gradibus, et aliis quae occurrent. * Sint et duo * G vel tres Bidelli, unus ad facultatis Linguarum, alter ad Artium, tertius ad Theologiae functiones destinatus.

5. In has tres Facultates Universitas dividetur; et in quavis earum sit Decanus et duo alii designati ex iis, qui melius res facultatis illius callent: qui, a Rectore vocati, possint dicere, quid sentiant ad suae Facultatis bonum convenire: et, si quid tale in mentem venerit, dum inter se de huiusmodi rebus agunt, ad Rectorem, quamvis non vocentur, referent.

6. In rebus, quae ad solam unam Facultatem pertinent, * vocabit Rector, * H praeter Cancellarium et suos *h*] As- h] *Sup.* n. 1. sistentes, Decanum etiam et designatos illius facultatis: in iis, quae ad omnes pertinent, Decani et designati omnium vocentur. Et, si Rectori visum fuerit et alios de Societate, vel extra eam, ad congregationem vocare, facere id poterit; ut, cum omnium sententias audierit, melius quod convenit constituat.

7. * Erit *i*] Syndicus unus generalis, * I qui tam de personis, quam de rebus, i] *Sup.* c. 6 n. 15. c. 10 n. 7. de quibus videbitur, Rectorem et Prae- P. 3 c. 1 n. 16.

positum Provincialem et Generalem admoneat: qui quidem Syndicus vir magnae fidelitatis et iudicii esse debebit. Praeter hunc, suos habebit Syndicos particulares Rector; * ut, quae quavis in classe acciderint, quibus providere oporteat, ad ipsum referant. Et ut ipse de omnibus Praeceptoribus et aliis de Societate; ita et Collateralis, et Syndicus, et Consiliarii de ipso et de aliis * k] scribent semel singulis annis Praeposito Generali, et bis Provinciali, qui Generalem, si quid oportuerit, admonebit: ut in omnibus maiori cum circumspectione et cura praestandi quod quisque debet, procedatur.

* K

* L

k] P. 8 c. 1 n. 9.

1] C. 1 d. 131.

8. De aliquibus 1] insigniis, num eis Rector, Cancellarius, Bidelli, Doctores et Magistri, ut in Universitate cognoscantur, vel saltem in actibus publicis uti debeant, necne; et, si utantur, qualia esse debeant, * considerationi Generalis tunc exsistentis, cum aliqua Universitas admittitur, relinquetur. Ille autem per se, vel per alium, expensis circumstantiis, quod iudicaverit ad maiorem Dei gloriam et obsequium, et bonum universale fore (qui unicus scopus in hac, et in omnibus rebus nobis est) constituet.

* M

DECLARATIONES IN CAPUT XVII.

A. *Quamvis hoc ita se habeat, tamen nec lectores primarios, nec officiales, qualis est Cancellarius, inconsulto Provinciali, vel Generali, si vicinior est, mutabit, si ille non eidem id commisisset; cui ut res omnes perspectae sint curare debet.*

a] P. 8 c. 1 n. 3.

2] C. 2 d. 86.

B. *Ex* a] *his Consiliariis unus posset* 2] *Collateralis esse, si Praeposito Generali id necessarium videretur: et si tam multi esse commode non possent, fiet ut optime poterit.*

C. *Si satis esset Rector, ut, praeter suum, Cancellarii etiam munus obire posset, in eamdem personam haec duo officia possent convenire.*

D. *Quando ultra unam hebdomadam assidue scholas frequentant, invitandi sunt ad nomina sua danda, quae in librum matriculae referantur: et legentur eisdem, non omnes constitutiones, sed quae unicuique sunt observandae: et promissio ab eis, non autem iusiurandum, de obedientia et observatione propositarum constitutionum exigetur. Si nollent aliqui promissione obligari, vel nomina in matriculam referenda dare, non ideo a scholis excludendi sunt; dummodo pacifice et sine offendiculo in eis versentur: et sic eis significari poterit; addendo nihilominus, quod cura magis peculiaris Scholasticorum, quorum nomina scripta in libro Universitatis sunt, haberi solet.*

E. *Quamvis postea, quae ab omnibus sunt observandae, eo in loco, ubi publice legi possint; quae vero in quavis classe, in ea ipsa sunt affigendae.*

F. *Hic poterit aliquid utilitatis ab externis, qui testimonium suorum graduum requirent, percipere. Sit tamen quid moderatum,* b] *nihilque in Societatis utilitatem redundet. Ad testimonium autem Nostris reddendum, litterae patentes Rectorum satis erunt.* b] Sup. c. 15 n. 4.

G. *Hi ex Societate non erunt: quia tamen non parum laboris sunt habituri, commodum stipendium accipient;* c] *et unus eorum Corrector esse poterit.* c] Sup. c. 16 n. 5.

H. *Quamvis decisio rerum ex suffragiis horum non pendeat; ipsos tamen vocari et audiri convenit. Sententiae autem eorum, qui res melius intelligunt, eam, quam par est, rationem Rector habebit. Si tamen omnes alii aliter,*

quam ipse, sentirent, contra omnium sententiam ne agat, nisi prius rem cum Provinciali contulerit.

I. *Hoc Syndici officium posset coniungi cum Collateralis vel Consiliarii officio, si sic videretur convenire, quod alius in Universitate magis ad id idoneus, quam aliquis eorum, non esset.*

K. *Et quamvis Syndici nihil habeant, quod alicuius momenti sit; singulis tamen diebus Sabbati saltem, se nihil habere Superiori referant.*

L. *Mittantur huiusmodi litterae eo modo obsignatae, ut nullus sciat quid alius scripserit. Et cum vellet Praepositus Generalis, vel Provincialis, pleniorem rerum notitiam, non tantum Collateralis, Syndicus et Consultores de Rectore deque omnibus aliis scribent; verum etiam quisque Magistrorum et Scholasticorum approbatorum, et Coadiutorum quoque formatorum scribet, quid de omnibus ac etiam de Rectore sentiat. Et ne id novum videatur, tertio quoque anno saltem, haec referri quasi ordinarie sic debeant.*

M. *Quamvis hoc ita se habeat; id tamen, quod in quovis loco convenire ex insigniis huiusmodi videbitur, distincte in cuiusque Universitatis regulis constituetur.*

QUINTA PARS.

DE IIS, QUAE AD ADMITTENDUM IN CORPUS SOCIETATIS PERTINENT.

CAPUT I.

DE ADMISSIONE; ET QUIS, ET QUANDO DEBEAT ADMITTERE.

1. Qui in Societate, quantum satis est, probati fuerunt, et tamdiu, ut utrimque intelligi iam possit, num in eadem manere ad maius Dei obsequium et gloriam conveniat;
* A
* admitti debent, non, ut prius, ad probationem, sed modo magis interno, ut membra unius ac eiusdem corporis Societatis. Huiusmodi autem sunt praecipue, qui ad Professionem, vel in Coadiutores formatos admittuntur. Sed quia Scholastici approbati, etiam modo quodam interiori, quam *1*] admissi ad probationem, in corpus Societatis cooptantur; de eorum quoque admissione in hac quinta parte dicetur quid in Domino observandum videatur.

1] C. 1 d. 68.

2. Primo *a*] quidem, facultas admittendi in corpus Societatis eos, qui admittendi erunt, penes eius caput erit, ut ratio postulat. Sed, quia Praepositus Generalis tam variis locis interesse non potest, * aliis *b*] de So-

a] *Inf.* c. 2 n. 1, 4, 5, B, C. P. 9 c. 3 n. 1, A.

* B

b] *Inf.* c. 2 n. 4, 5, A, B, C. P. 9 c. 3, A.

cietate eam partem huius facultatis, quae ad totius corporis huius bonum facere videbitur, poterit communicare.

c] *Inf.* c. 4 n. 3, 6. *Exa.* c. 1 n. 12. c. 4 n. 16, 41. c. 6 n. 8. P. 4 c. 3 n. 3. c. 4 n. 5.

* C

d] *Exa.* c. 1 n. 12. c. 4 n. 16. c. 6 n. 8.

e] *Exa.* c. 1 n. 12. c. 4 n. 43.

3. Tempus ad *c*] admittendum modo superius dicto, in universum loquendo, * ultra biennium esse oportebit. Sed qui, antequam ad studia mitteretur, vel in eisdem diu probatus fuisset, post illa absoluta, si ad Professionem est admittendus, *d*] integrum adhuc probationis annum habebit; ut adhuc magis perspectus sit, antequam eam emittat. *e*] Et prorogari hoc tempus poterit, ut in Examine dictum est, cum Societas, vel qui ab ea hanc in Domino curam habet, plenius sibi satisfieri desideraret.

DECLARATIONES IN CAPUT I.

a] *Exa.* c. 1 n. 7.

b] *Exa.* c. 3 n. 14. P. 1 c. 4 n. 3.

c] *Inf.* c. 4, E. *Exa.* c. 1 n. 10. c. 7 n. 1.

A. *Societas*, a] *ut eius nomen latissime accipitur, omnes eos, qui sub obedientia Praepositi Generalis vivunt, etiam Novitios, et quicumque,* b] *cum propositum vivendi et moriendi in Societate habeant, in probationibus versantur, ut in eam ad aliquem ex aliis gradibus, de quibus dicetur, admittantur, complectitur.*

Secundo modo, qui minus late patet, Societas cum Professis et Coadiutoribus formatis, etiam Scholasticos approbatos continet. Ex his enim tribus partibus, seu membris, Societatis corpus constat.

Tertio modo, et magis proprio, Professos et Coadiutores formatos dumtaxat continet: c] *et sic accipiendus est in Societatem ingressus, quem Scholastici promittunt; scilicet, ut inter Professos, vel Coadiutores formatos illius numerentur.*

d] P. 8 c. 3, A. c. 6, B.

e] P. 8 c. 1 n. 6. P. 9 c. 3 n. 10.

Quarta huius nominis Societatis acceptio, et maxime propria, Professos dumtaxat continet: non quod eius corpus alia membra non habeat, sed quod hi sint in Societate praecipui, d] *et ex quibus aliqui, ut inferius dicetur, suffragium activum et passivum habent in electione Praepositi Generalis, etc.*

Quocumque ex his quatuor modis aliquis in Societate sit, capax est communicationis gratiarum spiritualium, e] *quas in ea Praepositus Generalis, secundum concessionem Sedis Apostolicae, ad maiorem Dei gloriam potest concedere. Caeterum de primo admittendi modo, cum idem sit, atque ad probationem admittere, in prima parte dictum est; et de admissione in tribus aliis modis in hac quinta parte agetur.*

B. *Alii, quibus ordinarie magis et absolute communicabitur, Praepositi Provinciales erunt. Quibusdam tamen Praepositis localibus, vel Rectoribus, et aliis Visitatoribus, aut personis insignibus, poterit Praepositus Generalis hanc auctoritatem communicare; immo et alicui, qui de Societate non esset, aliquo in casu, ut Episcopo alicui, vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae, cum nullus ex Professis eiusdem Societatis eo in loco, ubi aliquis ita est admittendus, inveniretur.*

2] C. 5 d. 12, 13, 63.

C. *Quamvis hoc ita se habeat, tamen ut prorogari, ita et* 2] *contrahi hoc spatium quibusdam in casibus, ex causis tamen non levis momenti, iudicio Praepositi Generalis, cuius erit dispensandi ius, licebit: raro tamen id fiet.*

CAPUT II.

QUALES ESSE DEBEANT QUI ADMITTENDI SUNT.

1] C. 4 d. 9. C. 5 d 37. C. 9 d. 6.
a] *Exa.* c. 1 n. 8. P. 8 c. 1 n. 2, B. P. 10 n. 7.
* A
b] *Sup.* c. 1 n. 2. *Inf.* n. 4, 5, B, C. P. 9 c. 3 n. 1, A.

1. Cum nullo ex his modis admitti debeat, nisi *1*] qui idoneus in Domino fuerit existimatus; illi ad Professionem idonei habebuntur, *a*] quorum vita diuturnis ac diligentibus probationibus * a Praeposito *b*] Generali (ad quem referent particulares Praepositi, vel alii, quorum testimonium Generalis requiret) perspecta valde et approbata fuerit. Ad hoc autem conferet illis, qui ad studia missi fuerunt, absoluta iam ea cura et diligentia, quae ad excolendum intellectum adhibita fuerit, ultimae probationis tempore in schola affectus diligentius se exercere, *c*] et in rebus spiritualibus et corporalibus, quae ad profectum in humilitate et *d*] abnegatione universi amoris sensualis, voluntatis et iudicii proprii, et ad maiorem cognitionem et amorem Dei conferunt, insistere; ut, cum in se ipsis profecerint, melius ad profectum spiritus alios ad gloriam Dei et Domini nostri iuvent.

c] *Exa.* c. 4 n. 16.
d] *Inf.* n. 2. P. 3 c. 1 n. 23.
e] *Exa.* c. 1 n. 8, 10.

2. Doctrina *e*] etiam in huiusmodi sufficiens esse debebit, praeter Humaniores Litteras et Artes Liberales, in Theologia scholastica et Sacris Litteris. Et quamvis aliqui breviori tempore non minorem progressum, quam alii longiori facere possent; nihilominus, ut communis aliqua mensura sumatur, spatium aliquod temporis praescribetur: et hoc erit * *f*] quadriennium integrum post Artium Liberalium et Philosophiae studia, in Theologia explevisse. Ut ergo *2*] ad Professionem quis admittatur, in ea facultate hoc tempus se exercuisse, et quidem ad gloriam Dei satis in ea profecisse convenit; et in profectus huiusmodi testimonium quisque ante Professionem assertiones Logices, Philosophiae et Theologiae scholasticae tuebitur. Quatuor autem ad argumentandum, et iudicandum de eorum doctrina, an sit quanta oportet, prout iuxta veritatem sincere senserint, deligantur. *g*] Quod si doctrina ea praediti esse, quae satis sit, non invenientur, conducibilius erit, ut, donec eam consequantur, exspectent: ut illos etiam exspectare oportebit, qui in *h*] abnegatione sui ipsorum, et virtutibus Religioso dignis testimonium, quod par esset, nondum omnino haberent.

* B
f] P. 4 c. 9 n. 3. c. 15 n. 3.
2] C. 9 d. 42. C. 13 d. 9. C. 16 d. 20.
g] P. 10 n. 7.
h] *Sup.* n. 1.

3. Praeter hos, * *i*] nonnulli ad trium votorum solemnium tantum Professionem admitti possent: raro tamen, et non sine causis peculiaribus alicuius momenti: et hos, septem annos in Societate notos fuisse, et non mediocrem sui talenti ac virtutum satisfactionem ad gloriam Dei praebuisse in ea oportebit.

* C
i] *Inf.* c. 3 n. 5, 6. *Exa.* c. 1, D.

4. Ut *k*] quis etiam in Coadiutorem formatum admittatur, oportet Societati esse satisfactum de eius vita, deque bono exemplo ac talento ad se iuvandam, vel cum litteris, in rebus spiritualibus, vel sine illis, in exterioribus; prout cuique divina bonitas

k] *Exa.* c. 6 n. 1.

dona sua communicaverit. Hoc ipsum autem l] metiatur oportet Praepositi Generalis prudentia: nisi alicui ex particularibus, cui multum in Domino confideret, id committendum videretur.

l] *Sup.* n. 1.

5. Ut m] aliqui admittantur in Scholasticos approbatos, quadam proportione servata, eadem requiruntur: et id peculiari quadam ratione, ut ex eorum ingenio speretur, eos in litteris profecturos, n] Praepositi Generalis iudicio, vel eius, cui hoc munus ille commiserit, confidendo prudentiae ac probitati a Deo ipsi donatae.

m] *Exa.* c. 1 n. 10. P. 4 *Prooem.* A. c. 3 n. 1, 2, 3.

n] *Sup.* n. 1.

DECLARATIONES IN CAPUT II.

A. *Quamvis* a] *in remotissimis regionibus, cuiusmodi sunt Indiae, possit Praepositus Generalis iudicio Provincialis relinquere, non exspectata hinc approbatione (quae non nisi per multos annos eo perveniret) num aliquis ad Professionem admitti debeat, nec ne:* b] *in locis tamen ex quibus maior potest haberi communicatio, non facile ulli Provinciali facultatem admittendi ad Professionem committet; nisi prius ipse certior factus ad eos, qui ei videbuntur in Domino, ad Professionem admittendos particulariter consensum praestiterit.*

a] *Sup.* c. 1 n. 2, B. P. 9 c. 3, A.

b] P. 9 c. 3, A.

B. *Quamvis, ut plurimum, haec mensura studii quatuor annorum in sacra Theologia (praeter Litterarum Humaniorum et Artium studia, et examinationem dictam, ut quem progressum in ea doctrina fecerint videri possit) sit observanda; nihilominus tamen, qui in Iure* 3] *Canonico doctrinam sufficientem, vel alia* 4] *egregia Dei dona haberet, ex quibus, quod studio Theologiae deest, compensari posset; sine eo, ad Professionem trium, et aliqui viri insignes etiam ad quatuor votorum (quamvis hoc extendi non debeat) admitti possent.*

3] C. 7 d. 96. C. 12 d. 23.

4] C. 12 d. 24.

Horum donorum c] *iudicium Praeposito Generali tantum, vel si cui, peculiari praescripto, id ille committeret, ut quod foret ad maiorem Dei gloriam faceret, relinquetur.*

c] *Sup.* c. 1 n. 2.

C. *Qui ad Professionem trium votorum solemnium admittuntur, ordinarie sufficientiam in litteris, quae saltem ad Confessarii munus bene obeundum satis sit, habeant oportet; vel certe dona Dei aliqua rara, quae id compensare videantur, ita, ut* d] *Praepositus Generalis, vel alius, cui suas vices ad hoc ille speciali commissione concederet, ad maius Dei obsequium et Societatis bonum sic convenire iudicaret. Et hi, ut plurimum, homines erunt, qui, propterea quod bene meriti sint et valde devoti, quamvis minori doctrina ac concionandi aptitudine praediti, quam nostrum Institutum in Professis requirat, admittendi esse in Domino videbuntur.*

d] *Sup.* c. 1 n. 2.

CAPUT III.

DE MODO ADMITTENDI AD PROFESSIONEM.

a] *Exa.* c. 1 n. 8. 1. QUANDO *a*] aliqui, peracto probationis tempore, et experimentis ac aliis, quae in Examine continentur, confectis, ad Professionem admittendi fuerint; cum Societati, vel eius Praeposito Generali plene sit in Domino satisfactum, Professio hoc modo, qui sequitur, emittetur.

2. In primis Praepositus Generalis, vel qui, accepta ab eo facultate, ad
* A Professionem admittet, * postquam publice Missae sacrificium obtulerit in ecclesia coram domesticis et aliis externis, qui interfuerint; cum Sanctissimo Sacramento Eucharistiae ad eum, qui Professionem est emissurus,
1] C. 1 d. 36. se convertat. *1*] Ille autem, absoluta generali confessione et verbis, quae ante Communionem dici solent, voce
b] *Exa.* c. 4 n. 41. alta votum suum scriptum *b*] (quod aliquot ante dies consideraverit oportet) leget; cuius formula haec est:

3. Ego N. Professionem facio, et promitto omnipotenti DEO, coram eius Virgine Matre, et universa coelesti curia ac omnibus circumstantibus, et tibi Patri Reverendo N., Praeposito Generali Societatis IESU, locum DEI tenenti, et successoribus tuis; vel, tibi Reverendo Patri N., vice Praepo-
2] C. 1 d. 67. siti Generalis *2*] Societatis IESU et successorum eius locum DEI tenenti;
c] *Inf.* n. 6. *Exa.* c. 1 n. 3. P. 6 c. 1, 2. perpetuam *c*] paupertatem, castitatem et obedientiam; et, secundum
* B d] *Inf.* n. 6. c. 4 n. 2. eam, * peculiarem *d*] curam circa puerorum eruditionem, iuxta formam vivendi in litteris apostolicis Societatis IESU, et in eius Constitutionibus contentam.

* Insuper *e*] promitto specialem obedientiam Summo Pontifici circa missiones; prout in eisdem litteris apostolicis et Constitutionibus continetur. Romae, vel alibi, tali die, mense et anno, et in tali ecclesia. * C e] *Exa.* c. 1 n. 5. P. 6 c. 5. P. 7 c. 1 n. 1, B.

4. Post haec, sumet *3*] Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum. Qui- 3] C. 1 d. 36.
bus peractis, *f*] in libro, quem ad hoc habebit Societas, eius nomen, qui Professionem emisit, et illius in cuius manibus emisit, adnotato die, mense et anno, scribetur; et eius vota scripta asservabuntur, ut omnia semper constare possint ad DEI gloriam. f] *Inf.* c. 4, G.

5. Aliqui, *g*] qui ad Professionem trium votorum solemnium dumtaxat admittentur, in ecclesia, ac coram domesticis et externis, qui aderunt, antequam sanctissimum Christi Corpus accipiant, ex scripto suum votum, iuxta formulam sequentem, legent. g] *Sup.* c. 2 n. 3, C. *Exa.* c. 1, D.

6. Ego N. Professionem facio, et promitto omnipotenti DEO, coram eius Virgine Matre, et universa coelesti curia ac omnibus circumstantibus, et tibi Reverendo Patri N., Praeposito Generali Societatis IESU, locum DEI tenenti, ac successoribus tuis; vel, tibi Reverendo Patri N., vice Praepositi Generalis *4*] Societatis IESU et suc- 4] C. 1 d. 67.
cessorum eius locum DEI tenenti;
h] perpetuam paupertatem, castita- h] *Sup.* n. 3.
tem et obedientiam; et, secundum

i] Sup. n. 3. 5] C. 1 d. 138. C. 2 d. 58. eam, *i*] peculiarem curam *5*] circa puerorum eruditionem, iuxta formam vivendi in litteris apostolicis Societatis Iesu et in eius Constitutionibus contentam. Romae, vel alibi, tali die, mense et anno, et in tali ecclesia. Deinde sequetur Communio, et reliqua superius dicta.

DECLARATIONES IN CAPUT III.

A. *Particularia, quae hic et inferius attinguntur, decent quidem, et, cum fieri potest, observanda sunt; non tamen ut necessaria. Fieri enim posset, ut Sacerdos non esset, vel Missam celebrare non posset, qui ex ordinatione Praepositi Generalis Professionem admittit. Illud autem essentiale est, ut publice votum legatur coram iis de Societate et externis, qui adfuerint, atque ut tamquam solemne et emittatur, et admittatur.*

6] C. 1 d. 138. C. 2 d. 58. B. *Promissio* 6] *docendorum puerorum ac rudium hominum, iuxta litteras apostolicas et Constitutiones, non inducit aliam obligationem, quam reliqua spiritualia exercitia, quae ad auxilium proximorum adhibentur; cuiusmodi sunt confessiones et praedicationes, etc. in quibus quisque se debet occupare, iuxta rationem obedientiae suorum Superiorum. Quod autem de pueris docendis in voto fit mentio, ea de causa fit, ut sancta haec exercitatio peculiari modo sit commendata, et devotius curetur propter singulare obsequium, quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur; et quia facilius oblivioni tradi poterat et in desuetudinem abire, quam alia magis speciosa, cuiusmodi est praedicatio, etc.*

C. *Tota intentio quarti huius voti obediendi Summo Pontifici fuit et est circa Missiones: et sic intelligi oportet litteras apostolicas, ubi de hac obedientia loquuntur; in omnibus quae iusserit Summus Pontifex, et quocumque miserit, etc.*

CAPUT IV.

DE ADMITTENDIS COADIUTORIBUS FORMATIS ET SCHOLASTICIS.

a] Exa. c. 1 n. 9. c. 6 n. 8. 1. Qui *a*] in Coadiutores formatos spirituales cum simplicibus votis, et non solemnibus, admittuntur, in ecclesia, vel sacello Domus, aut alio decenti loco, coram domesticis et externis qui aderunt, * in manibus eius, qui admissurus sit, votum suum emittent in hac formula, quae sequitur, id legentes: * A

2. Ego N. promitto omnipotenti Deo, coram eius Virgine Matre et tota coelesti curia, et tibi R. Patri N., Praeposito Generali Societatis Iesu, locum Dei tenenti, et successoribus tuis; vel tibi R. Patri N., vice Praepositi Societatis Iesu et successorum eius locum Dei tenenti; *b*] perpetuam paupertatem, castitatem et obedientiam; et, secundam eam, *c*] peculiarem curam circa *1*] puerorum eruditionem, * iuxta modum in litteris apostolicis et Constitutionibus dictae Societatis expressum. Romae, vel alibi, in tali loco, die, mense et anno, etc. b] Exa. c. 1 n. 9. P. 6 c. 1, 2. c] Sup. c. 3 n. 3, B. 1] C. 2 d. 58. * B

Demum sumat sanctissimum Christi Corpus; et fient quae de Professis dicta sunt.

* C 3. * Formula ad Coadiutores in rebus temporalibus admittendos eadem erit, clausula illa de puerorum institutione solum remota.

Qui, peracta sua priori probatione et experimentis *d*] per biennium, in Scholasticos approbatos admituntur, coram aliquibus domesticis, * quamvis non *2*] in manibus cuiusquam, vota sua emittent ad hunc modum:

d] *Sup.* c. 1 n. 8. *Exa.* c. 1 n. 12. c. 4 n. 41. P. 4 c. 3 n. 3. c. 4 n. 5.

* D

2] C. 9 d. 39 n. 5.

4. Omnipotens sempiterne Deus, Ego N., licet undecumque divino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen pietate ac misericordia tua infinita, et impulsus tibi serviendi desiderio, *e*] voveo coram sacratissima Virgine Maria, et curia tua coelesti universa divinae Maiestati tuae paupertatem, castitatem et obedientiam perpetuam in Societate Iesu; * et *3*] promitto eamdem Societatem me ingressurum, ut vitam in ea perpetuo degam, omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones. A tua ergo immensa bonitate et clementia per Iesu Christi Sanguinem peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris; et, ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum, gratiam uberem largiaris. Romae, vel alibi, tali loco, die, mense et anno. Post haec, perinde ut alii, sanctissimum Christi Corpus sument; et reliqua, quae superius dicta sunt, peragentur.

e] *Exa.* c. 1 n. 10. c. 7 n. 1. P. 4 c. 3 n. 3.

* E

3] C. 5. d. 4, 5, 50 n. 1. C. 7 d. 32.

5. Postquam *f*] aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, * ad alium progredi curare non debet; sed in suo perfici, et obsequio Dei et gloriae sese impendere, ac Superiori, qui scilicet Christi Domini nostri vices gerit, curam aliorum omnium relinquere.

f] *Exa.* c. 6 n. 5, 6.

* F

6. Qui in Domibus versantur, post *g*] biennium vota eadem emittere, quae Scholastici, et Christo Domino nostro se obstringere debent; et id, quamvis studiis applicandi non videantur, nec expedire, ut tam cito in Coadiutores formatos vel Professos admittantur, existimetur. *h*] Quod si quis, propria impulsus devotione, ante id tempus biennii vellet votis se Deo offerre; eamdem formulam sequi poterit: et * uno voti sui scripti exemplo tradito Superiori, alterum penes se retineat, ut quid Deo ac Domino nostro obtulerit recordetur. Et ad hoc ipsum, simulque ad devotionem augendam conferet, * statutis quibusdam temporibus, quae congrua videbuntur, vota sua renovare. Quod quidem non est *4*] obligatione nova se obstringere, sed eius, qua obstricti sunt in Domino, recordari, atque eamdem confirmare.

g] *Sup.* c. 1 n. 3.

h] *Exa.* c. 1, E. P. 3 c. 1, T.

* G

* H

4] C. 8 d. 22. C. 12 d. 13.

DECLARATIONES IN CAPUT IV.

A. *In manibus fieri vota dicuntur, quando emittuntur coram aliquo, qui, cum ad id habeat potestatem, ea admittit. Et quamvis multi adessent cum huiusmodi vota fiunt, non ideo tamen mutant naturam simplicium: quandoquidem intentio emittentis et admittentis, iuxta traditam a Sede Apostolica facultatem, haec est, ut nec emittantur, nec admittantur ut solemnia. Ad prudentiam autem admittentis pertinebit, consecuturae aedificationis rationem habere; et sic curabit, ut plures vel pauciores intersint. Caeterum eadem erit formula, qua Coadiutores temporales, et spirituales utentur; et utraque in*

exterioribus persimilis erit ei, qua Professi utuntur.

B. *Quod dicitur, iuxta bullas et Constitutiones, intelligendum est, quod Coadiutores emittunt huiusmodi simplicia vota, cum tacita quadam, quod ad perpetuitatem attinet, conditione, quae haec est: si Societas eos tenere volet.* a] *Quamvis enim illi, quod in ipsis est, se obligent in perpetuum suae devotionis et stabilitatis gratia; liberum tamen erit Societati eos dimittere,* b] *ut in secunda parte dicitur: quod si accideret,* c] *tunc illi liberi ab omnium votorum obligatione manent.*

a] *Exa.* c. 6 n. 8, A.

b] P. 2 c. 1 n. 1, A.

c] *Exa.* c. 6 n. 8. c. 7 n. 1, 2. P. 2 c. 4 n. 3.

C. *Si homines essent, qui latinam linguam non intelligerent, quales aliqui Coadiutores temporales erunt, votum in vernaculam linguam vertetur; et legant ipsi, vel praeeat alius legendo verba, quae mox ipsimet, eum insequendo, pronuntiabunt.*

D. *Ut hoc votum soli* Deo *offertur, et non homini; ita nemo id admittit. Propterea in* 5] *nullius manibus fieri dicitur. Et conditio illa tacita, quae inesse dicta est in voto Coadiutorum,* d] *quod ad perpetuitatem attinet, etiam in hoc est intelligenda; scilicet: si Societas eos tenere volet.*

5] C. 9 d. 39 n. 5.

d] *Exa.* c. 7 n. 1, 2.

E. *Promissio ingrediendi Societatem, ut declaratum est initio* e] *huius partis, est de votis Professorum solemnibus, vel Coadiutorum formatorum, prout Praeposito ad maius* Dei *obsequium fore videbitur, emittendis.*

e] *Sup.* c 1, A. *Exa.* c. 1 n. 10. c. 7 n. 1.

F. *Proponere* f] *quae in animo versantur, quaeque occurrunt, licitum est: nihilominus, ut in Examine dicitur, omnino paratum esse oportebit,* g] *ut id melius esse existimet, quod Superiori suo melius videbitur.*

f] *Exa.* c. 8, A. P. 7 c. 2, I.

g] P. 3 c. 2 n. 1. P. 6 c. 1 n. 3.

G. *Etiam* h] *in libro aliquo horum memoria, sicut et aliorum, honestas ob causas debet asservari.*

h] *Sup.* c. 3 n. 4.

H. *Quod* i] *ad Scholasticos attinet, iam in quarta parte dictum est, quibus temporibus sua vota renovare debeant. Eadem erit ratio eorum, qui in Domibus habitant et vota emiserunt. In* 6] *duobus enim festis solemnibus, singulis annis ea renovare debent, et in aliquo alio, si Superiori videretur expedire: non in cuiusquam manibus, sed unoquoque suum votum legente coram Sanctissimo Sacramento, reliquis vel nonnullis de Societate praesentibus; ut magis ad devotionem observandi, quod* Deo *ac Domino nostro promiserunt, magisque prae oculis habendum id, quod ex obligatione debent eidem Domino, excitentur.*

i] P. 4 c. 4 n. 5, D.

6] C. 4 d. 55.

SEXTA PARS.

DE IIS, QUI ADMISSI ET IN CORPUS SOCIETATIS COOPTATI SUNT QUOD AD IPSORUM PERSONAS ATTINET.

CAPUT I.

DE IIS, QUAE AD OBEDIENTIAM PERTINENT.

1. Ut illi, qui iam ad Professionem, vel in Coadiutores formatos admissi sunt, uberiori cum fructu, iuxta nostrum Institutum, divino servitio et proximorum auxiliis se impendant; aliqua in seipsis observare debent, quorum praecipua, licet ad ea vota, *a*] quae Deo et Creatori nostro iuxta litteras apostolicas obtulerunt, reducantur; de illis tamen, ut magis et declarentur et commendentur, in hac sexta parte dicetur. Et quoniam quae ad votum castitatis pertinent interpretatione non indigent, cum constet, quam sit perfecte observanda, nempe enitendo angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostrae munditia: his suppositis, de sancta obedientia dicetur. Quam quidem omnes plurimum observare et in ea excellere studeant; nec solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis, licet nihil aliud, quam signum voluntatis Superioris, sine ullo expresso praecepto, videretur. *b*] Versari autem debet ob oculos Deus Creator ac Dominus noster, propter quem homini obedientia praestatur: et, ut in spiritu amoris, et non cum perturbatione timoris procedatur, curandum est; ita *c*] ut omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possimus, * in absoluta omnium Constitutionum observatione nostrique Instituti peculiari ratione adimplenda, praetermittamus: et exactissime omnes nervos virium nostrarum ad hanc virtutem obedientiae, in primis Summo Pontifici, deinde Superioribus Societatis exhibendam, intendamus; ita * ut omnibus in rebus, ad quas potest cum charitate se obedientia extendere, ad eius vocem, perinde ac si a Christo Domino egrederetur (quandoquidem ipsius loco ac pro ipsius amore et reverentia obedientiam praestamus) quam promptissimi simus, re quavis, *d*] atque adeo littera a nobis inchoata necdum perfecta relicta; ad eum scopum vires omnes ac intentionem in Domino convertendo, * ut sancta *e*] obedientia tum in exsecutione, tum in voluntate, tum in intellectu sit in nobis semper omni ex parte perfecta; cum magna celeritate, spirituali gaudio et perseverantia quidquid nobis iniunctum fuerit obeundo; omnia iusta esse nobis persuadendo; omnem

a] P. 5 c. 3 n. 3. c. 4 n. 2.

b] *Inf.* c. 2, 3. P. 3 c. 1 n. 23. P. 4 c. 10 n. 5. P. 7 c. 2 n. 1, A, I. P. 8 c. 1, D. P. 9 c. 3 n. 20.

c] *Inf.* c. 5. P. 4 c. 10 n. 5. P. 9 c. 3 n. 8. c. 6, A. P. 10 n. 13.

* A

* B

d] P. 4 c. 10 n. 9.

* C

e] P. 3 c. 1 n. 23. P. 4 c. 10 n. 5.

sententiam ac iudicium nostrum contrarium caeca quadam obedientia abnegando; et id quidem in omnibus, quae a Superiore disponuntur, ubi definiri non possit (*f*] quemadmodum dictum est) aliquod peccati genus intercedere. Et sibi quisque persuadeat, quod qui sub obedientia vivunt, se ferri ac regi a divina providentia per Superiores suos sinere debent, perinde ac si cadaver essent, quod quoquoversus ferri et quacumque ratione tractari se sinit; vel similiter atque senis baculus, qui ubicumque et quacumque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inservit. Sic enim obediens rem quamcumque, cui eum Superior ad auxilium totius corporis Religionis velit impendere, cum animi hilaritate debet exsequi; pro certo habens quod ea ratione potius, quam re alia quavis, quam praestare possit, propriam voluntatem ac iudicium diversum sectando, divinae voluntati respondebit.

f] P. 3 c. 1 n. 23. *Inf.* B.

2. Omnibus itidem maxime commendatum sit, ut multum reverentiae, et praecipue in interiori homine, suis Superioribus exhibeant; *g*] Iesum Christum in eisdem considerent, ac revereantur, eosdem ex animo, ut patres, in eodem diligant: ac sic in spiritu charitatis in omnibus procedant, ut *h*] nihil ex externis vel internis eos celent; quin potius ut omnia prorsus intelligant, quo melius in via salutis et perfectionis se dirigant, optare debent. Et ea de causa tam omnes Professi, quam *i*] formati Coadiutores, semel singulis annis, et quoties praeterea Superiori visum fuerit, *l*] ad suas conscientias in confessione, vel secreto, vel alia ratione eisdem aperiendas, propter magnam eius rei utilitatem, ut in Examine dictum est, parati esse debebunt: tum etiam ad confessionem generalem, quae ab ultima generali inchoetur, ei quem Superior sibi substituerit faciendam.

g] *Sup.* n. 1.

h] *Exa.* c. 4 n. 34 etc. P. 3 c. 1 n. 12. P. 4 c. 10 n. 5.

i] *Exa.* c. 4 n. 40.

l] C. 22 d. 44 n. 4.

3. Deferant omnes ad Superiorem suum res, quae eis expetendae occurrerint: nec privatus quispiam, directe vel indirecte, sine eius facultate et approbatione, a Summo Pontifice nec ab alio extra Societatem, gratiam ullam in suum privatum vel alterius usum petat, aut petendam curet: sibique *k*] persuadeat, si per Superiorem suum, vel cum eius consensu, quod optat non obtinuerit; ne id quidem ad divinum servitium sibi convenire: et, si convenit, cum Superioris consensu, ut qui *l*] Christi Domini nostri locum erga ipsum tenet, id se consecuturum.

k] P. 3 c. 2 n. 1. P. 5 c. 4, F.

l] *Sup.* n. 1.

DECLARATIONES IN CAPUT I.

A. *Hae primae declarationes, quae simul cum Constitutionibus promulgantur,* a] *eamdem, quam illae auctoritatem habent. Et ita in utrarumque observatione eamdem curam adhiberi oportet.*

a] *Prooem. declarat.*

B. *Huiusmodi* b] *sunt illae omnes, in quibus nullum manifestum est peccatum.*

b] *Sup.* n. 1. P. 3 c. 1 n. 23.

C. *Obedientia, quod ad exsecutionem attinet, tunc praestatur, cum res iussa completur: quod ad voluntatem, cum ille, qui obedit, id ipsum vult, quod qui iubet: quod ad intellectum, cum id ipsum sentit, quod ille; et quod iubetur bene iuberi existimat. Et est imperfecta ea obedientia, in qua, praeter exsecutionem, non est haec eiusdem voluntatis et sententiae inter eum qui iubet, et qui obedit, consensio.*

CAPUT II.

DE IIS, QUAE AD PAUPERTATEM, QUAEQUE EAM CONSEQUUNTUR, PERTINENT.

a] P. 3 c. 1 n. 25. P. 10 n. 5.

1] C. 4 d. 54.

* A

1. PAUPERTAS, *a*] ut murus Religionis firmus, diligenda et in sua puritate conservanda est, quantum, divina gratia aspirante, fieri poterit. Et quia humanae naturae hostis ad hoc propugnaculum ac refugium debilitandum (quod DEUS Dominus noster Religionibus inspiravit contra illum aliosque religiosae perfectionis adversarios) eniti solet, ea, quae a primis Fundatoribus bene ordinata fuerant, immutando per declarationes vel innovationes primo illorum spiritui minime consentaneas; ut quod in nobis situm fuerit, hac parte Societati prospiciamus, *1*] quicumque in ea Professionem emiserint, * se ad innovationem Constitutionum in iis, quae ad paupertatem pertinent, nihil facturos promittant; nisi aliquo modo, pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis restringendam iudicarent.

b] *Inf.* n. 5, 6. *Exa.* c. 1 n. 3, 4. P. 10 n. 5.

* B

2] C. 2 d. 33.

3] C. 7 d. 50, 51. C. 11 d. 20.

2. In *b*] Domibus vel ecclesiis, quae a Societate ad auxilium animarum admittentur, * *2*] reditus nulli, ne sacristiae quidem aut fabricae applicati, haberi possint: sed neque ulla alia ratione, ita ut *3*] penes Societatem eorum sit ulla dispensatio; sed in solo DEO, cui per ipsius gratiam ea inservit, fiducia constituatur, sine reditibus ullis ipsum nobis prospecturum de rebus omnibus convenientibus ad ipsius maiorem laudem et gloriam.

* C

c] P. 4 c. 10, A.

* D

d] *Exa.* c. 1 n. 4. P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 1. P. 9 c. 3 n. 18. c. 4 n. 7. P. 10 n. 4.

3. * Professi vivant ex eleemosynis in Domibus, cum aliquo non mittuntur: *c*] nec officium Rectorum ordinarium in Collegiis vel Universitatibus Societatis habeant (nisi ipsarum necessitas vel magna utilitas id exigeret), * nec *d*] reditibus eorum in Domibus utantur.

4. Coadiutores, quamdiu in Domibus erunt, quae ex eleemosynis vivunt, et ipsi eodem modo vivent. In Collegiis, si Rectores fuerint vel Lectores, aut alioqui in rebus necessariis vel valde convenientibus eisdem Collegiis utiles fuerint, vivent, sicut reliqui, ex eorum reditibus, quamdiu eorum opera Collegia indigebunt. Cum autem desierint utiles esse Collegiis, desinent in eis habitare; et in Domibus Societatis, ut de Professis est dictum, habitabunt.

e] *Sup.* n. 2.

* E

* F

5. Non *e*] solum reditus, * sed nec possessiones ullas habeant in particulari nec in communi Domus vel ecclesiae Societatis, praeterquam quod ad habitationem vel usum necessarium eis, aut valde conveniens fuerit; cuiusmodi duceretur, si in usum convalescentium, vel eorum, qui, ut rebus spiritualibus vacent, se ab hominum frequentia recipiunt, locus aliquis a communi habitatione separatus, qui aere salubriori et aliis commodis polleret, admitteretur: et tunc huiusmodi ille sit, ut nec aliis locetur, * nec fructus, qui redituum loco esse possint, habeat.

6. Quamvis ad bona et sancta opera et maxime perpetuo duratura incitare

laudabile sit; ob maiorem tamen aedificationem, nullus de Societate debet nec potest quemquam ad eleemosynas perpetuas Domibus vel ecclesiis eiusdem Societatis relinquendas incitare: et si aliqui sponte sua eas relinquerent, nullum ius civile ad eas petendas in iudicio acquiratur; sed cum ad id 4] charitas propter DEUM eos moverit, tunc eas elargiantur.

4] C. 2 d. 56.

* G

7. Omnes, *f*] qui sub obedientia sunt Societatis, * meminerint se gratis dare debere, quae gratis acceperunt; nec postulando nec admittendo 5] stipendium vel eleemosynas ullas, quibus Missae, vel confessiones, vel lectiones, vel visitationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quae Societas iuxta nostrum Institutum exercere potest, compensari videatur: ut sic maiori cum libertate possit, et proximorum aedificatione, in divino servitio procedere.

f] *Exa.* c. 1 n. 3. c. 4 n. 27. P. 4 c. 7 n. 3. c. 15 n. 4. c. 17, F. P. 7 c. 4 n. 4, B. P. 10 n. 5.
5] C. 5 d. 29. C. 12 d. 39, 40. C. 14 d. 25. C. 16 d. 21.

8. Ut omnis avaritiae species evitetur, praecipue in piis ministeriis, quibus ad animarum auxilium Societas utitur; nulla sit in ecclesia 6] arca, in quam eleemosynae ab iis, qui ad conciones, Missas, vel confessiones et reliqua spiritualia ad eam conveniunt, coniici solent.

6] C. 2 d. 78.

9. Eadem de causa munuscula, quae magnatibus ad res maiores ab ipsis obtinendas offerri solent, ne offerantur: nec huiusmodi primarios viros invisere Nostri consuescant, nisi sancto studio piorum operum ducerentur; vel quando intima benevolentia in Domino tam essent coniuncti, ut huiusmodi officium aliquoties eis deberi videretur.

10. Parati *g*] sint ad mendicandum ostiatim, quando vel obedientia, vel necessitas id exiget. Et sit unus vel plures ad eleemosynas petendas, quibus personae Societatis sustententur, destinati: quas 7] eleemosynas simpliciter amore Domini nostri petent.

g] *Inf. I. Exa.* c. 4 n. 27. P. 4 c. 2 n. 6.
7] C. 2 d. 56.

* H

11. * Ut nihil *h*] proprium domi teneri, ita nec foris apud alios potest. Et quisque iis, quae de communi data fuerint ad usum suum necessarium aut convenientem, resecatis superfluis, sit contentus.

h] P. 3 C. 1 n. 7.

12. Quo melius paupertatis puritas et quies illa, quam secum affert, conservetur; non solum particulares Professi, vel Coadiutores formati haereditariae successionis non erunt capaces; verum nec Domus, aut ecclesiae, nec Collegia 8] eorum ratione. Sic enim, omnibus litibus et controversiis praecisis, charitas cum omnibus ad DEI gloriam melius conservabitur.

8] C. 1 d. 38. C. 2 d. 33. C. 3 d. 39.

13. Quando *i*] Summus Pontifex vel Superior, huiusmodi Professos vel Coadiutores ad laborandum in vineam Domini mittet, *k*] nullum viaticum petere possint; sed se liberaliter repraesentent, * ut mittantur, prout illis ad maiorem DEI gloriam fore videbitur.

i] P. 7 c. 1 n. 1.
k] *Exa.* c. 1 n. 5. P. 7 c. 1 n. 3, E. c. 2, G.

* I

14. Ut in hac etiam parte modo consentaneo debitae paupertati procedatur, * nullum in Domibus Societatis iumentum ad equitandum, ad usum alicuius de ipsa Societate (sive Praepositus, sive subditus ille sit) ordinarie habebitur.

* K

15. In *l*] vestitus itidem ratione tria observentur: primum, ut honestus 9] ille sit; alterum, * ut ad usum loci, in quo vivitur, accommodatus; tertium, ut professioni paupertatis non repugnet. * Videretur autem repugnare, si sericis vel pretiosis pannis uteremur; a quibus abstinendum est, ut in omnibus *m*] humilitatis et

l] *Exa.* c. 4 n. 26. P. 3 c. 2 n. 3, C.
9] C. 1 d. 95.

* L

* M

m] *Inf.* n. 16.

submissionis debita ad maiorem Dei gloriam ratio habeatur.

16. In iis, quae ad rationem victus, n] somni ac usus reliquarum rerum vitae necessariarum vel convenientium spectat, * quamvis o] communis illa sit, minimeque diversa ab eo, p] quod medicus illius loci, in quo vivitur, iudicabit, ita ut quod quisque sibi inde subtraxerit, *10*] ex devotione, non ex obligatione subtrahat; q] habenda tamen semper erit ratio humilitatis, paupertatis ac spiritualis aedificationis, r] quae semper nobis in Domino ob oculos versari debet.

n] P. 3 c. 2, E. P. 4 c. 4 n. 1.
* N
o] *Exa.* c. 1 n. 6.
p] P. 3 c. 2, G.
10] C. 1 d. 96.
q] *Sup.* n. 15. *Exa.* c. 4 n. 26.
r] P. 7 c. 4 n. 2.

* C. 1 d. 38.

DECLARATIONES IN CAPUT II. *

A. *Innovari quod ad paupertatem attinet, est relaxari ad reditus vel possessionem ullam in proprium usum, vel ad sacristiam, vel ad fabricam, vel ad aliquem alium finem,* a] *praeter id, quod ad Collegia et Domos Probationum attinet, admittendum. Et ne in re, quae tantum habet momenti, Constitutiones mutentur; post emissam professionem unusquisque promittat coram Praeposito Generali et iis, qui apud eum erunt, asseratque in conspectu Creatoris et Domini nostri, quod numquam assentietur ad immutandum quod ad paupertatem in Constitutionibus pertinet; nec in Conventu totius Societatis congregatae, nec per seipsum ulla ratione id curando.*

a] *Exa.* c. 1 n. 4.

B. *Si aliquis ex fundatoribus Domorum vel ecclesiarum vellet reditus aliquos ad fabricae usum relinquere; dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde ei competat actio in illos (quamvis id illi curae esset, ut is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret) et sic in rebus similibus; non esset id a paupertate Societatis alienum.*

C. *In Collegiis Professos non habitare, intelligitur, diu in eis manendo;* b] *quamvis, dum alio iter faciunt, diem aliquem vel tempus congruum in eis manere possint: habitare autem* c] *diu etiam possent, cum necessarium aut conveniens ad ipsius Collegii vel Universitatis bonum id esset; ut si ad gubernationem studiorum essent necessarii; vel si legerent, aut in spiritualibus exercitiis confessionum et concionum, ad Scholasticos, qui id praestare deberent, sublevandos; vel ad id demum, quod ipsi non possunt, praestandum, occuparentur; vel si ad visitanda et dirigenda huiusmodi Collegia vel Universitates mitterentur: quando etiam necessarium aut conveniens ad universale bonum id videretur; ut si aliquis, cum expressa facultate Praepositi Generalis, scribendi gratia per tempus aliquod se eo reciperet.*

b] P. 4 c. 2, F.
c] P. 4 c. 2, F

D. *Res* d] *minimae ducuntur pro nihilo: et ita ad scrupulos eximendos declaratur, ubi Rector eum, qui iter per ipsius Collegium haberet ac viatico egeret, viatico aliquo ac eleemosyna prosequeretur, recipi eam posse. Quod autem Collegia suppleant aliquos sumptus, quos, si ipsa non facerent, facturae essent Domus, si possent, ut vestitum et viaticum eis, qui ad Collegia ex Domibus mittuntur, providere; quamvis id sit, aut esse videatur Domum iuvare; non tamen est contra intentionem huius Constitutionis, quae cavet, ne Collegiorum reditibus ad victum, et vestitum, et alias expensas proprias, Domus iuventur. Sic etiam intelligitur contra Constitutionem non esse, quod in aliquo horto Collegii aliquid recreationis infirmi vel sani, qui sunt in Domibus, sumant; dum tamen expensis Collegii, quamdiu sunt*

d] P. 4 c. 2, F.

in Domibus, non alantur: et tantumdem de rebus similibus potest iudicari.

E. *Quia, ut in litteris apostolicis dicitur, non est habitura Societas ius civile ad rem ullam stabilem, nisi ad ipsius habitationem et usum esset opportuna; quidquid stabile illi datum fuerit, teneatur eo, quam primum poterit, se exuere ac vendere; ut pauperibus Societatis vel externis sua in penuria subveniatur.*

Quamvis hoc ita se habeat, temporis tamen opportunitas ad vendendum non est excludenda. Et hoc intelligatur, cum res illa stabilis necessaria non est ad Domus usum, ut aliqua ex superius memoratis. Aliarum rerum mobilium, ut pecuniarum, vel librorum, vel earum, quae ad victum et vestitum pertineant, potest in communi Societas proprietatem ad usum suum habere.

F. *Huiusmodi essent, si vini, vel olei, vel tritici proventum dictae possessiones ferrent; vel si fructus et olera ex hortis venderentur, quorum nihil licebit. Quamvis fructibus aut parte ipsorum ad commodum Domus suae uti possint; si tamen Societas colonum aliquem vel saecularem hominem haberet, qui hortis vel agris, quos dictae Domus habent, praeesset; non esset etiam ei prohibendum, ne ad privatam suam utilitatem quod videretur convenire ex dictis faceret; dummodo tunc nec ad Domos, nec ad particulares personas Societatis utilitas interim ulla perveniret.*

G. *Quamvis quicumque voluerint, Domum vel ecclesiam eleemosynis iuvare possint (sive in spiritualibus ipsi ab ea iuventur, sive non), tamen non debet quidquam accipi tamquam stipendium*
11] C. 1 d. 37. *vel* 11] *eleemosyna, pro iis, quae ob solum Christi Domini nostri obsequium eis communicantur; ita ut hoc detur aut accipiatur pro illo.*

H. *Intelligendum est hoc absolute de Professis et Coadiutoribus formatis. Caeterum in Scholasticis, et aliis, qui tempus probationis nondum expleverunt, hoc intelligi debet de rebus iis,* e] *quae* e] Exa. c. 4 n. 4.
in praesentia subsint eorum dispositioni. Nihil enim horum habere debent, nisi conscio et approbante Superiore. Neque vero sermo est de bonis, quae forte procul inde illi habent, de domibus scilicet vel rebus aliis; f] *sed, quod ad haec at-* f] Exa. c. 4 n. 2, 5. P. 3 c. 1 n. 7, F. P. 4 c. 4, E.
tinet, parati etiam esse debebunt, ut illis se abdicent, quandocumque Superiori videretur, ut in Examine dictum est.

I. *Id est pedites vel equites, cum pecuniis vel sine illis. Et* g] *omnino* g] Sup. n. 10. P. 7 c. 1, E. c. 2, G.
parati esse debebunt ad id faciendum, quod is, qui mittit, magis convenire, et ad maiorem aedificationem universalem fore iudicaverit.

K. *Nisi id fieret propter adversam valetudinem continuam, vel necessitatem urgentem propter publica negotia, praecipue in amplis populis. Tunc enim potius universalis boni et sanitatis Nostrorum, quam temporis definiti aut perpetui, quamque suis vel alienis pedibus incedendi, ratio est habenda; intuendo semper quod necessarium et honestum sit, et nulla ratione quod ad pompam ullam pertineat.*

L. *Vel saltem quod omnino non recedat.*

M. *Hoc intelligendum est in iis, quibus Domus novas vestes providet:*
h] *non tamen repugnat, quod, qui Socie-* h] Exa. c. 1, F.
tatem ingrediuntur, si panno pretiosiore aut re simili induti venerunt, eo uti possint. Nec etiam si in occurrenti aliqua occasione vel necessitate quis vestibus melioribus, 12] *honestis tamen, in-* 12] C. 1 d. 68.
dueretur: sed ad ordinarium vestiendi modum eis uti non debent. Est nihilomi-

nus considerandum, quod non omnes eisdem viribus naturalibus, nec sanitate corporis, nec aetate ad eam convenienti pollent: atque ita, iuxta maius particulare bonum huiusmodi personarum et universale aliarum multarum, id considerandum est; et, quoad eius fieri poterit, ad maiorem DEI *gloriam providendum.*

N. *In particularibus, si magis vel minus necessarium erit, iuxta circumstantias personarum relinquetur discretioni eorum, qui ipsis praesunt, ut quemadmodum eis conveniet provideant.*

CAPUT III.

DE IIS REBUS, IN QUIBUS OCCUPARI ET A QUIBUS ABSTINERE DEBENT QUI IN SOCIETATE SUNT.

1. QUONIAM, habita ratione temporis ac approbationis vitae, quae exspectatur, ut aliqui ad professionem vel in Coadiutores formatos in Societate admittantur, tamquam certum ducitur eos viros spirituales futuros; et qui sic in via Christi Domini nostri profecerint, ut per eam currere possint, quantum corporis valetudo et externae occupationes charitatis atque obedientiae permittent;
a] P. 3 c. 1, B.
non videtur in iis, *a*] quae ad orationem, meditationem et studium pertinent, ut nec in corporali exercitatione ieiuniorum, vigiliarum aut aliarum rerum ad austeritatem vel corporis castigationem spectantium,
* A
* ulla regula eis praescribenda, nisi quam discreta charitas unicuique dictaverit:
b] *Exa.* c. 1 n. 6, C. P. 3 c. 1 n. 12. c. 2 n. 5.
b] dum tamen semper Confessarius consulatur, et, ubi dubium acciderit, quid conveniat, res ad Superiorem referatur. Hoc tamen dicetur in universum esse quidem animadvertendum,
c] P. 3 c. 2 n. 1.
c] ne nimius huiusmodi rerum usus tantopere vires corporis debilitet, tantumque temporis eos distineat, ut deinde spirituali proximorum auxilio iuxta nostri Instituti rationem non sufficiant: nec contra tanta in illis sit relaxatio, ut, fervore spiritus refrigescente, humani ac inferiores affectus incalescant.

2. Sacramentorum frequentatio valde commendetur. *d*] Differri autem non debet communio aut Missae celebratio, sine causis iudicio Superioris legitimis, ultra octo dies: *e*] omnesque assignato sibi Confessario, vel alioqui iuxta ordinem, quem quisque praescriptum habet a Superiore, confiteantur.
d] *Exa.* c. 4 n. 25. P. 3 c. 1 n. 11. P. 4 c. 4 n. 3, B.
e] P. 3 c. 1 n. 11, I, Q.

3. Ex regulis particularibus, quae in Domibus, ubi ipsi fuerint, observantur, debent operam dare, ut eam partem observent, quae conveniens est, ac iudicio *1*] Superioris ipsis imponetur; sive ad profectum vel aedificationem suam id sit, sive etiam aliorum, inter quos versantur.
1] C. 4 d. 22.

4. Quoniam occupationes, quae ad animarum auxilium assumuntur, magni momenti *f*] sunt, ac nostri Instituti propriae, et valde frequentes; cumque alioqui nostra habitatio tam sit in hoc vel in illo loco incerta; * non utentur Nostri choro ad horas canonicas, *2*] vel Missas, et alia offi-
f] *Exa.* c. 1 n. 2 P. 4 *Prooem.*
* B
2] C. 1 d. 39. C. 2 d. 17.

cia decantanda: quandoquidem illis, quos ad ea audienda devotio moverit, abunde suppetet, ubi sibi ipsis satisfaciant. Per Nostros autem ea tractari convenit, quae nostrae vocationis ad Dei gloriam magis sunt propria.

(g] P. 4 c. 2 n. 4, B.) 5. Cum g] homines itidem huius Societatis semper parati esse debeant ad discurrendum per quasvis mundi partes, quo fuerint a Summo Pontifice vel a suis Superioribus missi; non debent curam animarum, neque (3] C. 7 d. 56. C. 20 d. 12.) item 3] mulierum religiosarum, vel aliarum quarumcumque suscipere, ut ordinarie illarum confessiones audiant vel ipsas regant: quamvis nihil repugnet semel unius monasterii confessiones ob speciales causas audire.

(* C) (h] P. 4 c. 2 n. 4, B.) 6. * Obligari h] etiam ad Missas perpetuas in suis ecclesiis dicendas vel ad curam similem, quam libertas nostro procedendi modo in Domino necessaria non patitur, minime convenit.

(i] P. 9 c. 6 n. 4, B.) 7. Ut i] plenius possit Societas rebus spiritualibus iuxta suum Institutum vacare, (* D) * quoad eius fieri poterit, a negotiis (4] C. 7 d. 13. C. 8 d. 56. C. 16 d. 31.) 4] saecularibus abstineat (qualia sunt testamentariorum, vel exsecutorum, (5] C. 12 d. 38.) 5] vel procuratorum rerum civilium, aut id (6] C. 5 d. 47, 48, 79, 80.) 6] genus officia) nec ea ullis precibus adducti obeunda suscipiant, vel illis se occupari sinant. Quod si Collegiorum aliqua negotia tractanda fuerint, (7] C. 2 d. 55, 61.) 7] suum habeant procuratorem, per quem ea tractent et iura sua tueantur. Si vero ad Domos Societatis, vel ad totum eius corpus pertinent; quo pacem suam melius conservare possit Societas, idem procurator, vel alius ex Coadiutoribus, vel demum aliquis extra Societatem, aut familia quaepiam, quae Domus patrocinium susciperet, ius Societatis ad maiorem Dei gloriam posset defendere.

8. Eadem de causa, utque inquietudinis a nostra professione alienae occasiones evitentur, k] et melius (k] P. 10 n. 11, B) pax ac benevolentia cum omnibus ad maiorem Dei gloriam conservetur; nemo ex Professis, vel Coadiutoribus, vel etiam Scholasticis Societatis in causis civilibus, nedum criminalibus, * se examinari (nisi, qui ad peccatum (* E) obligare potest, compelleret) sine licentia Superioris permittant. Superior autem eam minime dabit, nisi in causis, quae ad religionem catholicam pertinent, vel alioqui in piis, quae sic cedunt in huius favorem, ut in alterius detrimentum non cedant: quandoquidem Instituti nostri est, sine cuiusquam offensione, quantum fieri potest, omnium in Domino commodis inservire.

DECLARATIONES IN CAPUT III.

A. *Si quibusdam convenire iudicabitur certum tempus praescribi, ne excedant vel deficiant in spiritualibus exercitiis, Superior id facere poterit. Sic etiam in usu aliorum mediorum, si ipse omnino iudicaret aliquo utendum esse, non id relinquendo arbitrio cuiusquam particularis personae; procedet, ut in Domino convenire iudicabit. Subditi autem erit, cum omni devotione quod sibi praescriptum fuerit amplecti.*

B. *Si in quibusdam Domibus vel Collegiis sic convenire iudicaretur, eo tempore, quo vesperi praedicandum vel legendum est, ad populum detinendum ante huiusmodi lectiones vel conciones, posset* 8] *vespertinum officium tantum dici. Sic* (8] C. 1 d. 39 40. C. 2 d. 35, 36.) *etiam ordinarie Dominicis et festis diebus, sine cantu figurato vel firmo, ut*

vocant, sed tono quodam devoto, suavi et simplici: et id in hunc finem, et quatenus iudicaretur, quod populus ad magis frequentandas confessiones, conciones et lectiones moveretur, et non aliter. Eodem tono officium, quod tenebrarum dici solet, cum suis caeremoniis in Hebdomada Sancta fieri posset.

a] P. 4 c. 1, A. *In* a] *Missis maioribus, quae dicentur, licet submissa voce, habita devotio-*
9] C. 1 d. 96. *nis et decentiae ratione, licebit* 9] *duos vestitos superpelliceis, vel unum assistere, prout in Domino fieri poterit.*

C. *Quod ad Collegia attinet, in quarta parte attingitur quid horum possit tolerari: Domibus quidem omnino convenit, tale onus non suscipere.*

D. *Hoc observetur, quoad eius fieri poterit: Superiori tamen ad casum aliquem necessitatis vel maioris momenti, ad finem divini servitii praefixum, facultas dispensandi ad tempus relinquetur. Hic autem Superior, Praepositus Generalis erit, vel qui ab eo facultatem ad hoc acceperit.*

E. *Si Superior alicui facultatem daret, ut in causa civili examinaretur, in gratiam alicuius, cui id denegari non posse videretur; limitatio tunc necessaria erit, qaae prohibeat, si quis articulus criminalis vel infamatorius occurrerit, in eo examinari: ad hoc enim nullus Superior facultatem dare debet.*

CAPUT IV.

DE AUXILIO, QUOD MORIENTIBUS IN SOCIETATE PRAESTATUR: ET DE SUFFRAGIIS POST MORTEM.

1. Ut in vita universa, ita, et multo magis, in morte unusquisque de Societate eniti et curare debet, ut in ipso Deus ac Dominus noster Iesus Christus glorificetur, ipsiusque beneplacitum impleatur; et
a] Exa. c. 4 n. 32. *a*] proximi aedificentur, saltem exemplo patientiae ac fortitudinis, cum fide viva, ac spe, et amore bonorum illorum aeternorum, quae nobis Christus Dominus noster tam incomparabilibus vitae suae temporalis laboribus et morte promeruit et acquisivit. Cum tamen persaepe huiusmodi sit morbi ratio, ut usum virium animae magna ex parte impediat; cumque huiusmodi sit ille a temporali vita transitus, ut propter graves impugnationes daemonis, a quo summopere refert non superari, requirat subsidium fraternae charitatis; sollicite advertat Superior, ut qui iuxta medici sententiam de vita periclitatur, antequam usu iudicii privetur, omnibus sacramentis sanctis acceptis, tamquam armis a divina liberalitate Christi Domini nostri nobis concessis ad transitum a temporali vita ad aeternam, se muniat.

2. Iuvari etiam debet orationibus omnium domesticorum valde peculiaribus, donec animam suo Creatori reddat. Et praeter alios, qui ingredi possunt, plures * aut pauciores pro * A
arbitrio Superioris, aliqui delecti sint oportet peculiarius, ut infirmum morti proximum invisant, et ei assistant, et animosiorem reddant; eaque sug-

gerant, eisque auxiliis iuvent, quae eo tempore convenient. Et cum iam aliis rebus iuvari non poterit, eum Domino commendent, donec eius animam a corpore discedentem dignetur ad se recipere, qui eam tam charo pretio sanguinis et vitae suae redemit.

1] C. 1 d. 109. C. 4 d. 4.

* B

* C

3. Posteaquam quis exspiraverit, usque ad sepulturam eius corpus *1*] decenter, * quamdiu conveniet, teneatur. Postmodum, * absoluto officio, coram domesticis pro more sepeliatur: et mane proximo post eius mortem omnes Sacerdotes domestici pro eius anima *2*] Missae sacrificium offerant; reliqui vero peculiari oratione pro eodem divinam implorent clementiam; atque in eo perseverent ulterius, iuxta Superioris arbitrium, et cuiusvis privatam devotionem, et obligationes, quae in Domino intercedunt.

2] C. 3 d. 40. C. 15 d. 10. C. 18 d. 9. *Ord. Gen.* c. 2 n. 3.

3] C. 3 d. 40. C. 13 d. 8. C. 15 d. 10. C. 18 d. 9. *Ord. Gen.* c. 2 n. 3.

4. Reddantur etiam certiores alii de Societate in locis illis, quae Superior convenire iudicaverit, ut simile *3*] officium praestent: ita ut charitas erga eos, qui vita perfuncti sunt, non minus quam erga viventes in Domino demonstretur.

DECLARATIONES IN CAPUT IV.

A. *Si aliqui ex infirmis, quod in phrenesim inciderint, usu rationis privati sint (quo in statu quidquid dixerint, nihil habet vel culpae vel meriti), vel si contingeret esse aliquos, qui minus aedificationis in sua aegritudine, quam par esset, praeberent; utrisque paucos assistere ex iis, quibus magis confideretur, oporteret.*

B. *In aliquo possent aliquot horae deesse ad diem naturalem, quando mali odoris ratione, praesertim cum viget aestus, iudicio Superioris anteverti id tempus posse videretur: ordinarium tamen spatium id erit, quod dictum est.*

C. *Usus habet, ut officium dicatur tono mediocriter alto, sine cantu; praesentibus in ecclesia domesticis cum suis candelis accensis, etc.*

CAPUT V.

QUOD CONSTITUTIONES PECCATI OBLIGATIONEM NON INDUCUNT.

a] *Sup.* c. 1 n. 1. P. 4 c. 10 n. 5. P. 9 c. 3 n. 8. c. 6, A. P. 10 n. 13.

Cum *a*] exoptet Societas universas suas Constitutiones, declarationes, ac vivendi ordinem omnino iuxta nostrum Institutum, nihil ulla in re declinando, observari; optet etiam nihilominus suos omnes securos esse, vel certe adiuvari, ne in laqueum ullius peccati, quod ex vi Constitutionum huiusmodi aut ordinationum proveniat, incidant; visum est nobis in Domino, *b*] excepto expresso voto, quo Societas Summo Pontifici pro tempore exsistenti tenetur, ac tribus aliis essentialibus paupertatis, castitatis et obedientiae, nullas Constitutiones, declarationes, vel ordinem ullum vivendi posse obligationem ad peccatum mortale vel veniale inducere; nisi Superior ea in nomine Domini nostri Iesu Christi, vel *c*] in virtute obedientiae iuberet: quod in rebus vel personis illis, in quibus

b] P. 5 c. 3 n. 3.

c] P. 9 c. 3 n. 20.

iudicabitur quod ad particulare uniuscuiusque vel ad universale bonum multum conveniet, fieri poterit: et loco timoris offensae succedat amor et desiderium omnis perfectionis; et ut maior gloria et laus Christi Creatoris ac Domini nostri consequatur.

SEPTIMA PARS.

DE IIS, QUAE PERTINENT AD ADMISSOS IN CORPUS SOCIETATIS AD PROXIMORUM UTILITATEM PER VINEAM DOMINI DISTRIBUENDOS.

CAPUT I.

DE MISSIONIBUS SUMMI PONTIFICIS.

a] *Exa.* c. 1 n. 2. P. 1 c. 2 n. 8. c. 3 n. 1. P. 3 c. 1 n. 9. P. 4 *Prooem.* c. 12 n. 1. P. 6 c. 3 n. 4. P. 10 n. 2.

1. Ut in sexta parte de iis dictum est, quae observanda sunt cuique de Societate erga seipsum, ita in hac septima de iis dicendum est, quae erga proximos, *a*] qui finis nostri Instituti valde proprius est, dum dividuntur per Christi vineam, ut in ea illius parte atque opere, quod ipsis commissum fuerit, se exerceant, observari debent; * *b*] sive a Summo Christi Domini nostri Vicario, sive a Superioribus Societatis, qui etiam divinae maiestatis loco ipsis praesunt, per diversa loca mittantur, sive ipsimet sibi eligant ubi et qua in re occupentur, *c*] si ipsorum iudicio relictum fuerit ut discurrant quacumque maius Dei et Domini nostri obsequium et animarum profectum assequi se posse arbitrentur; sive labor sit impendendus, non loca peragrando diversa, sed in stabili ac continua habitatione, in aliquibus locis, ubi magnus divinae gloriae et obsequii proventus speratur. Et, ut primo loco de missione Summi Pontificis, ut inter caeteras praecipua, tractetur; animadvertendum est, quod * eo fertur *d*] intentio voti illius, quo se obedientiae Summi Christi Vicarii sine ulla excusatione Societas obstrinxit, ut quocumque gentium ad maiorem Dei gloriam et animarum auxilium, inter fideles *e*] vel infideles, nos mittendos censuerit, nos conferamus. Nec intellexit Societas particularem aliquem locum; sed ut per *f*] orbem in diversas regiones et loca spargeretur; cum optaret, quod factu optimum esset, eligere, idque speraret futurum, si hanc ipsius distributionem Summus Pontifex faceret.

* A

b] P. 6 c. 2 n. 13.

c] *Inf.* n. 7. c. 3 n. 1.

* B

d] *Exa.* c. 1 n. 5. P. 5 c. 3 n. 3, C.

e] *Inf.* c. 2, C. P. 9 c. 3, F.

f] *Inf.* c. 2, H. *Exa.* c. 4 n. 35. P. 3 c. 2, G. P. 4 *Prooem.* A.

2. Et in hac parte, cum omnem proprium sensum ac voluntatem Chri-

sto Domino nostro et eius Vicario Societas subiecerit, * nec Superior pro seipso, nec quisquam alius ex inferioribus pro se vel pro alio, curare nec tentare, mediate vel immediate, cum Summo Pontifice vel eius ministris poterit, ut residere, vel mitti potius in hanc partem, quam in illam debeat: sed *g*] inferiores hanc curam universam Summo Christi Vicario, ac Superiori suo; Superior vero, quod ad suam personam attinet, * Summo Pontifici, et ipsi Societati in Domino relinquat.

* C

g] *Inf.* c. 2, C, I. c. 3 n. 1.

* D

3. Praeterea, *h*] qui a Summo Pontifice designatus fuerit, ut aliquo se conferat; seipsum liberaliter, re temporali nulla pro viatico per se vel per alium postulata, offerat: quin potius sic a Summo Pontifice mittatur, * ut eius Sanctitas ad maius Dei et Sedis Apostolicae obsequium fore, nulla rei alterius in eo habita ratione, iudicaverit.

h] *Exa.* c. 1 n. 5. P. 6 c. 2 n. 13, I.

* E

4. Si Summus Pontifex personam non designaret, sed aliquem vel plures ad hunc vel illum locum proficisci iuberet, Superioris arbitrio relinquendo, qui sint ad huiusmodi missionem aptiores; Superior iuxta eius praeceptum eos, qui magis convenire et aptiores ad id fore videbuntur, designabit. Qua in re maius bonum universale intuebitur, et ut quam minimum detrimentum alia opera ad Dei obsequium suscepta patiantur.

5. Ei, *i*] qui sic missus fuerit, plene declarari convenit plurimum missionem suam et scopum, quo fertur Summi Pontificis intentio, et effectum, cuius gratia mittitur: * et hoc, si fieri potest, in scriptis; quo exactius, quod ei iniunctum fuerit, explere possit. * Eumdem etiam Superior iuvare consiliis ac instructione, quoad eius fieri poterit, curabit; ut in omnibus ad Dei et Sedis apostolicae obsequium utilius suum impendat ministerium.

i] *Inf.* c. 2 n. 2, L.

* F

* G

6. Si *k*] ad particularia loca, tempore minime limitato, per Summum Pontificem mittetur; ad tres menses ibidem manendum ei esse intelligatur: et magis aut minus pro modo maioris aut minoris spiritualis fructus, qui inde percipi videbitur, vel alibi sperabitur; vel demum ut ad bonum aliquod universale magis expedire iudicabitur. Quae omnia, iuxta Superioris arbitrium, qui sanctam intentionem Pontificis in Christi Domini nostri obsequium considerabit, transigentur.

k] *Inf.* c. 2, H. P. 9 c. 3, G.

7. Cum *l*] in locis designatis diutius erit residendum, si fieri poterit sine detrimento principalis missionis atque intentionis Summi Pontificis, excursiones aliquas, si poterit, et cum fructu divini servitii eas fore iudicabit, facere non erit inconveniens: ut, in locis vicinis animarum auxilio serviens, postmodum ad suae residentiae locum redeat: in quo quidem, praeter id, quod est ei peculiari ratione iniunctum (ad quod praecipuam etiam conferet curam, nec propter alias occasiones, licet bonas, divini obsequii posthabebit), potest et debet considerare, quibus aliis in rebus, quae ad Dei gloriam et animarum salutem conferant, suam operam sine detrimento suae missionis, ut dictum est, possit impendere. Opportunitatem autem, quam Deus ad id dederit, quantum in eodem convenire iudicabit, e manibus elabi non sinet.

l] *Sup.* n. 1. *Inf.* c. 3 n. 1.

8. Ad finem nostrae professionis ac promissionis melius consequendum, Praepositus Generalis, cum novus Christi Vicarius in Apostolica Sede fuerit constitutus, per se vel per alium, intra annum ab eius creatione et co-

ronatione, teneatur eius Sanctitati
m] Sup. n. 1. declarare professionem *m*] ac promissionem expressam obedientiae, qua ipsi Societas peculiari voto circa missiones ad DEI gloriam se obstrinxit.

DECLARATIONES IN CAPUT I.

A. *Hi sunt quatuor modi universaliores, Nostros dividendi per Christi Domini nostri vineam; de quibus totidem capitibus septimae huius partis agitur.*

B. *Intentio quarti voti ad Summum Pontificem non tendebat ad locum aliquem particularem; sed ut per varias mundi partes, qui vovebant, spargerentur. Cum enim, qui primi convenerunt in hanc Societatem, ex diversis provinciis et regnis essent, nec eis constaret,*
a] Inf. c. 2, C. P. 9 c. 3, F. *inter quas regiones fidelium* a] *vel infidelium versari deberent; ne in via Domini errarent, promissionem illam vel votum emiserunt, ut Summus Pontifex eos ad maiorem DEI gloriam et iuxta ipsorum intentionem per orbem discurrendi distribueret: et sicubi optatum spiritualem fructum non invenirent, ut inde in alium atque alium locum, maiorem DEI gloriam et animarum auxilium investigando, se conferrent.*

C. *Cum aliquis ex inferioribus ad locum aliquem vel opus designaretur, ad quod mittendus non fore, rebus a summo Christi Vicario bene perspectis, iudicaretur; Praepositus Generalis pleniorem notitiam eius Sanctitati dare, omnibus tandem ipsius arbitrio relictis, poterit.*

D. *Societas esse intelligerentur, qui ex eadem in loco, ubi agit Praepositus Generalis, invenirentur; qui possent quod res habet, bene Summo Pontifici referre, si aliorum relatu diverso adduci videretur, ut Praepositum Generalem, quo non convenit ad commune bonum Societatis et maius DEI obsequium, mittere cogitaret.*

E. *Hoc sane repraesentari poterit, immo debebit, per Praelatum aut quemvis alium, per quem Summus Pontifex iubet aliquo proficisci, quae sit ipsius mens,* b] *de modo itineris conficiendi,* b] Inf. c. 2, G. P. 6 c. 2 n. 13, I.
et ibidem, quo mittitur, manendi; num ex eleemosynis propter Christi amorem emendicatis, an alio modo vivendo: quod enim Summo Pontifici melius videbitur, devotius et securius in Domino fiet.

F. *Si id non obtinebitur, curandum certe erit, ut verbo tenus mens Summi Pontificis intelligatur, sive ipsemet eam immediate, sive per Superiorem, vel Praelatum, vel quemvis alium ei, qui mittitur, declaret.*

G. *Superior etiam, aliquibus documentis adhibitis, non solum in suis, sed etiam Summi Pontificis missionibus iuvare poterit; ut melius quod ad Christi Domini nostri obsequium quaeritur, consequatur.*

CAPUT II.

DE MISSIONIBUS SUPERIORIS SOCIETATIS.

1. Quo * spirituali animarum necessitati subveniri multis in locis maiori cum facilitate ac securitate eorum, qui ad id fuerint destinati, possit; * *a*] Praepositi Societatis, iuxta facultatem eis a Summo Pontifice concessam, mittere quosvis de Societate poterunt * quocumque magis expedire iudicabunt: qui tamen, ubicumque fuerint, ad obedientiam Sedis Apostolicae parati erunt. Et quia complures sunt, qui aliquos ex Nostris sibi concedi petant, potius propriae obligationis spiritualis erga suum gregem, vel aliorum commodorum a fine nostro magis distantium, ratione habita, quam communium et universalium; Praepositus Generalis, vel qui ab eo hanc habuerit facultatem, diligenter in huiusmodi missionibus curet, * ut in suis ad hanc potius, quam ad illam partem mittendis, et * ad hoc opus potius, quam ad illud, et * ut hanc personam potius quam illam mittat, * hoc, vel illo modo, * ad prolixius, vel brevius tempus; id *b*] semper, quod ad maius Dei obsequium et bonum universale facit, statuatur. Cum hac ergo rectissima ac sincerissima intentione in Dei ac Domini nostri conspectu habita, et, si ei videbitur, propter deliberationis difficultatem vel momentum re divinae maiestati suis et domesticorum orationibus ac Sacrificiis commendata, et cum aliquo vel pluribus ex eadem Societate, qui videbuntur inter eos, qui adfuerint, communicata, statuet per seipsum, num mittere debeat, necne: et sic de reliquis circumstantiis, ut ad Dei maiorem gloriam convenire iudicabit. Erit autem eius, qui mittitur, officium, nulla ratione se ingerendo ad eundum vel manendum in hoc loco potius quam in illo, * *c*] plenam ac omnino liberam sui dispositionem Superiori, *d*] qui eum Christi loco dirigit, ad ipsius maius obsequium et laudem relinquere. Sic etiam, ut alii maneant alicubi, vel alio se conferant, nemo quoquo modo sine consensu Superioris sui, per quem ille in Domino gubernandus est, curare debet.

* A
* B
a] P. 9 c. 3 n. 9, F, G.
* C
* D
* E
* F
* G
* H
b] *Inf.* D, E.
* I
c] *Sup.* c. 1 n. 2. *Inf.* c. 3 n. 1. P. 4 c. 10 n. 5.
d] *Inf.* A. P. 3 c. 1 n. 23. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 1, 2, 3. P. 8 c. 1, D. P. 9 c. 3 n. 20.

2. Quocumque *e*] Superior mittet aliquem, * eum plene instruere, et ordinarie in scriptis, debebit, tam de modo procedendi, quam de mediis, quibus eum uti velit ad finem, quem in animo habet. Per *f*] crebram etiam litterarum communicationem, quantum fieri potest, totius successus certior redditus ex eo loco, ubi ipse residet (ut personae et negotia exegerint), consilio * et aliis auxiliis, quaecumque adhiberi possint, providebit; ut maius servitium Deo fiat, magisque commune bonum per personas Societatis iuvetur: quod tanto maiori cura praestari debebit, quanto negotii qualitas (quod vel magni momenti sit vel difficile) * et personarum, quae

e] *Sup.* c. 1 n. 5, F. G.
* K
f] *Inf.* H. P. 8 c. 1 n. 9, L.
* L
* M

missae sunt (quod consilio, et instructione indigeant), id magis exigit.

DECLARATIONES IN CAPUT II.

A. *Facilius et expeditius pluribus locis, praesertim si remoti sint a Sede Apostolica, per Superiorem Societatis provideri potest, quam si semper eis, qui hominibus Societatis indigent, esset Summus Pontifex adeundus. Particularibus etiam securius est, si cum suorum Superiorum obedientia, quam si pro arbitratu suo, etiam si id possent, et non ab iis missi proficiscerentur,* a] *a quibus Christi Domini nostri loco, ut ab interpretibus divinae voluntatis, sunt regendi.*

a] Sup. n. 1.

B. *Ut potest Praepositus Generalis reliqua munera per se ipsum, et per inferiores; ita et hoc mittendi suos, reservatis missionibus quas duxerit reservandas, obire poterit.*

C. *Mittere* b] *quocumque eis videbitur, inter fideles, etiam in Indias, et inter infideles, praesertim ubi aliqua esset habitatio fidelium, ut in Graeciam, etc. intelligendum est. Ubi essent omnino infideles, considerare admodum Superiorem oportebit in conspectu Domini, num mittere, necne, et quo, et quos debeat.* c] *Semper autem erit subditi, missionem suam, ut de manu Domini, hilari animo suscipere.*

b] Sup. c. 1 n. 1, B. P. 9 c. 3, F.

c] Sup. c. 1 n. 2.

D. *Ut in mittendo ad hunc vel ad illum locum rectius procedatur, prae* d] *oculis habendo maius divinum obsequium et universale bonum, ut regulam, ad quam exigi missiones oportet; eligenda videtur in tam ampla Christi Domini nostri vinea (paribus caeteris, quod in omnibus, quae sequuntur, debet intelligi) eius pars illa, quae magis indiget; tam ob penuriam aliorum operariorum, quam ob miserum statum et infirmitatem proximorum in ea, et damnationis extremae periculum.*

d] Sup. n. 1. Inf. E.

Considerandum est etiam, unde verisimile sit fructum uberiorem ex mediis proximi iuvandi, quibus utitur Societas, proventurum; inde scilicet, ubi ostium apertius, et maior dispositio, et facilitas in hominibus ut iuvari possent, videretur: quod quidem positum est in eorum maiori devotione ac desiderio (quod ex instantia, qua Nostros petunt, ex parte intelligi potest), vel in conditione et qualitate personarum, quae magis sint idoneae, ut iuvari, et fructum quem ceperint, ad Dei gloriam conservare possint.

Ubi magis debemus, ut in locis illis, in quibus Domus vel Collegia Societatis sunt, vel aliqui ex ea, qui student, et beneficentia populi iuvantur (si paria essent caetera, quae ad spiritualem profectum attinent); magis conveniret aliquos nostros operarios versari, et huiusmodi loca talem ob causam, iuxta ordinem perfectae charitatis, aliis praeferri.

Quia bonum, quo e] *universalius, eo divinius est; illi homines et loca, quae cum profecerint, in causa erunt, ut bonum ad multos alios, qui eorum auctoritatem sequuntur vel per eos reguntur, perveniat, debent praeferri. Sic spirituale auxilium, quod hominibus magnis et publicis (sive saeculares, ut Principes, Domini, Magistratus, vel iustitiae ministri; sive ecclesiastici illi sint, ut Praelati) quodque viris doctrina et auctoritate eminentioribus confertur, maioris momenti esse propter rationem eamdem boni universalioris existimandum est: propter quam etiam, auxilium impensum magnis gentibus, ut Indis, vel populis primariis, vel Universitatibus, quo solent multi confluere, qui, si iuventur, ipsi operarii esse ad alios iuvandos poterunt, debeat praeferri.*

e] Inf. E.

Ubi itidem intelligeretur inimicus Christi Domini nostri seminasse zizania, ac praecipue effecisse, ut male sentiant vel male affecti sint in Societatem, quo impediatur fructus, qui ex ea posset provenire; tunc impensius esset incumbendum, praesertim si alicuius momenti, et cuius habenda sit ratio, is locus est: eoque mittendi essent homines, si fieri posset, qui vitae exemplo et doctrina conceptam ex falsis narrationibus malam opinionem removerent.

E. *Ad meliorem ac certiorem operum electionem, ad quae Superior suos mittit,* f] *eadem regula ob oculos versetur, scilicet divinus honor maior maiusque bonum universale. Haec enim consideratio iustissime ad mittendum in hunc locum potius, quam in illum, movere potest. Et ut aliqua, quae ad alterutram partem possunt momentum habere, attingantur; in primis, cum possint, qui de Societate sunt, operam suam collocare, ubi bona spiritualia quaeruntur et etiam ubi corporalia, in quibus etiam misericordia et charitas exercetur; cum itidem aliqui possint in rebus maioris suae perfectionis et minoris, et demum in rebus ex se melioribus et minus bonis iuvari;* g] *si utraque simul praestari non possunt, priora, caeteris paribus, secundis semper essent praeferenda.*

f] *Sup.* n. 1, D.

g] *Inf.* c. 4 n. 9.

Cum etiam res aliquae in divino servitio magis urgeant, aliae minus, quod remedii dilationem melius ferant; quamvis alioqui aequalis essent momenti, priores posterioribus sunt anteponendae.

Cum etiam quaedam peculiari quodam modo ad Societatem pertineant, vel cernatur alios non esse, qui eisdem vacent; rursus aliae, quarum curam et modum eisdem prospiciendi alii habent; priores in missionibus priorem locum habere aequum est.

Sic etiam inter pia opera, quae aequalis essent momenti ac necessitatis et quae aequaliter urgerent, si aliqua securiora tractanti, alia vero periculosiora essent; et rursus, aliqua, quae facilius et expeditius, alia quae maiori cum difficultate et longiori tempore absolvuntur; priora etiam debent praeferri.

Caeteris, h] *quae dicta sunt, paribus, cum etiam sint aliquae occupationes universalioris boni et quae se ad plurium auxilium extendunt, ut concionari vel legere; aliae magis particulares, ut confessiones audire vel Exercitia Spiritualia tradere; si utrisque vacari non potest, priores praeferantur, nisi aliquae circumstantiae moverent, ut secundae magis convenire viderentur. Cum etiam quaedam pia opera diuturniora, et semper profutura sint, ut fundationes aliquae piae, quae ad proximorum auxilium instituuntur; alia minus diuturna, quae raro et ad tempus exiguum iuvant; constat priora secundis esse praeferenda. Et sic Praepositus Societatis potius ad haec, quam ad illa, suorum operam conferre debet. Fiunt vero haec omnia propterea, quod ad maius* Dei *obsequium maiusque proximorum bonum ita conveniat.*

h] *Sup.* D. *Inf.* c. 3 n. 2.

F. *Quamvis* i] *summa providentia et Sancti Spiritus directio, ea sit, quae efficaciter meliora cum in aliis omnibus eligere faciat, tum in mittendis ad quemvis locum illis, qui magis convenient et quadrabunt personis et rebus propter quas mittuntur; illud tamen in universum dici potest: primum, quod ad res graviores, et in quibus plus refert non errare (quoad situm in eo fuerit cum divina gratia, qui providere debet), mitti viros magis delectos, quibusque magis confidatur, oportet.*

i] *Prooem. Constit.* P. 1 c. 2 n. 13. P. 4 c. 8 n. 8.

In rebus, quae corporis labores maiores exigunt, qui robustiores et saniores.

Ubi pericula spiritualia plura sunt, qui in virtute magis probati et securiores.

Ut agant cum viris prudentibus, qui spiritualem gubernationem vel temporalem habent, ii convenire magis videntur,
k] P. 1 c. 2 n. 9, 10. k] *qui discretionis et conversandi cum hominibus gratiam habent, cum exteriori specie (modo, quae interiora sunt, non desint), quae ad auctoritatem conferat. Posset enim magni momenti esse eorum consilium.*

Ingeniosis et subtilibus ac litteratis ii magis quadrant, qui in ingenio itidem et litteris peculiare donum habent. Hi enim in lectionibus et colloquiis magis iuvare poterunt.

Ad populum, ut plurimum, aptiores erunt, qui talento praedicationis et audiendarum confessionum pollent.

Quod ad numerum attinet huiusmodi operariorum, qui mittendi sunt, et combinationem eorum, consideratio erit etiam adhibenda: et primo quidem, cum fieri posset, conveniret unum solum non mitti, sed saltem duos: tum ut mutuo ipsi in rebus spiritualibus et corporalibus iuventur, tum ut possint esse magis utiles iis, ad quos missi sunt, labores inter se dividendo, quos in servitium proximorum suscipiunt.

Et si duo mittentur, cum uno concionatore vel lectore commode coniungeretur alius, qui messem in confessionibus et Spiritualibus Exercitiis, quam ille praepararet, colligeret, iuvaretque eumdem in colloquiis et aliis mediis, quae ad proximos iuvandos adhiberi solent.

Sic etiam, si quis in modo procedendi Societatis et cum proximis agendi parum exercitatus mitteretur, alteri in his magis exercitato adiungi deberet; quem imitari, cum quo referre, quemque de rebus dubiis, quae occurrent, consulere possit.

Alicui valde ferventi et animoso, alius magis circumspectus et cautus bene adiungeretur: l] *et sic de aliis* l] P. 8 c. 1 n. 3, C.
mixtionibus huic similibus; ita ut diversitas, vinculo charitatis unita, sic utrumque iuvet, ut contradictionem vel discordiam inter eos aut alios proximos generare non possit. Plures quam duos, cum opus, ad quod mittuntur, maioris esset momenti in divino obsequio ac maiorem multitudinem exigeret, et alioqui Societas plures operarios sine detrimento rerum aliarum ad maiorem Dei *gloriam et universale bonum spectantium posset providere, Superior mittere poterit; prout Sancti Spiritus unctio eum docuerit, vel in divinae Maiestatis conspectu melius convenientiusque ipse senserit.*

G. *Quod* m] *ad modum attinet eos* m] *Sup.* c. 1, E. P. 6 c. 2 n. 13, I.
mittendi, praeter convenientem instructionem, num pauperum more, 1] *ut* 1] C. 3 d. 37.
sine iumento ac pecunia, an maiori cum commoditate mitti oporteat; n] *cum* n] *Inf.* M.
litteris item, an sine illis, quo tendunt, destinatis (sive ad privatos aliquos homines, sive ad civitatem vel eius caput scribentur, quae ad auctoritatem aut benevolentiam conferant), Superior, undecumque maiorem proximorum aedificationem et divinum obsequium intuendo, quod convenit constituet.

H. *Tempus* o] *quod missionibus* o] *Sup.* c. 1 n. 6, P. 9 c. 3, G.
dandum est, sive ad hanc sive ad illam partem mittantur, quando a Summo Pontifice praescriptum non est, metietur hinc quidem qualitas negotiorum spiritualium, quae tractantur, et momentum ipsorum maius aut minus, habita necessitatis et fructus, qui percipitur vel speratur, ratione; inde vero, consideratio eorum, quae aliis in locis se offerunt, et obligatio eis vacandi, et vires Societatis, quas habet, ut his atque illis operibus possit satisfacere. Quae-

2] C. 1 d. 69.
p] Sup. c. 1 n. 1. Exa. c. 4 n. 35. . 3 c. 2, G. P. 4 Prooem. A.
q] Sup. n. 2. P. 8 c. 1 n. 9, L.

dam etiam accidere solent, quae expendenda sunt, ut missionis tempus vel brevius sit vel 2] *prolixius.* p] *Demum, habita primi nostri instituti ratione, cum hoc sit per varias mundi partes discurrere, ac magis vel minus in illis haerere, pro fructus, qui cernitur, modo; videndum erit, num conveniat plus aut minus temporis in his aut illis missionibus impendi.* q] *Et, ut hoc intelligatur, conveniet crebris litteris certiorem reddi Superiorem percepti fructus ab his, qui missi sunt.*

r] P. 10 n. 11, B.

Cum r] *mutari aliquem oportebit, animadvertat Superior, quod ad eum revocandum, quoad fieri poterit, iis mediis utatur, ut hi, a quibus aliquis evocatur, potius benevoli omnino maneant, quam offensi vel male affecti; et quod in omnibus honor et gloria divina et bonum universale quaeritur, sibi persuadeant.*

s] Exa. c. 8, A. P. 5 c. 4, F.

I. *His* s] *non repugnat proponere motus animi aut cogitationes, quae in contrarium occurrunt; subiiciendo suum sentire et velle ei, quod ipsius Superior Christi Domini nostri loco sentiret ac vellet.*

3] C. 5 d. 49. C. 7 d. 20. C. 10 d. 18. C. 16 d. 17.

K. *Hinc planum fit, prohiberi, ne quis* 3] *Principem, vel Communitatem, aut hominem quemvis magnae auctoritatis, ad scribendum Superiori vel verbo tenus petendum aliquem de Societate, moveat; nisi prius, cum Superiore communicata re, hanc esse ipsius voluntatem intellexerit.*

L. *Dicitur: ordinarie, propterea quod aliquando is, qui mittitur, tam instructus est tantaque dexteritate pollet, ut instructio non sit necessaria. Sed demum hoc fiet, quandocumque opus erit.*

t] Sup. G.

M. *Cuiusmodi essent orationes et Missae, quae initio praesertim suscipiendorum operum, vel quando maior subsidii necessitas cernitur, quod res magni momenti sint vel difficultates graves incidant, ad id applicentur. In hoc ergo, sicut et in aliis auxiliis,* t] *suarum patentium, aut Sedis Apostolicae litterarum, et aliis rebus, quae possent esse necessariae, providebit Superior, prout ratio et charitas monebit.*

N. *Hoc consilium et instructio, non tantum negotiis, sed etiam personis, prout unusquisque vel animari vel reprimi opus habet, perutile esse poterit; et sic de aliis intelligatur.*

CAPUT III.

DE LIBERA AD HANC VEL ILLAM PARTEM PROFECTIONE.

a Sup. c. 1 n. 2. c. 2 n. 1, I.
b] Sup. c. n. 1, 7.

1. Quamvis *a*] eorum sit, qui sub obedientia Societatis vivunt, se non ingerere directe vel indirecte ad sui missionem, sive a Summo Pontifice, sive a suo Superiore in nomine Domini nostri Iesu Christi mittantur; qui tamen ad regionem aliquam magnam, cuiusmodi esset India vel aliae provinciae, missus esset; *b*] si pars eius aliqua peculiari limitatione ei assignata non fuerit, potest magis et minus in hoc vel in illo loco immorari, aut discurrere quacumque, omnibus perpensis (in se, quod ad voluntatem suam attinet, indifferentiam sentiendo) et oratione facta, iudica-

verit ad DEI gloriam magis expedire. Hinc apparet quod, primae et summae obedientiae Summi Pontificis non repugnando, multo magis in huiusmodi missionibus Superiori ad hanc partem potius, quam ad illam, prout in Domino senserit convenire, eosdem dirigere licebit.

2. Ubicumque quis maneat, si non est ei iniunctum, ut medio aliquo limitato utatur, quale esset legere vel praedicare; in eo se exercebit ex iis, quibus utitur Societas, in quarta parte capite octavo dictis et proximo capite dicendis, * c] quod magis convenire iudicabit; atque etiam quod d] in sexta parte devitandum dicitur, ad maius DEI obsequium etiam devitabit. * A c] *Sup.* c. 2, D. E. d] P. 6 c. 3 n. 4 etc.

DECLARATIONES IN CAPUT III.

A. *QUAMVIS hoc ita se habeat; tamen conferre media, quibus uti debet, cum* a] *eo Superiore, qui ei proprior fuerit, semper erit securius.* a] P. 8 c. 1 n. 4.

CAPUT IV.

QUIBUS IN REBUS DOMUS ET COLLEGIA SOCIETATIS PROXIMUM ADIUVENT.

1. QUIA non solum enititur Societas, discurrendo per varia loca, sed etiam in quibusdam continenter residendo, ut in Domibus et Collegiis, proximos iuvare; operae pretium est intellexisse quibus modis possint animae in huiusmodi locis iuvari, ut eorum pars illa, quae poterit, ad gloriam DEI exerceatur.

2. Et primo quidem conferet bonum exemplum totius honestatis ac
a] P. 10 n. 12. virtutis christianae; a] ut non minus bonis operibus, immo magis quam ver-
b] P. 6 c. 2 n. 16. bis, eis b] aedificationi esse quibuscum agitur, curent.

3. Iuvatur etiam proximus sanctis desideriis et orationibus in DEI con-
* A spectu pro universa Ecclesia, ac * pro iis praesertim, qui maioris sunt momenti ad eius universale bonum, ef-
c] P. 4 c. 1. fusis; ac pro amicis etiam et c] bene de nobis meritis, viventibus et vita functis; sive postulent ipsi sive non postulent; ac pro illis, in quorum auxilium peculiariter ipsi et reliqui de Societate in variis locis inter fideles et infideles incumbunt, ut DEUS omnes ad gratiam suam excipiendam per debilia huius minimae Societatis instrumenta disponere dignetur.

4. Missarum etiam sacrificiis iuvare possunt et aliis divinis officiis, * nulla * B
d] pro eis 1] eleemosyna accepta; sive d] *Exa.* c. 1 n. 3 P. 6 c. 2 n. 7. P. 10 n. 5.
aliqui particulares ea petierint, sive pro sua devotione quisque ea DEO 1] C. 16 d. 21.
obtulerit. Et quod attinet ad Missas, praeter e] eas, quae pro fundatoribus e] P. 4 c. 1.
dicuntur, una vel duae aut plures pro numero Sacerdotum, et prout convenerit, singulis hebdomadis pro benefactoribus vivis aut defunctis offerentur, DEUM ac Dominum nostrum rogando, ut pro illis hoc sanctum Sacrificium admittere, et pro infinita ac summa liberalitate sua eam beneficentiam remunerari, qua illi erga Societatem nostram ex divino amore ac reverentia usi sunt, aeternis praemiis dignetur.

5. Poterit f] iuvari etiam proxi- f] P. 4 c. 8 n. 4

mus Sacramentorum administratione: praecipue in audiendis confessionibus, * C * ad quas aliqui a Superiore, qui eo fungantur officio, sunt designandi, et in sancto Eucharistiae Sacramento, * D * extra Paschae tamen festum, sua in ecclesia administrando.

6. Proponatur verbum Dei populo assidue in ecclesia, in concionibus, lectionibus, et in christiana doctrina, per eos quos Superior probaverit et ad * E tale munus destinaverit: * et quidem g] P. 4 c. 8 n. 8. iis temporibus et modo, g] qui eidem ad maiorem Dei gloriam et animarum aedificationem expedire videbitur.

7. Potest et hoc ipsum, quod dictum est, extra ecclesiam Societatis, aliis in ecclesiis vel plateis vel aliis locis praestari; quando ei, qui caeteris praeest, ad maiorem Dei gloriam conferre videbitur.

h] Exa. c. 6 n. 4. P. 4 c. 4 n. 6. 8. Curabunt h] etiam privatim proximum piis colloquiis ad meliora promovere; tum consilio et exhorta- * F tione ad bona opera, * tum i] etiam i] P. 4 c. 8 n. 5, E. tradendis Spiritualibus Exercitiis.

9. Corporalibus etiam pietatis ope- k] Sup. c. 2, E. ribus, k] quantum spiritualia, quae maioris sunt momenti, permittent, quantumque vires patientur, incumbent; ut infirmis iuvandis, praecipue in xenodochiis eos invisendo et aliquos, qui eis inserviant, mittendo; et dissidentes ad concordiam revocando; sic etiam pauperes, ac in custodiis publicis detentos, quoad eius * G fieri poterit, per se sublevando * et ut alii sublevent curando. Metiatur autem oportet Praepositi prudentia, qui maius Dei obsequium ac bonum universale semper ob oculos sibi proponet, quantum in huiusmodi rebus operae sit ponendum.

l] P. 4 c. 8 n. 1. 10. In l] Collegiis et eorum ecclesiis fiet ex iis, quae de Domibus dicta sunt, quod fieri poterit; prout opportunum fuerit, iuxta Superioris, ut dictum est, arbitrium.

11. Qui m] talento praeditus ad m] P. 6 c. 2, C. scribendos libros communi bono utiles eos conscriberet; n] in lucem n] P. 3 c. 1 n. 18. P. 4 c. 6, O. edere non debet aliqua scripta, nisi prius Praepositus Generalis ea videat 2] et legi ac examinari faciat; ut, 2] C. 10 d. 11. C. 15 d. 9. C. 16 d. 15. C. 22 d. 20. si ad aedificationem fore videbuntur, et non aliter, in publicum prodeant.

12. De iis, quae ad officia domestica et res alias magis particulares pertinent, o] in Regulis Domorum o] *Prooem. declar.* P. 4 c. 10 n. 6. dicetur: nec ulterius progrediemur circa missiones vel divisionem eorum, qui de Societate sunt, per vineam Domini nostri Iesu Christi.

DECLARATIONES IN CAPUT IV.

A. *Cuiusmodi sunt Principes ecclesiastici et saeculares, et alii, qui multum prodesse vel obesse bono animarum et divino obsequio possunt.*

B. *Ut* a] *in sexta parte explicatum est.* a] P. 6 c. 2 n. 7

C. *Praeter eos, qui Confessarii ordinarii constituti sunt, Superioris erit, in spiritualibus necessitatibus, quae occurrunt, videre, num alii horum sacramentorum administrationi vacare debeant, et quod convenit statuere.*

D. *Pascha, intelliguntur octo dies ante et totidem post ipsum festum: quamquam eo tempore, qui facultatem haberent, vel peregrini, et reliqui, quos ius excipit, possunt ad communionem admitti: et illi etiam, qui, cum iam suis parochiis satisfecerint, vellent hisce quindecim diebus semel aut saepius in nostris ecclesiis sanctissimum Christi Corpus accipere.*

E. *Quia quibusdam in locis fieri posset, ut aliquando his mediis vel*

eorum parte uti non conveniret; Constitutio non obligat, nisi cum Superiori eis utendum esse videretur: sed eam intentionem ostendit, quam habet Societas in locis, in quibus residet; quae ea est, ut haec tria media, vel duo ex illis, vel quod eorum magis convenire videbitur, exerceatur.

F. *Exercitia Spiritualia plene non nisi paucis iisque huiusmodi, ut ex eorum profectu non vulgaris ad Dei gloriam fructus speretur, tradenda sunt. Primae vero hebdomadae Exercitia ad multos, et aliqua conscientiae examina et modi orandi, praesertim primus trium illorum, qui in Exercitiis proponuntur, ad multo plures etiam extendi possent; quivis enim bona praeditus voluntate ad haec idoneus erit.*

G. *Nihilominus non convenit Societatem vel eius Domos aut Collegia cum aliqua Congregatione misceri: nec in ea ulli conventus agantur, nisi qui ad earumdem Domorum vel Collegiorum finem in divino obsequio fient.*

OCTAVA PARS.

DE IIS, QUAE CONFERUNT AD EORUM, QUI DISPERSI SUNT, CUM SUO CAPITE ET INTER SE MUTUAM UNIONEM.

CAPUT I.

DE IIS, QUAE IUVANT AD UNIONEM ANIMORUM.

1. Quo difficilius est membra huius Congregationis cum suo capite et inter se invicem uniri, * quod tam diffusa in diversis mundi partibus inter fideles et infideles sint; eo impensius quae iuvant ad unionem quaerenda sunt: quandoquidem nec conservari nec regi, atque adeo nec finem ad quem tendit Societas ad maiorem Dei gloriam consequi potest, si inter se et cum capite suo membra eius unita non fuerint. Dicetur ergo de iis, quae conferunt ad animorum unionem; deinde de iis, quae ad unionem personalem in Congregationibus vel Conventibus pertinent: et quidem circa animorum unionem, quaedam ex parte subditorum, quaedam ex parte Superiorum, quaedam ex utrorumque parte iuvabunt.

* A

2. Ex parte subditorum, iuverit, * magnam a] turbam hominum ad Professionem non admitti; nec quoscumque, sed selectos homines, etiam inter Coadiutores formatos aut Scho-

* B

a] P. 4 Prooem. A. P. 5 c. 2 n. 1, 2. P. 10 n. 7.

lasticos retineri. Multitudo enim magna eorum, qui vitia sua non bene domuerunt, ut ordinem non fert, ita nec unionem, quae in Christo Domino nostro tam necessaria est, ut bonus status ac procedendi modus huius Societatis conservetur.

3. Et quia huiusmodi unio magna ex parte per obedientiae vinculum
b] P. 3 c. 1 n. 23. P. 6 c. 1. conficitur, *b*] haec semper in suo vigore conservanda est: et qui foras ad laborandum in agro dominico ex
* C Domibus mittuntur, * quoad eius fieri
c] P. 4 c. 10 n. 4, 8. potest, in eadem sint exercitati: *c*] et hac in virtute, qui primas in Societate tenent, bono sui exemplo aliis praeluceant, uniti omnino cum suo Superiore; et prompte, humiliter et devote ei obediendo persistant.
d] P. 7 c. 2, F. *d*] Qui autem tam egregium sui specimen in obedientia non dedisset, certe ei adiungi deberet socius, qui in ea magis esset conspicuus. Nam, ut plurimum, socius, qui in obedientia magis profecit, eum, qui minus in ea profecisset, cum divino favore in eadem iuvabit. Et alioqui, quamvis ad hunc scopum non tenderetur, ei, qui cum aliquo munere gubernandi mit-
* D tetur, * *e*] *1*] Collateralis socius (si
e] P. 4 c. 17, B. 1] C. 2 d. 86. Superiori videbitur, quod sic melius commisso muneri satisfaciet) adiungi poterit: qui sic se geret cum eo, qui aliis praeest, et ille invicem cum hoc, ut obedientia ac reverentia subditorum debilior erga Superiorem non reddatur; sed ille potius verum ac fidelem adiutorem et sublevatorem erga suam personam et aliorum, qui suae fidei commissi sunt, sibi datum esse in Collaterali experiatur.

f] Inf. n. 6. P. 4 c. 10 n. 5. P. 10 n. 9. 4. Ad *f*] eamdem obedientiae virtutem ordo bene observatus inter ipsos Superiores, quorum alii aliis subduntur, et inferiorum erga illos, pertinet; ita ut singuli, qui in aliqua Domo vel Collegio versantur, ad suum Praepositum localem seu Rectorem recurrant, et per eum in omnibus regi se sinant. Eis autem, qui per Provinciam aliquam variis in locis disiuncti manent, ad Provincialem Praepositum *g*] vel alium localem vi- g] P. 7 c. 3, A.
ciniorem erit recurrendum, prout eis iniunctum fuerit. *h*] Omnes vero Prae- h] P. 9 c. 6 n. 2.
positi locales vel Rectores crebra communicatione cum Provinciali utantur, et iuxta eius arbitrium in omnibus se gerant. Eodem modo Praepositi Provinciales cum Generali se habe- * E
bunt. * Sic enim, *i*] subordinatione i] P. 2 c. 1 n. 2.
conservata, unio, quae in ea quam maxime consistit, aspirante gratia Dei, conservabitur.

5. Si *k*] quis divisionis vel dissen- k] P. 2 c. 2, D.
sionis eorum, qui una vivunt, inter se vel cum suo capite *2*] auctor esse 2] C. 5 d. 15, 54.
cerneretur; diligentissime ab ea congregatione, velut pestis, quae eam potest summopere inficere, si praesens remedium non adhibeatur, * se- * F
parandus est.

6. Ex parte Praepositi Generalis, quae ad hanc unionem animorum con-
ferent, * sunt eae dotes, quibus, ut * G
l] in nona parte dicetur, eum exornari l] P. 9 c. 2.
oportet: quibus cum praeditus fuerit, erga omnia membra Societatis suo fungetur officio, capitis videlicet, a quo in illam influxus, ad praefixum ipsi finem necessarius, descendat. *m*] Et m] Sup. n. 4.
sic a Generali Praeposito, ut a capite, P. 5 c. 1, A. P. 9 c. 3 n. 1, 10.
universa facultas Provincialium egrediatur, ac per eos ad locales, per hos autem ad singulares personas descendat. Sic etiam ab eodem capite, vel saltem eo suam facultatem communicante et rem approbante, missiones procedant. De communicatione gratiarum Societatis tantumdem sit

n] P. 2 c. 1 n. 2.

dictum: n] quo enim magis inferiores a Superioribus pendebunt, eo melius amor, obedientia atque unio inter eos retinebitur.

* H
3] C. 1 d. 85.
o] Inf. c. 5 n. 1.
* I

7. Et ut locus magis conveniat ad communicationem capitis cum suis membris, conferre plurimum potest ut * Praepositus 3] Generalis magna ex parte o] Romae resideat, ubi cum aliis omnibus locis Societatis faciliori utetur commercio. * Provinciales itidem in iis locis diutius versabuntur, unde cum inferioribus et cum Superiori Praeposito commoda fuerit communicatio, quantum in Domino id effici poterit.

p] P. 10 n. 9.
q] P. 10 n. 2, 9.
r] Prooem. declar. P. 3 c. 1 n. 18. P. 10 n. 9.
* K
s] Exa. c. 5 n. 7. P. 4 c. 8 n. 2.

8. Praecipuum p] utriusque partis vinculum ad membrorum inter se et cum capite suo unionem, amor est Dei ac Domini nostri Iesu Christi, cum cuius divina ac summa bonitate, si Superior et inferiores valde uniti fuerint, perfacile inter seipsos unientur: idque per eumdem illum amorem fiet, qui, a Deo descendens, ad omnes proximos ac peculiari ratione ad corpus Societatis pertinget. q] Charitas itaque, et ut in universum dicatur, omnis probitas ac virtus, qua iuxta spiritum procedatur, ad unionem ex utraque parte iuvabit; et, quod inde sequitur, omnis rerum temporalium contemptus, in quibus sui ipsius amor, gravissimus huius unionis ac boni universalis hostis, errare solet. r] Multum etiam conferet consensio, tum in interioribus, * ut est doctrina, iudicia ac voluntates, quoad eius fieri poterit; tum etiam in exterioribus, ut est vestitus, caeremoniae s] Missae et reliqua, quantum personarum et locorum et caeterorum varietas permittet.

* L
t] Inf. D. c. 2, B.
P. 4 c. 17 n. 7, L. P. 7 c. 2 n. 2, H. P. 10 n. 9.
* M
* N
4] C. 4 d. 88.

9. Magnopere t] etiam iuverit, * litterarum ultro citroque missarum inter inferiores et Superiores frequens commercium; et crebro alios de aliis certiores fieri, * ac audire quae ex variis locis ad aedificationem * et eorum, quae geruntur, cognitionem, afferuntur: cuius rei Superioribus, ac praecipue 4] Generali et Provincialibus cura erit; eo constituto ordine, ut quovis in loco, quae ad mutuam consolationem et aedificationem in Domino faciunt, ex aliis sciri possint.

DECLARATIONES IN CAPUT I.

A. *Sunt et aliae rationes, qualis est, quod ut plurimum litterati erunt, et gratia apud Principes et primarios viros ac populos non parum valebunt.*

B. *Hoc autem non excludit numerum, licet magnum, eorum, qui erunt idonei, ut in Professos, vel Coadiutores formatos, vel Scholasticos approbatos admittantur; sed hoc eo spectat, ut commendatum habeatur, ne, qui tales non erunt, idonei, praecipue ad Professionem, facile censeantur: et cum bene observabitur quod in prima et in quinta parte dictum est, satis erit. Qui enim huiusmodi essent, turba existimari non deberent, sed potius gens electa, tametsi magna ea esset.*

C. *Cum experimento compertum esset, aliquos ex iis, qui missi sunt, non recta incedere, quod ad obedientiam attinet; vel revocari debent, vel socii, qui in ea profecerint, eis adiungi, quamvis initio missi non fuissent.*

5] C. 2 d. 86.

D. *Quamvis* 5] *Collateralis obedientiae Praepositi vel personae illius, cui datur, non subdatur; debet tamen ei interius et exterius reverentiam exhibere, ac in ea reliquis, qui eius obedientiae subduntur, exemplum praebere. Debet itidem qua poterit diligentia eum, qui aliis praeest, iuvare in rebus omni-*

bus ad ipsius officium pertinentibus, in quibus eius operam ille requiret.

Quamvis etiam nulla de re interrogaretur, cum tamen animadvertet quod ei aliquid dici conveniat, quod ad personam aut res, quae sunt ipsius officii, pertineat; debet fideliter ea, quae oportet, ei referre, et cum libertate et modestia christiana quod sentiat explicare. Propositis tamen suis rationibus et iis, quae ipsum movent, si Praepositus in sua contraria sententia persisteret; Collateralis proprium iudicium submittere et ei conformem se reddere debet, nisi tamen clarissime intelligeret illum errare: quod si accidet, ad Superiorem referre debet.

Curet etiam Collateralis unionem, quoad eius fieri poterit, subditorum inter se et cum suo Praeposito immediato; et inter eos velut angelus pacis incedat, et studium adhibeat, ut de Superiore suo sic sentiant illumque ita ament, ut oportet, a] *quem Christi Domini nostri loco habent.*

a] P. 3 c. 1 n. 23. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 1, 2, 3. P. 7 c. 2 n. 1, A. P. 9 c. 3 n. 20.

Debet b] *etiam certiorem reddere Superiorem suum Generalem vel Provincialem iis de rebus, quas vel ipse, vel is, cui Collateralis adiunctus est, commendaret: et* c] *sponte sua etiam eius loco id faciat, cum per adversam corporis valetudinem, vel occupationes, vel aliquam aliam causam ille in hac parte officio suo deesset.*

b] *Sup.* n. 9. P. 4 c. 17 n. 7.

c] C. 1 d. 41.

Contra, Praepositus cum suo Collaterali nonnulla observare debet: ac primum, considerando, quod non ut subditus, sed ut auxilium et sublevamen ei datus est, peculiarem erga eum dilectionem et honorem prae se ferre debet; agatque cum eo familiariter, ut sit animosior ad ei dicendum quod sentit, commodiusque id faciat, ac videat qua in re eum iuvare possit. Curet etiam ut auctoritatem habeat, et diligatur ab inferioribus: eo enim utilius eius ministerio erga illos utetur.

Si qua occurrerint, quae difficiliora esse videantur, cum eo tractari oporteret, eius sententiam rogando, et ad dicendum quod sentit, etiam cum non interrogaretur, reducendumque sibi in memoriam quod ad suam personam et officium convenire videatur, exhortando. Et, auditis quae a Collaterali dicuntur, melius per se ipsum quod facto opus est constituet.

Quod attinet ad exsecutionem sui officii, ad subditorum gubernationem utatur Collaterali, ut fideli ministro, in rebus maioris momenti; sive universales sint ad Domos, sive particulares ad quemvis ex Fratribus spectantes.

In iis, quae ad Praepositum Generalem pertinent eique debentur, utatur etiam eius opera: et in omnibus eo habeat loco eoque modo ipsi confidat, quo alteri sibi, dempta potestate, in spiritus unione in Christo Domino nostro.

Et animadvertendum est, duabus ex causis praecipue Collateralem adiungi debere. Prima est, quando in eo, qui cum praecipuo munere mittitur, maius auxilium desideraretur, propterea quod non sit magnopere versatus et exercitatus in huiusmodi gubernatione, vel propter alias causas, quamvis eius desideria et vita ad maiorem Dei *gloriam sint valde approbata. Secunda, quando aliquis ex eis, quos secum est habiturus, huiusmodi esset, ut existimaretur minus profecturus, si sub eius, qui praeest, obedientia constituatur, quam si ut socius adiungeretur; dummodo talentum ad eumdem iuvandum haberet.*

E. *Cum particularibus ex causis Praeposito Provinciali magis convenire ad divinum obsequium videretur, ut aliquis ex iis, qui in Domibus vel Collegiis versantur, sibi immediate subsit; potest*

ab obedientia Rectoris vel Praepositi localis eum eximere. Et sic Generalis quosdam ex privatis et Praepositis localibus vel Rectoribus suae obedientiae proxime reservare posset. Ut plurimum tamen praedicta obedientiae subordinatio eo melior erit, quo perfectius observabitur.

F. *Separare, intelligendum est, vel omnino a Societate dimittendo, vel in alium locum transferendo, si hoc sufficere videretur, et ad divinum obsequium ac commune bonum iudicio illius, qui curam eius habet, magis conveniret.*

c] P. 9 c. 2 n. 2, P. c. 6, A. G. *Iuvabit* c] *etiam, in primis, inter alia* Dei *dona, bona existimatio et auctoritas erga subditos, et habere ac prae se ferre dilectionem et curam illorum; ita ut subditi sibi persuadeant, suum Superiorem scire, velle et posse bene ipsos in Domino gubernare. Ad quod, sicut ad alia multa, conferet, secum viros, qui consilio polleant, habere, ut*
d] P. 9 c. 5 n. 2. c. 6 n. 10, 11. d] *in nona parte dicetur, quorum opera in iis, quae statuenda sunt ad bonum Societatis progressum, in his atque illis locis ad* Dei *gloriam uti possit.*

Conferet etiam, circumspecte et ordinate praecipere, eo modo curando subditos in obedientiae officio continere, ut Superior omni benevolentia, et modestia,
e] P. 3 c. 1, N. *et* e] *charitate in Domino, quod in ipso est, utatur; ita ut subditi se potius ad dilectionem maiorem, quam ad timorem suorum Superiorum possint componere; quamvis aliquando utrumque sit utile: eorum etiam arbitrio aliquid relinquendo, cum probabile videbitur, quod eos id iuvabit: aliquando etiam eis ex parte aliquid indulgendo et compatiendo, cum videretur id posse magis convenire.*

H. *Poterit nihilominus subditos aliis in locis, prout occasio et necessitas occurrerit,* 7] *visitare; et prope Romam* 7] C. 1 d. 85.
aliquando habitare, prout ad maiorem Dei *gloriam fore iudicaverit.*

I. *De visitatione* 8] *Praepositi Pro-* 8] C. 1 d. 111.
vincialis eadem erit ratio, atque Generalis; poterit enim id facere, cum videbitur ad Dei *maius obsequium fore, estque id valde proprium eius officii. Cum tamen aliquo in loco diutius est ei residendum, si fieri potest, locum eligat, ex quo cum subditis et cum Generali crebra communicatione litterarum uti possit.*

K. *Cum* f] *iis, qui adhuc litteris* f] P. 4 c. 5 n. 4. c. 14 n. 1.
operam non dederint, curandum est, ut omnes, ut plurimum, eamdem doctrinam, quae in Societate fuerit electa ut melior et convenientior Nostris, sequantur. Qui autem studiorum cursum iam peregit, advertat, ne opinionum diversitas coniunctioni charitatis noceat; et, quoad eius fieri poterit, doctrinae in Societate communiori se accommodet.

L. *Praepositi locales vel Rectores, qui sunt in aliqua Provincia, quique missi sunt ad fructum in agro Domini curandum, Praeposito suo Provinciali singulis hebdomadis, si fieri potest, scribere debent; et* g] 9] *Provinciales et* g] P. 9 c. 6, A.
alii, Generali singulis hebdomadis, si 9] C. 2 d. 54.
vicinus fuerit: si autem in regno diverso resident, ubi desit ea commoditas, tam privati ad fructificandum missi, ut dictum est, et Praepositi locales et Rectores, quam Provinciales, singulis mensibus semel Generali scribent; qui curabit ut eisdem, saltem Provincialibus, semel singulis mensibus scribatur. Ipsi vero Provinciales, Praepositis localibus, et Rectoribus, et privatis personis, quibus opus erit, semel etiam singulis mensibus scribi curabunt; et utrimque crebrius iuxta occasionum in Domino occurrentium rationes.

M. *Ut autem res Societatis ad aedificationem pertinentes communicari omni-*

bus possint, hanc formulam sequi oportebit. Qui sub uno Provinciali sunt, ex diversis Domibus vel Collegiis scribant
10] C. 2 d. 87. C. 7 d. 91. 10] *quarti cuiusque mensis initiis litteras, quae solum ea, quae ad aedificationem faciunt, contineant: et alterum earum exemplum lingua vernacula illius Provinciae; alterum, latina scriptum sit: et mittant utrumque duplex Provinciali, ut mittat alterum exemplum utraque*
11] C. 4 d. 88. *lingua* 11] *Generali cum aliis suis litteris, ubi referat quod notatu dignum vel ad aedificationem fuerit, si particulares id omiserunt. Ex altero vero exemplo tot alia exscribi curet, ut ad certiores reddendos alios de sua Provincia satis sint. Si multum temporis consumeretur mittendis huiusmodi litteris Provinciali, Praepositi locales et Rectores possunt litteras suas latina et vernacula lingua scriptas recta ad Generalem, et earum exemplum Provinciali destinare. Poterit etiam Provincialis, cum ei visum fuerit, quibusdam ex localibus iniungere, ut certiores reddant alios eiusdem Provinciae, transmissis ad eos earumdem litterarum, quae ad Provincialem mittuntur, exemplis.*

Ut tamen quae in una Provincia geruntur in alia sciantur; curabit Praepositus Generalis ex litteris, quae a Provinciis mittuntur, tot exempla exscribenda, quot satis sint, ut omnes alii Provinciales certiores reddantur: illorum vero quisque exscribi in suae Provinciae usum curabit.

Cum magnum inter duas Provincias commercium esset, ut inter Lusitaniam et Castellam, Siciliam et Neapolim, Provincialis unius posset Provinciali alterius exemplum litterarum Praeposito Generali missarum transmittere.

N. *Ad clariorem omnium cognitionem, quarto quoque mense mittatur* 12] 12] C. 2 d. 48, 54.
Praeposito Provinciali ex singulis Domibus vel Collegiis brevis catalogus, isque duplex, omnium, qui in ea Domo sunt; quique etiam post ultimum catalogum missum usque ad id tempus quo scribitur, desint, vel quod mortui fuerint, vel alia quavis causa, breviter perstringendo dotes uniuscuiusque. h] *Et* h] P. 9 c. 6 n. 3.
Provincialis eodem modo singulis quadrimestribus exemplum catalogorum cuiusvis Domus et Collegii Generali transmittet. Ita enim melius intelligentur quae ad personas attinent, meliusque totum Societatis corpus ad Dei *gloriam regi poterit.*

CAPUT II.

QUIBUS IN CASIBUS CONGREGATIO GENERALIS FIERI DEBEAT.

1. Ad unionem personalem ut veniamus, quae in Congregationibus Societatis fit; considerandum est, quibus in casibus, qui, et per quem; ac itidem quo in loco, quo tempore et modo debeant congregari; et id definiri, de quo in Congregationibus agetur. Et ut declaretur, primo loco, quibus in casibus Congregatio et Conventus generalis fiat; illud, in primis, suppositum sit, quod non videtur in Domino in praesentiarum expedire, * ut certis tempo- * A
ribus aut *a*] crebro fiat: quoniam a] *Inf.* c. 4 n. 2. P. 9 c. 1, C.

* B Praepositus Generalis, * adiutus communicatione, quam cum universa Societate habet, et b] eorum opera, qui cum ipso degent, hoc laboris et distractionis universae Societati, quantum fieri poterit, adimet. Aliquando tamen congregari omnino erit necessarium, ut ad electionem Praepositi Generalis; sive eligendus sit, qui in demortui locum succedat, sive aliquam ob causam ex iis, propter quas Generalis a suo officio absolvi potest, ut c] postea dicetur.

b] P. 9 c. 2 n. 10. c. 6 n. 7 etc.

c] P. 9 c. 4 n. 7. c. 5 n. 4.

2. Altera causa est, cum deliberari oportebit * de rebus perpetuis ac magni momenti: quales essent, verbi gratia, d] Collegia vel Domus dissolvere, aut alio transferre; vel res admodum difficiles ad universam Societatem spectantes; vel rationem procedendi in illa pertractare ad maius divinum obsequium.

* C

d] P. 4 c. 2 n. 3. c. 10 n. 2. c. 11 n. 2. P. 9 c. 3 n. 5, 17, 18.

DECLARATIONES IN CAPUT II.

A. *Cuiusmodi esset,* 1] *tertio aut sexto quoque anno, plus minus.*

1] C. 2 d. 19. C. 4 d. 7. C. 5 d. 30. C. 7 d. 9.

B. *Huiusmodi* a] *communicatio fit per transmissas litteras, et personas, quae ex Provinciis venire debent; saltem unus ex singulis earum,* 2] *tertio quoque anno, et ex Indiis, quarto, electus Professorum et Rectorum illius Provinciae suffragiis, ad certiorem multis de rebus faciendum Praepositum Generalem. Possunt etiam per huiusmodi communicationem, cum opus fuerit, intelligi sententiae eorum, quos Praepositus Generalis in universa Societate melius sensuros iudicabit. Et sic, adhibitis eis, quos apud se habet consilii gratia, multa constituere sine Congregatione totius Societatis poterit: quandoquidem magna ex parte Congregatio ideo ad bene constituendum iuvare solet, quod vel rerum maior cognitio habetur, vel quod conveniunt aliqui eminentiores viri, qui dicunt quod sentiunt. Id autem multis in casibus sine Congregatione Generali, ut dictum est, transigi potest.*

a] Sup. c. 1 n. 9, L. P. 9 c. 6, A.

2] C. 2 d. 19, 75. C. 4 d. 41.

C. *Non res perpetuae quaevis satis sunt, ut generalis Conventus indici debeat, nisi maioris momenti sint. Aliquae tamen magni momenti, licet non perpetuae, satis essent.* b] *Hoc autem discernere et statuere Praepositi Generalis erit. Cum tamen aliqua acciderent, quae urgerent magnique momenti viderentur, ut qui assistunt Generali, et Provinciales, ac Praepositi locales, pluribus inter se suffragiis iudicarent, quod cogi debeat Congregatio generalis,* c] *ut nona in parte dicitur, cogetur: idque Praeposito Generali gratum esse oportet. Et ut Congregatio huiusmodi magna cum diligentia fiat idem Generalis statuere debet.*

b] Inf. c. 4 n. 2. P. 9 c. 3 n. 12.

c] P. 9 c. 4 n. 6. c. 5 n. 6.

CAPUT III.

QUI DEBEANT CONGREGARI.

1. Non omnes, qui sub obedientia Societatis vivunt, nec Scholastici approbati, * verum Professi dumtaxat, et praeterea Coadiutores aliqui, si ita expedire in Domino videretur, sunt ad Congregationem generalem convocandi: et quidem ex his, non a] nisi qui commode venire que-

* A

a] Inf. c. 5 n. 3.

ant. Non itaque infirmi ac valetudinarii, nec qui in regionibus remotissimis agunt, ut in Indiis; sed nec illi, qui prae manibus negotia habent magni momenti, quae absque gravi incommodo deseri non possunt, convenient. Pendebit autem hoc ex iudicio Praepositi Generalis, si is ad Congregationem convocaverit; vel eorum, qui congregati in singulis Provinciis fuerint, ut venturos ad generalem Congregationem eligant. Verum ut certa aliqua ratio praescribatur, cum Conventus celebrabitur ad eligendum Generalem, aut ad deliberandum de iis, quae ad Generalem ipsum spe-
1] C. 20 d. 19. ctant, *1]* terni ex singulis Provinciis
* B veniant, * Provincialis *2]* videlicet
2] C. 1 d. 5 *ante elect.* C. 1 d. 108. C. 3 d. 48. Praepositus, cum duobus aliis, qui fuerint ad hoc negotium in Congregatione provinciali electi: quae qui-
3] C. 5 d. 32. dem Congregatio *3]* in singulis Provinciis, ante generalem, ad hunc
b] *Inf.* c. 5 n. 3. finem cogetur. Convenient *b]* autem et
4] C. 5 d. 24, 38, 60, 81. suffragii ius habebunt in ea, *4]* Professi omnes Provinciae, qui interesse poterunt; Praepositi Domorum atque Collegiorum Rectores ac Procuratores, vel ii quos tamquam vicarios illi suo nomine miserint. Cum
5] C. 4 d. 37, 39. *5]* Conventus ad res alias indiceretur, Praepositus Provincialis, sine Congregatione Provinciae, duos ex ea eligere poterit, pro arbitrio Praepositi Generalis; cuius erit, pro occurrentium causarum ratione, constituere, num Conventus provincialis huiusmodi ad duorum illorum electionem sit cogendus; an Provincialis, sine Conventu, eos debeat eligere; prout ei videbi-
* C tur in Domino expedire. * His tribus, et generali Congregationi, quicumque in Provincia remanent suas
6] C. 2 d. 2. C. 4 d. 35. vices delegabunt. Quod si, praeter duos electos, *6]* quosdam alios Praepositus Generalis designaret, vel Praepositus Provincialis adducendos iudicaret, eadem erit horum et aliorum ratio. Sed si Provincialis, praeter tres, aliquos eligeret, plures quam duos adiicere non poterit; ita ut ad summum quinque *7]* ex una Provincia 7] C. 20 d. 19
veniant.

2. Ex Professis, qui Congregationi intererunt, unusquisque suffragium unicum, solus Generalis duo habebit. Sed, si numerus par esset, Provincialis reliquis praeferetur: et, si inter ipsos Provinciales esset paritas, pars illa, in quam *8]* Praepositus Generalis, vel, si is e vivis excessisset, 8] C. 1 d. 4 *ante elect.* C. 2 d. 92.
ipsius Vicarius inclinabit, esset praeferenda. Ut enim illis magis est necessarium divinae gratiae auxilium, propter munus quod gerunt; ita sperandum est, Deum ac Dominum nostrum uberius id illis, ut sentiant et dicant quae ad ipsius gloriam faciant, largiturum.

DECLARATIONES IN CAPUT III.

A. *Cum vocat Congregationem qui supremam in Societate curam habet, eius erit iudicium, num aliqui,* a] *qui* a] *Inf.* c. 6. B
Professionem trium votorum solemnium emiserunt, vel Coadiutores nonnulli ad conferendum cum eis de rebus, quae in Congregatione tractandae sunt, venire debeant. Hoc enim aliquando conveniens fore videtur, praesertim si Rectores Collegiorum, et eorum Procuratores, aliique officiales, quibus optime perspecta erunt, quae ad ipsorum officia pertinent, vocentur. Possent etiam huiusmodi officiales suffragium activum et passivum ad reliqua habere, praeterquam ut 9] *Professis quatuor votorum prae-* 9] C. 1 d. 42. C. 3 d. 21.
esse possint. b] *Si Congregatio ad ele-* b] *Inf.* c. 6, B. P. 5 c. 1, A.
ctionem Generalis indicitur, nullus,

qui quatuor vota solemnia in Professione non emiserit, suffragium activum aut passivum ad huiusmodi electionem habere poterit.

B. *Provinciali veniendum esse intelligatur, si possit; sin minus, pro se alium mittet, qui magis idoneus ei videbitur ex tribus, quos Congregatio provincialis elegerit.*

C. *Quamvis, qui remanent in Provinciis, suum suffragium in scriptis mittere non possint; tamen, si res fuerit eis communicata, suam sententiam in scriptis transmittent; et qui veniunt dicent in Congregatione generali, quid et alii sentiant.*

CAPUT IV.

AD QUEM SPECTET CONGREGATIONEM GENERALEM INDICERE.

1. Cum ad eligendum novum Praepositum, priore vita functo, conventura est Societas, * unus ex Professis, quem suum in hac parte 1] Vicarium ante mortem Praepositus nominaverit, alios certiores faciendos curabit. Hic autem Vicarius, ut plurimum, unus ex iis erit, qui adesse Praeposito et ipsum iuvare soliti sunt, vel certe ex iis, qui proxime degunt. Huius officium erit Societatem ad electionem Praepositi faciendam, praescripto tempore et loco, quo convenire oporteat, convocare.

* A

1] C. 4 d. 20, 21.

2. Quando non ad electionem Generalis congregatur Societas a] in aliis eventibus Praepositus Generalis eam convocabit, praeterquam in illis, qui in nona parte exprimentur: b] et non congregabit frequenter Societatem, ut dictum est, nisi rerum agendarum necessitas urgeret. Sed cum generalis Congregatio ad electionem Praepositi convocata eum iam elegerit; deinde de rebus aliis gravioribus, quam ut a Generali et iis, qui cum ipso agunt, decidi debeant, tractari poterit.

a] *Sup.* c. 2, C. P. 9 c. 3 n. 12.

b] *Sup.* c. 2 n. 1, C. P. 9 c. 1, C.

DECLARATIONES IN CAPUT IV.

A. *Si nullus ex Professis apud Generalem esset, et aliquem ipse ex vicinis nominaret, eadem erit ratio. Si tamen, morte occupatus, vel morbo,* 2] *qui ad hunc effectum perinde ac mors censeatur, Vicarium non nominavit; qui apud* 3] *eum fuerint Professi (quamvis non in eodem loco, sed in vicinis fuerint) pluribus suffragiis Vicarium eligent. Et sive Praepositus Generalis aliquem vicinum absentem, sive nullum nominaverit; qui praeest Domui, in qua mortem obiit Generalis, vel qui vicinior esset, si in nulla Domo Societatis moreretur, curabit statim mitti, qui certiores faciat Professos vicinos, ut ad Vicarium constituendum, ut dictum est, qui gerat vices Generalis donec ille electus fuerit, congregentur; vel ad eum agnoscendum, quem constabit electum esse.*

2] C. 8 d. 28, 29.

3] C. 1 d. 43. C. 2 d. 50. C. 6 d. 27 n. 1.

CAPUT V.

DE LOCO, TEMPORE ET DE MODO CONGREGANDI.

1. Locus, quo conveniet Societas ad Generalis electionem, videtur ordinarie curia Summi Ponti-
a] Sup. c. 1 n. 7. ficis esse debere, a] ubi plurimum erit ipsius Generalis residentia; nisi Societas, ex composito, conveniendum esse in alium locum, qui commodior omnibus futurus esset, statueret: ut si quis in confinio diversarum Provinciarum, in quibus manet Societas, esset constitutus; vel alius, qui magis
b] P. 9 c. 3 n. 12. accommodus videretur. b] Si Praepositus Generalis est qui Societatem ad alia negotia congregat, eius erit eligere ac designare locum, quem in Domino aptiorem iudicaverit.

2. Spatium temporis, quod cogendae Societati tribuetur, ubi de ele-
1] C. 1 d. 44. ctione Generalis agendum est, 1] quinque aut sex mensium erit a tempore, quo litterae, quae de hac re com-
2] C. 10 d. 4. monefacient, scriptae fuerint. 2] Prorogari tamen id tempus poterit, cum
c] P. 9 c. 3 n. 12. necessitas postulaverit. c] Cum vero alias ob causas fuerit congreganda, Generalis Praepositus pro suo arbitratu tempus designabit.

3. Modus in congreganda Societate servandus hic erit: ut ille, cuius est hoc munus, confestim variis viis Provinciales, et si qui ex Professis sigillatim convocandi essent, adscripta, quantum sat esse ipsi videbitur, causa, loco et tempore Conventus habendi, certiores faciat; admonens quoque, d] ut ubique Missae celebrentur et d] Inf. n. 4. c. 7 n. 1.
orationes fiant pro felici Praepositi electione. Unusquisque autem Provincialium, si ipsi soli eligendi potestatem non habuerint, e] Professos, qui e] Sup. c. 3 n. 1.
in ipsius Provincia versantur, Rectores quoque et locales Praepositos, qui venire possint, convocabit. Ubi vero ad Congregationem provincialem convenerint, qui commode potuerint, eligent pluribus suffragiis (Provincialis sententia pro duobus suffragiis numerata) eos, qui ad generalem Congregationem venient: qui esse ii debebunt, quos magis expediat Congregationi interesse, et f] quorum absentia f] Sup. c. 3 n. 1.
minus detrimenti Provinciae sit allatura. Ipsi vero, quam primum poterunt, ad constitutum locum, relictis in suis Provinciis Vicariis et rebus omnibus bene compositis, proficiscentur.

4. Curabunt g] praeterea Superio- g] Sup. n. 3.
res, ut omnes, qui sub obedientia Societatis vivunt, quotidie in orationibus et in Missarum sacrificiis plurimum Domino commendent eos, qui ad generalem Congregationem se conferunt, et simul, ut quidquid in ea transigetur, ad maius obsequium et laudem et gloriam divini nominis cedat.

CAPUT VI.

DE MODO DELIBERATIONIS, CUM DE ELECTIONE GENERALIS AGITUR.

1. Si Conventus indictus est ad novi Praepositi, qui in demortui locum succedat, electionem, simul atque convenerint, Vicarius Generalis quatuor dies ante Praepositi futuri electionem de eadem omnes alloquatur, horteturque ad eam, prout ad maius Dei obsequium et bonam Societatis gubernationem convenit, faciendam. Et praeter hunc diem, tres sequentes habebunt, ut se Deo commendent, meliusque considerent, quisnam ex universa Societate ad huiusmodi curam maxime idoneus sit futurus, informationem capientes ab eis, qui eam bene dare poterunt: donec tamen ingrediantur locum electionis et in
1] C. 1 d. 8 ante elect. eum includantur, 1] non definiant apud se quem sint electuri.

2. Hoc medio tempore, unusquis-
2] C. 4 d. 2 ante elect. que, 2] sub poena excommunicationis latae sententiae, teneatur Vicario manifestare vel alicui ex antiquioribus Professis (qui cum Vicario conferet) si sciret aliquem hoc munus affectasse vel etiam tunc affectare,
3] C. 1 d. 7, 9 ante elect. C. 2 d. 19 ante elect. 3] directe aut indirecte id procurando, vel signo aliquo id declarando. * Qui autem de ambitione * A huiusmodi convictus esset, activo et passivo suffragio privetur, ut inhabilis
a] P. 10 n. 6. ad eligendum alium et a] ut ipse eligatur; nec in eam Congregationem, nec in aliam umquam admitti possit.

3. Ipso die electionis, qui hos tres dies consequetur, celebret aliquis Missam de Spiritu Sancto, quam omnes audiant, ac in eadem sanctissimum Christi Corpus sumant.

4. Postmodum ad campanae pulsum, * qui suffragium habent, ad * B locum Congregationis vocentur; et unus eorum concionem habeat, qua in genere, nullo dato signo, quo particularis aliqua persona significetur, ad electionem eius Praepositi, qui ad maius Dei obsequium conveniat, exhortetur. Et postquam hymnum illum simul dixerint: *Veni, Creator Spiritus,* etc., in praedictum locum Congregationis ab aliquo ex Praepositis, vel Rectoribus, vel aliquo quopiam de Societate, cui id officii in Domo Congregationis commissum fuerit, includantur; ita ut nec inde egredi nec eis aliquid ad victum, praeter panem et aquam, dari possit, donec Praepositum Generalem elegerint.

5. Quod si omnes communi inspiratione, non exspectato ordine suffragiorum, quempiam eligerent; ille sit Praepositus Generalis. Omnem enim ordinem et eligendi formulam Spiritus Sanctus, qui ad huiusmodi electionem eos movit, facile supplet.

6. Quando eo modo non perage tur electio, formula quae sequitur erit observanda. In primis, quisque seorsim orabit Deum, * et, cum nullo alio * C loquendo, in Creatoris sui ac Domini conspectu ex iis, 4] quae prius intel- 4] C. 1 d. 18 ante elect. Form. Cong. gen. n. 21 in Congr. tertia, post decreta. lexit, apud se statuet, quem sit electurus; et in charta scribet nomen

personae, quam eligit in Praepositum Generalem, et suum subscribet; et ad hoc, spatium unius horae ad summum praefigatur. Deinde ad sedes suas omnes conveniant, et Vicarius
* D * cum Secretario, ad hoc ipsum inter Professos electo, et alio tertio, qui eis
5] C. 1 d. 15 ante elect. assistat, 5] exsurgens a sede, protestetur nolle se admittere quemquam
* E nec excludere, quem non debeat. * Det autem omnibus absolutionem generalem ab omnibus censuris ad hunc canonicae electionis effectum. Postmodum, invocata Spiritus Sancti gratia, accedat cum suis sociis ad men-
6] C. 1 d. 16 ante elect. sam in medio positam; et 6] ipsimet tres praedicti mutuo suffragia sua
* F alius ab alio petant, et * iuret unusquisque, prius quam det, quod eum nominat, quem sentit in Domino ad hoc munus magis idoneum; et suffragia in manibus Secretarii simul serventur. Deinde a quolibet eorum, qui in Congregatione sunt, seorsum, sed tamen coram aliis, proprium suffragium scripto contentum postulent; quod, praevio eodem iuramento, eisdem dabit unusquisque. Deinde in medio omnium Secretarius suffragia, electum solummodo nominando, promulgabit; ac demum, uno suffragiorum numero cum alio collato, qui plus quam mediam partem suffragiorum habuerit, sit Praepositus Generalis: et ita, qui prius eum nominavit vel Vicarius percunctetur alios, an suum consensum ei praestent, quem maior pars elegit; et, utcumque respondeant, formabit decretum electionis, dicendo: " In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Ego N., nomine meo et omnium idem sentientium, eligo N. in Praepositum Genera-
* G lem Societatis Iesu. „ Quo peracto, * statim omnes ad reverentiam ei exhibendam accedant, et, flexo utroque genu, manum eius osculentur. Qui vero electus fuerit nec electionem, nec exhibitam reverentiam, memor cuius nomine eam admittere debet, recusare poterit. Deinde simul omnes dicant, *Te, Deum, laudamus....*

7. Si non fuerit, qui amplius quam mediam partem suffragiorum habeat,
7] alia ratio, scilicet compromissionis, 7] C. 1 d. 17 ante elect.
ineatur; * electis inter omnes tribus * H
aut quinque electoribus, qui nimirum ad id munus plura habuerint suffragia, et quo maior horum trium vel quinque pars inclinaverit, ille sit Praepositus Generalis, et promulgetur, eique reverentia exhibeatur, et Deo nostro gratiae agantur, ut superius b] dictum est. b] Sup. n. 6.

8. Post promulgationem, nulli integrum erit suffragium suum mutare, nec, peracta electione, aliam tentare: et observet quae dicta sunt, qui schismaticus ac ruinae Societatis auctor haberi nolit, et in poenam excommunicationis latae sententiae
incidere, * aliasque graves censuras * I
subire, pro arbitrio Societatis; cui c] c] P. 3 c. 1 n. 18.
unio et conformitas omnimoda ad Dei gloriam convenit.

DECLARATIONES IN CAPUT VI.

A. *Ut suffragio privari quis possit ut inhabilis, quod de ambitione huiusmodi notatus esset, oporteret clare testimoniis convictum esse, vel alioqui, quantum satis est, de veritate eorum, quae obiecta sunt, constare, quacumque ratione id constare posset. Sed, cum probationes suspicionem tantum valde probabilem, sed non fidem certam facerent, is non erit ad electionem idoneus; et, quaesita aliqua occasione, removendus quidem ab ea Congregatione, sed suf-*

fragii iure, tamquam inhabilis, privandus non erit. Nec suspicio evulganda erit, et multo minus, si suspicio probabilis non esse deprehenderetur: tunc enim nulla ratione id nocere debebit ei, qui non iuste notatus fuerit; nec desinet Congregationi interesse et suffragii ius, sicut alii, habere. Ad quem pertinet
8] C. 4 d. 49. C. 7 d. 65. *hoc iudicare, Vicarius est,* 8] *tribus aliis ex antiquioribus Professis vocatis; et condemnatio, ut minimum, tribus suffragiis fieri debet. Qui autem aliter, atque in animo sentiret, sententiam diceret, ipso facto excommunicationem incurret.*

Si ipsemet Vicarius vel aliquis ex antiquioribus notaretur, semper quatuor ex iis, qui prius Professionem emiserunt, iudicabunt, excluso eo, qui notatus est: et eorum quisque, ad cuius aures huiusmodi infamia perveniret, reliquos vocet, ut de ea cognoscatur.

a] *Sup.* c. 3, A. P. 5 c. 1, A. B. *Qui* a] *suffragium habent, Professi quatuor Votorum dumtaxat erunt,*
b] *Sup.* c. 3, A. *ut* b] *dictum est, si quidem de electione Generalis agitur: quamvis curetur, ut et alii conveniant ad maiorem rerum cognitionem habendam, si opus fuerit, et ad agendum post electionem Genera-*
c] *Sup.* c. 3, A. *lis aliis de rebus, in quibus* c] *Recto-*
9] C. 2 d. 2. C. 4 d. 35. C. 22 d. 41. *res et* 9] *Praepositi locales (si Professionem trium Votorum emiserunt, vel Coadiutores formati sunt), qui vocandi erunt, suffragium, ut superius diximus, habebunt.*

C. *Servabunt omnes silentium in loco inclusionis; ita ut unus cum alio non colloquatur in iis, quae ad electionem pertinent, nisi quid esset, quod necessarium videretur, et id quidem coram omnibus dicendum esset, donec Generalis sit electus.*

D. *Antequam ingrediantur in locum electioni destinatum, in spatio quatuor illorum dierum congregati omnes, qui in loco Congregationis Professi inve-* d] *Inf.* F, G. P. 9 c. 5 n. 4.
nientur, d] 10] *Secretarium et Assi-* 10] C. 1 d. 14 *ante elect.*
stentem eligent: ac quilibet, quem nominet, scriptum dabit: et publice Vicarius
cum duobus 11] *ex Professis antiquio-* 11] C. 10 d. 7.
ribus videbit, quis plura habeat suf-
fragia; et ubi paritas esset, tres 12] *ipsi* 12] C. 11 d. 11 n. 1.
suffragia sua ferent; et qui duo habuerint ex eis, Secretarius et Assistens erunt.

E. *Absolvit ab omnibus censuris, quas non incurrissent propter defectus ad hanc electionem pertinentes.*

F. *Formula iuramenti haec esse poterit: " Testem invoco cum omni reverentia* Iesum *Christum, qui Sapientia*
est aeterna, quod 13] *ego N. illum eligo* 13] C. 1 d. 70.
et nomino in Praepositum Generalem Societatis Iesu, *quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum." Itaque duo iurat: unum, quod suum nomen ponit, ut personae eligentis; alterum, quod ponit nomen illius, quem magis idoneum iudicat, ut personae electae: et tunc suffragium suum scriptum dabit. Et hanc iuramenti formulam quisque scriptam habeat exterius in eadem charta sui suffragii, et eam legat alta voce, cum suffragium dat tribus designatis. Locus autem, ubi quisque seorsum et coram omnibus suum dat suffragium, mensa erit in medio constituta, ubi Vi-*
carius est cum e] *suis Assistentibus.* e] *Sup.* D.

G. *Incipiente Vicario* f] *cum Assi-* f] *Sup.* D.
stentibus, vel, si aliquis eorum fuerit electus, duobus reliquis; et sequentur caeteri.

H. *Modus eligendi hos electores erit, ut scribat unusquisque, quos sentiat eligendos; et qui plura habuerint suffragia, sint electores: et cum quisque scripserit huiusmodi electorum nomina, iurabunt omnes in hanc formam: " Testem invoco* Iesum *Christum, qui Sapientia est aeterna, quod ego N. illum eligo*

et nomino in Praepositum Generalem Societatis Iesu, quem electores ad id constituti elegerint et nominaverint. „

I. *Poterit Vicarius cum plurium assensu, vel qui electus fuerit in Praepositum Generalem, decernere censuras, quae convenire in Domino videbuntur.*

CAPUT VII.

DE MODO IN DELIBERATIONIBUS TENENDO, QUANDO IN CONGREGATIONE GENERALI, NON DE ELECTIONE PRAEPOSITI, SED ALIIS DE REBUS AGITUR.

1. Cum in Congregatione, non de electione Praepositi, sed aliis de rebus gravibus et ad statum Societatis pertinentibus agitur, inclusio necessaria non erit: licet sit curandum, ut, quam expeditissime fieri poterit, quae tractanda sunt absolvantur. Sed, quia ex prima et summa Sapientia descendat oportet lux ea, qua diiudicari possit, quid statuere
a] Sup. c. 5 n. 3, 4. conveniat; in a] primis, Missarum sacrificia offerentur, fietque oratio in loco Congregationis et aliis partibus Societatis, per totum illud tempus, quo congregantur et quo tractantur res in eo Conventu definiendae, ad gratiam impetrandam, ut omnia ad maiorem Dei gloriam constituantur.

2. Deinde semel aut saepius omni-
* A bus congregatis, * Praepositus Generalis, deinde Provinciales, Rectores
1] C. 2 d. 20. C. 3 d. 1. C. 4 d. 64. 1] aliique ad Congregationem vocati, quae eis tractanda videbuntur, rationesque eorum, quae sentiunt (postquam diligenter omnia consideraverint ac Deo et Domino nostro commendaverint) coram omnibus breviter proponent. Et postquam propo-
* B suerint, summam * scriptam in medio relinquent, ut, si qui velint, eam legant; et quod ea de re sentiunt, in sequenti congregatione dicant.

3. Rebus agitatis hinc inde in una vel pluribus congregationibus, si nihil manifeste in alteram partem constitui videretur; communi omnium
vel fere 2] omnium assensu, quatuor 2] C. 1 d. 6, 46. C. 4 d. 42.
qui definiant ex iis, qui intersunt Conventui et in eo ius habent suffragii, plurium sententiis, quibus alii se stare velle compromittant, eligantur: qui, quoties opus fuerit, cum Praeposito Generali congregati, omnia ea, de quibus agitur, decident. Quod si omnes eiusdem sententiae non fuerint, quo verget maior pars id praeferendum et a tota Congregatione, ut de manu Domini, admittendum erit.

4. Si Praepositus Generalis ea corporis valetudine non esset, ut posset rebus omnibus tractandis interesse, posset alium suo loco substituere; et sic sigillatim, omnibus rebus constitutis, prout maiori parti visum fuerit, quod decretum est, scribetur, et in plena Congregatione legetur: et si etiam tunc alicui visum fuerit, quid ea in re sentiat dicere, ei licebit; sed omnia tandem arbitrio Praepositi cum Definitoribus relinquentur.

5. Consideratis denuo illis, quae discussa sunt, et modo iam dicto rursum constitutis, Secretarius in libro

* C ad id destinato * ea postmodum promulganda scribet.

DECLARATIONES IN CAPUT VII.

A. *Qui veniunt Provincialium loco, eis absentibus, eodem ordine loquentur.* 3] C. 1 d. 45, 108. C. 7 d. 73. *Hoc tamen observabitur, ut* 3] *antiquissimus ex Professis cuiusvis Provinciae, qui Provincialis sit vel loco Provincialis veniat, dicat primus; et eum sequentur reliqui omnes eiusdem Provinciae, iuxta antiquitatem Professionis, vel votorum, quae Coadiutores spirituales emittunt. Postea inter reliquos Provinciales, qui fuerit antiquior, et cum eo reliqui ex eadem Provincia. Post huiusmodi sequentur, si alii fuerint, qui sub nullo Provinciali sint, vel extra ordinem sint vocati, qui etiam ordine antiquitatis dicent.*

B. *Suum scriptum super mensa, quae in medio erit, ponendo. Curabit autem Secretarius, ut, si opus fuerit, plura exempla exscribantur, vel quisque secum ferat, quibus rationes, quae ipsos movent, contineantur, ut videri possint ab iis, qui sententiam de rebus eisdem dicturi sunt.*

C. *Promulgatio fiet coram tota Domo, ac postea per Domos et Collegia reliqua; quod de ordinationibus statutis dictum intelligatur, quae, ut ubique observentur, constituta sunt. Quod enim ad Collegium, vel Domum, vel personam unam tantum pertineret, non est quod aliis in locis promulgetur, quamvis res secretae non essent: sed si essent secretae, multo magis evulgatio sub gravibus censuris arbitrio Praepositi Generalis est prohibenda.*

Ordinationes 4] *in Congregatione constitutae in suo vigore permaneant, si in alia Congregatione generali non revocarentur, quamvis Praepositus Generalis, sub quo factae sunt, e vivis excessisset.* 4] C. 1 d. 115.

1] C. 1 d. 49.

NONA PARS. 1]

DE IIS, QUAE AD CAPUT SOCIETATIS ET GUBERNATIONEM AB EO DESCENDENTEM PERTINENT.

CAPUT I.

QUOD PRAEPOSITUM GENERALEM, ET QUIDEM PERPETUUM, DUM VIXERIT, ESSE OPORTEAT.

1. Ut in omnibus Rebuspublicis vel Congregationibus bene constitutis, praeter eos, qui ad fines particulares in eis tendunt, necesse est esse aliquem vel etiam plures, qui boni universalis curam habeant, et, ut ad proprium finem, ad id tendant; sic etiam in hac Societate, praeter

eos, qui particularibus Domibus, Collegiis, et Provinciis etiam, in quibus huiusmodi sunt Domus vel Collegia, a] Inf. c. 6 n. 1. praesunt; necesse est *a*] esse aliquem, qui universae Societatis curam habeat, qui hunc sibi finem constituat, ut bene gubernetur, conservetur et augeatur totum Societatis corpus; et hic est Praepositus Generalis: qui, cum duobus modis eligi posset, scilicet ut ad tempus aliquod definitum, vel ut, quandiu vivet, Societati prae- * A sit; * propterea quod experientia, et in gubernando exercitatio, et homi- * B num particularium notitia, * et erga eosdem auctoritas confert magnopere, 2] C. 1 d. 47. ut bene hoc munus obeat; *2*] ad vitam, et non ad tempus aliquod prae- b] P. 8 c. 2 n. 1. c. 4 n. 2. scriptum, erit eligendus. *b*] Accedit autem ad caetera hoc commodi ex eo, ut Societas, in rebus magni momenti ad Dei gloriam satis fere semper oc- * C cupata, * universalibus his Conventibus minus laboris et distractionis patiatur.

DECLARATIONES IN CAPUT I.

A. *Praeter rationes, quae in hac Constitutione attinguntur, ut Generalis ad* a] P. 10 n. 6. *vitam constituatur, sunt et aliae.* a] *Una est, quod longius recedet omnis cogitatio et occasio ambitionis, quae huiusmodi officiorum pestis est, quam si certis temporibus esset eligendus.*

Altera, quod facilius est unum idoneum, quam plures, ad hoc munus inveniri.

Tertia est, exemplum quod sumitur ex communi ratione gubernationum magni momenti, quae ad vitam esse solent, tam in ecclesiasticis, Summi Pontificis et Episcoporum, quam in saecularibus, Principum ac Dominorum. De remedio autem, quo evitentur aliqua incommoda, quae sequi possent ex huiusmodi officio, si ad vitam teneatur, inferius capite quarto agetur.

B. *Maior erit Praepositi auctoritas, si mutari non poterit, quam si ad unum vel plures annos eligeretur; cum externis, quia magis omnibus notus erit; et cum iis, qui de Societate sunt, propter rationem eamdem. Et contra, scire quod eo officio aliquando sit perfuncturus, et aequalis vel inferior aliis futurus, esse etiam in eo parum exercitatum, auctoritatem potest imminuere.*

C. *Constat rarius congregandam universam Societatem, si Praepositus ad vitam eligetur: quandoquidem quae fiunt Congregationes, maiori ex parte ad eius electionem, et raro in aliis occasionibus fiunt.*

CAPUT II.

QUALIS ESSE DEBEAT PRAEPOSITUS GENERALIS.

* A 1. Inter * dotes varias, quibus ornari Praepositum Generalem optandum est, omnium prima haec a] Inf. c. 6, A. P. 10 n. 2. erit; *a*] ut cum Deo ac Domino nostro quam maxime coniunctus et familiaris, tam in oratione, quam in omnibus suis actionibus sit; ut eo uberius ab ipso, ut boni totius fonte, universo corpori Societatis abundantem donorum ac gratiarum eius participatio-

nem, ac multum valoris et efficaciae omnibus illis rationibus, quibus ad animarum auxilium utetur, impetret.

b] *Inf.* c. 6, A. P. 8 c. 1, G.

2. Secunda, *b*] ut vir sit, cuius in omni virtutum genere exemplum reliquos de Societate iuvet; ac praecipue in eo splendor charitatis erga omnes proximos, et in primis erga Societatem, ac verae humilitatis, quae Deo et hominibus amabilem eum reddant, sit conspicuus.

3. Liber etiam ab omnibus inordinatis affectionibus per gratiam Dei edomitis et mortificatis sit oportet, ne interius iudicium rationis perturbent; et ut exterius tam sit compositus, et in loquendo praesertim, tam circumspectus, ut in eo nihil, ne verbum quidem, notari possit, quod non ad aedificationem, sive eorum qui de Societate sunt, quibus speculi et exemplaris loco esse debet, sive externorum, faciat.

4. Nihilominus eo modo didicerit rectitudinem ac severitatem necessariam cum benignitate et mansuetudine miscere, ut nec se flecti sinat ab eo, quod Deo ac Domino nostro gratius fore iudicaverit; et tamen filiis suis, ut convenit, compati noverit, eo modo se gerendo, *c*] ut etiam qui reprehenduntur vel corriguntur, quamvis secundum inferiorem hominem quod agitur displiceat, agnoscant nihilominus, quod recte in Domino et cum charitate ille suum officium faciat.

c] *Inf.* c. 3 n. 11. P. 3 c. 1 n. 15, M.

5. Animi etiam magnitudo ac fortitudo est ei pernecessaria ad infirmitatem multorum ferendam et res magnas in divino servitio aggrediendas, in eisque constanter, quando id convenit, perseverandum; non propter contradictiones, licet a magnis et potentibus excitatas, animum despondendo, nec ab eo, quod ratio et divinum obsequium postulat, ullis eorum precibus aut minis separari se sinendo; ut omnibus demum casibus, qui incidere possunt, sit superior, nec prosperis efferri, nec adversis deiici animo sese permittat; paratissimus, cum opus esset, ad mortem pro Societatis bono in obsequium Iesu Christi Dei ac Domini nostri subeundam.

6. Tertia est, ut praeclaro intellectus ac iudicii dono polleat; ut nec in rebus ad speculationem nec ad praxim pertinentibus, quae occurrerint, hoc talento sit destitutus. Et, quamvis doctrina valde ei necessaria sit, qui tam multis viris eruditis est praefuturus; *d*] magis tamen est necessaria prudentia et in rebus spiritualibus et internis exercitatio ad varios spiritus discernendos, ad consilium ac remedium tam multis, qui necessitatibus spiritualibus laborabunt, adhibendum.

d] P. 10 n. 2.

Discretionis *e*] etiam donum in rebus externis, ac modo res tam varias tractandi, *f*] et cum tam diversis hominum generibus in ipsa Societate et extra illam agendi, summopere erit ei necessarium.

e] P. 7 c. 2, F.
f] P. 4 c. 8 n. 8.

7. Quarta et in primis necessaria ad res conficiendas, est vigilantia et sollicitudo ad eas incipiendas, et strenuitas ad easdem ad finem et perfectionem suam perducendas; ut nec incuria nec remissione animi inchoatae et imperfectae relinquantur.

8. Quinta ad corpus pertinet; in quo, quod ad sanitatem, speciem externam * et aetatem attinet, habenda est ratio, hinc quidem decentiae et auctoritatis, inde vero virium corporis, quas eius munus exigit; ut in eo fungi officio suo ad Dei ac Domini nostri gloriam possit.

* B

* C
g] P. 1 c. 2 n. 13.
h] P. 8 c. 1, G.

9. Sexta *g*] * circa res externas est; inter quas, quae magis ad aedificationem et Dei obsequium in eo officio conferunt, praeferri debent. *h*] Huiusmodi esse solent existimatio ac bona fama; et demum quae ex caeteris ad auctoritatem cum externis et cum iis, qui de Societate sunt, adiuvant.

10. Denique ex eorum numero esse debet Praepositus Generalis, qui in omni virtutum ornatu clarissimi, et de Societate optime meriti, et diu in eadem tales esse perspecti sunt. Et si aliquae ex dotibus superius dictis deessent, certe non desit eximia probitas, et amor erga Societatem, ac iudicium bonum, quod etiam idonea doctrina comitetur. In reliquis enim per eos, *i*] qui ad eius auxilium destinandi sunt, de quibus inferius dicetur, cum auxilio et favore divino multa suppleri poterunt.

i] Inf. c. 6 n. 7 etc. P. 8 c. 2 n. 1.

DECLARATIONES IN CAPUT II.

A. *Ad has sex partes, ut primarias, reliqua reducuntur; quandoquidem in eis Praepositi perfectio consistit erga Deum, quodque eius affectum, intellectum et exsecutionem perficit, quodque ex bonis corporis et externis iuvare poterit, et iuxta ordinem positum, momentum earum aestimandum est.*

B. *Et sic videtur aetas valde senilis non convenire, quae ad labores et curas huius officii idonea esse non solet; nec valde iuvenilis, quam nec auctoritas nec experientia, quae convenit, comitari solet.*

C. *Externa censentur, nobilitas, divitiae, quas in saeculo habuit, honor et similia. Et horum, caeteris paribus, aliqua ratio est habenda: alia tamen maioris momenti sunt, quae, quamvis haec desint, ad electionem possint sufficere.*

CAPUT III.

DE AUCTORITATE PRAEPOSITI GENERALIS ERGA SOCIETATEM, AC DE OFFICIO EIUS.

a] P. 4 c. 10 n. 2. P. 8 c. 1 n. 6. P. 10 n. 8.
b] P. 1 c. 1 n. 1.
* A
c] P. 5 c. 1 n. 2, B. c. 2 n. 4, 5.

1. Ut *a*] bene gubernetur Societas expedire valde videtur, ut Praepositus Generalis omnem habeat auctoritatem in Societatem ad aedificationem. Quae potestas, unde Praepositi officium cognoscitur, haec erit. *b*] Primum, Praepositus Generalis per se et per alios admittere in Domibus vel Collegiis vel ubicumque libeat poterit eos, qui ad Institutum Societatis ei idonei videbuntur; sive ad probationem, * sive *c*] ad professionem, sive in Coadiutores formatos, vel Scholasticos approbatos admittendos censeat. *d*]* Poterit etiam eosdem dimittere et a Societate removere. * B d] P. 2 c. 1 n. 2.

2. Eiusdem erit, quos mittendos iudicaverit et quocumque volet, ad studia litterarum mittere. *e*] Poterit et eosdem revocare ante vel post absoluta studia, ac *1*] transferre ab uno in alium locum, prout ad ipsorum particulare et ad universale bonum Societatis magis convenire in Domino existimabit.

e] P. 4 c. 9 n. 2.
1] C. 2 d. 12.

3. Totam *f*] habebit superintendentiam et gubernationem Collegiorum, quod ad Scholasticos, et Praece-

f] P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 1.

ptores, et Officiales attinet: inter quos primas tenent Rectores; *g*] quos constituere ac removere poterit, eamque facultatem eisdem communicare, quam senserit in Domino convenire: et *h*] per huiusmodi Rectores administrationem Collegiorum exercebit in iis, quae ad aedificia et temporalia ipsorum bona, in Scholasticorum usum comparata, pertinent, ut in litteris apostolicis continetur.

g] *Inf.* n. 14, 15. P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 3.

h] P. 4 c. 2 n. 5, C.

* C

i] *Inf.* n. 15. P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 3.

2] C. 5 d. 33, 64 n. 2. C. 8 d. 60 n. 4.

4. Curabit *i*] etiam, * ut illi rationem *2*] officii sui eo modo, qui convenire maxime videbitur, reddant. Et quod de Collegiis dicitur, de Universitatibus Societatis, eius curae commissis, dictum intelligatur. Res enim earum, quae ad vitae ac doctrinae institutionem pertinent, administrare, Praepositi Generalis munus erit; quod per ministros, a se iuxta Constitutiones constitutos, exercebit, etc.

3] C. 1 d. 77, 100.

5. Est item penes Praepositum Generalem omnis facultas agendi *3*] quosvis contractus emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium, tam Domorum quam Collegiorum Societatis: et imponendi ac redimendi quoslibet census super bonis stabilibus ipsorum Collegiorum in eorumdem utilitatem ac bonum, cum facultate sese onere liberandi, restituta pecunia, quae data fuerit. Alienare *k*] autem, aut omnino dissolvere Collegia vel Domos iam erectas Societatis, sine generali eius Congregatione, Praepositus Generalis non poterit.

k] *Inf.* n. 17, 18. P. 4 c. 2 n. 3. c. 10 n. 2. c. 11 n. 2. P. 8 c. 2 n. 2.

4] C. 2 d. 23.

6. De iis vero, quae *4*] Societati ita relinquuntur, ut ipsa pro suo arbitratu ea disponat (sive bona stabilia illa sint, ut Domus aliqua vel praedium non alicui certo Collegio ab eo, qui relinquit, determinate applicatum vel annexum; sive mobilia, cuiusmodi sunt pecunia, triticum et quaevis alia mobilia) idem Generalis disponere poterit, aut vendendo, aut retinendo, aut huic vel illi loco id, quod ei videbitur, applicando, prout ad maiorem Dei gloriam senserit expedire.

7. Et Praepositi Provinciales, aut locales, et Rectores, et alii eius *5*] Commissarii eam partem huius facultatis habebunt, quam ipsis Generalis communicaverit. Neque vero Collegiales ad huiusmodi actus collegialiter erunt congregandi.

5] C. 1 d. 91. C. 2 d. 10, 11.

8. Sicut ad Generalem pertinet curare, ut *l*] Societatis Constitutiones ubique observentur; * ita ad eumdem pertinebit in iis, quae accidunt, ubi dispensatione opus est, habita ratione personarum, locorum, temporum et aliarum circumstantiarum, dispensare: quod munus ea cum prudentia, quam lux *6*] aeterna communicaverit, *m*] finem earumdem Constitutionum intuendo, qui alius non est, quam maius Dei obsequium et eorum bonum, qui hoc vivendi institutum sequuntur, praestabit. Idque, * tam de experimentis eorum, qui in probationibus versantur, quam de aliis rebus, in quibus eam fuisse mentem eorum, qui Constitutiones condiderunt, ad gloriam Dei ac Domini nostri iudicabitur, dictum sit.

l] *Inf.* c. 6, A. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 1. c. 5. P. 10 n. 13.

* D

6] C. 4 d. 19.

m] *Prooem. Declarat.*

* E

9. Idem *n*] Generalis in missionibus omnem habebit potestatem; eis tamen nulla ratione repugnando, quae a Sede Apostolica, ut in *o*] septima parte dicitur, proficiscuntur. Mittere ergo poterit omnes sibi subditos, sive professionem emiserint, sive non emiserint, quos mittendos iudicaverit, * ad quaslibet mundi partes, ad quodvis tempus, vel definitum vel indefinitum, prout ei videbitur, ad quam-

n] P. 7 c. 2 n. 1, A, B, C.

o] P. 7 c. 1.

* F

vis actionem ex iis, quibus uti ad proximorum auxilium Societas solet, exercendam. * Poterit etiam missos revocare; et in omnibus denique, ut ad maiorem DEI gloriam fore senserit, procedere. * Idem, cum talenta hominibus Societatis nostrae donata cognoscat, officia Praedicatorum, Lectorum et Confessariorum distribuet. De aliis officiis tantumdem intelligatur: et quemlibet eo in munere, quod convenientius ad divinum obsequium et salutem animarum obiturus in Domino videbitur, constituet.

* G

* H

p] P. 5 c. 1, A. P. 8 c. 1 n. 6.

10. Eius p] erit uti facultatibus a Sede Apostolica Societati concessis; et eam partem illarum unicuique inferiorum communicare, quam in ipso bene collocatam ad finem divini obsequii nobis praefixum existimaverit. Eiusdem erit revocare eas vel contrahere, ad eamdem regulam divini beneplaciti omnia exigendo.

q] Sup. c. 2 n. 4. Inf. c. 6 n. 2. P. 3 c. 1 n. 15, N. 7] C. 1 d. 116.

11. Eiusdem q] Generalis erit correctionibus uti, ac 7] poenitentias, quae ad satisfactionem quorumcumque defectuum convenire videbuntur, habita ratione personarum et aliarum circumstantiarum, iniungere; quarum consideratio eius charitati cum prudentia coniunctae, qua ad DEI gloriam utetur, committitur.

r] P. 8 c. 2, C. c. 4 n. 2. c. 5 n. 1, 2.

12. Eiusdem r] erit convocare Societatem ad generalem Congregationem (quando aliis de rebus, quam de electione Praepositi est agendum) et statuere, ut provincialis etiam Congregatio convocetur, cum expedire iudicaverit, et dirigere eos, qui convenerint, ac suo tempore, iis absolutis, quae tractanda erant, dimittere.

s] P. 10 n. 6, A.

13. Sine s] eius facultate et approbatione nullus possit dignitatem ullam extra Societatem admittere: nec ille facultatem huiusmodi dabit, nec id approbabit, si Sedis Apostolicae obedientia ipsum non compelleret.

t] Sup. n. 3. P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 3. c. 17 n. 1. 8] C. 2 d. 68.

14. Constituat t] idem, ut dictum est, 8] per seipsum Rectores Collegiorum et Universitatum, ac Praepositos locales Domorum, quos aptiores fore iudicaverit: * u] Provinciales 9] itidem Praepositos ad triennium, ut plurimum (quamvis et contrahi et prorogari etiam id spatium 10] temporis possit, quando ad maiorem DEI ac Domini nostri gloriam id fore videbitur). x] Quibus etiam eam potestatem communicabit, quam duxerit communicandam.

* I

u] Inf. c. 5 n. 1. 9] C. 4 d. 56. C. 9 d. 35. C. 13 d. 12. 10] C. 1 d. 1. C. 5 d. 28. C. 6 d. 17.

x] Sup. n. 3.

15. Poterit etiam eam revocare, restringere et etiam augere, y] et administrationis rationem ab eis exigere. z] Quod si 11] Provinciali facultatem constituendi Praepositos locales et Rectores communicaverit, eiusdem Generalis erit eosdem confirmare vel removere.

y] Sup. n. 4.

z] Sup. n. 3. P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 3. c. 17 n. 1. 11] C. 1 d. 1.

16. Idem * officiales 12] reliquos ad gubernationem Societatis necessarios, a] ut Procuratorem Generalem b] et Secretarium Societatis, constituet, eam illis facultatem, quam pro negotiorum ac personarum ratione convenire in Domino iudicabit, communicando.

* K

12] C. 2 d. 86. a] Inf. c. 6 n. 12. P. 4 c. 2, E. b] Inf. c. 6 n. 8.

17. Idem c] poterit, non exspectata generali Congregatione, 13] Domos, Collegia, Universitates Societati oblatas accipere; et in fundatores, cum privilegiis in quarta parte dictis, eos, quos in Domino admittendos duxerit, admittere; et Lectores, Sacerdotes et alia quae occurrerint, providere. d] Erit tamen ei curandum, ut cum huiusmodi conditionibus admittat, ex quibus Societas commoditatem ad propositum sibi divini obsequii finem, et non detrimentum sentiat. e] Sed si experimento compertum esset gravari magis, quam iuvari Societatem,

c] P. 4 Prooem. A. c. 2 n. 1. 13] C. 3 d. 17, 41.

e] Sup. n. 5. P. 4 c. 2 n. 2, 3, A.

nec Praepositus Generalis de remedio prospiceret; in prima generali Societatis Congregatione, utrum huiusmodi Domum, Collegium vel Universitatem relinqui, an teneri cum tali onere expediat, agi poterit.

f] Sup. n. 5.

18. Transferre *f*] vel dissolvere Domos vel Collegia iam erecta, aut in *g*] usum Societatis Professae reditus eorum convertere, Praepositus Generalis, ut in quarta parte dictum est, non poterit.

g] Inf. c. 4 n. 7. Exa. c. 1 n. 4. P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 1. P. 6 c. 2 n. 3. P. 10 n. 4.

h] Exa. c. 4 n. 36.

19. Cognoscat, *h*] quoad eius fieri poterit, conscientias eorum, qui sub eius obedientia sunt; ac praecipue Praepositorum Provincialium et aliorum, quibus munera maioris momenti committit.

20. Generatim loquendo, in rebus omnibus, quae ad propositum Societati finem, perfectionis et auxilii proximorum, ad gloriam Dei faciunt, *i*] omnibus praecipere in obedientiae virtute possit. Et quamvis aliis inferioribus Praepositis, vel Visitatoribus vel Commissariis *14*] suam facultatem communicet: poterit tamen approbare vel rescindere quod illi fecerint, et in omnibus, quod videbitur, constituere; et semper ei obedientiam ac reverentiam, *k*] ut qui Christi vices gerit, praestari oportebit.

i] P. 6 c. 5.

14] C. 1 d. 91. C. 2 d. 11. C. 4 d. 3.

k] P. 3 c. 1 n. 23. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 1, 2, 3. P. 7 c. 2 n. 1, A. P. 8 c. 1, D.

DECLARATIONES IN CAPUT III.

A. *Cum unum vel plures ad professionem per alium admiserit, prius nominatim de iis certiorem fieri, et de eorum dotibus ipsi satisfactum esse oportebit:* a] *vel hoc munus admittendi pro suo arbitratu, iuxta id, quod in quinta parte dicitur, alicui, cui perinde ac sibi ipsi confidat, peculiariter committat.*

a] P. 5 c. 1 n. 2, B. c. 2, A.

B. *Iuxta id, quod in secunda parte de dimittendi ratione dictum est.*

C. *Sive reddenda sit ratio eidem, sive Praeposito Provinciali, sive alii cuipiam, qui ad eam exigendam potestatem commissariam habeat.*

D. *Per seipsum exercere debet Generalis hanc potestatem*; b] *et per alios in casibus urgentioribus id etiam praestare poterit, ubi sine incommodo insigni exspectari nequit: vel ubi peculiariter alicui, cui tamquam sibi ipsi fideret, praesertim in locis remotissimis, qualis est India, committeret. Et intelligendum est dispensare posse, ubi eam esse mentem Constitutionum, ut dictum est, consideratis circumstantiis particularibus et non aliter, in Domino iudicaret.*

b] P. 4 c. 10, B.

E. *Penes* c] *Generalem erit, ut omnia experimenta et plura etiam quam illa sex, de quibus in Examine dicitur, fiant, vel unum aut plura eorum omittantur vel cum aliis permutentur, constituere, quando alicui non conveniret, quod generatim convenit: cuiusmodi esset hospitale, vel peregrinatio, vel lectio, vel aliqua ex aliis probationibus.*

c] Exa. c. n. 9, 16.

F. *Ut* d] *inter fideles, in Indiis, et inter infideles, ubi sunt aliqui incolae christiani, et etiamsi nulli sint, in quibusdam casibus vel necessitatibus urgentioribus; id tamen, magna consideratione praecedente, fieri debet.*

d] P. 7 c. 1 n. 1, B. c. 2, H.

G. *Non* e] *solum missos per praecedentem Praepositum vel per seipsum, sed etiam per Summum Pontificem, nullo tempore definito, potest revocare, ut in litteris apostolicis gratiarum, anno quadragesimo nono per Paulum III, nostrum sanctum Patrem, nobis concessarum, continetur.*

e] P. 7 c. 1 n. 6. c. 2, H.

H. *Hoc, sicut alia multa dicta et dicenda, poterit exsequi Generalis per suos ministros, sive Praepositi locales illi fuerint, sive non.*

I. *Cum iis, qui bene suum officium faciunt et ei possunt satisfacere, in*

triennii definito spatio nihil deperit; quandoquidem hoc tempus et contrahi et prorogari poterit: cum iis, qui se parum idoneos ostenderent, id commodi accedit, ut sine nota, cursu triennii peracto, removeri possint; nisi ante id tempus, ratione universalis boni, Generali removendi viderentur.

K. *Quamquam poterit ad has electiones et res alias graves et dubias rogare sententias aliorum, quos iudicaverit in Domino bene sensuros; constituere tandem in eius erit potestate.*

CAPUT IV.

DE AUCTORITATE VEL PROVIDENTIA, QUAM SOCIETAS HABERE DEBET ERGA PRAEPOSITUM GENERALEM.

* A 1. FACULTAS * vel providentia Societatis erga Praepositum, habita semper ratione boni universalis ac maioris aedificationis, sex in rebus, quae ad DEI gloriam iuvare possunt, consistit.

a] *Inf.* c. 5 n. 2. 2. Prima *a*] ad res externas pertinet, vestitus, victus et expensarum quarumlibet ad personam Praepositi spectantium: quae omnia vel augere vel imminuere poterit Societas, prout Praepositum ipsum ac se decere et DEO gratius fore iudicabit. Et huic Societatis ordinationi Praepositum acquiescere oportebit.

b] *Inf.* c. 5 n. 2. 3. Secunda *b*] ad corporis curam pertinet, ne in laboribus vel rigore nimio mensuram excedat. Qua etiam in re ad moderationem se reduci sinet Superior, et Societatis arbitrio acquiescet.

c] *Inf.* c. 5 n. 2. 4. Tertia *c*] ad animam eius spectat; cum etiam viris perfectis aliquando huiusmodi cura, vel circa personam, vel circa officium sit necessaria. Habeat ergo Societas cum Praeposito Generali, et idem cum inferioribus fieri posset, aliquem, qui, accedens ad DEUM in oratione, postquam divinam bonitatem consuluerit et aequum esse id iudicaverit, cum modestia debita ac humilitate, quid sentiat in ipso Praeposito requiri ad maius obsequium et gloriam DEI, *1*] admonere teneatur; sive ille sit eius Confessarius, sive alius quispiam *2*] per Societatem designatus, qui ad hoc negotium aptus videatur. 1] C. 2 d. 22, 35. 2] C. 3 d. 42. C. 4 d. 15.

5. Quarta *d*] est, quod * si quis urgeret, licet eum non obligando sub poena peccati, ut dignitatem aliquam admitteret, in qua Praepositi officium necessario relinquendum esset, non posset sine consensu Societatis eam admittere. Societas autem, semper intuendo quae ad maius DEI obsequium et gloriam pertinent, si obedientia Sedis Apostolicae non compulerit, assensum numquam praestabit. d] *Inf.* c. 5 n. 6, E. P. 10 n. 6, A. * B

6. Quinta *e*] locum habet, si accideret, ut valde negligens vel remissus esset in rebus magni momenti ad Praepositi officium pertinentibus, propter corporis gravem aegritudinem aut senium, spe emendationis ea in parte sublata, *3*] unde multum e] *Inf.* c. 5 n. 6, D. 3] C. 1 d. 48.

detrimenti publicum bonum pateretur. Tunc enim Coadiutor vel Vicarius, qui Generalis officio fungatur, est eligendus: sive ipsemet Praepositus eum cum approbatione Praepositorum Provincialium sibi substituat;
4] C. 8 d. 28, 29. C. 12 d. 55. sive 4] illi, cum approbatione duorum Praepositorum localium vel Rectorum uniuscuiusque Provinciae, eum per litteras pluribus suffragiis eligant ad Societatis gubernationem; cum ea facultate, quae Generali, vel ipsi Societati, si ea eligeret, communicanda videretur.

f] Inf. c. 5 n. 4. 7. Sexta *f*] locum haberet in quibusdam casibus (quos speramus per Dei bonitatem, aspirante ipsius gratia, numquam eventuros), cuiusmodi essent peccata mortalia in externum actum prodeuntia, ac nominatim copula carnalis; * vulnerare quemquam, * C
g] Sup. c. 3 n. 18. Exa. c. 1 n. 4. P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 1. P. 6 c. 2 n. 3. P. 10 n. 4. *g*] ex reditibus Collegiorum aliquid ad proprios sumptus assumere, * vel cuivis extra Societatem donare, vel aliqua stabilia bona Domorum aut Collegiorum alienare, vel pravam doctrinam habere. * D Si quid ergo horum accideret, potest ac debet Societas, * E
h] Inf. c. 5 n. 4. i] P. 2 c. 1 n. 1, 4. * *h*] si de re sufficientissime constaret, eum officio privare; *i*] et, si opus est, a Societate removere: in omnibus prae oculis habendo, quod ad maiorem Dei gloriam et universale bonum Societatis fore iudicabitur.

DECLARATIONES IN CAPUT IV.

A. *Et* a] *exercebit eam per Assistentes, de quibus mox dicetur.* a] Inf. c. 5 n. 2.

B. *Urgere intelligendum est, si Princeps aliquis saecularis id curaret, et ordinaret Summus Pontifex aliquam sumere dignitatem, non tamen ita absolute imperando, ut ostendat se velle eum ad tale officium admittendum obligare. Nam in huiusmodi casibus, ubi cessat obligatio, non debet nec potest sine probatione Societatis eam admittere: nec Societas approbabit, si Pontifex praecepto, quod ad peccatum obliget, non compelleret.*

C. *Ut cum aliquo armorum genere, vel cultello, vel re quavis, cum qua insignis laesio inferri potest.*

D. *Id agitur peculiariter, ut non det consanguineis vel eis, qui coniunctionem aliquam saecularem cum ipso habent: et non praecluditur ostium, ut fiat eleemosyna, vel detur, quod convenit, ei, cui dari debere ad Dei gloriam Generalis sentiret.*

E. *Quoniam qui curam aliorum, praecipue tam universalem habent, iniuste calumniam a multis pati varias ob causas possunt; diligenter animadvertere oportet, ut probationes dictorum defectuum sint, quam fieri possit, efficacissimae, morali modo loquendo.*

CAPUT V.

DE MODO QUO PROCEDERE DEBET SOCIETAS IN IIS, QUAE AD PRAEPOSITUM GENERALEM PERTINENT.

a] Sup. c. 3 n. 14.
1. In primis Praepositi Provinciales, a] quos Generalis ipse per se constituit, in conspectu Dei considerare et efficere, quod universali bono Societatis debent in praedictis ad Praepositum Generalem pertinentibus, prout in Domino senserint, teneantur.

b] Sup. c. 4 n. 2.
2. In b] iis, quae ad sumptus et curam corporis eius et res alias minus graves pertinent, Congregatione opus non est; sed * ut c] Societas viros quatuor ei Assistentes, qui discretione ac zelo communis boni Societatis polleant, constituat: qui d] quidem, apud Praepositum manentes, in conspectu Creatoris ac Domini sui dicere 1] ac efficere, e] quidquid circa tria prima in praecedenti capite dicta ad maiorem Dei gloriam fore senserint, teneantur.

* A
c] Sup. c. 4, A. Inf. c. 6 n. 10, 11. P. 8 c. 1, G.
d] Inf. c. 6 n. 10.
1] C. 1 d. 82. C. 2 d. 74.
e] Sup. c. 4 n. 2, 3, 4.

3. Electio vero quatuor huiusmodi Assistentium 2] eorum erit, qui Praepositum eligent, quando ad id congregantur. Quod si vel mortem obiret, vel a Praeposito Generali diutius abesse propter causas graves aliquem ipsorum oporteret, 3] non repugnantibus Provincialibus Societatis, Praepositus Generalis alium substituet, qui, cum 4] approbatione omnium vel maioris partis eorum, manebit in demortui vel absentis loco.

2] C. 5 d. 73. C. 6 d. 4.
3] C. 4 d. 24, 25. C. 8 d. 19.
4] C. 1 d. 84. C. 4 d. 25. C. 6 d. 27 n. 2.

f] Sup. c. 4 n. 7.
4. Tertio, f] si accideret aliquod ex peccatis (avertat id Deus), quae sufficiunt ad Praepositum officio suo privandum; simul atque res g] per testimonia sufficientia vel ipsius affirmationem constaret, iuramento obstringantur quatuor Assistentes ad id Societati denuntiandum, et, cum omnium vel certe trium subscriptionibus, Congregationem, * id est Praepositos Provinciales cum duobus aliis, quos singuli ex sua Provincia secum adducent, qui congregari tenebuntur, convocandam. Et si res divulgata et communiter manifesta esset, non exspectata quatuor Assistentium convocatione, Provinciales, alii alios vocando, convenire deberent. Et ipso primo die, quo in locum huiusmodi Congregationis ingredientur, ubi aderunt quatuor illi qui convocarunt cum aliis congregatis, rem is aggrediatur, cui omnia notiora sunt, et accusatio dilucide explicetur: et, postquam auditus fuerit Praepositus, foras egredi debebit; et antiquissimus ex Provincialibus h] simul cum Secretario et alio Assistente de tota re scrutinium faciat. Et primo quidem, an constet de peccato, quod obiicitur; deinde, an huiusmodi sit, ut propter id privari officio debeat; et idem suffragia promulget, quae, ut sufficiant, duas tertias partes excedent: et tunc statim de alio eligendo agatur; et si fieri potest, non prius inde egrediantur, quam Societas Generalem Praepositum habeat: et si eo die res transigi non poterit, in sequenti, vel quam expe-

g] Sup. c. 4 n. 7.
* B
h] P. 8 c. 6, D.

ditissime fieri poterit, eo modo, quo
i] P. 8 c. 6. in octava parte i] dictum est, transigatur.

* C 5. Si * defectus deprehensi non fuerint eiusmodi, ut privandus officio suo, sed tantum corrigendus videretur; quatuor eligantur, quibus cura iniungatur considerandi, quae correctio ei conveniat: et si non convenirent, paribus suffragiis exsistentibus, quintus adiungatur, vel tres alii; ut, quid in Domino conveniat, constituant.

* D 6. Si * accideret k] Praepositum
k] Sup. c. 4 n. 6. Generalem ad Societatis gubernationem esse inutilem, re partim coram eo et partim in eius absentia agitata, dispiciatur an eligi Vicarium absoluta cum potestate, quamvis sine nomine Praepositi Generalis, quandiu vixerit qui tunc erat, oporteat: et id, si pluribus quam dimidiae parti suffragiorum visum fuerit, sic agendum erit. Si id necessarium fore non iudicarent, videndum erit, an, praeter ministros illos, quorum opera Generalis utebatur, Societas alios providere debeat: ut, sublevato magis eo et adiuto, non desideraretur, quod ad gubernationem Societatis conveniret. Et ea in re sequi oportebit, quod plus quam media pars eorum, qui congregati
l] Sup. c. 4 n. 5, B. P. 10 n. 6, A. sunt, statuerit. l] Si ageretur de dignitate, quam ut plurimum pati non potest Praepositi officium, si non compulerit talis obedientia Summi Pontificis, quae ad peccatum obligare posset, res in consultationem ne ad-
* E ducatur: * sed id omnino tamquam certum tenendum est, nec debere nec posse consensum ad huiusmodi dignitatem admittendam praestari.

DECLARATIONES IN CAPUT V.

A. *Professi sint, si commode fieri poterit. Et si aliquando huiusmodi Assistentes, vel aliquis eorum, a Praeposito recederent, missi ad hanc vel illam partem ut cito redeant; necesse non erit alios in eorum locum subrogare. Si diu eos abesse oporteret,* 5] *alii subrogentur;* 5] C. 3 d. 12.
Verum Praepositus Generalis sine gravi causa vel necessitate eos procul a se mittere non debet.

B. *Rem nihilominus secretam teneant, quantum fieri poterit, cum aliis, etiam eiusdem Societatis, donec veritas eluceat: ut, si certum esse, quod quatuor sibi persuaserant, non inveniretur, iniusta infamiae nota Praeposito non inuratur.*

C. *Cum defectus ad depositionem sufficientes non deprehenderentur, aliis de rebus agatur, propter quas convocata Societas videatur; et quod ad Praepositum attinet, dissimuletur: immo, quoad eius fieri poterit, nullo tempore divulgari debet. Et sic, cum convocantur, praemoneri, et post rem discussam serio iniungi consciis, et praesertim Provincialibus oportet, ne cui indicent. Et cum constitutum fuerit illum officio privare, tunc etiam cum Praeposito Generali secreto agendum est, ut ipsemet officio se abdicet; ut hoc promulgari, et peccatum ac officii propter peccatum privatio occultari possit.*

D. *Omnino esset inutilis, qui usu rationis careret, quique in morbum minime curabilem incidisset, tamque gravem, ut rebus sui officii vacare non posset, nec aliquando vacaturus speraretur. Si morbus talis non esset, ut de sanitate desperandum videretur, sine Congregatione generali Vicarius per eumdem Praepositum posset constitui,*

ut ipsius officio, donec convalesceret, omnino fungeretur; et, recuperata sanitate, concessa ei prius facultas cessabit.

E. *Hinc apparet, necessarium non esse ad hoc statuendum ad Congregationem venire, nisi obedientia Sedis Apostolicae intercederet, quae Praepositum vel Societatem, ut dictum est, ad peccatum obliget, nisi res ad effectum perducatur.*

CAPUT VI.

DE IIS, QUAE IUVARE POTERUNT PRAEPOSITUM GENERALEM, UT SUO OFFICIO BENE FUNGATUR.

1. Cum proprium Generalis officium non sit concionari, nec confessiones audire, nec alia huiusmodi (in quibus tamen ille, ut particularis persona, videbit quid praestare possit, cum ei per alias occupationes officii sui proprias licebit, et non aliter); * sed a] ita regere universum huius Societatis corpus, ut conservetur et, gratia divina aspirante, in bono suo statu et modo procedendi ad Dei et Domini nostri gloriam crescat; ad quem sibi propositum finem sua potestate uti debet;

* A

a] Sup. c. 1.

2. Praeter dona illa perfectionis magnae spiritualis ac virtutum, de quibus secundo capite dictum est, bonis b] etiam ministris ad munera particularia obeunda opus habet. Quamvis enim per seipsum aliquando in illis versetur; habeat tamen necesse est Praepositos inferiores, quos viros selectos esse oportet, c] quibus multum potestatis conferre, et huiusmodi res particulares fere semper committere possit. d] Eius autem crebrior communicatio inter Praepositos inferiores cum Provincialibus erit; horum autem cum Rectoribus et Praepositis localibus, ut e] melius subordinatio conservetur. Aliquando tamen Generalis, vel ut pleniorem rerum omnium notitiam habeat, vel propter alia, quae saepius accidere solent, ipsemet cum Rectoribus, et Praepositis localibus, et particularibus etiam personis aget; f] eosdemque consilio, reprehensione et, si opus est, correctione iuvare studeat: quandoquidem eius est munus, defectus Praepositorum inferiorum supplere, ac cum divino favore et auxilio, quod in ipsis perfectum non est, ad perfectionem perducere.

b] P. 10 n. 8.

c] P. 2 c. 1 n. 2, B. P. 4 c. 10 n. 4. P. 10 n. 8.

d] P. 8 c. 1 n. 4.

e] P. 2 c. 1 n. 2. P. 8 c. 1 n. 4, E. P. 10 n. 9.

f] Sup. c. 3 n. 11.

3. Ad omnia etiam conferet, si Generalis litteras apostolicas et concessiones omnes, quae ad institutionem, facultates vel privilegia Societatis pertinent, et quoddam eorum compendium apud se habuerit: catalogum itidem unum omnium Domorum et Collegiorum Societatis cum suis reditibus; et g] alterum personarum omnium, quae in quavis Provincia versantur, non solum Professorum, et Coadiutorum, qui formati, ac Scholarium, qui approbati dicuntur; sed etiam illorum, qui in probationibus exercentur; ubi eorum nomina et qualitates scribantur: et hunc catalogum renovandum singulis annis, si convenire videbitur,

g] P. 8 c. 1, E.

curabit. Et demum omnia perspecta habeat, ut in omnibus rebus melius possit, quae ad gloriam divinam pertinent, providere.

h] P. 6 c. 3 n. 7, E.

4. Quod *h*] in universum in sexta parte, capite tertio, dicitur, eos, qui de Societate sunt, negotiis saecularibus, licet pia alioqui essent, implicari non debere; id Generali magis, quam reliquis omnibus, convenit: * ne in eis vel aliis etiam rebus, piis quidem, sed ad Societatem non pertinentibus, ita occupari se sinat, ut tempus ac vires ad ea, quae pertinent ad ipsius officium, *i*] quod quidem magis quam totum hominem requirit, eum destituant.

* B

i] *Inf.* n. 7.

* C

5. Sed * nec in exsecutione ministeriorum particularium ad Societatem pertinentium, quae per alios effici possunt, magnopere occupari deberet: cuiusmodi esset peculiaris alicuius Domus cura, quod ad sustentationem temporalem et gubernationem eius attinet: quin potius, *k*] ut superius dicitur, suos quovis in loco, etiam ubi ipse residebit, officiales *1*] habeat; in quos si totam curam non reiecerit, sublevetur certe ab eis, et huiusmodi curae occupatione liberetur.

k] *Sup.* n. 2.

1] C. 2 d. 49, 73. C. 4 d. 28, 32.

6. Sic *l*] etiam in quavis Provincia eos habeat Provinciales tam probatae fidei, ut qui intelligit, magna ex parte ex his et localibus bonam gubernationem Societatis pendere. Cum autem illi tales fuerint, laborem cum illis in rebus, quae id patiuntur, dividendo, et de omnibus gravioribus certiorem se fieri curando, plus otii ac temporis sibi relictum, ut rebus universalibus vacet, quae solus ipse obire potest, intelliget: plus etiam lucis ad perspiciendum, quid in illis facto opus sit, si ipsius intellectus eam lucem, qua donatus est, ex parte non amiserit; ut eis accidit, qui plus aequo in rebus particularibus ac exiguis occupantur, unde opprimi et debilior reddi intellectus acies ad res universales perspiciendas solet.

l] P. 10 n. 8.

7. Nec solum Praepositus Generalis ad res particulares, ut *m*] dictum est, ministris opus habet; * sed etiam ad universales et sui officii proprias, ut eis bene ac suaviter possit satisfacere. Habeat igitur necesse est, qui multa in memoriam reducendo, ad sollicitudinem curandi res tam multas officii sui; qui etiam consilio ad eas ordinandas; demum qui diligentia ac labore ad eas opere complendas adiuvet. Id enim compertum est, quod nec viri unius memoria tam multarum rerum recordationi satis sit; nec, si id praestaret, unius intellectus ad easdem bene considerandas et ordinandas satis esset; nec, quamvis et hoc posset, vires unius ad easdem exsequendas sufficerent.

m] *Sup.* n. 2, 5, 6.

* D

8. Ad *n*] primum illud, de sollicitudine omnia curandi, aliquo Ministro ei opus est, qui ordinarie apud ipsum maneat; * *2*] qui pro memoria et manibus illi sit ad omnia, quae scribenda et tractanda fuerint, ac breviter ad res omnes officii sui obeundas; qui induat Praepositi personam, et, praeter potestatem, totum officii eius pondus humeris suis impositum esse existimet.

n] *Sup.* c. 3 n. 16.

* E

2] C. 1 d. 89.

9. Hic Praepositi Minister vir esse sollicitus, et discretionis, et, si fieri posset, doctrinae dono, et specie honesta, ac modo agendi verbo et litteris cum omni hominum genere praeditus esse deberet; quique in primis esset vir, *3*] cui confidenter quidvis committi posset; quique So-

3] C. 4 d. 11, 27. C. 9 d. 21. C. 14 d. 13.

cietatem in Domino diligeret: quo utilius eius opera ac ministerio uti Praepositus Generalis ad gloriam divinam valeat.

10. Secundum auxilium, videlicet consilii ad res graves, quae se offerunt, ordinandas et constituendas, quam sit Generali Praeposito necessarium, ex earum multitudine et ex humani intellectus natura, qui tam multas in partes consideratione dividi nequit, vel certe ad id quod oportet in eis partibus dispiciendum ac providendum non sufficit, potest intelligi. o] Videtur ergo pernecessarium, ut aliqui sint apud Superiorem viri litteris et omnibus aliis Dei donis clari, qui ei assistant; et considerandi peculiari sollicitudine res universales Societatis a Generali commissas curam habeant; quam illis posset dividere, quo accuratius res omnes perspiciant: ut unus rerum Indicarum inspiciendarum, alter Hispaniae et Portugalliae, et alius Germaniae et Galliae, et alius Italiae et Siciliae curam haberet: et sic de aliis, quando Societas in plures partes spargeretur. Quisque autem ex eis peculiari oratione et suis in Sacrificiis recordatione Deo partem illam sibi specialiter commissam commendare debet, et considerare quid in ea magis, ad id consequendum quod sibi Societas proponit, iuvare posset. Conferendum etiam cum aliis esset, si quid ad rem facere magnopere videretur. Res autem inter se discussas Generali referre possent. * Iidem etiam attenderent iis rebus, quae vel a Praeposito vel etiam a Secretario Societatis proponerentur, ut magis inter ipsos discussae Superiori referantur. Et, in universum, in considerandis et tractandis rebus tam ad doctrinam, quam ad praxim pertinentibus, quae altiorem considerationem postulant, 4] iuvare Praepositum ac sublevare debent. Praeter id autem, et quod rebus multis melius provideri per illos poterit, praedicationi, lectioni, confessionibus audiendis et aliis bonis ac piis operibus ad Dei gloriam et animarum auxilium vacare poterunt.

o] Sup. c. 5 n. 2. P. 8 c. 1, G.

* F

4] C. 2 d. 74. C. 4 d. 32.

11. Numero autem huiusmodi Assistentes nunc quidem 5] quatuor erunt; et quidem illi ipsi esse poterunt, 6] de quibus p] superius dictum est. Quamvis autem res graviores cum eis tractandae sint, statuendi tamen facultas, postquam eos audierit, penes Praepositum Generalem erit.

5] C. 6 d. 1. C. 18 d. 10. C. 22 d. 11.
6] C. 1 d. 80.
p] Sup. c. 5 n. 2.

12. In tertio auxilio, videlicet diligentiae ad exsequendum vel complendum quod ad res Societati necessarias fuerit constitutum, cuiusmodi essent negotia, quae ad Domos vel Collegia pertinent, expedire, tum etiam quae illorum sunt defendere, et generatim ad res omnes agendas, q] multum conferet, immo necessarium est, unius 7] Procuratoris Generalis Societatis auxilium, qui quidem Romae resideat, ac prudentia, fidelitate et dexteritate cum hominibus agendi, et omnibus aliis dotibus polleat; non tamen Professus sit, * nec in Domibus Societatis Professae habitet; sed in alia, de qua dictum est in quarta parte, * qui suis etiam auxiliis ac ministris ad ea negotia, quae solus non potest conficere, necessariis sublevetur.

q] Sup. c. 3 n. 16. P. 4 c. 2, E.
7] C. 3 d. 44. C. 8 d. 48. C. 17 d. 5.

* G

* H

13. Cum ergo Praepositus huiusmodi habeat auxilia, tempus, quod quidem valetudo et vires corporis permittent, partim cum Deo, partim cum officialibus et ministris huiusmodi agendo, partim secum seorsum

considerando ac cum auxilio et favore DEI ac Domini nostri, quod agendum est, statuendo, impendet.

* I
r] P. 4 c. 10 n. 7. c. 17 n. 1. P. 10 n. 8.

14. * Praepositi r] etiam Provinciales, et Rectores Collegiorum, vel Praepositi particulares Domorum suis auxiliis pluribus et paucioribus, pro necessitate ac momento rerum ipsis commissarum, sublevari debent: ac praecipue ad consilium aliquos, cum quibus res graviores, quae occurrunt, communicent (quamvis, eis auditis, penes Superiores sit statuendi facultas), designatos habeant.

DECLARATIONES IN CAPUT VI.

a] Sup. c. 2 n. 2. P. 8 c. 1, G.
b] Sup. c. 2 n. 1. P. 10 n. 2.
c] Sup. c. 3 n. 8. P. 4 c. 10 n. 5. P. 6 c. 1 n. 1. c. 5. P. 10 n. 13.
d] P. 8 c. 1 n. 9, L. c. 2, B.

A. *Hoc* a] *praestabit, in primis, auctoritate, et exemplo vitae suae, et charitate ac dilectione Societatis in Christo Domino nostro, et oratione* b] *assidua ac desideriis plena, et Sacrificiis, quae gratiam conservationis et augmenti huiusmodi impetrent: et ex iis, quae praestare ipse potest, hoc maximi momenti apud eum esse debet, et in quo plurimum in Domino confidat. Est enim in primis efficax ad gratiam a divina Maiestate impetrandam, a qua, quod expetitur, procedit: idque potissimum faciet, cum necessitas occurrerit:* c] *tum etiam id faciet, sollicitudinem adhibendo ad Constitutionum observationem;* d] *iniungendo crebro sibi rationem reddi eorum, quae in Provinciis omnibus geruntur per Provinciales; scribendo eisdem, quod sentit de rebus ad se relatis; et curando, ut provideatur, ubi convenit, per se et ministros, de quibus agetur.*

B. *Hoc intelligendum est, quatenus declinari poterunt. Sed demum prudentia docebit, num per se aut alios de Societate debeat nonnumquam aliquorum piorum operum, quae ad Societatem non pertinent, curam suscipere; vel quod magni sint momenti in* DEI *obsequio, vel in gratiam eorum, qui id impetrare student.*

C. *Praescribere ordinem, qui tenendus est (si talis non esset, qualis conveniret) ubi residet, et etiam aliis in locis, Praepositi Generalis est: sed executio aliis, ut dicitur, demandabitur.*

D. *Quoniam qui cum tam multis hominibus, deque rebus tam variis et tanti momenti agere debet, si aliorum ministerio non iuvaretur, onus ferret intolerabile, quod ne magna quidem cum distractione animi, et sanitatis, ac longioris vitae dispendio bene posset sustinere: et sic videre est, eos omnes, quibus gubernationum alicuius momenti cura est commissa, quo illis satisfacere possint, multis ad id auxiliis sublevari. Unde et Generalis, ut bene, expedite, et suaviter suum officium faciat, eisdem indiget auxiliis.*

E. *Huius officium erit, ex omnibus litteris et informationibus summam in pauca redigere, et capita eorum, quae Superiori proponenda sunt, et quae postulant ut respondeatur vel aliquid agatur; et prout se extendet munus a Generali commissum, litteris poterit respondere; sive Generalis, sive ipse Secretarius de ipsius commissione, eas subscribat: et Generali eas, vel secundum eius voluntatem Assistentibus vel alicui eorum, aut etiam nulli ostendat; prout res ipsae, de quibus scribitur, et ratio personae Secretarii exigunt.*

F. *Etiam res scribendae maioris momenti, et instructiones eorum, qui huc et illuc mittuntur, cum his, antequam scriberentur, possent conferri: quodque eis videretur, posset Secretarius Superiori referre: et tantumdem in iis, quae ad doctrinam pertinent. Haec autem non solum sublevarent Generalem, sed etiam rebus illis, quae ab ipso constituerentur, maiorem auctoritatem afferrent.*

G. *Quamvis Procuratorum habitatio in Domibus Professae Societatis ordinarie esse non debeat, sed in alia ipsis assignata; nihilominus quando non tractant lites, vel quando necessitas aliqua urgeret, vel alioqui conveniret, et ad tempus, possent in Domibus habitare. Et hoc eorum iudicio relinquitur, qui in dictis Domibus Professae Societatis aliis praesunt, iuxta quod ordinatum vel commissum eis fuerit a Generali, vel de ipsius intentione eis constiterit.*

H. *Vel ut plures Procuratores constituerentur; prout res, quae incidunt, et necessitas urgens diversarum ac variarum regionum postularet.*

I. *Ex iis, quae dicta sunt de Generali, intelligi poterit, quod Provincialibus, et Localibus, et Rectoribus Collegiorum convenit, quod attinet ad* Dei *dona, quibus ornari debent, ad potestatem, officium, et auxilia, quae habere eos oportet; prout expresse dici poterit* e] *in Regulis, quae ad Praepositos huiusmodi particulares pertinent.* e] *Prooem. declarat.*

DECIMA PARS.

DE MODO, QUO CONSERVARI ET AUGERI TOTUM CORPUS SOCIETATIS IN SUO BONO STATU POSSIT.

1. Quia Societas, quae mediis humanis instituta non est, per ea nec conservari nec augeri potest, sed per gratiam omnipotentis Dei ac Domini nostri Iesu Christi; in eo solo spem constitui oportet, a] quod conservaturus sit et promoturus hoc opus, quod ad obsequium et laudem suam et auxilium animarum inchoare dignatus est. Et iuxta spem hanc, primum medium et maxime consentaneum, orationum et Sacrificiorum erit; quae hac cum intentione sancta offerri, et singulis hebdomadis, mensibus et annis in omnibus locis, ubi Societas residet, certa ordinatione institui debent.

a] *Inf.* n. 12. *Prooem. Const.* n. 1.

2. Ad conservationem et incrementum non solum corporis, id est eorum, quae externa sunt, sed etiam spiritus Societatis, atque ad assecutionem b] finis, quem sibi praefigit, auxilii animarum ad ultimum et supernaturalem suum finem consequendum media illa, quae cum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt, ut a divina manu recte gubernetur, efficaciora sunt, quam quae illud disponunt erga homines. c] Huiusmodi est probitas et virtus, ac praecipue charitas, et pura intentio divini servitii, et d] familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum ad gloriam eius, qui eas creavit ac redemit, quovis alio emolumento posthabito. Videtur e] itaque in universum curandum esse, ut omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum et spiritualium studium rerum incumbant; ac in huiusmodi maius momentum, quam in doctrina vel

b] *Exa.* c. 1 n. 2. P. 1 c. 2 n. 8. c. 3 n. 1. P. 3 c. 1 n. 9. P. 4 *Prooem.* c. 12 n. 1. P. 6 c. 3 n. 4. P. 7 c. 1 n. 1.

c] P. 8 c. 1 n. 8.

d] P. 9 c. 2 n. 1. c. 6, A.

e] P. 3 c. 1 n. 10.

aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse ducant. Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet.

3. Hoc iacto fundamento, media illa naturalia, quae Dei ac Domini nostri instrumentum in proximorum utilitatem disponunt, in universum ad conservationem et incrementum totius huius corporis conferent; si tamen et addiscantur et exerceantur sincere ad solum Dei obsequium; non ut illis fiducia nostra innitatur, sed potius ut divinae gratiae iuxta summae providentiae suae ordinem per haec cooperemur; qui ad gloriam suam tam dona naturalia, quae ipse ut Creator, quam supernaturalia, quae ut gratiae auctor donat, vult referri. Et ideo media humana, vel per industriam acquisita, ac praecipue doctrina exacta et solida, *f*] et modus eam proponendi populo in concionibus et lectionibus, *g*] et forma agendi cum hominibus eosdemque tractandi, diligenter curanda sunt.

f] P. 3 c. 1 n. 21. P. 4 c. 8 n. 3, A, B, C.
g] P. 4 c. 8 n. 8.

4. Iuverit etiam magnopere, in suo bono statu ac disciplina Collegia conservare, et ad id eorum *h*] superintendentiam per illos exercere, quibus *i*] utilitatis temporalis nihil ex eis potest accedere. Talis est Societas Professa, *k*] quae in Collegiis eos instituendos curabit in perfectione vitae litterisque christiano dignis, qui talentum ad id sortiti esse videbuntur. Hi enim pro Seminario Societati Professae et eius Coadiutoribus erunt. Et si cum Collegiis Universitates etiam curae Societatis commissae fuerint; observato illo modo procedendi, *l*] de quo in quarta parte dictum est, ad finem eumdem iuvabunt.

h] P. 4 c. 10 n. 1.
i] *Inf.* n. 5. *Exa.* c. 1 n. 4. P. 4 c. 2 n. 5. c. 10 n. 1. P. 6 c. 2 n. 8. P. 9 c. 3 n. 18. c. 4 n. 7.
k] P. 3 c. 1. n. 27. P. 4 *Prooem.* c. 3 n. 1. c. 7 n. 1. c. 11 n. 1.
l] P. 4 c. 11.

5. Quia *m*] paupertas, velut propugnaculum est Religionibus, ut eas in statu suo et disciplina conservet, et a compluribus hostibus defendat, unde etiam Daemon enititur illud variis rationibus evertere; refert plurimum ad conservationem et augmentum totius huius corporis, procul admodum omnem avaritiae speciem ablegasse; nullos reditus, vel possessiones, *n*] vel stipendia pro verbi Dei praedicatione, aut lectione, aut Missis, aut administratione Sacramentorum, aut demum rebus quibuslibet spiritualibus, ut est in sexta parte dictum, admittendo, *o*] nec ad suam utilitatem reditus Collegiorum applicando.

m] P. 3 c. 1 n. 25. P. 6 c. 2 n. 1.
n] *Exa.* c. 1. n. 3. c. 4 n. 27. P. 4 c. 7 n. 3. c. 15 n. 4. c. 17, F. P. 6 c. 2 n. 7, G. P. 7 c. 4 n. 4, B.
o] *Sup.* n. 4.

6. Erit *p*] etiam summi momenti, ut perpetuo felix Societatis status conservetur, diligentissime ambitionem, malorum omnium in quavis Republica vel Congregatione matrem, submovere, ac aditum ad dignitatem vel praelationem ullam directe vel indirecte quaerendam in Societate praecludere. Quod ut fiat, omnes Professi 1] se nihil umquam ad eam obtinendam acturos, et quos *2*] agere animadverterint delaturos, Deo ac Domino nostro voveant: *q*] et incapaces ac inhabiles ad praelationem quamvis habeantur ii, de quibus probari posset, quod eam ambiissent. Promittant *r*] etiam Deo ac Domino nostro, ad nullam etiam extra Societatem praelationem vel dignitatem obtinendam se quidquam acturos, nec ad sui electionem ad huiusmodi munus, quoad eius fieri poterit, consensum praestituros; si eius obedientia, qui sub poena peccati potest praecipere, eos non compulerit: sed unusquisque videat, qua ratione animarum saluti, iuxta nostrae professionis humilitatem et submissionem, inservire possit; et ne Societas his hominibus,

p] P. 4 c. 6 n. 17. c. 15 n. 4. P. 9 c. 1, A.
1] C. 4 d. 54.
2] C. 1 d. 102. C. 3 d. 46. C. 9 d. 13.
q] P. 8 c. 6 n. 2, A.
r] P. 9 c. 3 n. 13. c. 4 n. 5, B. c. 5 n. 6, E.

qui ad propositum sibi finem sunt ei necessarii, privetur.

Promittat etiam Deo, quod, si quando dicto modo compulsus, praelationem aliquam extra Societatem admittet, * audiet postea quovis tempore Praepositi Generalis, qui pro tempore fuerit, consilium, vel alicuius, quem ille sibi ad hoc substitueret; quodque, si senserit melius esse, quod consulitur, sit illud executurus: non quod habeat, qui Praelatus est, aliquem de Societate Superioris loco; sed quod sponte in Dei conspectu vult ad id faciendum obligari, quod ad divinum obsequium melius esse intellexerit; quodque placeat esse aliquem, qui sibi cum charitate ac libertate christiana ad gloriam Dei et Domini nostri id proponat.

* A

7. Ut perpetuo totius huius corporis bonus status conservetur, confert plurimum, quod in prima, secunda et quinta parte dictum est, de s] turba et hominibus ad nostrum Institutum ineptis, ne ad probationem quidem admittendis; et, si aliqui probationis tempore t] non esse idonei invenirentur, etiam dimittendis. u] Si qui vero depravatis moribus essent, aut de quorum emendatione parum speraretur, multo minus essent retinendi. Minus etiam apertum ostium esse debebit ad admittendos aliquos in Scholasticos approbatos et Coadiutores formatos; minime vero omnium in Professos: x] non enim alii, quam spiritus et doctrinae selectae viri, et multum diuque exercitati, et in variis probationibus virtutis et abnegationis sui ipsorum, cum omnium aedificatione et satisfactione perspecti, ad professionem admitti debent. Sic enim, licet multitudo augescat, non imminuetur nec debilior reddetur spiritus, dum tales sint, qui in Societatis corpus cooptantur.

s] P. 1 c. 1 n. 8. P. 4 *Prooem.*, A. P. 8 c. 1 n. 2, B.

t] P. 2 c. 1 n. 1.

u] P. 2 c. 2 n. 2.

x] P. 5 c. 2 n. 1, 2.

8. Cum y] bona et mala capitis habitudo in universum corpus redundet, summopere conferet, si electio Praepositi Generalis ea sit, quae in nona parte descripta est. z] Et post hanc electionem illa maximi erit momenti, qua inferiores Praepositi in Provinciis et Collegiis ac Domibus Societatis eliguntur. Nam fere quales hi fuerint, et tales eorum subditi erunt. Refert a] etiam magnopere, praeter electionem, si Praepositi particulares in sibi subditos, et Generalis in particulares, ac contra Societas 3] in Generalem, ut in nona parte declaratum est, multum potestatis habeant; ita ut omnes ad bonum omnia possint, et, si male agerent, omnino subiecti sint. Refert b] etiam, ut Superiores ministros idoneos, ut in eadem parte dictum est, ad ordinationem et exsecutionem rerum, quae spectant ad eorum officium, habeant.

y] P. 9 c. 2.

z] P. 9 c. 6 n. 6.

a] P. 2 c. 1 n. 2, B. P. 4 c. 10 n. 4. P. 9 c. 3, 4, 5, 6.

3] C. 1 d. 145.

b] P. 9 c. 6 n. 2, 14.

9. Quod c] iuvat ad unionem membrorum huius Societatis inter se et cum suo capite, multum etiam ad conservationem boni status illius iuvabit; cuiusmodi est, in primis, voluntatum vinculum, quod charitas est, et mutuus amor, d] quem crebra communicatio et rerum mutua notitia, e] eadem doctrina et in omnibus, quantum fieri potest, uniformitas nutriet. Sed in primis id praestabit obedientiae vinculum, quod f] particulares cum suis Praepositis, et hos ipsos inter se et cum Provincialibus, et utrosque cum Generali uniet; ita ut inter omnes diligenter g] subordinatio servetur.

c] P. 8 c. 1 n. 8.

d] P. 8 c. 1 n. 9.

e] *Prooem. declarat.* P. 3 c. 1 n. 18. P. 8 c. 1 n. 8.

f] P. 4 c. 10 n. 5, 8. P. 8 c. 1 n. 4.

g] P. 2 c. 1 n. 2. P. 8 c. 1 n. 4, E. P. 9 c. 6 n. 2.

10. Moderatio h] laborum animi et corporis, et in Constitutionibus, quae ad neutrum extremum rigoris

h] P. 3 c. 2 n. 4, 5. P. 4 c. 4 n. 1.

vel dissolutionis vergant, ut sic melius observari possint, mediocritas, conferet ad durationem et totius corporis in suo statu conservationem.

i] P. 3 c. 1 n. 2. P. 4 c. 16, D. P. 6 c. 3 n. 8. P. 7 c. 2, H.

* B

4] C. 2 d. 40.

11. Ad i] eumdem finem faciet generatim curare, ut amor et charitas omnium etiam externorum erga Societatem conservetur: * sed eorum praesertim, 4] quorum voluntas, bene aut male in nos affecta, multum habet momenti, ut aditus ad divinum obsequium et animarum auxilium aperiatur vel praecludatur. In ipsa vero Societate nec sit, nec sentiatur animorum propensio ad partem alterutram factionis, quae esset fortassis inter Principes vel Dominos christianos: sed sit potius quidam universalis amor, qui partes omnes, licet sibi invicem contrariae sint, in Domino nostro amplectatur.

k] *Sup.* n. 1. *Prooem. Const.* n. 1.

l] P. 7 c. 4 n. 2.

12. Iuverit etiam moderatus et prudens usus gratiarum per Sedem Apostolicam concessarum, solius auxilii animarum fine sincerissime nobis proposito. Sic enim divina bonitas *k*] opus hoc, quod coepit, promovebit; ac bonus odor, *l*] qui veritati bonorum operum innitatur, hominum devotionem augebit; ut et a Societate ipsi iuvari, et eamdem ad propositum sibi finem obsequii et gloriae divinae maiestatis iuvare curent.

* C

m] P. 3 c. 2 n. 1.

n] P. 4 c. 10 n. 5. P. c. 1 n. 1. c. 5. P c. 3 n. 8. c. 6, A.

5] C. 1 d. 50.

13. * Conferet *m*] etiam rationem habere valetudinis, ut ea in particularibus conservetur, quemadmodum tertia in parte dictum est; *n*] et ut demum omnes observationi Constitutionum studeant: ad quam, easdem scire, saltem quae ad quemlibet pertinent, necesse est. Quare legere vel audire easdem *5*] singulis mensibus oportebit.

DECLARATIONES IN DECIMAM PARTEM.

A. *Considerando, quam instanter, quamque multis rationibus curatum sit, ut aliqui de nostra Societate varios Episcopatus sumerent; cumque in multis obviam itum sit, nec tamen in Patriarchatu et Episcopatibus Aethiopiae admittendis resisti potuerit: de hoc auxilio ad opus illud Aethiopiae, et alia similia, cum resistendi modus deesset, cogitatum est. Non tamen obligatur Societas ad hoc munus suscipiendum, quandocumque alicui ex ea Episcopatus esset admittendus: immo libera manet, ut id oneris et relinquere, et assumere possit, ubi multum referre ad Dei obsequium iudicaret. Post emissam autem professionem, hoc votum simplex* a] *cum aliis, de quibus diximus, emittetur.*

a] *Sup.* n. 6. P. 6 c. 2 n. 1.

B. *In primis conservetur benevolentia Sedis Apostolicae, cui peculiariter inservire debet Societas: deinde* 6] *Principum saecularium, et Magnatum, ac primariae auctoritatis hominum; quorum favor aut alienatio animi multum facit, ut ostium divino servitio et bono animarum aperiatur vel praecludatur. Sic* b] *itidem, cum aliqui male affecti esse intelligerentur, praecipue, si homines sint non vulgaris auctoritatis, orandum est pro eis, utendumque rationibus convenientibus, ut in amicitiam redeant, vel certe adversarii non sint: idque non timore contradictionum, vel quod asperius quidquam nobis inde posset accidere; sed ut per huiusmodi hominum benevolentiam, magis in rebus omnibus Dei obsequium et gloria crescat.*

6] C. 6 d. 21. C. 22 d. 14.

b] P. 4 c. 10, C.

C. *Ad hoc etiam curandum est, ut* 7] *Domus et Collegia in locis, ubi sit purum et salubre coelum, habeantur; et non in eis, qui contrariam habent proprietatem.*

7] C. 1 d. 118.

FORMULA VOTORUM SIMPLICIUM

1] *C. 4 d. 54.* QUAE 1] PROFESSI EMITTUNT POST PROFESSIONEM, IUXTA CONSTITUTIONES;
2] *d. 102.* EXTRACTA EX 2] PRIMA CONGREGATIONE GENERALI, ET RECOGNITA A 3] TERTIA. 3] *d. 46.*

1. Ego N., Professus Societatis Iesu, promitto Deo Omnipotenti, coram eius Virgine Matre, et tota curia coelesti, et coram R. Patre N., Praeposito Generali, vel coram N., locum Generalis Praepositi tenente,
c] *P. 6 c. 2 n. 1, A.* *c*] numquam me acturum quacumque ratione vel consensurum, ut quae ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis immutentur; nisi quando ex causa iusta rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis.

d] *P. 10 n. 6.* 2. Praeterea *d*] promitto, numquam me acturum vel praetensurum, ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem vel dignitatem in Societate eligar vel promovear.

e] *P. 10. n. 6.* 3. Promitto *e*] praeterea, numquam me curaturum praetensurumve extra Societatem praelationem aliquam vel dignitatem, nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia eius, qui mihi praecipere potest sub poena peccati.

C. 3 d. 46. 4. *4*] Tum, *f*] si quem *5*] sciam
f] *P. 10 n. 6.* aliquid praedictorum duorum curare
5] *C. 9 d. 13.* vel praetendere, promitto illum remque totam me manifestaturum Societati vel Praeposito eius.

g] *P. 10 n. 6, A.* 5. Insuper *g*] promitto, si quando acciderit, ut hac ratione in Praesidem alicuius Ecclesiae promovear, pro cura, quam de animae meae salute ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo loco ac numero habiturum Praepositum Societatis Generalem, ut numquam consilium audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quivis alius de Societate, quem ad id ipse sibi substituerit, dare mihi dignabitur. Consiliis vero huiusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse, quam quae mihi in mentem venerint, iudicabo. Omnia intelligendo iuxta Societatis Iesu Constitutiones et declarationes. In tali loco, tali die, mense et anno, etc.

In hac et in aliis formulis votorum observandum id, quod statuit Congregatio XII Generalis: ut *nimirum* in *C. 12 d. 56 n. 7.*
posterum, cum, post obitum Generalis, sub Vicario Generali professio sive vota ad gradum emittentur, haec formulae verba sint: ut nempe, si Vicarius ipse Generalis professionem seu Vota excipiat, dicatur: *et tibi R. Patri* (N), *Vicario Generali Societatis Iesu, locum Dei tenenti, et successoribus tuis;* si vero aliquis alius excipiat, dicatur: *et tibi R. P.* (N), *Rectori,* si Rector est, vel *Praeposito, vel Provinciali,* et sic de aliis, *Vice R. Patris Vicarii Generalis Societatis Iesu et successorum eius, locum Dei tenenti.*

DECRETA

CONGREGATIONUM GENERALIUM

SOCIETATIS IESU

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Quoniam septima Congregatio generalis censuit typis esse mandanda decreta Congregationum generalium, non quidem omnia, sed pleraque, praetermissis videlicet iis, quae privata tantum negotia continent; hinc factum est, ut duplex singulis priorum septem Congregationum decretis adscriptus sit numerus. Prior, maioribus characteribus descriptus, designat decreta omnia iuxta ordinem, quo sunt impressa; posterior vero, minoribus exaratus, indicat seriem cuiusque decreti, prout in autographo digeruntur. In Congregationibus vero septima posterioribus, cum decretorum numerus unicus sit, secundo loco ponitur numerus sessionum vel actionum, in quibus ea de re tractatum est. Porro prioris numeri in hac editione potior erit usus: nam, quoties in margine horum voluminum, in fine cuiusque canonis, in indiculo decretorum, et in indice generali citantur decreta septem priorum Congregationum, notantur prout sunt typis impressa. Id ipsum servatur a Congregatione octava et reliquis, quando ab ipsis illarum septem Congregationum decreta enuntiantur, excepta Congregatione nona, quae plerumque servat ordinem manu scriptorum in decretis et in canone 9, sed exprimit hoc ipsum per notam *Ms.*, ne sit occasio errandi. Posterioris etiam numeri usus est aliquis. In primis, quia ex eo dignoscitur, quo loco illud decretum quaerendum esset in autographo, vel qua sessione aut actione res aliqua proposita est atque statuta. Deinde, quia septima Congregatio aliaeque priores, cum in decretis vel canonibus citant decreta vel sua vel priorum Congregationum, hunc manu scriptorum ordinem (quod necesse erat, cum adhuc decreta impressa

non essent) semper sequuntur, quod etiam aliquando in Ratione Studiorum et alibi factum est. Ut autem huic varietati, quae lectoris cursum retardare posset, ita iretur obviam, ut simul decretorum integritati ac fidei consuleretur, curatum est, ut, quoties id accidit, toties in margine adscribatur numerus decreti secundum ordinem quo est impressum. Quare haec sit regula generalis. Quando sive in decretis, sive alibi invenies relatum numerum alicuius decreti, et in margine nihil apponitur; tunc numerus ille in textu descriptus ab impresso non discrepat: quod ipsum dictum velim de citatione paragraphorum formulae alicuius, vel regulae, etc. facta in decretis. Si numerus ille non respondet numero decretorum, vel formularum, vel regularum, etc. prout hic legitur, ad marginem notatum videbis: *hic decr. 20*, v. g. *hic § 12*, *hic reg. 40*, etc. Quia vero aliquando in formulis et alibi, praesertim in indiculo decretorum, citantur decreta, quae impressa non sunt, ad praecavendam omnem ambiguitatem ponitur haec nota *Ms.*, vel *sess.* vel *act.*

In quatuor primis Congregationibus, cum duplex sit ordo decretorum, eorum nempe, quae ante electionem, et eorum, quae post Generalis electionem facta sunt, ut illa priora a secundis distinguantur, ponitur post decretum, *ante elect.;* sic: *Congr. 1 decr. 20 ante elect. (vel C. 1 d. 20 ante elect.)*, et significat, illud decretum quaerendum esse inter decreta priora facta ante electionem. Quoties autem nota illa non apponitur, quaere inter decreta posteriora. In reliquis Congregationibus id praestare necesse non fuit, quia unica est series decretorum.

In hac editione allaboratum est, ut aliquo pacto fieret satis Congregationis VIII decreto 14, additis ad marginem cuiusque decreti, quando opus fuit, citationibus aliorum decretorum, quae de iisdem rebus, sive in illa, sive in aliis Congregationibus facta sunt, mutando, derogando, extendendo, etc.

Praeterea, sicut in Constitutionum margine notata sunt decreta, quae locum illum aut respiciunt aut explicant; ita in formulis et regulis, sed praesertim in ordinationibus et instructionibus liberaliter innuuntur vel loca, unde sunt hausta quae ibi dicuntur, vel aliquid, quod illi rei, de qua agitur, est opportunum, et iuris nostri studiosis non parum utile iudicatur.

DECRETA

PRIMAE CONGREGATIONIS GENERALIS ANTE ELECTIONEM.

P. Laynez Praep. Gen.

1558

Congregationis occasio.

CUM S. Ignatius, Societatis IESU Fundator eiusque primus Praepositus Generalis, ad coelestem patriam evocatus esset die 31 Iulii 1556, eique Professi, qui Romae aderant, suffecissent vicaria potestate P. Iacobum Laynez; ab hoc statim indicta est Congregatio generalis ad novum Praepositum eligendum. Sed ea non potuit, bellis intercurrentibus, inchoari ante diem 19 Iunii 1558, in qua idem P. Laynez creatus est Generalis die 2 Iulii 1558. Congregationi vero finis impositus 10 Septembris eiusdem anni.

DECRETUM 1, in manu scriptis decr. 1.

Non exspectandi absentes.

DIE 19 Iunii prima congregatio facta est, in qua id solum statutum est: non esse alios exspectandos, praeter Vice Provincialem Aragoniae, qui vicinus erat; sed inchoandam esse Congregationem, quae legitima et plena futura erat, licet illi abessent, qui evocati iuxta Constitutiones fuerant: et quod petenda erat benedictio Summi Pontificis, et ad id designatus est ipse P. Vicarius cum P. Magistro Alfonso Salmerone; et eam obtinuerunt die sequenti.

Benedictio Summi Pont. petenda.

2, in Ms. decr. 2.

Vicarii Oratio.

VIGESIMA prima Iunii, post dictam benedictionem Summi Pontificis, omnibus congregatis P. Iacobus Laynez, Vicarius Generalis, narravit quae transacta fuerant post migrationem P. N. Ignatii, quod attinebat ad negotium generalis Conventus. Et, quia non omnino iuxta Constitutiones ex Provinciis congregari potuerat Societas, in primis acta omnia approbanda proponit Congregationi, ad effectum legitimae electionis. Et omnes unanimiter senserunt: facta approbanda esse, et supplendum, si quid deesset ut legitima omnino redderetur Congregatio; et sic reipsa approbaverunt et suppleverunt.

Defectus suppleti.

3, in Ms. decr. 3.

Ante electionem nihil tractandum, quod ad eam non spectet. *C. 2 d. 7, 8, 9, 10 ante elect.*

CUM proponeretur, quibus de rebus agendum esset, omnium consensu statutum est, ut nulla de re ageretur, nisi de his, quae pertinent ad ipsam electionem, donec Praepositus Generalis eligeretur; sed illi, postquam electus fuerit, et Congregationi in memoriam redigi posse quae praeterea tractanda viderentur. Unde solos Electores et non alios admittendos esse ad Congregationem usque ad electionem. Visum est proponendas etiam esse uno die res digestas, et sententias die sequenti dicendas: et, si informatio maior desideraretur in re aliqua, a Vicario petendam esse. Si autem postridie non conveniret inter omnes, deputandos esse Definitores vel Compromissarios ad rem conficiendam.

Soli Electores admittendi. *C. 2 d. 91. C. 4 d. 11.*

Quo modo res sunt tractandae. *Inf. d. 4.*

C. 2 d. 88.

P. Laynez Praep. Gen.

1558

4, *in Ms. decr.* 4.

Quale Vicarii suffragium.

P. 8 c. 3 n. 2.

C. 3 d. 11 ante elect.

C. 2 d. 92.

Electio fit numero, non qualitate suffragiorum. G. 2 d. 11 ante elect.

Cum examinari coepissent quaedam capita ex octava parte Constitutionum, quae pertinent ad electionem; in tertio capite, ubi dicitur, iuxta finem, quod pars illa, in quam Praepositus Generalis inclinabit vel eius Vicarius, paribus aliis suffragiis esse praeferenda; constitutum est: Vicarium solum habere qualitatem praecedendi, caeteris paribus tam suffragiis, quam qualitatibus; quodque nulla sufficiat qualitas suffragiorum ad electionem Praepositi, sed numero medietatem omnium suffragiorum excedi oportere.

5, *in Ms. decr.* 5.

Officia Superiorum non exspirant per mortem Generalis. P. 8 c. 3 n. 1.

C. 1 d. 1. C. 2 d. 12 ante elect.

C. 1 d. 91. C. 4 d. 3. Subsunt omnes Vicario.

Super illud 3 cap. viii part., quod Provinciales convocandi sint cum aliis duobus Professis, statutum est: officia data a Praeposito Generali, sicuti Provincialium, Rectorum, etc. non exspirare per mortem Generalis, ipso facto; sed usque ad electionem novi Praepositi durare, cuius erit ea conferre aliis, vel in eisdem confirmare. Sed quod ad Commissarios attinet, agendum esse alias maturius. Quicumque tamen officiales exstiterint, Vicario subesse eos debere.

6, *in Ms. decr.* 6.

Ratio informationis capiendae.

Propositum fuit, an a solis Electoribus capienda esset informatio, etc. Et placuit, ut modus describeretur informationis et reliqua eo pertinentia, et in scriptis proponerentur, ut considerari et tractari possent in sequenti congregatione. In qua propositum fuit, et tandem constitutum id, quod sequitur.

C. 3 in fine.

DE RATIONE INFORMATIONIS AD ELECTIONEM GENERALIS.

C. 3 d. 5 ante elect. C. 4 d. 11.

Videndum est, qui debeant informationem petere, a quibus capi, de quibus personis, de quibus rebus, et quomodo peti, postremo quomodo petenti responderi debeat.

Caput I. — Qui debeant petere.

C. 2 d. 13 ante elect.

Omnes Electores, nemine excepto, informationem petent.

Caput II. — A quibus peti debeat.

C. 2 d. 14 ante elect. C. 2 d. 88, 89.

Sup. d. 3 ante elect.

In primis ab Electoribus, qui missi sunt ex Provinciis. Videatur tamen, an ab omnibus, an a quibusdam ex eis, a quibus quisque iudicaverit melius se posse informari: et hoc secundum placuit. Videatur etiam, an ab aliis praeterquam a tribus Electoribus capi debeat, et, si hoc admittitur, a quibusnam aliis. Visum fuit, tantum ab Electoribus capiendam esse, et non ante quatriduum, quod praecedit diem inclusionis.

Caput III. — De quibus personis peti debeat.

C. 2 d. 15 ante elect.

Videatur, an conveniat de his petere informationem, de quibus venit in mentem unicuique, quod possent esse idonei ad munus Praepositi Generalis obeundum, sive absentes sive praesentes sint; inter Professos tamen quatuor votorum id est intelligendum. Et responsum est affirmative.

P. Laynez Praep. Gen. — 1558

Caput IV. — De quibus rebus peti debeat.

C. 2 d. 15 ante elect. In genere loquendo, eis de rebus, ex quibus iudicari potest, quod aliquis sit idoneus ad munus Praepositi obeundum, vel contra, iuxta Constitutiones, et praecipue 2 cap. IX part.; sed etiam habendam esse rationem eorum, quae in 2 et 3 cap. Examinis et primis tribus capitibus praedictae partis dicuntur. Nemo tamen arctandus videtur, quin interrogare possit alia, quae interroganda praeterea iudicaverit. Ultimo etiam petet ab eo, qui reddit informationem, an aliquid habeat dicendum de persona, de qua interrogatur; et an de alia sentiat capiendam informationem, et an ab alio quopiam aliqua in re clariorem aut certiorem informationem habere possit, inter eos a quibus peti debet informatio.

Caput V. — Quomodo peti debeat informatio.

C. 2 d. 16 ante elect., sed praesertim C. 2 d. 90. Non petat, an hic vel ille aptus videatur ad hoc munus, nec ne; sed de rebus illis, ex quibus iudicare possit, an sit idoneus, nec ne.

Eius intentio pura sit ab affectibus humanis, etiam naturalibus, nedum vitiosis; et tantum Dei gloriam et meliorem Societatis gubernationem, quae ad commune animarum bonum ordinatur, prae oculis habeat, et non propriam utilitatem, quae illi non consonet. Nec solum ab omni ambitione pro se et aliis sit liber; sed et diligenter observare debet, ne voluntatis propensionem ad hunc vel illum excludendum vel admittendum, quoad eius fieri possit, habeat, (donec post informationem et orationem suo tempore et loco statuat, quam sententiam sit dicturus) nec eam prae se ferat.

Cum informationem de aliquo accipit, servet alteram aurem aliis, et cor Deo, ut dictum fuit; memor, quod cum iuramento est electurus quem aptissimum duxerit.

Defectus, qui bonae gubernationi adversari possunt, et peti et dici debent, omissis aliis, quae ad bonam electionem Praepositi non faciunt.

Si quid tamen intellexerit, quod secretum teneri debeat, cum aliis, praeterquam cum Electoribus in informatione, silentium servet, memor charitatis.

Non existimet quisquam Electorum, se minus gratum futurum ei, cui non dederit suum suffragium, et de quo libere secundum suam conscientiam informaverit; quin potius eidem, et universae Societati, et Deo rem gratissimam se facturum sciat.

Post informationem consideratio et discursus necessarius est, et multo magis oratio, quae illustrationem impetret a Deo, sapientiae fonte, ad bene iudicandum, et eligendum eum, qui Deo quam maxime sit placiturus: et in hac divina gratia potius, quam in humana diligentia, spem constituat. Meminerit tamen non solum voluntatem, sed iudicium cohibendum esse ab ultima definitione, ut dictum superius, donec in locum inclusionis ingrediatur.

Caput VI. — Quomodo respondere debeat is, a quo petitur informatio.

Nemo obtrudat informationem non petenti, et qui obtruserit deferatur. C. 2 d. 17 ante elect.

Caveat et ipse affectus humanos, non solum ambitionis, sed et cuius-

P. Laynez Praep. Gen. 1558

vis propensionis, quae non ducatur ex intentione honoris Dei, communis boni et bonae gubernationis Societatis; et, ut dictum est de petente, sic de dante informationem intelligatur, ut, quoad eius fieri poterit, nec ad promotionem nec ad exclusionem ullius incumbat, nec propensam ad id voluntatem ostendat; sed ut de re speculativa vel omnino ad se non pertinente, quod sentit, praecise conetur explicare.

Non solum mendacia, sed amplificationes et exaggerationes relinquantur; nihil temere, sed considerate et mature, et certa pro certis, opinata pro opinatis referat, ut qui coram Deo agit, et rationem est redditurus eorum, quae in sua informatione dixerit.

C. 2 d. 18 ante elect. C. 3 d. 5 ante elect.

INTERROGATORIUM EORUM,

QUAE VIDENTUR INQUIRI DEBERE, SI ALIOQUI PERSPECTA NON SUNT, CIRCA EOS, DE QUIBUS VENIT IN MENTEM QUOD POSSENT ESSE IDONEI AD OFFICIUM PRAEPOSITI GENERALIS.

1. Quid de eius spiritu, et dono devotionis, ac zelo divini honoris intelligatur; et nominatim, an indiscretis devotionibus fuerit aliquando deditus, aut infirmitati capitis in hac parte, vel illusionibus daemonis fuerit obnoxius? vel contra, an indevotus?

2. Quid de vitae exemplo, et de virtutibus eius, ac praesertim de charitate erga Societatem, de zelo animarum, de humilitate et obedientia eius intelligatur? Hic etiam de contrariis peti poterit; et an de ullo vitio notatus fuerit, praesertim post ingressum Societatis, et cuiusmodi illud sit? Nominatim petendum videtur, an ex impedimentis substantialibus aliquod habuerit, in quo dispensatus fuerit, vel an inciderit post ingressum in aliquod eorum?

3. De naturali animi magnitudine et habituali in rebus aggrediendis, et de constantia in prosequendis, et contra, et nominatim quomodo in prosperis et adversis, in contradictionibus et periculis pro Dei servitio et bono Societatis se gesserit?

4. An liberum se a passionibus irae, ambitionis, gulae et aliis huiusmodi ostenderit, an contra?

5. De compositione hominis exterioris, et decentia in moribus, et nominatim in sermone ad aedificationem et persuasionem accommodato; et sic de aliis Dei donis naturalibus vel adiunctis, quae ad propositum in Societate finem valent.

6. De eius intellectu in rebus ad doctrinam pertinentibus, et memoria: tum de eruditione, aut ignorantia; sed nominatim petatur, an aliquando de fide male senserit, licet ante ingressum? et an opiniones habuerit aliquas valde fixas, differentes a communi doctrina et approbata in Ecclesia? et an paratus fuerit in huiusmodi iudicium suum submittere, nec ne?

7. Petatur de intellectu practico, et ad res gerendas, praesertim ad gubernationem accommodato; et sic de dono prudentiae ac discretionis in rebus spiritualibus, vel etiam externis. De consilii facultate in utrisque rebus, et discretione spirituum: et an

P. Laynez Praep. Gen. 1558

exercitatus fuerit in huiusmodi? nominatim, an scrupulosus existimetur, vel plus satis liber, aut etiam nimis fixus in proprio sensu?

8. An regendi munus umquam obierit, et quale, et quamdiu, et de rectitudine in eius gubernatione, severitate, benignitate ac patientia erga suos? et an profecerint Nostri sub eo? et an veneratione et dilectione sint eum prosecuti? et quem sui odorem domi et foris reliquerit?

9. De vigilantia et strenuitate in rebus exsequendis, de dexteritate in negotiis conficiendis, et in agendo cum hominibus, et contra.

10. De integritate et viribus corporis ad labores, et de sanitate, et de oppositis.

11. De aetate ad experientiam et auctoritatem accommodata.

12. De specie externa ad decentiam et aedificationem idonea: et in specie videatur, an deformitas aliqua sit in eo, quae notatu digna sit.

13. De externis rebus, quae aliquid conferre vel obesse possunt ad aedificationem, et ad melius gerendum suum officium, ut est existimatio, auctoritas, bona fama apud Nostros et alios, et contra; de iis interrogetur, et praecipue, an in externis aliquid sit, quod deroget eius auctoritati? et si quid huiusmodi in tertio capite Examinis videbitur interrogandum.

14. Quamdiu notus fuerit in Societate, et probatus ante et post probationem, et officia in ea gesta?

15. Quam bene meritus de Societate habeatur?

16. Si caetera minus essent ad rem, observetur certe, an probitas eximia, amor erga Societatem, iudicium bonum, quod sana etiam doctrina comitetur, in eo sint, quae desse ei nullo modo debent? Hactenus Interrogatorium.

C. 2 d. 18 ante elect.

De Interrogatorio hoc statutum est, necesse non esse illo uti, sed ut 2 cap. IX part. et alia prius dicta loca ex Examine et ipsis Constitutionibus considerarentur: et sic unusquisque interrogaret, prout in Domino videretur expedire.

7, in Ms. decr. 7.

In ambitiosos poena. P. 8 c. 6 n. 2. C. 2 d. 19. ante elect. Inf. d. 20 ante elect.

Super illud 6 cap. part. VIII, quod sub poena excommunicationis latae sententiae quisque teneatur manifestare, si quem sciret affectasse hoc munus, statutum est: addendum esse censuram hanc in eos, qui ambiunt pro aliis; et quod haec censura se extendit ad informationem non sinceram; demum, ipso facto, ambitiosos pro se vel aliis in excommunicationem incidere decretum est.

8, in Ms. decr. 8.

De electione Generalis in loco ipso decernendum. C. 2 d. 20 ante elect. P. 8. c. 6 n. 1.

Cum peteretur, an praecipiendum esset, ne de electione Praepositi quis quidquam certum definiat apud seipsum, usque ad locum, in quo includi debent; decretum est: observari quidem debere Constitutionem in hac parte diligenter; sed non esse addendum praeceptum novum in virtute obedientiae; satis fore si res exaggeraretur, ut quae magni sit momenti.

9, in Ms. decr. 9.

Vicarii ambitus. C. 2 d. 20 ante elect.

Si Vicarius ipse notaretur de ambitu, decretum est, deferendum esse ad duos antiquissimos Professos, vel ad Provincialem antiquissimum, pro deferentis arbitrio.

10, in Ms. decr. 10.

Missa de Spiritu Sancto. * P. 8 c. 6 n. 3.

Ubi dicitur eodem cap. *, *celebret aliquis Missam de Spiritu Sancto;* vi-

P. Laynez Praep. Gen. — 1558

sum est ab ipso Vicario dicendam esse, vel ab eo, quem ipse elegerit; et quidem coram omnibus, et in aurora; et post eius communionem statim Electores communicare debere: Missam autem in ecclesia celebrandam esse, et ordinem in eundo ad eam, et communicando, et redeundo, et sedendo ad dicendam sententiam, vel suffragium dandum, talem esse debere, ut primo loco sedeant Professi, qui superstites sunt ex nominatis in bulla Institutionis Societatis; secundo, Commissarii Generalis Praepositi (quia tunc nondum erat decisum, an exspiraret cum Praepositi morte eorum officium); tertio, Praepositi Provinciales; quarto, Professi quatuor votorum: in suis autem ordinibus, ut singuli essent priores, qui professionem prius emisissent: et in eundo ad ecclesiam vel redeundo, ut bini incederent et ad campanae domesticae pulsum (quae post communionem omnium usque ad inclusionem in locum Congregationis sonabit), qui suffragium haberent, ad locum electionis se conferrent, cruce praecedente et collegialibus interim canentibus *Veni, Creator Spiritus* (quem hymnum postea submissa voce omnes Electores in ipso loco Congregationis dicent); et post inclusionem Electorum iidem collegiales in horto vel ecclesia dicerent Litanias, et continuam orationem, quae usque ad electionem duraret, inchoarent.

Ordo eundi et sedendi.

C. 2 d. 20 ante elect.

Inf. d. 91.

P. 8 c. 6 n. 4.

11, in Ms. decr. 11.

Quaesitum est de loco electionis, et an lecti ibi parandi essent, et quis esset secundam concionem habiturus, de qua in eodem 6 cap. agitur. Ad primum responsum est, locum illum ubi P. Ignatius obiit, in quo modo sacellum est privatum, esse praeferendum ad successorem illius creandum. Ad secundum, lectos non necessarios. Ad tertium, scilicet concionem habendam, Doctor Canisius designatus est. Electus est praeterea Doctor Madridius ad Electores includendos usque ad electionem, et ut liceret ei socios eligere, vel Procuratores a Provinciis missos, vel quos vellet.

Locus electionis.

P. 8 c. 6 n. 4.

Secunda oratio.

Inclusor. C. 7 d. 64.

12, in Ms. decr. 12.

Statim post inclusionem tentandum esse scrutinium, decretum est. Sed si communis inspiratio praevenisset ordinem, acceptandam esse, modo adeo luculenta et notoria esset, ne uno quidem dempto, ut nulla tergiversatione negari posset divinam esse inspirationem.

Inspiratio communis. C. 2 d. 21 ante elect. P. 8 c. 6 n. 5.

13, in Ms. decr. 13.

Declarando locum illum in eodem cap. 6, quod ex iis, quae prius quisque intellexit, statuere debet, quem sit electurus, et in charta scribere nomen personae electae; sic constitutum est: excludi novas informationes, quae nullae debent sumi in eo loco inclusionis; sed ex praecedentibus, cum gratia tam illustrationis divinae, quam discursus, accepta a Deo, et prius et eodem in loco, electionem esse faciendam Praepositi Generalis, qui inter absentes et praesentes, Professos tamen quatuor votorum, eligi posset. Omnibus autem dandam esse formulam scriptam, quo citius se expedirent, ut nihil eis deesset scribendum, praeter nomen electi, et etiam eligentis; et hoc manu propria ab unoquoque scribendum esse ita, ut lateret obsignatum nomen eligentis, non manifestandum, nisi necessitas urgeret iudicio Congregationis.

Inclusis nullae informationes. P. 8 c. 6 n. 6.

C. 2 d. 21 ante elect.

P. Laynez Praep. Gen. 1558

14, in Ms. decr. 14.

Vicarius quorum opera utetur.

Quaesitum est, quorum opera uti deberet Vicarius ante quatriduum illud inclusionem praecedens, ad res alias ad electionem ordinatas tractandas. Et visum fuit, ut pro suo arbitratu uteretur opera eorum, quos aptos esse iudicaret; et ut Secretarius et Assistens in aliquo ex illis quatuor diebus, ad plura suffragia, ex numero trium Electorum de quavis Provincia, eligerentur. Et quidem prius Secretarius, deinde Assistens, ut prius nominatur in Constitutionibus. Unde in sedendo et in aliis ad Congregationem pertinentibus Secretarium praecedere oportere. Fuit autem postea, in illo quatriduo ante diem electionis Praepositi, in Secretarium electus Magister Ioannes de Polanco, et in Assistentem P. Magister Paschasius Broet, Provincialis Galliae.

Secretarius et Assistens electionis. *C. 2 d. 22, 24 ante elect. C. 3 d. 2 ante elect. C. 10 d. 7. C. 18 d. 11 n. 1, 3. P. 8 c. 6 n. 6.*

15, in Ms. decr. 15.

Iuramentum de suffragiis sincere publicandis. ** P. 8 c. 6 n. 6. C. 2 d. 23 ante elect.*

Super illud eiusdem capitis:* *Exsurgens a sede Vicarius protestetur etc.* statutum est, Vicarium, Secretarium et Assistentem iurare debere coram Deo, se sincere accepturos et publicaturos suffragia; et tam protestationis huiusmodi, quam absolutionis formula haec est, videlicet: *Testem invoco Deum, cuius oculis omnia nuda sunt, me fideliter accepturum et publicaturum suffragia; et quae ad officium meum pertinent, sincera cum intentione me praestiturum. Protestor etiam in divinae Maiestatis conspectu et universae Societatis, quam hic repraesentamus, me neminem admittere velle, qui non admittendus, nec excludere, qui non excludendus legitime sit in hac electione.* Et, *Auctoritate Dei omnipotentis mihi, licet indignissimo, per Sedem Apostolicam concessa, absolvo vos a quavis sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, et quibusvis aliis sententiis, censuris et poenis, et, quatenus sit opus, dispenso vobiscum super irregularitate quavis, ad effectum legitimae electionis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Absolutionis formula. *C. 2 d. 23 ante elect. P. 8 c. 6, E.*

16, in Ms. decr. 16.

Ratio ferendi suffragium. *P. 8 c. 6 n. 6.*

Super illud eiusdem 6 cap.: *Ipsimet tres praedicti mutuo suffragia sua alius ab alio petat, et iuret, etc.* visum fuit hanc formulam tenendam esse, ut, post praedictam protestationem et absolutionem, Secretarius dicat Vicario: *Pater, da tuum suffragium in nomine Iesu;* mox Vicarius, surgens, flectat genua coram Crucifixo, et, signans se cruce in nomino Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, legat iuramentum a tergo suae schedulae scrictum, manu pectori admota, huius tenoris: *Testem invoco Iesum Christum, qui Sapientia est aeterna, quod eum eligo et nomino in Praepositum Generalem Societatis Iesu, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum.* Deinde surgens, et duobus digitis clausum suffragium suum ostendens, in urnam mittat; et, rursus se inclinando coram Crucifixo, redibit ad locum suum; et mox dicet duobus sociis suis et caeteris: *Omnes ordine suo ferant sua suffragia in nomine Iesu.* Et surget Secretarius, et deinde Assistens, et reliqui ordine prius dicto, et sigillatim iuramentum facient, et sua suffragia ferent ad exemplum Vicarii. Quod autem iurant omnes, se eum eligere, quem sentiunt in Domino ad hoc onus ferendum aptissimum, hoc modo declaratum est, quod si quis duos vel plures pares omnino videret suo iudicio, integrum sit ei dare

Iuramentum Electorum. *C 1 d. 70.*

P. Laynez Praep. Gen.

1558

P. 8 c. 6 n. 6.

cui voluerit suffragium. Quod autem dicitur, in manibus Secretarii relinquenda esse suffragia, intelligendum esse, urnam fore in mensa coram Secretario, in quam suffragia iacienda sunt: et ex eadem urna, cum prius mixta fuerint, extrahentur a Secretario sigillatim, qui nudo capite stabit, et extracta singula ostendet P. Vicario. Ille autem visa, et utrique socio ostensa, leget publice, vel Secretario legenda reddet. Et in hac promulgatione electus tantum nominetur, obsignato manente nomine eligentis.

C. 2 d. 24 ante elect.

Post singulorum suffragiorum publicationem conferetur numerus, si plures nominati fuerint, et qui plus quam mediam partem omnium habuerit, Generalis Praepositus erit. Et Vicarius, si ipse electus non fuerit, significet publice, plura esse medietate suffragia eius, qui eligitur: et postmodum formet decretum in hanc formam: *Auctoritate Sedis Apostolicae et universae Societatis, iuxta nostras Constitutiones, eligo N. in Praepositum Generalem Societatis Iesu. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Decretum electionis. C. 2 d. 24 ante elect.

Si Vicarius ipse electus esset, statutum est, ut significaret et formaret eius loco decretum antiquissimus ex Professis Electoribus; et ut scriberetur decretum a Secretario, et subscriberetur ab eo, qui format illud, et sigillo Societatis obsignaretur: et statim omnes ad reverentiam ei exhibendam accederent, incipiente Vicario cum Assistentibus, nisi aliquis ex ipsis electus esset. Postremo simul omnes ad ecclesiam se conferrent, dicentibus Collegii cantoribus Psalmum: *Benedictus Dominus Deus*, inter eundum; et in ipsa ecclesia, *Te Deum laudamus*, et unus Sacerdos de choro diceret tres orationes, primam de Trinitate, secundam in actionem gratiarum, tertiam de die: et, ut usque ad egressum de ecclesia, Praepositus non admitteret oscula manuum ab aliis, quam ab Electoribus, ut est dictum.

Aliter deinde statutum, ut patet in Form. n. 50.

P. 8 c. 6 n. 6.

17, in Ms. decr. 17.

Compromissarii quando eligendi. P. 8 c. 6 n. 7.

Super illud: *Si non fuerit, qui amplius quam mediam partem suffragiorum habeat, ineatur ratio compromissionis;* petitum fuit, an tantum unum scrutinium ante compromissionem tentandum esset. Et visum fuit Congregationi, secundum scrutinium ante compromissionem tentandum esse inter eos, qui habuerunt suffragium aliquod ad officium Praepositi; et si ne tunc quidem crearetur Praepositus, eodem modo tertium scrutinium tentandum esse. Si ne tunc quidem Praepositus egrederetur, quinque Electores ad plura suffragia eligendos esse, et ad quem maior eorum pars inclinaret, illum fore Praepositum; et caetera ut supra facienda esse. Ad hos Electores eligendos dandam esse unam horam, si media non sufficeret; et servandam esse formulam scribendi, iurandi, et publicandi Electores similem illi, quae ad Generalem eligendum est data. Si accideret duos uni, et totidem alii suum dare suffragium, quintum debere accedere ad alterum ex his duobus, quem in Domino iudicaret aptiorem.

C. 2 d. 25 ante elect.

Inter quos eligendus Praep. Gen. a Compromissariis.

Constitutum fuit etiam, ut inter eos eligerent huiusmodi Compromissarii Praepositum Generalem, qui aliqua suffragia habuissent, sepositis illis, qui ad tria suffragia non pertingunt; nisi huiusmodi plures essent, quam duo: et si qua difficultas oriretur, tunc a Congregatione statui oportere,

P. Laynez Praep. Gen. — 1558

quid agendum sit. Si duo vel tres eminenter plura quam alii suffragia haberent; visum est convenire, ut illi nec activam vocem nec passivam ad electionem Compromissariorum haberent.

18, in Ms. decr. 18.

Suffragia quando comburenda. *C. 2 d. 21, 25 ante elect.*

Suffragia post electionem servanda esse a Secretario statutum est, donec solveretur Congregatio generalis; et tunc ea esse comburenda.

19, in Ms. decr. 19.

Quatriduo nullus Professus Domo egrediatur. *C. 2 d. 26 ante elect. C. 4 d. 2 ante elect.*

Fuit statutum, ut quatriduo ante electionem Professi non egrederentur Domo sine licentia P. Vicarii, cui liberum esset egredi, si quando opus esse iudicaret: ut Domi orationibus, Missis quotidie dicendis, ieiuniis et aliis corporis afflictionibus et informationibus etiam vacarent. Illos autem quatuor dies a vigilia S. Petri inchoandos esse, id est 28 Iunii 1558, statutum est, ut in die Visitationis B. Mariae Virginis, 2 Iulii, electio fieret: et id ipsum Summus Pontifex, antequam nos eum alloqueremur, faciendum censuerat. His autem quatuor diebus, ut ita partirentur Domi et in Collegio ieiunia, disciplinae et orationes, ut non singuli quotidie omnia, sed pars illorum tam Domi, quam in Collegio omnia haec facerent.

20, in Ms. decr. 20.

Facultas absolvendi a censuris cui reservanda. * *Sup. d. 7. C. 2 d. 27 ante elect.*

Petitum fuit, cui reservanda esset excommunicatio latae sententiae superius dicta *: et statuit Congregatio P. Vicario, si ante electionem incidisset; si post illam, Praeposito Generali esse reservandam.

Decretum electionis P. Generalis.

Forma decreti electionis haec fuit.

Cum in plena et legitima Congregatione, collato numero suffragiorum, plus quam media pars omnium R. P. Iacobum Laynez nominaverit et elegerit: Ego Paschasius Broet auctoritate Sedis Apostolicae et universae Societatis eligo praedictum R. P. Iacobum Laynez in Praepositum Generalem Societatis Iesu, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Romae, in aedibus Societatis Iesu ipso die Visitationis Beatissimae Virginis, anno Domini 1558.

Paschasius Broet omnium nomine me subscripsi, assistente et praesidente Illmo et Rmo Domino Cardinale Paciecho, Episcopo albanensi, ex parte Smi Domini nostri Pauli IV.

Ioannes de Polanco, Secretarius Societatis Iesu.

DECRETA

PRIMAE CONGREGATIONIS POST ELECTIONEM.

Quo ordine decreta rediguntur.

Quae in Congregatione generali acta fuerunt, in hunc ordinem redigentur, ut primo ponantur decreta, quae ad rationem ipsius Congregationis pertinent; secundo, ea, quae ad Constitutiones attinent circa res; tertio, quae ad easdem circa verba; quarto, agetur de quibusdam Constitutionibus repertis extra librum Constitutionum; quinto, de his quae ad versionem et editionem Constitutionum pertinent; sexto, sequentur, quae de aliis variis rebus decreta sunt; septimo, de dissolutione Congregationis.

TITULUS I.

CIRCA RATIONEM CONGREGATIONIS.

1, in Ms. tit. 1 decr. 1.

Durante Congregatione officia Superiorum non exspirant.

Comp. Privil. n. 526. P. 9 c. 3 n. 15. C. 1 d. 5 ante elect. C. 4 d. 8, 58. C. 5 d. 23. C. 6 d. 17. Vide tamen C. 16 d. 7.

QUOD non exspirat potestas Provincialium et aliorum officialium per mortem Praepositi Generalis, nec per electionem novi, donec dissolvatur Congregatio generalis. Et ita declaratur, quod in bullis, et Constitutionibus hac de re habetur; quodque non liceat Praeposito mutare huiusmodi officiales usque ad dissolutionem Congregationis, nisi eidem praefatae Congregationi aliquem esse mutandum videretur.

2, in Ms. tit. 1 decr. 2.

Loca non mutantur post electionem. C. 2 d. 87.

QUOD Praepositi Provinciales et alii officiales manere debent in suis locis, de quibus ante electionem actum est, ad sententias dicendas.

3, in Ms. tit. 1 decr. 3.

Procuratores post electionem admittuntur.

C. 3 d. 1. C. 4 d. 1, 64. C. 13 d. 4.

PRAETEREA actum est de Procuratoribus Provinciarum, an admittendi essent cum suffragio in Congregationem. Et visum est admitti debere, et quidem cum suffragio, et suppleri, si quid deesset iuxta Constitutiones, ut legitime interesse et suffragium habere possent. Fuerunt autem quinque Procuratores: P. Emmanuel Goudinus, Portugalliae; P. Georgius Serranus, Indiae; P. Doctor Antonius Cordeses, Aragoniae; P. Didacus de Guzman, Italiae; P. Didacus de Avellaneda, Baeticae: et ex illo tempore interfuerunt Congregationi.

4, in Ms. tit. 1 decr. 4.

Graviora uno die proponenda, alio conficienda. C. 2 d. 8 ante elect. Sup. d. 3 ante elect.

QUOD uno die proponi, et alio rem confici oportet in rebus gravioribus, cuiusmodi sunt, quae in Congregatione generali necessario veniunt tractanda. Si quae alia proponentur, pro arbitrio P. Praepositi, aut eodem, aut alio die tractabuntur.

5, in Ms. tit. 1 decr. 5.

Ordo proponendi et dicendi sententias. P. 8 c. 7, A.

C. 6 d. 35 n. 17. C. 7 d. 73.

QUOD quae proponenda sunt, ordine in declarationibus in 7 caput * Constitutionum dicto proponi debent, ut post Provincialem sequantur reliqui de eadem Provincia. Sed cum sententiae dicendae sunt, dici debent eo ordine, quo definitum est sedendum esse decreto 10 ante electionem.

6, in Ms. tit. 1 decr. 6.

Omnium consensus. Inf. d. 46. C. 4 d. 42.

QUOD dicitur 7 cap. Const. VIII part. *Si, rebus agitatis, nihil fere omnium consensu constitueretur*, exponendum esse τὸ *omnium consensu*, intelligi de maiori parte suffragiorum, cui standum est, ut etiam aliis in rebus.

7, in Ms. tit. 1 decr. 7.

Definitorum electio. C. 2 d. 26. C. 3 d. 18.

QUOD cum Definitores eligendi sunt, per scrutinium ad maiorem partem suffragiorum eos eligi oporteat.

8, in Ms. tit. 1 decr. 8.

Praepositi Generalis suffragia. C. 18 d. 8.

QUOD Praepositum Generalem habere duo suffragia, et praeterea qualitatem praecedendi, caeteris paribus, intelligendum est, in Congregatione ipsa generali, et non quando res inter

P. Laynez Praep. Gen. — 1558

ipsum et quatuor Definitores transigendae sunt; tunc enim unum suffragium solum habebit, cum praerogativa praecedendi in casu paritatis.

9, in Ms. tit. 1 decr. 9.

Post decreta quoties intercessio concedenda. *C. 2 d. 82. C. 7 d. 87.*

Ut post decretum Congregationis plenae, vel etiam Definitorum cum Praeposito, concederetur cuivis una intercessio, id est, facultas contradicendi in re quavis; in abrogatione autem alicuius veteris Constitutionis vel novae institutione, et duae intercessiones permitterentur. Standum esse nihilominus, sive semel, sive bis intercedatur, illorum definitioni, penes quos est facultas definiendi.

10, in Ms. tit. 1 decr. 10.

Constitutiones recognoscendae ante solutam Congregationem.

Utrum ita debeat se accingere Congregatio, ut, antequam solvatur, imponat, quoad fieri poterit, ultimam manum Constitutionibus. Responsum est affirmative.

11, in Ms. tit. 1 decr. 11.

Quo ordine res tractandae.

Si placeat, ut ita fiat: an praeponenda sint negotia Provincialium, qui non discessuri sunt ante solutam Congregationem, an postponenda. Visum est, dum tractarentur quaedam dubia circa Constitutiones a Congregatione particulari, cui est commissum, ita tamen, ut postea referrentur ad generalem, proponenda esse quae a Provinciis afferebantur. Ut tamen ordo rerum initio propositus servetur, post decreta pertinentia ad Constitutiones haec ponentur.

12, in Ms. tit. 1. decr. 12.

Praecipua prius proponenda.

An sint audienda quaecumque singuli Patres annotaverunt in Constitutiones, an potius iubendum, ut praecipua quaeque primum proponant, ut saltem de illis, quae maius facessunt negotium, statuere possit Congregatio antequam solvatur. Posterius hoc placuit.

13, in Ms. tit. 1 decr. 13.

Ad plenam Congregationem referenda quae Deputati probarint. *C. 2 d. 4, 34. C. 6 d. 35 n. 17.*

An sint omnia referenda pro cuiuslibet arbitrio ad plenam Congregationem; an solum quae in privata consultatione iudicabuntur digna, ut prius statutum fuit. Posterius placuit.

14, in Ms. tit. 1 decr. 14.

Suffragium habet in deputatione etiam qui aliquid opponit.

Si aliquis ex deputandis ad privatam consultationem in materia Constitutionum, opponat aliquid Constitutionibus: an ipsemet debeat adhiberi in consultationem eius rei, ita ut habeat suffragium cum caeteris; an vero, eo semoto, sufficiendus sit alius ea in re. Responsum est, non esse semovendum.

TITULUS II.

DE HIS, QUAE PERTINENT AD CONSTITUTIONES CIRCA RES IPSAS.

15, in Ms. tit. 2 decr. 1.

Constitutiones firmae et ratae servandae.

Propositum fuit: an liceret, et etiam an expediret ex Constitutionibus aliquid mutare. Et visum est ac statutum: eas firmas et ratas habendas esse, et etiam observandas, prout in exemplari originali P. N. Ignatii habentur.

Inf. d. 53, 78. C. 3 d. 26. C. 5 d. 61.

P. Laynez Praep. Gen.

1558

16, *in Ms. tit.* 2 *decr.* 2.

De Constitutionibus agere quatenus liceat. C. 2 d. 6, 7. C. 4 d. 26.

Deinde, non solum in universum non esse agendum, sed nec particulatim, de Constitutionibus substantialibus nostri Instituti. De aliis posse quidem tractari; sed sine experimento vel ratione clarissima nihil posse immutari. Licere tamen de omnibus declarationem petere, referendo ad Congregationem, ut ipsa censeret, qua declaratione opus esset.

Inf. d. 46.

17, *in Ms. tit.* 2 *decr.* 3.

Deputati ad dubia Constitutionum. C. 5 d. 6, 50.

Statutum est: ut omnia dubia, quae ad Constitutiones pertinerent, viderentur a PP. Hieronymo Natali et Ioanne de Polanco; et ut Congregationi proponerent, si quid videretur addendum vel mutandum in Constitutionibus; et alii, qui dubia haberent, ut ad hos referrent; et si eis satisfieri non posset, ut eorum dubia Congregationi proponerentur. Et ita proposita fuerunt nonnulla, quae sparsim variis sessionibus tractata sunt; sed simul coniuncta hic subdentur: alia cognitioni Superioris servata fuerunt, nec in generali Congregatione proposita.

18, *in Ms. tit.* 2 *decr.* 4.

Deputati ad iudicandum, quid proponendum Congregationi. Sup d. 8. C. 2 d. 4. C. 8 d. 8, 15.

Deinde, de modo exsecutionis ad huiusmodi tractanda, visum est: quatuor esse designandos, qui cum P. Praeposito, auditis quae obiicerentur, iudicarent, quid esset proponendum Congregationi generali, si vel ipsi non sibi satisfacerent, vel obiicientibus.

19, *in Ms. tit.* 2 *decr.* 5.

Definitores non eligendi cum facultate immutandi Constitutiones.

Cum propositum fuisset: an ad res aliquas pertinentes ad Constitutiones possent aliqui Definitores eligi, quibus suam potestatem daret Congregatio; visum est: nullos Definitores eligendos esse cum auctoritate ad immutandas Constitutiones; sed ut ipsa Congregatio imponeret ultimam manum, et auctoritatem ipsarum confirmaret, licet confirmatae alioqui satis essent. Et, his absolutis, ut primo quoque tempore dissolveretur Congregatio, de licentia et cum benedictione Pontificis; non tamen antequam imponeret ultimam manum Constitutionibus. Et ideo esse iubendum, ut quaecumque singuli Patres annotassent, quae praesertim negotium facesserent, proponerent Congregationi.

Congregatio non dissolvenda antequam imponat ultimam manum Constitutionibus.

20, *in Ms. tit.* 2 *decr.* 6.

Approbatio Instituti. * Vide Scholia P. Natalis, Appendix. Inf. d. 52.

An approbatio nostri Instituti per Paulum iv * esset initio Examinis ponenda, quaesitum est: et visum, satis esse, si in scholio apponatur.

21, *in Ms. tit.* 2 *decr.* 7.

Dubia Constitutionum examinantur. Exa. c. 1, D.

Fuerunt proposita quaedam loca Constitutionum; et inter duas lectiones declarationis, littera D in cap. 1 Examinis, prior lectio probatur, quae est illa ipsa, quae in 5 paragrapho super dictum cap. habetur, et incipit: *Sin estas 4 maneras, etc.*

22, *in Ms. tit.* 2 *decr.* 8.

Exa. c. 3 n. 12.

In declaratione super 3 cap. Examinis *§ Sea interrogado*, dubitabatur: quaenam deberet praeferri ex tribus, quae inveniebantur declarationibus de re eadem; et ultima praeferenda videbatur, quae incipiebat: *Electio harum personarum*, addendo tamen in ultima parte aliquid ex secunda, hoc scilicet, quod sequitur: *Si tamen inferior se non ad id accommodaret, quod Superior convenire iudicat, oportebit eum extra Domum egredi, nisi aliud Superiori videretur.* Responsum. Visum est

P. Laynez Praep. Gen. — 1558

Congregationi generali: tertiam declarationem esse probandam, sine additione; posse tamen additionem huiusmodi poni in Superioris instructione.

23, in Ms. tit. 2 decr. 9.

Exa. c. 6, A.

In declaratione super cap. 6 Examinis, *§ De su parte es bien que se le liguen*, ubi dicit: *Societas habeat libertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt quod debent:* huius ultimi dicti loco, an reponi debeat: *cum non convenit, ut in Societate maneant.*

Responsum. Ad hoc dictum est: ut maneret textus antiquus, et scholium adderetur, ut referat ad alia loca, in quibus agitur de aliis dimittendis.

24, in Ms. tit. 2 decr. 10.

Egressi sua sponte a Societate an reducendi. *P. 2 c. 4, B.*

Ex declaratione in 4 cap. secundae partis sic habebatur: *Qui egrediuntur a Societate sua sponte, quamvis iudicentur ad eam idonei; si aliam Religionem essent ingressi, et habitum eius assumpsissent, non videretur eos Societas recipere debere, nec minus curare, ut eos ad se reduceret.* Huius loco an dici debeat, quod sequitur: *nec curare ut eos ad se reduceret, si quidem sint Novitii; nam in aliis uti poterit Societas, si in aliquo casu videbitur ad maius Dei ac Domini nostri obsequium fore, facultatibus a Paulo III concessis, quandoquidem, aliam Religionem ingrediendo, non ideo de iure desierunt esse de Societate nostra.* Responsum fuit: in scholio id ponendum esse.

Const. LICET DEBITUM, *Litt. Apost. pag. 15.*

25, in Ms. tit. 2 decr. 11.

P. 4 prooem. A.

Ex declaratione super prooemium IV part., ubi dicitur ex hispano originali: *videri necessum, vel in primis rationi consentaneum, eos, qui in Societatem ingressuri sunt, viros esse, etc.* additum erat: *qui in eam ad professionem et in Coadiutores spirituales formatos sunt ingressuri, viros esse, etc.* Responsum: tollendum esse, quod fuit additum, visum est.

26, in Ms. tit. 2 decr. 12.

Bona Collegiorum, quae dissolvuntur cui applicanda. *P. 4 c. 2.*

Super 2 cap. IV part., textus sic habet: *Et tunc non potest Societas nec eius Generalis, quod sic relinquitur vel eius partem, ullis extra Societatem hominibus donare; sed, si ipsa curam, quam habebat, reliquerit, poterunt, qui aliunde potestatem habebunt, alicui pio operi, quod sic relictum fuerit, applicare.* Dubitabatur: an expediret hoc ita statui, an potius distinctione aliqua uti: alia est enim ratio Collegiorum, quae sine ulla obligatione relinquuntur Societatis arbitrio; alia eorum, quae cum obligatione aliqua. Rursus aliqua possent fieri Collegia vel Domus ex eleemosynis vel ex bonis alicuius de Societate, qui commodum Societatis ipsius praecipue intendit; alia ab alio fundatore externo, quem aliud quidpiam movet. Visum est Congregationi: hanc clausulam esse emendandam, prout in textu originali et alio approbato a tota Congregatione habetur in dicto paragrapho.

27, in Ms. tit. 2 decr. 13.

Editio vulgata Sacrae Scripturae ubique defendenda. *P. 4 c. 6 n. 5.*

Cap. 6 Const. IV part., ubi dicitur: defendendam traductionem, quoad eius fieri poterit, visum est: tollenda esse ultima haec verba, *quoad eius fieri poterit;* quia ubique potest defendi vulgata editio, iuxta Constitutiones Concilii Tridentini.

28, in Ms. tit. 2 decr. 14.

P. 4 c. 9.

Cap. 9 Const. IV part., *§ Alii educuntur post septem annos:* totus paragraphus ad declarationes transferendus visus est, sicuti translatus est

P. Laynez Praep. Gen. alius cap. 3, de quo hic facit mentionem. 1558

29, in Ms. tit. 2 decr. 15.

De Lingua hebraica. P. 4 c. 12 n. 2.

Cap. 12 iv part. Const., ubi dicitur: cognitionem Litterarum Humaniorum necessariam esse, et Linguarum latinae et graecae, additur, et *hebraicae,* et removetur ex inferiori loco sequenti. Nam hebraea lingua potius cum latina et graeca numeranda visa est, quam cum chaldaica et arabica.

30, in Ms. tit. 2 decr. 16.

De Praeside disputationum. P. 4 c. 13.

Super 13 cap. Const. iv part., ubi dicitur: *Praesideat, qui contentionem dirimat;* petebatur, an addenda esset sequens declaratio: *Quamvis hoc valde conveniat, cum fieri poterit, non est intelligendum, quod obligetur Societas semper ad dandum huiusmodi Praesidem, qui officiis huiusmodi fungatur. Antiquissimus enim Praeceptorum, qui disputant, poterit praestare quod ex hoc officio, iuxta Rectoris iudicium, conveniet.* Responsum fuit: talem declarationem in scholio ponendam esse.

31, in Ms. tit. 2 decr. 17.

P. 4 c. 13, A.

Super 13 cap. iv part. declar., ubi dicitur § 1: *In quodam tractatu,* visum est addendum esse: *per Generalem Praepositum approbato.*

32, in Ms. tit. 2 decr. 18.

Repetitiones in scholis de quibus faciendae. P. 4 c. 13, D.

Eodem cap., *§ Non solum,* habebat textus: *Non solum repetitiones ultimae lectionis, verum hebdomadae, mensis et anni fieri oportebit.* Huius loco sic reponendum visum est: *Non solum repetitiones ultimae lectionis fieri oportebit, verum et hebdomadae et longioris temporis, prout expedire iudicabitur.*

33, in Ms. tit. 2 decr. 19.

P. 4 c. 14 n. 3.

Cap. 14 Const. iv part. § ultimo, ubi dicebatur: *in Logica, Philosophia naturali, et morali,* additum est *et Metaphysica.*

34, in Ms. tit. 2 decr. 20.

De loco assignando promotis ad gradus magisterii vel doctoratus. P. 4 c. 15 n. 4.

Super 15 cap. iv part. Const., ad finem, ubi dicitur: *Honore se invicem praeveniant, et doctiores infima loca procurent;* sic emendatum est: *Honore se invicem praeveniant, nulla observata differentia locorum.*

35, in Ms. tit. 2 decr. 21.

In Constitutione de Correctore externorum dispensare potest P. Generalis. P. 4 c. 16 n. 5.

Cum non inveniantur Correctores multis in locis, et in aliis sustentari nequeant, vel nolint Scholastici ab illis corrigi, petitum est: an Constitutio 16 cap. iv part. pertinens ad correctionem externorum Scholasticorum aliqua declaratione relaxari deberet; an potius manere Constitutio, ut iacet, licet dispensetur alicubi, pro re nata.

Responsum est: Constitutionem, ut iacet, esse retinendam et servandam; sicubi tamen necesse fuerit, dispensare posse Praepositum Generalem.

36, in Ms. tit. 2 decr. 22.

Ceremoniae in professione non addendae. P. 5 c. 3 n. 2.

An aliquae ceremoniae in professionibus emittendis addi deberent ad eas, quae in Constitutionibus habentur 3 cap. v part. Statutum est: Constitutiones esse servandas, nec ceremonias addendas.

37, in Ms. tit. 2 decr. 23.

De stipendiis pro ministeriis. P. 6 c. 2, G.

Super 2 cap. vi part. declar. *§ Quamvis,* ubi dicitur: *Non debet quidquam accipi tamquam stipendium,* additum est: *vel eleemosyna pro his, quae ob solum Christi obsequium, etc., communicantur.*

P. Laynez Praep. Gen.

1558

38, in Ms. tit. 2 decr. 24.

Expungitur declaratio de iure succedendi Professorum. *P. 6 c. 2 declar.*

ACTUM est deinde: an expediret quamdam declarationem super 2 cap. VI part. expungi oportere, ut paupertas sancta magis restringeretur; quae sic habet: *Cum universaliter observetur, nec ius succedendi, nec proprium quid Professos habere; nihilominus, si aliquis sua devotione et sancta cum intentione ad maiorem DEI gloriam motus, ante suam professionem a Sede Apostolica facultatem obtineret, ut vel ipse vel Domus, in qua professionem emisit, posset ius succedendi in haereditate habere, dum non ad privatum usum illius, sed ad pia opera vel ad quae alioqui obligaretur, possent ea applicari, et omnia Praepositi Generalis arbitrio subdi, non contra istam Constitutionem vel eius intentionem existimaretur.* Hactenus Constitutio.

Visum est ergo Congregationi: hanc declarationem ex ipso libro Constitutionum expungendam esse, quo magis purae et sanctae paupertati consuleretur.

39, in Ms. tit. 2 decr. 25.

Missae cantus quando permittendus. *P. 6 c. 3 n. 4.*

CUM Constitutiones dicant 3 cap. VI part. vesperas cantari posse, non item Missam: an sit statuendum in universum Missas cantari posse, an non; sed potius Constitutionem teneri, et dispensari in aliqua Domo vel Collegio, ubi ratione Provinciae iudicaretur expedire, ut in India, Bohemia et aliis locis.

Responsum est: servandum esse Constitutionem, et non nisi ex gravissima causa dispensandum esse a Praeposito Generali, ut Missa cantetur; et id tantum dominicis diebus et festis.

C. 2 d. 17. C. 3 d. 86. C. 9 d. 19.

40, in Ms. tit. 2 decr. 26.

De cantu vesperarum serventur Constitutiones. *P. 6 c. 3, B.*

CUM dicatur in Constitutionibus eodem capite de cantu vesperarum, quod ne Gregorianus quidem esse debeat: an id immutari oporteat, nec ne, licet aliquo in loco dispensetur, ut cum cantu praedicto vel alio dicantur, cum expedire iudicabitur, ut hactenus Romae factum est.

Responsum est: Constitutiones observandas esse in hac parte, nec per Constitutionem novam ab illis quid diversum statuendum esse.

41, in Ms. tit. 2 decr. 27.

Constitutio de Collaterali nonnihil explicata. *P. 8 c. 1 D. § 4.*

SUPER 1 cap. VIII part. declar. § *Debet etiam certiorem reddere*, ubi dicit textus: *et sponte sua etiam eius loco supplere debet, cum per adversam corporis valetudinem, vel occupationes, vel aliquam causam ille in re aliqua officio suo deesset;* repositum est sic: *et sponte sua etiam eius loco id faciat, cum per adversam corporis valetudinem, vel occupationes, vel aliquam aliam causam ille in hac parte officio suo deesset.*

Causa emendationis est, ne videatur in re alia, quam in scribendo, debere Collateralem supplere vices Rectoris sponte sua.

42, in Ms. tit. 2 decr. 28.

Quinam praeesse possunt Professis quatuor votorum. *P. 8 c. 3, A.*

SUPER cap. 3 VIII part. declar. §. 1, ubi habetur in originali: *Nihilominus possent huiusmodi officiales suffragium activum et passivum ad reliqua habere, praeterquam ut Professis praeesse possint;* sic emendandum videbatur quibusdam: *praeterquam ut Professis quatuor votorum ordinarie praesint.* Et erat ratio emendationis, quia ad tempus, qui non est Professus, posset praeesse Collegio vel Provinciae, in qua sunt Professi; sed non ordinarie his

C. 3 d. 21. C. 4 d. 32. C. 6 d. 20.

P. Laynez Praep. Gen.

praeesse debent qui quatuor vota Professi sint, secus si tria. Congregatio generalis ab hac emendatione sustulit τὸ *ordinarie*.

43, in Ms. tit. 2 decr. 29.

Deputatio pro Officio Vicarii conficiendo, *P. 8 c. 4.*

DEINDE actum fuit, ut magis declararetur quod pertinet ad Officium Vicarii generalis cap. 4 VIII part., et ad electionem eius et potestatem; et nominatim: qui reputari debeant vicini, ut vocentur ad eius electionem; et an solum ad congregandam Societatem, vel etiam ad gubernandam ius habeat; et ut aliqui deputarentur, qui haec tractarent, et ad Congregationem referrent.

C. 2 d. 5, 31.

Responsum fuit: aliquibus esse committendum hoc negotium, ut Officium Vicarii conficerent, ubi et reliqua praedicta tractarentur, et ad Congregationem referrent. Illud tamen declaratum fuit: non tantum ad convocandam Societatem, sed etiam ad eamdem gubernandam Vicarii officium se extendere. Fuerunt ergo designati Patres: Magister Natalis, Doctor Torres, Ludovicus Gonzalez, cum Magistro Ioanne de Polanco, ut viderent Officium Vicarii Generalis, et referrent ad Congregationem; quod tamen propter temporis angustias facere non licuit.

C. 3 d. 7, 33.

Vicarii officium et ad convocandam et ad gubernandam Societatem se extendit. *C. 10 d. 8.*

44, in Ms. tit 2 decr. 30.

Tempus certum Congregationis indicendae non assignandum. *P. 8 c. 5 n. 2.*

CIRCA eamdem VIII part., cap. 5, propositum fuit etiam: an Congregatio generalis ad Praepositi electionem indicta, post praedecessoris mortem nuntiatam, ad certum tempus cogi deberet, intra quod, si non omnes convenirent, reliqui, qui praesentes erunt, rem transigant, et Congregatio generalis plena et legitima habeatur.

Responsum est: Constitutiones, quod ad tempus attinet, esse servandas; et, si prorogatio esset facienda, per Vicarium fieri debere et Assistentes, ad plura suffragia. Si tamen, exacto termino praescripto in initio, venerint aliqui designati ad Congregationem, ut illi etiam suffragium habeant ad prorogationem temporis praescripti.

1558

Prorogatio temporis praescripti ad Congregationem a quibus et quomodo facienda. *C. 6 d. 35 n. 19. C. 10 d. 4.*

45, in Ms. tit. 2 decr. 31.

Ordo sedendi et dicendi sententias in Congregatione generali. *P. 8 c. 7, a. Sup. d. 2, 5. C. 2 d. 87.*

SUPER cap. 7 VIII part., ubi dicitur de ordine sedendi et dicendi sententias in Congregatione generali, tollendus videbatur ille, qui ponitur in praedicto capitulo, et iuxta decretum Congregationis factum ante electionem emendandus, prout in originali hispanico aliquot versus huius paragraphi primi 7 cap. deleti sunt, inde incipiendo: *y por la facilidad;* et quod dicebatur in initio huius *§: loquentur eodem ordine, etc.* fiat scholium, quo declaretur, in proponendo hoc intelligi. Placuit.

46, in Ms. tit. 2 decr. 32.

Definitores quando eligendi. *P. 8 c. 7 n. 3.*

SUPER 7 cap. VIII part. ubi dicitur: eligendos esse Definitores, si non omnes, vel fere omnes consenserint, interpretabatur prius Congregatio de maiori parte; ita ut, si maior pars non consensisset, eligendi essent Definitores. Petitum est igitur: an iuxta istam interpretationem Constitutiones emendari debeant, nec ne.

Sup. d. 16. C. 4 d. 42.

Nihil definiendum esse in alterutram partem, dixit Congregatio; et ut scholium fieret, in quo diceretur, quatuor fuisse sententias hac de re. Primam, quod pendeat definitio ab omnium vel pene omnium sententia. Secundam, quod a maiori parte, quam media. Tertiam, quod a maiori parte simpliciter. Quarta fuit, quod ille communis consensus refertur ad electionem Definitorum, ita ut fiat distinctio

P. Laynez Praep. Gen. — 1558.

post illa verba, quae habentur in originali hispanico, *una parte ó otra*, et communi consensu vel fere omnium eligendi Definitores dicantur.

47, in Ms. tit. 2 decr. 33.

Sum. Pont. proponit cogitandum, an Praep. Gen. perpetuus esse debeat. *P. 9 c. 1.*

Perpetuitas a Congregatione confirmatur.

Vigesima quarta Augusti propositum fuit ex parte Summi Pontificis: ut cogitaremus de Praeposito Generali nostro, an perpetuus esse deberet, ut dicitur in 1 cap. Const. IX part. et eius declaratione. Et visum est, nemine discrepante, omnino perpetuum esse debere: et cum die sequenti idem proponeretur, idem Congregatio sensit.

De modo autem loquendi Summo Pontifici, res commissa est ipsi Praeposito Generali. Ut autem posset Suae Sanctitati significari nostrae Societatis iudicium, scripta fuit epistola, quae iam subdetur, Summo Pontifici, ab omnibus, praeterquam ab ipso Praeposito, subscripta.

BEATISSIME PATER.

Memoriale Congregationis ad Pontificem.

Cum Reverendissimus Cardinalis Pacechus electioni nostri Praepositi iussu V. S. interfuit; antequam ea fieret, V. B. mentem de qualitate personae, quam eligere deberemus, et animi propensionem, ut electus perpetuus esset potius, quam ad certum et definitum tempus, nobis significavit. Quamquam V. S. pro sua benignitate id nostrae Congregationi integrum relinquebat; nos omnes laetissimis animis significationem hanc voluntatis V. B., tamquam a Deo profectam, accepimus, qui ut et nos idem sentiremus et optaremus faciebat. Postea, ubi V. S. ad pedum oscula nos admittere et tanta charitate ad divinum obsequium excitare et inflammare dignata est, praeter caetera eaque singularia, quae nobis in Domino liberalissime est elargita, electionem Praepositi, quem nobis perpetuum elegeramus, libentissime confirmavit. Qua de re quantas possumus divinae clementiae et V. B. gratias agimus. Caeterum his diebus Reverendissimus Cardinalis Tranensis nobis significavit, V. S. etiam nunc de perpetuitate Praepositi aliquid dubii habere; proinde, ut ea de re cogitaremus, edixit: quod et fecimus, praemissis ad Deum orationibus. Et cum in Congregatione semel atque iterum id esset propositum, omnes, summo consensu, nemine discrepante, iudicavimus, multo convenientius esse nostrae Societati, ut noster Praepositus, quamdiu vixerit, non mutetur. Quamvis tamen haec ita sint, obedientiae filii sumus et quidem paratissimi ad ea omnia praestanda, quae V. S. imperabit. Quia vero fieri potest, ut de nostro iudicio certior fieri V. S. fortasse velit, illud hic infra subscripsimus, humiliter, qualecumque id est, iudicio V. S. subiicientes. Tertio kal. Septembris MDLVIII.

Hanc epistolam 13 Augusti omnes Professi subscripsimus, praeter duos, qui discesserant, P. Canisium et P. Pelletarium, et ipsummet Praepositum, quem non decebat eam subscribere. Eidem tamen epistola data est, quam tulit secum, sed non dedit Pontifici honestas ob causas.

Non fuit ipsi oblatum.

48, in Ms. tit. 2 decr. 34.

Ad sex casus depositionis Praep. Gen. non addendi alii. *P. 9 c. 4.*

C. 8 d. 28, 29. C. 12 d. 55.

Dubitatum est: an praeter casus illos sex, qui in 4 cap. IX part. narrantur, aliquis alius addi deberet, propter quem removendus esset a gubernatione Praepositus; cum scilicet incurius vel remissus fieret, vel alioqui ineptus ad gubernationem, non ex causa naturali, propter quam Vicarius dicitur eligendus, qui eius officium gerat, sed ex voluntaria. Statutum est autem, nullos casus esse

P. Laynez Praep. Gen. — 1558

addendos ad illos sex, nec quidquam immutandum in Constitutionibus, quod attinet ad providentiam Societatis circa Praepositum; et speciatim non esse explicandum aliquem casum de remissione voluntaria Praepositi.

49, in Ms. tit. 2 decr. 35.

Pars nona Constitutionum ad unguem observanda.

Generatim statutum est: IX partem Constitutionum ad unguem esse observandam: si quid tamen experimento vel ratione manifesta in dubium vocari accideret, id tractari permissum est, sicut in universum de Constitutionibus secundo decreto statutum fuerat.

50, in Ms. tit. 2 decr. 36.

Quae Constitutiones singulis mensibus legendae.

In X part. Const., sub finem, ubi dicitur: Constitutiones, quae ad singulos pertinent, esse singulis mensibus legendas, visum est conformari debere cum eo, quod dixerat in IV part. et alibi, de lectione Constitutionum et Regularum. Placuit, sed non videbatur repugnare.

51, in Ms. tit. 2 decr. 37.

Scholia Constitutionum

ubi ponenda et quae auctoritas ipsis tribuenda.

Cum dubitaretur adhuc de rebus quibusdam pertinentibus ad Constitutiones, difficultas per scholia quaedam addenda removeri posse visa est: et cum quaereretur ubi ponenda essent et quam auctoritatem ea scholia habitura erant?

C. 2 d. 28, 42, 57, sed praecipue C. 4 d. 34.

Responsum fuit, scholia non ad marginem Constitutionum, sed seorsum esse ponenda, ut numeris quibusdam responderent textui. Auctoritatem autem aliquam esse iis tribuendam, sed non plenam ut a tota Congregatione, sed potius ut a Praeposito Generali, qui eam dabit, quam ad Societatis bonum dandam censuerit; et praemittendam esse praefationem, qua narretur, quomodo res duobus, scilicet PP. Natali et Polanco commissa fuerit, et ab eis proposita privatae P. Praepositi et aliquorum Patrum Congregationi, in qua de scholiis conficiendis statuebatur.

Quibus res commissa fuit.

Congregationi privatae de scholiis conficiendis proponuntur.

52, in Ms. tit. 2 decr. 38.

Breve ad approbandas Constitutiones data occasione impetrandum.

Quaesitum est: an breve aliquod impetrandum esset a Summo Pontifice, quod praeponeretur Constitutionibus.

Visum est: impetrandum esse, cum id commode fieri posset, ad approbationem Constitutionum.

Sup. d. 20.

TITULUS III.

DE HIS, QUAE PERTINENT AD CONSTITUTIONES CIRCA VERBA.

53, in Ms. tit. 3 decr. 1.

Dubia circa verba Constitutionum

Deputatio ad expendendas quasdam immutationes verborum in Constitutionibus factas.

Sup. d. 15.

De verbis autem quibusdam Constitutionum propositum fuit: cum Pater sanctae memoriae Ignatius commiserit tribus Patribus, quorum duo Congregationi intererant, ut, salvo sensu, verba, prout eis videretur, immutarent; an rata ea essent habenda, quae, eo vivente, mutata fuerant in originali exemplari, quia non constabat, an ab eodem P. Ignatio recognita fuissent.

Visum est: deputandos esse tres, qui viderent, et expenderent, et referrent ad Congregationem, quid de huiusmodi verborum immutationibus sentirent: et hi fuerunt Doctor Baptista de Barma, et Doctor Christophorus Madridius, cum Magistro Ioanne de Polanco, qui commisso sibi munere functi sunt.

Inf. d. 78. C. 5 d. 61.

P. Laynez Praep. Gen. 1558

Actum est etiam de aliis verbis, quae immutanda quibusdam videbantur, quia in quibusdam eorum videbatur error calami irrepsisse, et sigillatim proposita fuerunt, et sunt quae sequuntur.

54, in Ms. tit. 3 decr. 2.

P. 1 c. 3. B.

In declar. cap. 3 primae part., ubi dicitur: *non esse solum ipsius particulare peccatum, sed generale;* notatum est, quod positum fuerat pro eo, quod habebatur in hispanico textu, *non esse peccatum personale.* Sic etiam inferius, eodem paragrapho, ubi dicebatur: *ita ut haeresis, vel schisma peccatum sit personale;* similiter repositum fuerat: *ita ut haeresis vel schisma peccatum sit particulare personae, et non generale nationis vel patriae.*

Placuit Congregationi talis emendatio.

55, in Ms. tit. 3 decr. 3.

P. 2 c. 2, B.

In declar. super 2 cap. II part., *§ Si entró,* ubi dicitur: *esperando,* an dici debeat: *esperándose,* ut referatur ad Societatem, non ad illum, qui ingreditur, vel impersonaliter ad utrumque.

Responsum affirmative.

56, in Ms. tit. 3 decr. 4.

P. 2 c. 4 n. 4.

In cap. 4 secundae part. Const., ubi dicebatur: *relaxando illis votum,* ut maneant sine scrupulo; an dici debeat: *relaxato illis voto.*

Responsum est affirmative.

57, in Ms. tit. 3 decr. 5.

P. 3 c. 1, C.

In declar. super 1 cap. III part., ubi dicebat textus hispanicus: *y assí mesmo debe,* dicendum: *y assí mesmo se debe.*

Placuit emendatio.

58, in Ms. tit. 3 decr. 6.

P. 4 prooem., A

Super prooemium declar. IV part., versus finem, ubi dicebat textus hispanicus: *se empleará en él,* τὸ *él* non habet ad quod referatur: sed sic emendandum videbatur, ut dicatur, paulo ante, loco verborum illorum: *que su divina Majestad será servida,* sic: *que será para mayor servicio de su divina Majestad;* et ita τὸ *él* referetur ad servitium.

Placuit emendatio.

59, in Ms. tit. 3 decr. 7.

P. 4 c. 2, C.

In declar. super 2 cap. IV part., *§ Societas,* sic habebat textus hispanicus: *Societas ad usum Scholarium exercebit administrationem redituum per Praepositum Generalem vel Provincialem, cui committetur ad defendendum et servandum possessiones et reditus Collegii, etiam in iudicio, cum conveniens aut necessarium erit. Ad eumdem pertinebit admittere quod praeterea dabitur tali Collegio.* Horum loco, quia putabatur error scripturae, quod sequitur reponendum videbatur: *Societas in usum Scholasticorum suorum, iuxta litteras apostolicas, redituum administrationem exercebit per Praepositum Generalem, vel alios, quibus ille facultatem ad id communicaverit, quae ad defendendas et conservandas possessiones et reditus Collegiorum, etiam in iudicio, cum hoc convenire vel necessarium esse videretur, se extendat: ac eiusdem Praepositi erit, et eorum, quibus ille facultatem dederit, admittere quidquid praeterea Collegiis ad sustentationem et incrementum eorum in rebus temporalibus donaretur.*

Comp. Privil. n. 93.

Visum est Congregationi: emendandum esse textum hispanicum, prout habetur *§ La Compañia,* et sic verte-

P. Laynez Praep. Gen. retur latine: *Societas ad usum Scholasticorum suorum, prout litterae apostolicae dicunt, exercebit administrationem redituum per Praepositum Generalem, vel Provincialem, vel alium, cui Generalis id commiserit, ad defendendum, etc.* Et paulo inferius: *Et erit eiusdem Praepositi, vel eius, cui ille commiserit, admittere quod praeterea talibus Collegiis donaretur ad sustentationem et augmentum eorum in rebus temporalibus.*

60, in Ms. tit. 3 decr. 8.

P. 4 c. 2, D. Eodem cap., § *Qui probantur*, dicitur sic: *Illi sunt, qui in Domibus Probationum versantur, de quibus in* VI *parte dicetur.* Citatio VI partis omittenda videbatur, quia ibi non agitur ea de re.

61, in Ms. tit. 3 decr. 9.

P. 4 c. 2, E. Eodem cap., § *Qui negotia*, error erat ibidem scriptoris in originali: dicebatur enim: *res Collegiorum extra ipsa, intelliguntur praecipue Procuratores.* Pro eo repositum fuit, quod sequitur: *Qui negotia Collegiorum extra ea gerunt, in primis intelliguntur Procuratores, etc.* Et sic respondet declaratio Constitutioni.

Placuit emendatio.

62, in Ms. tit. 3 decr. 10.

P. 4 c. 6, F. Super 6 cap. IV part., § *Nullus de Societate*, dicitur in textu: *Qui tamen talentum ad id sortiti, et praesertim, qui nondum studiis perfuncti sunt:* error videbatur scriptoris, et, negatione sublata, dicendum: *Qui iam studiis perfuncti sunt.*

63, in Ms. tit. 3 decr. 11.

P. 4 c. 10, I. Super 10 cap. IV part., § *Signum dabitur*, habebat textus: *Signum dabitur partim per campanam, quae pulsabitur, ut se recipiant ad somnum et ad prandium.* Tollendum videtur τὸ *partim*, nisi alterum membrum addatur. 1558

Placuit tolli.

64, in Ms. tit. 3 decr. 12.

In Const. cap. 8 IV part., § *Ansi mesmo*, ubi dicit: *El modo*, deest particula *en*, et dicendum: *En el modo.* P. 4 c. 8 n. 6.

65, in Ms. tit. 3 decr. 13.

Super 14 cap., § *Praelegetur*, habebat textus: *Praelegetur etiam Magister Sententiarum. Sed si videretur temporis decursu aliam Theologiam, huic non contrariam, studentibus utiliorem fore; ut si aliqua conficeretur, quae his nostris temporibus accommodatior videretur;* huius loco sic reponendum videbatur: *Praelegetur etiam Magister Sententiarum. Sed si videretur temporis decursu alium auctorem studentibus utiliorem fore, ut si aliqua summa vel liber Theologiae scholasticae conficeretur, quae his nostris temporibus accommodatior videretur, etc.* P. 4 c. 8, B.

Placuit emendatio.

66, in Ms. tit. 3 decr. 14.

Primo cap. Const. V part., § 1, sic habetur: *Quia Scholastici approbati admittuntur alio modo, et quidem magis interno quam qui in prima probatione versantur*; videbatur illud *prima* tollendum; quia comparatio fit cum aliis, qui probantur in toto biennio, et non tantum cum his, qui in prima probatione quindecim vel viginti diebus versantur. P. 5 c. 1 n. 1.

Placuit tolli.

67, in Ms. tit. 3 decr. 15.

Cap. 3 et 4 Const. V part., in formula votorum, qua Professi et Co- P. 5 c. 3, 4.

P. Laynez Praep. Gen. 1558

adiutores utuntur, ubi dicitur: *vice Praepositi Generalis*, videbatur addendum *Societatis Iesv.*

Placuit addi.

68, in Ms. tit. 3 decr. 16.

P. 6 c. 2, M.

In declar. cap. 2 vi part., *§ Hoc intelligendum*, ubi dicitur in originali: *nec etiam si in occurrenti aliqua occasione vel necessitate, qui vestibus pretiosioribus, honestis tamen, indueretur;* reponendum videbatur: *vestibus melioribus, honestis tamen, etc.*

Placuit.

69, in Ms. tit. 3 decr. 17.

P. 7 c. 2, H.

Super 2 cap. vii part., in declar. *§ Los accidentes*, ubi dicit textus hispanicus: *Para más abreviar ó acortar*, dicendum videbatur *abreviar ó alargar*, ut patet ex toto contextu.

Placuit emendatio, nam error calami iudicatus fuit.

70, in Ms. tit. 3 decr. 18.

P. 8 c. 6, F.

Super 6 cap. viii part., in formula electionis dicitur: *Testem invoco Iesvm Christum, qui Sapientia est aeterna, quod illum eligo, etc.* addendum videbatur: *ego N. illum eligo, etc.*

Placuit addi.

71, in Ms. tit. 3 decr. 19.

Alia quaedam proposita fuerunt circa Constitutiones: sed, quia visum est nihil esse immutandum, non hic ponuntur.

TITULUS IV.

DE QUIBUSDAM CONSTITUTIONIBUS REPERTIS EXTRA LIBRUM CONSTITUTIONUM.

72, in Ms. tit. 4 decr. 1.

De singulis agendum.

Cum quaedam Constitutiones vel Ordinationes a P. N. Ignatio non recognitae, quod sciatur, extra corpus libri Constitutionum reperirentur, propositum fuit: quid agendum esset de illis; et constitutum est: ut suis locis de singulis ageretur. Deinde ex eis aliquas approbavit ipsa Congregatio generalis, aliquas commisit particulari Congregationi P. Praepositi et quatuor Deputatorum, qui fuerunt: P. Natalis, Doctor Torres, P. Ludovicus Gonzalez cum Magistro Polanco; et tam illae, quam quae circa eas decisa sunt, hic subdentur.

Deputatio ad aliquas huiusmodi Constitutiones expendendas.

73, in Ms. tit. 4 decr. 2.

Collegiorum acceptandorum ratio. Ord. Gen. c. 16.

Cum experientia nos docuerit, quod in nostris Collegiis, ubi necessarii sunt duo vel tres Sacerdotes, qui vacent ministerio sacramentorum ac verbi divini; et quatuor vel quinque Praeceptores, qui iuventutem in litteris et bonis moribus instituant; necesse est etiam alios ibidem versari, qui eosdem iuvare possent, vicemque eorumdem supplere, si in morbum inciderent, ne lectionum series interrumpatur; atque etiam, ut Societas aliquid percipiat emolumenti in alendis aliquot Scholasticis, qui litteras discant, quandoquidem tam multi occupati sunt in obsequio et auxilio communis boni; statuimus: ne per decem annos proxime futuros, incipiendo a 1553, admittatur Collegium ullum, ubi non possint 12 saltem de Societate sustentari, cum duobus aliis, qui rebus corporalibus inserviant, ita ut totus numerus ad 14 perveniat.

Per decem annos nullum admittendum Collegium ubi 14 ali non possint; C. 2 d. 8. C. 3 d. 20. C. 5 d. 25, 69. C. 8 d. 27. C. 22 d. 17.

P. Laynez Praep. Gen. 1558

ubi Domus conveniens et ecclesia non assignetur;

Quia etiam videmus, quam sit incommodum, quantumque impediatur divinum obsequium, cum Domus et ecclesia exercitiis nostro Instituto consentaneis apta non habetur; cumque Nostri necesse habent occupationes spirituales relinquere, ut vacent victui et rebus temporalibus ad studium necessariis quaerendis; similiter statuimus: ne ullum mittatur Collegium ad locum aliquem, ubi Domus conveniens ad Nostrorum habitationem et scholas tenendas, et ecclesia ad spiritualia exercitia in proximorum auxilium tractanda non assignetur; sive proprietatem eius, sive usum liberum relinquant.

ubi saltem ad unum annum res 14 personis necessariae non provideantur.

Non item mittatur, si, saltem ad unum annum, quae necessaria sunt ad 14 personarum sustentationem non dabuntur. Elapso enim anno, si Communitati Collegium utile non invenietur, poterit nos certiores facere, et inde Nostri alio commigrare poterunt. Si contra, providebit illa etiam de rebus necessariis in alterum annum vel etiam plures, aut de perpetuitate vel fundatione Collegii aget, prout melius ad Dei gloriam et communis boni utilitatem iudicabitur.

Haec ordinatio placuit Congregationi generali, ut extra corpus Constitutionum, velut edictum ad tempus, haberetur.

74, in Ms. tit. 4 decr. 3.

Nulla obligatio pro dotatione Collegii admittenda.

Cum tam sit proprium nostrae professionis, non admittere praemium ullum temporale pro ministeriis spiritualibus, in quibus iuxta nostri Instituti rationem in auxilium proximorum occupamur; non convenit dotationem alicuius Collegii admittere, si obligemur ad Concionatorem, vel Confessarium, vel Lectorem aliquem theologum dandum. Quamvis enim ratio aequitatis et gratitudinis nos moveat, ut maiori cum sollicitudine proximis inserviamus in huiusmodi exercitiis nostri Instituti propriis, in Collegiis, quae cum maiori liberalitate et devotione fundata fuerunt; non est tamen agendum de obligationibus vel pactis, quae repugnant sinceritati, cum qua in rebus nostris solemus procedere, gratis dando quod gratis accepimus: *P. 6 c. 2, G.* quamvis ad sustentationem eorum, *C. 1 d. 37.* qui communi bono Collegiorum inserviunt, vel ad id litteris dant operam, admittatur ea dotatio, quam fundatorum charitas ad Dei gloriam solet assignare.

Placuit Congregationi generali haec Constitutio, et inserenda iv parti *P. 4 c. 7 n. 3.* Constitutionum visa est.

75, in Ms. tit. 4 decr. 4.

Universitatis cura quibus cum obligationibus suscipi possit. *P. 4 c. 7 n. 3, E. Inf. d. 118.*

Cum Praepositus Generalis vel Societas Universitatis alicuius curam susciperet, non repugnaret huius Constitutionis intentioni, si se consequenter obligaret ad lectiones ordinarias in ea praelegendas, quamvis inter eas aliquae ad Theologiam pertinerent.

Placuit etiam declaratio.

76, in Ms. tit. 4 decr. 5.

Regula de mensa privata pro Superioribus.

Sequentem Constitutionem P. N. Ignatius fieri iussit, sed non eam emendavit. Et, si in Constitutionibus poni debet, ad ix partem pertinere videtur. Videatur tamen, an inter Constitutiones, an melius inter documenta Superiorum poni debeat.

Quoniam ei, qui in Congregatione qualibet supremam habet curam, ita convenit humanitas et affabilitas cum subditis, ut auctoritas eius retineatur, et ea reverentia eidem exhibeatur, quae ad suos regendos ad maiorem

Dei gloriam est necessaria; ut etiam subditi minorem habeant perturbationis occasionem cum eo, quem pro refugio in suis perturbationibus habere debent: in Domo vel Collegio, ubi Nostrorum multitudo ultra triginta se extendit, qui supremam habet auctoritatem, non cibum capiat ordinarie cum illis in refectorio; quamvis singulis mensibus ad suam et illorum consolationem, et ut quomodo res se habeant intueatur, id facere debeat: ordinarie tamen, ut est dictum, capiat seorsum cibum, quamvis eiusdem sit rationis cum communi, aut magis aut minus parcus, prout Consultoribus vel Assistentibus, qui in hac parte in ipsum auctoritatem habent, expedire magis tum personae Superioris, tum communi bono iudicabitur.

Responsum est: ut maneat inter Regulas, non inter Constitutiones. *Vide tamen C. 3 d. 38. C. 7 d. 7.*

77, in Ms. tit. 4 decr. 6.

Praepositi Generalis auctoritas in contractibus asseritur. Inf. d. 100, 144.

De quadam Constitutione recognita a P. N. Ignatio sanctae memoriae circa auctoritatem Praepositi Generalis in celebrandis contractibus, fuit tractatum in particulari Congregatione; et visum fuit: declarandum esse per Congregationem generalem, quod talis est auctoritas Praepositi: et ita factum est, et generalis Congregatio approbavit huiusmodi Constitutionem, et inserta fuit 3 cap. IX part., quod sic incipit: *In Praeposito Generali est tota auctoritas celebrandi quosvis contractus.* *P. 9 c. 3 n. 5.*

TITULUS V.

DE HIS, QUAE AD EXEMPLAR, AC VERSIONEM, ET EDITIONEM CONSTITUTIONUM PERTINENT.

78, in Ms. tit. 5 decr. 1.

Probatur exemplum Constitutionum cum additionibus et emendationibus ex autographo exscriptum. Sup. d. 53.

Decima Septembris 1558, cum convenissent Patres, in plena Congregatione decreverunt: probatum esse quoddam exemplum Examinis, Constitutionum et Declarationum ex autographo P. Ignatii exscriptum, et cum eo collatum, cum additionibus et emendationibus, quae sunt in margine, auctoritate Congregationis factis. In quorum fidem Magister Ioannes de Polanco, Secretarius Societatis Iesu, ex praescripto Congregationis et omnium nomine subscripsit librum illum, et sigillo Societatis obsignavit.

79, in Ms. tit. 5 decr. 2.

Versio latina, collata a Deputatis cum originali, approbatur.

De Examine et Constitutionibus et Declarationibus ex hispanico idiomate in latinum versis quaesitum est: an imprimi oporteret, et quam auctoritatem habere deberent. Et primum quidem statutum fuit: aliquos esse deputandos, qui cum originali conferrent versionem; et deputati fuerunt complures ab ipsa Congregatione, et quae apud ipsos erant dubia, in Congregatione privata cum Generali tractabantur; et sic ad plura suffragia complura dubia resoluta sunt circa versionem; et ut haberet auctoritatem versionis, statutum est; id est, ut ordinaretur ea utendum esse, nec licere privata auctoritate et sine Congregatione aliam edere versionem; et impressionem statim inchoandam ab Examine prius reviso a Deputatis.

C. 2 d. 52. C. 4 d. 8, 33, 50. C. 5 d. 76. C. 23 d. 27.

C. 3 d. 26, 34. C. 4 d. 8, 33.

Non licet privata auctoritate aliam edere versionem.

TITULUS VI.

QUAE SEQUUNTUR DECRETA PERTINENT AD RES VARIAS, DE QUIBUS IN CONGREGATIONE GENERALI ACTUM EST.

80, in Ms. tit. 6 decr. 1.

Assistentium electio decernitur.

Inf. d. 88. C. 2 d. 20, 22. C. 6 d. 1. C. 18 d. 10. C. Poloc. 2 d. 8. C. 20 d. 4. C. 21 d. 4. C. 22 d. 11.

Quales eligendi.

Quia videbatur agendum de his, quae pertinent ad personam et officium Praepositi Generalis, tractatum est de quatuor Assistentibus eligendis, et tempus aliquod assignatum est ad informationem capiendam. Cum enim Societas committere debeat Assistentibus vices suas, quod attinet ad suam providentiam circa corpus Praepositi Generalis, et res externas, et alia quae in 4 et 5 cap. IX part. continentur; cumque iidem consiliarii Praepositi esse, et in rebus ad doctrinam et ad res gerendas pertinentibus eumdem sublevare, et alioqui in lectione, praedicatione et aliis piis operibus iuxta Societatis Institutum exerceri debeant; bonos, fideles, Societatis et communis boni amatores, discretionis dono praeditos, in rebus agendis versatos, et ad conversationem cum hominibus idoneos esse eos oportere visum est: et eligendos ab iisdem esse Electoribus, qui Praepositum Generalem elegerant, et quidem inter absentes et praesentes, inter Professos vel qui apti essent ad professionem emittendam, et, si fieri posset, ex variis Provinciis eligi eos debere. Et ita per scrutinium primum ad plura suffragia quatuor electi sunt, videlicet: Magister Hieronymus Natalis, P. Ludovicus Gonzalez, Doctor Christophorus Madridius, et Magister Ioannes de Polanco.

A quibus et inter quos.

C. 2 d. 20. C. 11 d. 9. C. 12 d. 5. C. 14. d. 23.

Quinam electi fuerint.

81, in Ms. tit. 6 decr. 2.

Admonitor Praepositi Generalis quid praestare debeat. P. 9 c. 4 n. 4.

Quia etiam iuxta Constitutiones eligendus erat aliquis, cuius hoc esset munus, ut, si animadverteret Praepositum in his, quae ad personam vel officium suum pertinent, minus bene agere, eumdem post orationem cum debita modestia admoneat; in primo scrutinio ad plura suffragia electus est unus ex Assistentibus, scilicet Magister Ioannes de Polanco.

Eligitur.

C. 2 d. 22. C. 3 d. 17. C. 5 d. 68.

P. 9 c. 4, 5.

Item quaedam dubia proposita fuerunt circa Assistentes, quae scilicet iam sequentur.

82, in Ms. tit. 6 decr. 3.

Munus Assistentium explicatur. P. 9 c. 4 n. 2, 3, 4. C. 12 d. 7.

Cum dicatur in 4 cap. IX part. providentiam Societatis circa Praepositum Generalem esse, primo circa externa, secundo circa corpus, tertio circa animam; quia etiam in viris perfectis, in quibusdam, quae ad personam et gubernationem pertinent, accidere aliqua possunt, quae admonitione indigeant; cumque in 5 cap. sequenti dicatur, quod per Assistentes exercet Societas hanc providentiam, qui in tribus dictis dicent et facient id, quod in Domino iudicaverint expedire; quaesitum est: quomodo intelligi oporteat illud *dicent et facient:* an scilicet in tribus praedictis et singulis eorum, scilicet rebus externis, corpore et anima, quod ad personam et gubernationem attinet, dicant et faciant quidquid eis videbitur; an ut

P. 9 c. 5 n. 2.

coniunctim loquatur de tribus praedictis, in quibus dicere et facere debent, quod iudicaverint expedire iuxta praemissa in 4 cap., ut scilicet moderentur res externas, prohibeant nimiam corporis afflictionem, et admoneant Praepositum, sicubi monendus videbitur, in his, quae ad personam vel gubernationem pertinent; et hoc ultimum per unum aliquem, de quo in 4 cap. praecedente dictum erat.

Statutum est ergo: τὸ *dicere et facere* interpretandum ita esse, ut coniunctim ad tria referatur: facere quidem et dicere, ad duo priora; dicere tantum, id est admonere per personam deputatam, ad tertium referendum esse, et iuxta praemissa in cap. 4 praecedenti.

83, in Ms. tit. 6 decr. 4.

Assistens, si aliquo mittatur a Generali, obedire debet.

Si mittatur Assistens a Praeposito extra locum, in quo ipse residet, petitum est: an obedire debeat absolute, an se excusare, eo quod Assistens est.

Statutum fuit: quod se non excusare deberet, sed obedire: quodque erit ipsius Praepositi Constitutionum meminisse, quae non esse facile ablegandum quemquam Assistentium statuunt.

P. 9 c. 5, A.

Proposita deinde fuerunt, quae sequuntur.

84, in Ms. tit. 6 decr. 5.

Assistenti ob adversam valetudinem quomodo alius substituendus.

An propter valetudinem adversam in aere romano, posset dimittere officium Assistens.

Responsum est: sine consensu Societatis non posse dimitti officium hoc ab ea datum. Quod si per Societatem id liceret, tunc in alio substituendo Constitutionum ordinem esse servandum; nec esse substituendi potestatem penes Assistentem.

P. 9 c. 5 n. 3. C. 3 d. 12, 42.

85, in Ms. tit. 6 decr. 6.

Assistentes an in itinere comitari debeant Generalem.

Si Praepositus Generalis extra Urbem mitteretur, vel sponte iret, et non ad tempus breve: an deberent Assistentes ipsum comitari, an Romae manere cum Vicario, quem relinqueret Praepositus; an partim ipsum comitari, partim manere oporteret.

Responsum est: arbitrio Generalis relinquendum esse, an aliquos ex Assistentibus secum habere debeat, nec ne, prout negotia conficienda essent plura vel pauciora; et tamen quod, ut socium, semper aliquem eorum apud se habere deberet.

86, in Ms. tit. 6 decr. 7.

Quid si Assistentem aliquo mittere velit Pontifex.

Si Pontifex vellet quempiam ex Assistentibus aliquo mittere, an Generalis debeat eum informare, et curare, ut potius alium mittat, nec ne.

Responsum est: discretioni Generalis id esse committendum: ut plurimum tamen informari ab eo Pontificem oportere.

87, in Ms. tit. 6 decr. 8.

Assistens si male se gesserit quid agendum.

Si male se gereret Assistens in aliis rebus, vel etiam officio suo, adeo ut indignus videatur eo loco, quid agendum esset: an scilicet informare Provinciales, adhibito reliquorum Assistentium testimonio, oporteret.

Responsum est: posse Assistentem huiusmodi interim suspendi ab officii exsecutione a Praeposito Generali; non tamen omnino removeri, nisi de consensu Societatis iuxta Constitutiones: posse tamen alium a Praeposito constitui, prout illae dicunt in casu mortis et diuturnae absentiae.

P. 9 c. 5 n. 3. C. 3 d. 12. C. 4 d. 24, 25. C. 6 d. 27 n. 2. C. 8 d. 19.

88, in Ms. tit. 6 decr. 9.

Assistentes 4 esse debent.

An propter hominum penuriam

P. Laynez Praep. Gen. 1558

minus quam quatuor Assistentes eligere sufficeret; vel certe, an aliquis eorum mitti posset liberius.

Sup. d. 80.

Responsum: quatuor esse debere Assistentes; et de missionibus procedendum esse iuxta Constitutiones.

89, in Ms. tit. 6 decr. 10.

An idem esse possit Secretarius et Assistens. *P. 9 c. 6 n. 8.*

An in unam personam coincidere possent Secretarius Societatis et Assistens.

Responsum: melius esse diversis personis haec omnia committi, cum singula satis sint ad unum hominem bene occupandum; propter hominum tamen penuriam posse coincidere: et iuxta id Praepositus Generalis elegit unum ex Assistentibus in Secretarium, scilicet Magistrum Ioannem de Polanco.

Ob penuriam hominum eligitur Secretarius unus ex Assistentibus.

90, in Ms. tit. 6 decr. 11.

Assistentes suffragium habent in electione Generalis.

An Assistentes Generalis interesse et suffragium habere debeant in electione novi Praepositi; et si habent, quo ordine suffragia dicere debeant; quia de eo non fit mentio in Constitutionibus.

Statutum est: Assistentes suffragium habere debere, et eorum officium usque ad electionem Praepositi duraturum. Eosdem autem fore Assistentes Vicarii, vel, si ex eis eligeretur Vicarius, reliquos eius Assistentes fore. De ordine autem dicendi, ut sequerentur antiquitatem professionis.

Sunt etiam Assistentes Vicarii. *C. 2 d. 85. C. 20 d. 18.* Quo ordine dicere debent. *C. 2 d. 87.*

91, in Ms. tit. 6 decr. 12.

Commissarii sunt Officiales extraordinarii. *P. 9 c. 3 n. 7.*

Super 3 cap. Const. IX part. actum est: an Commissarii alicubi constitui tamquam Officiales ordinarii deberent, ut in Hispania et India, etc. an non; sed ut sint officia extraordinaria pro arbitrio Praepositi et rerum necessitate vel utilitate. Et quocumque modo hoc se habeat: an debeant exspirare cum Praeposito huiusmodi officia, an manere post eius obitum, sicut et Provincialium officia; ut etiam extra ordinem ternorum, qui ex quavis Provincia venire debent ad Congregationem, illi veniant.

Responsum est: Commissarios non esse debere Officiales ordinarios; sed prout visum erit Praeposito Generali expedire. Post mortem vero Praepositi exspirare Commissariorum potestatem, nec eos habere suffragium ratione officii ad electionem successoris, nisi alioqui eligerentur inter illos ternos de quavis Provincia.

Eorum officium exspirat per mortem Generalis. *C. 2 d. 20 ante elect. C. 2 d. 11. C. 4 d. 3.*

92, in Ms. tit. 6 decr. 13.

Commissarii in cuius Provinciae Congregatione eligi possunt.

Petitum est: quomodo possint eligi inter ternos ad Congregationem destinatos Commissarii, cum non sint potius de hac Provincia, quam de illa.

Definitum fuit: quod in Provincia, in qua versabitur Commissarius tempore Congregationis provincialis, ad quam ipse vocari debebit, eligi poterit, ut veniat ad generalem.

93, in Ms. tit. 6 decr. 14.

In Missa sequamur usum romanum.

De Missa etiam et eius ceremoniis actum est, et constitutum: ut sequeremur usum romanum secundum rationem Constitutionum, omisso psalmo, *Iudica me, Deus,* et in fine dicendo Evangelium Lucae, *Loquente Iesu ad turbas;* vel, *In principio erat Verbum,* pro uniuscuiusque devotione.

94, in Ms. tit. 6 decr. 15.

Circa vota Scholasticorum nihil immutandum. *C. 2 d. 63.*

Undecima Augusti propositum fuit a quodam ex Procuratoribus hispaniensibus: quomodo occurrendum esset illi incommodo, quod ex votis simplicibus Coadiutorum et Scholasticorum nasci posset; cum illi, post-

P. Laynez Praep. Gen. 1558

Comp. Privil. n. 41, 382.

quam admissi fuerint in Coadiutores formatos vel Scholasticos approbatos, possint, licet peccent, uxorem ducere, et matrimonium erit validum; unde quaerebatur: an consultum esset, tria vota solemnia emittere aliquando huiusmodi Fratres.

P. 5 c. 4. C. 2 d. 63. C. 4 d. 53. C. 7 d. 22 n. 4. C. 9 d. 27.

Statutum fuit: nihil immutandum esse de Constitutionibus, vel de ratione votorum simplicium: si quid autem incommodi accideret, ut pro re nata provideretur; et ita exclusum fuit, quod de professione dicebatur.

95, in Ms. tit. 6 decr. 16.

De Coadiutorum vestium et pileorum ratione: de usu superpellicei.

Quaesitum etiam fuit de ratione vestium et pileorum, quibus laici nostri uti deberent.

C. 3 d. 22.

Nihil esse statuendum visum est: sed eam indumenti rationem probari, qua nostri laici a Sacerdotibus nostris et saecularibus hominibus distinguerentur: et ut vestitus honestus esset iuxta morem patriae. Et pileorum quidem ratio Provincialium arbitrio relicta est. Eos tamen, qui inserviendi Missis officium habent, clericali pileo uti debere visum fuit. De superpelliceis nihil certi statuendum videbatur; sed, si quando expedire iudicaretur ut huiusmodi ministri eis uterentur, petendam esse facultatem a Generali.

C. 7 d. 24, 27. C. 8 d. 21. C. 9 d. 24.

P. 6 c. 3, B.

96, in Ms. tit. 6 decr. 17.

Ieiunia Adventus et poenitentiae ordinariae non iniungenda, sed Constitutiones serventur.

Propositum fuit: Nostros a quibusdam reprehendi, quod ieiunia et poenitentias ordinarias non haberemus; et quaerebatur: an diebus Veneris ieiunandum esset, et in Adventu saltem die Mercurii et Veneris.

Exa. c. 1 n. 6. C. 5 d. 27. C. 6 d. 9.

Responsum fuit: Constitutiones nostras in hac etiam parte servandas esse. Placebat tamen fieri declarationem in scholiis: quod non ad singularitatem pertinet, si quis ieiunet, aliis non ieiunantibus: et quod danda esset facultas volentibus ieiunia observare, secundum mensuram rectae rationis.

Non est singulare ieiunare, aliis non ieiunantibus.

97, in Ms. tit. 6 decr. 18.

Circa tempus orationis Constitutiones serventur.

Circa orationem dictum fuit: quibusdam plus temporis impendendum videri, quam Constitutiones praescribant.

P. 4 c. 4 n. 3, 4. C. 2 d. 29. C. 4 d. 5.

Responsum fuit: servandas esse Constitutiones, et nihil aliud certi praescribendum in illis; sed, quod ad Novitios attinet, in regula Magistri Novitiorum esse statuendum, ut orent ultra horam, ut Constitutiones innuunt, et ne obligentur ordinarie ad duas horas: posse tamen cum particularibus augeri vel minui per Superiorem hoc tempus.

Novitii orent ultra horam, nec obligentur ordinarie ad duas.

Quid de Professis *P. 6 c. 3 n. 1, A. P. 4 c. 4, B.*

Quod ad Professos attinet, si non facerent iuxta mentem Constitutionum, ut Praepositi Domorum eos adiuvent, et tempus orationis, prout videbitur, praescribant.

et Coadiutoribus? *C. 7 d. 80 n. 19. C. 8 d. 38 n. 4.*

De Coadiutoribus temporalibus dictum fuit: curam peculiarem esse habendam, licet non statuatur eis certum tempus orationis aliter, quam in Const. IV part. cap. 4 statuitur. Epieikeia tamen, quae in Scholasticis locum habet, ut scilicet possint Superiores augere, vel minuere, vel commutare orationem, in his omnibus locum habebit.

98, in Ms. tit. 6 decr. 19.

Ordinarie omnes orare simul non expedit.

An simul omnes orare aliqua diei vel noctis hora expediat.

C. 4 d. 59.

Responsum est: simul non esse orandum; cum praesertim mens Patris nostri Ignatii eo tenderet, prout verbis significavit. De ordinaria autem oratione sermo est, non de extra-

P. Laynez Praep. Gen.

ordinaria, quae pro re nata publice ad tempus institui posset.

Proposita etiam fuerunt, quae sequuntur.

99, in Ms tit. 6. decr. 20.

In benedictione mensae sequamur usum romanum. P. 8 c. 1 n. 5.

De benedictione mensae et actione gratiarum, constitutum est: ut sequeremur usum romanum communem, et id in refectorio. Nam in privata mensa antiquam et consuetam benedictionem posse retineri: et non sedendo, sed stando benedictionem et actionem gratiarum fieri debere.

In privata mensa antiqua benedictio retineri potest. C. 4 d. 60.

100, in Ms. tit. 6 decr. 21.

Sup. d. 77. Inf. d. 144.

Alia sessione propositum fuit: an declarari deberet a tota Congregatione, quod Praepositus Generalis possit acceptare donationes, et quosvis contractus celebrare, dummodo non agatur de dissolutione aut alienatione Collegii vel Domus iam erectae; ut sic demum contra eos, qui difficiliores sunt, possit ostendi quod ex Constitutionibus alioqui habemus de facultate Generalis.

1558

Comp. Privil. n. 284. C. 4 d. 23, 27.

Fuit autem facta decisio: quod posset, ut praedictum est, quosvis contractus celebrare: et advocatus est Notarius publicus, qui instrumentum conficeret, quod hic subiungitur; et aliud etiam particulare confectum est, quo significabatur ratum haberi, quod Praepositus Generalis in quodam parmensi contractu fecerat.

P. Generalis auctoritas in contractibus instrumento publico confirmata.

INSTRUMENTUM PUBLICUM DE AUCTORITATE GENERALIS IN CONTRACTIBUS.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Quinam instrumentum publicum fieri petant.

Anno a Nativitate eiusdem MDLVIII, Indictione prima, die vero 30 mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi D. N. Pauli divina Providentia Papae IV anno quarto. In mei, Notarii publici infra scripti, testiumque infra scriptorum ad haec specialiter vocatorum et rogatorum praesentia, personaliter constituti in unum simul congregati et coadunati infra scripti Patres Reverendi: primo videlicet P. Iacobus Laynez, totius Congregationis nominis Iesu Praepositus Generalis, P. Paschasius Broët, P. Alfonsus Salmeron, P. Nicolaus Bobadilla, P. Simon Rodericus, P. Hieronymus Natalis, P. Michael de Torres, P. Hieronymus Domenech, P. Baptista de Barma, P. Iacobus Miron, P. Ioannes de Polanco, P. Baptista Viola, P. Nicolaus Lanoy, P. Everardus Mercurianus, P. Ludovicus Gonzalez, P. Gonzalus Vaz, P. Usmarus Goysonius, P. Antonius Winck, P. Ioannes de Plaza, P. Emmanuel Godignus, P. Georgius Serranus, P. Antonius Cordeses, P. Don Didacus de Guzman, P. Didacus de Avellaneda, totam Congregationem Societatis Iesu repraesentantes, ac plenam Congregationem, ut asseruerunt, facientes, sponte et non per errorem aliquem, sed ex eorum et cuiusvis ipsorum certa scientia et spontanea voluntate declararunt, et quilibet ipsorum declaravit: facultatem esse penes Praepositum Generalem iuxta Bullas et Constitutiones dictae Congregationis seu Societatis ad quosvis contractus, ut emptionum, et venditionum, et cessionum quarumlibet rerum temporalium mobilium vel immobilium celebrandum: et ad venden-

Praepositi Generalis facultas circa contractus ad quae se extendat.

P. Laynez Praep. Gen.

1558

Exceptiones.

Aliae similes facultates.

Quibus a Generali possunt communicari.

Contractus non collegialiter faciendi.

dum et redimendum quosvis census super bona stabilia Collegiorum Societatis Iesu ad Collegiorum eorumdem, et quidem in evidentem utilitatem; dummodo erecta Collegia vel Domos alienare vel dissolvere non possit. Declararunt etiam, et quilibet ipsorum declaravit: si quid dispositioni Societatis relinqueretur, sive sint bona stabilia, ut domus vel possessio aliqua non applicata alicui Collegio vel Domui erectae vel erigendae, sive mobilia, ut pecuniae, frumenta et alia quaevis, eumdem Reverendum P. Praepositum posse de illis disponere, illa vendendo vel retinendo, prout Constitutiones permittunt; vel applicare ad unam partem vel aliam, prout senserit ad maiorem Dei gloriam fore. Praeterea declararunt, et eorum quilibet declaravit: etiam Praepositos Provinciales, vel particulares, ac Rectores, ac alios quosvis de Societate eam habere dumtaxat ad res praedictas facultatem, quae a Praeposito Generali fuerit illis communicata: et non necesse esse collegialiter ad similes actus congregari. Declaraverunt insuper, et quilibet eorum declaravit: non opus esse collegiales alicuius Collegii congregari ad sonum campanae, nec aliter, ad Procuratores constituendum, vel ad quosvis alios contractus celebrandos; cum potestas tota manare debeat a Praeposito Generali, qui eam communicabit aliis, cum facultate etiam substituendi, ita ut nullo oporteat modo res huiusmodi collegialiter tractari. Super quibus omnibus et singulis praemissis petierunt sibi per Notarium infra scriptum unum vel plura publicum seu publica instrumenta fieri atque confici. Actum Romae, in Domo Societatis praedictae, et stantia seu camera superiori eiusdem Domus, in qua fieri solent huiusmodi Congregationes; ibidem praesentibus D. Ioanne Corso, Clerico Barcinonensis Dioecesis, et Francisco Petrarcha, Clerico Neapolitano, testibus ad praemissa vocatis specialiter atque rogatis.

Testes.

Et quia ego, Andreas Gerardus, Clericus Lugdunensis Dioecesis, publicus auctoritate Apostolica nec non curiae causarum Camerae Apostolicae Notarius, praemissis interfui, eaque in actis meis annotavi; ideo praesens Instrumentum subscripsi et publicavi, signumque meum hic apposui consuetum, in fidem praemissorum, rogatus et requisitus, omisso sigillo.

Notarii attestatio et subscriptio.

101, in Ms. tit. 6 decr. 22.

In litteris Iulii III de Instituto nihil immutandum. *Litt. Apost. pag. 22 et seqq.*

Propositum fuit: ut videretur, an ex litteris apostolicis, quibus explicavit Iulius III et confirmavit Institutum nostrae Societatis, aliquid in melius immutari expediret.

Responsum est: nihil immutandum videri.

102, in Ms. tit. 6 decr. 23.

Formula votorum simplicium, quae Professi emittunt, approbatur. *C. 3 d. 46. C. 9 d. 18.*

De forma votorum simplicium, quae post professionem emittenda esse in Constitutionibus dicuntur; actum est: an approbanda videretur et executioni mandanda.

Omnes Professi coram Praep. Generali haec vota in Congregatione emittunt die 25 Augusti.

Placuit Congregationi formula, et exsecutio huiusmodi emissionis votorum indicta est in S. Bartholomaei festum, quod ad praesentes attinebat, quod Romae celebratur 25 Augusti, ut coram Praeposito Generali, sine communione, ne sacrificio Missae privarentur, vota sua facerent; et ita praedicto die, a prandio, in ipso loco Congregationis omnes Professi illa emiserunt iuxta formulam hic adiunctam.

P. Laynez Praep. Gen. — 1558

FORMULA *

VOTORUM SIMPLICIUM, QUAE PROFESSI EMITTUNT POST PROFESSIONEM.

Vol. 2 pag. 146; vol. 8, ante regulas particulares.

* C. 1 d. 102. C. 3 d. 46. Litt. Apost. pag. 138.

1. Ego N., Professus Societatis Iesu, promitto Deo omnipotenti, coram eius Virgine Matre, et tota Curia coelesti, et coram R. P. Praeposito Generali, vel coram N., locum Generalis Praepositi tenente, a] numquam me acturum quacumque ratione vel consensurum, ut, quae ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur, nisi quando ex causa iusta rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis.

a] P. 6 c. 2 n. 1, A.

2. Praeterea b] promitto, numquam me acturum vel praetensurum, ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem vel dignitatem in Societate eligar vel promovear.

b] P. 10 n. 6.

3. Tum, c] si quem 1] sciam id curare vel praetendere, promitto illum remque totam me manifestaturum Societati vel Praeposito eius.

c] P. 10 n. 6. 1] C. 4 d. 54. C. 9 d. 13.

4. Promitto d] praeterea, numquam me curaturum praetensurumque extra Societatem praelationem aliquam vel dignitatem, nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia eius, qui mihi praecipere potest sub poena peccati.

d] P. 10 n. 6.

5. Insuper e] promitto, si quando acciderit, ut hac ratione in Praesidem alicuius Ecclesiae promovear, pro cura, quam de animae meae salute ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo loco ac numero habiturum Praepositum Societatis Generalem, ut numquam consilium audire detrectem, quod vel ipse vel quivis alius de Societate, quem ad id ipse sibi substituerit, dare mihi dignabitur. Consiliis vero huiusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse, quam quae mihi in mentem venerint, iudicabo, omnia intelligendo iuxta Societatis Iesu Constitutiones et declarationes. In tali loco, tali die, mense et anno.

e] P. 10 n. 6, A.

103, in Ms. tit. 6 decr. 24.

Proposita varia: de Suprastantibus Colleg. et Universit.;

Proposita sunt deinde sequentia, scilicet: de Suprastantibus Collegiorum et Universitatum, quatenus eos teneri expediat.

de reservatis Rectori vel Praeposito; de reservandis Prov. vel Commissario; C. 2 d. 60.

De reservatis casibus Rectori vel Praeposito locali.

An Provinciali vel Commissario reservari oporteat peccata privatorum vel eorum, qui aliis praesunt.

de facultatibus vel privil. curandis aut declarandis;

An aliae facultates vel privilegia, quae valde necessaria vel utilia Societati videbuntur, curanda sint; et ea, quae habemus, quibusdam in locis magis declaranda.

de modo recte dicendi Rosarium conscribendo;

An alicui committi debeat cura conscribendi modum ad Rosarium vel Coronam bene dicendam, praesertim pro Laicis.

de modo loquendi;

De modo loquendi ad sobrium et Religiosis dignum honorem, dicto vel scripto alii de Societate exhibendum, an constitui aliquid oporteat.

de exemplis contractuum praecipuorum Romam mittendis;

An expediat exemplum authenticum omnium contractuum maioris momenti, praesertim rerum perpetuarum, quae ubique in Societate fiunt, ad Archivium, quod erit in Urbe penes Praepositum Generalem, deferri.

de modo mendicandi;

Consideretur modus mendicitatis

P. Laynez Praep. Gen.

in Urbe et aliis in locis tenendus, an scilicet ostiatim, ut fit Romae bis in hebdomada, emendicari oporteat, nec ne; sed potius per Procuratorem sint eleemosynae petendae, ut modo fit per Procuratorem Domus nostrae de Urbe. Priorem ex his modis, quamvis permisit ad tempus P. N. Ignatius, significavit tamen sibi non placere.

de numero Coadiutorum temp. potius minuendo; P. 1 c. 2 n. 2, A. C. 7 d. 82 n. 3. C. 8 d. 60 n. 2.

Videatur, an possit iniri ratio, qua minor multitudo Coadiutorum temporalium sit necessaria, cum in Constitutionibus paucitas eorum videatur commendari, et praxis aliud ostendat.

De opera Sacerdotibus a Coadiutoribus praebenda; C. 7 d. 29. C. 16 d. 9.

Videatur etiam, quatenus expediat Sacerdotes, cum Domi sunt vel etiam in missionibus, uti Coadiutorum opera: ne, quod necessitatis gratia, et ut vacare illi possint maiori communique bono animarum, inductum est, vertatur in fastum, aut superbiam, aut desidiam Sacerdotum.

De cappellarum dotatione in ecclesiis nostris et Missis pro earum fundatoribus celebrandis.

An expediat in ecclesiis nostris dare devotis personis et de nostra Societate bene meritis, cappellas, quas illi, censibus applicatis, dotare velint, ut aliquae Missae dicantur. Et an Societatis Collegia possint et debeant se obligare singulis annis, vel mensibus, vel hebdomadibus, pro fundatoribus cappellarum ad celebrandas aliquas Missas.

Omnia haec P. Generali commissa.

His omnibus unica responsio data est: ut Praepositus Generalis ea videret, et statueret, quod facto opus esset. De admittendis tamen cappellis alio decreto seorsum tractavit Congregatio.

Inf. d. 134.

104, in Ms. tit. 6 decr. 25.

Legatum D. Hier. Coloredo non admittitur.

Propositum fuit etiam, de testamento Fratris nostri D. Hieronymi de Coloredo bonae mem., qui bona sua legaverat ad Collegium Societatis instituendum, quid agendum esset.

1558

Responsum est: P. Praepositi Generalis arbitrio id esse relinquendum. Inclinabat tamen Congregatio, rationibus auditis, ad non admittendum legatum; et ita P. Praepositus declaravit in eadem plena Congregatione, se non admittere: et per litteras suas patentes id postea Reverendissimo Episcopo Cenetensi, eius avunculo, significavit.

105, in Ms. tit. 6 decr. 26.

Impressio librorum et venditio P. Generalis iudicio relicta. C. 7 d. 84 n. 3, 4. C. 21 d. 26.

Quaesita deinde fuerunt, quae sequuntur. An libros in Societate imprimi et venumdari sit tolerandum, aut etiam laudandum, propter commune bonum, quod inde sequitur: an potius sit prohibendum, ne mercaturam exercere videamur.

Statutum est: nihil esse in alterutram partem decidendum, sed arbitrio Praepositi Generalis relinquendum. Visa tamen res est consideratione digna, ne quid fiat, in quo laedatur paupertas vel Institutum Societatis.

C. 5 d. 9. C. 11 d. 18. C. 23 d. 43 n. 2.

106, in Ms. tit. 6 decr. 27.

Ordo sedendi in Congregationibus et in mensa constituitur. Sup. d. 10 ante elect. C. 2 d. 87.

An aliquis ordo certus sedendi in mensa, et Congregatione, et aliis in rebus constitui deberet.

Responsum est: in Congregationibus quidem tenendum esse ordinem, de quo actum est ante electionem. In mensa vero, ut Sacerdotes alios ad eum gradum non promotos praecederent. Inter ipsos autem Sacerdotes aut Laicos nullum ordinem videri constituendum.

107, in Ms. tit. 6 decr. 28.

Directoria varia per P. Generalem curanda.

An Directorium Exercitiorum tradendorum, confessionum audiendarum, praedicationis, doctrinae christianae, orationis, conversationis, iuvandi etiam morituros confici opor-

teat, et uni vel pluribus hoc oneris imponi.

Placuit Congregationi, ut per Praepositum Generalem haec omnia et modus etiam eis utendi curarentur.

108, in Ms. tit. 6 decr. 29.

Provinciarum novarum institutio ad P. Generalem pertinet.

An, praeter approbationem Provinciarum, quae hactenus exstiterunt, aliquae essent instituendae, ex quibus et non ex aliis veniendum esset ad electionem Praepositi, quamvis aliae postea instituerentur, ad evitandam ambitionis occasionem.

C. 2 d. 36. C. 4 d. 6. P. 8 c. 3 n. 1.

Placuit Congregationi confirmatio Provinciarum, quae hactenus fuerunt; et ut relinqueretur Praeposito novarum institutio. Postquam autem institutae fuerint, ut ex illis veniant terni iuxta Constitutiones, perinde atque ex aliis.

109, in Ms. tit. 6 decr. 30.

De funere et sepultura nostrorum Fratrum et Sacerdotum.

Propositum etiam fuit de ratione sepulturae Fratrum nostrorum; et statutum est: ut observaretur circa vestitum mortuorum Sacerdotum quod de viventibus dicitur in Constitutionibus: ut scilicet utamur eo modo, quo Sacerdotes honesti eius regionis uti solent. De Fratribus autem, qui Sacerdotes non sunt, ut sepeliantur eodem modo induti, quo alii clerici honesti, qui Sacerdotes non sunt, indui solent. Serventur autem, quod ad officium pro defunctis attinet, Constitutiones, ubi in ecclesia nostra funus celebrabitur, et numerus sufficiens Nostrorum erit. Ubi enim alterutrum deesset, possent externi advocari ad funera Nostrorum.

P. 6 c. 2 n. 15. — C. 4 d. 4. — P. 6 c. 4 n. 3, C.

110, in Ms. tit. 6 decr. 31.

Concionatores B. Virginem salutent et superpelliceo utantur; stolam autem ferant pro more patriae.

De modo etiam concionandi quaesitum fuit: an semper in initio salutari debeat B. Virgo et stola ferri.

Responsum est: B. Virginem esse salutandam, sive prooemium praemittatur, quod nonnulli faciunt, sive non, pro Concionatoris voluntate; superpelliceo autem utendum esse inter concionandum: stolam vero, ut iuxta patriae morem adhibeant, vel non. In lectionibus sacrae Scripturae, etiam ad populum, superpelliceum non esse adhibendum.

Vide tamen C. 4 d. 10.

111, in Ms. tit 6 decr. 32.

Provinciales Provinciam visitare quotannis an debeant.

Actum est deinde de visitatione Praepositorum Provincialium; et visum est: committendum id esse Praeposito Generali, qui poterit Provincialibus iniungere, ut quotannis visitent Domos et Collegia suarum Provinciarum, vel eorum arbitrio id relinquet. Itaque ipsemet Praepositus Generalis Constitutiones interpretetur in hac parte.

112, in Ms. tit. 6 decr. 33.

Protectores Collegiorum quales admittendi.

Postea de his, quae subdentur, agi coeptum est. An Protectores habere in Collegiis tamquam amicos, et non tamquam habentes ius aliquod in ipsa Collegia, expediret. Probatum est: ut haberentur amici, qui protectionem susciperent Collegiorum; sed nomina iuridica, quae iurisdictionem dicant, vitanda esse, ne aliquando plus satis sibi sumant huiusmodi homines.

113, in Ms. tit. 6 decr. 34.

Aedificia qualia esse debeant. *C. 2 d. 84.*

Deinde de ratione aedificiorum fuit propositum: modum esse imponendum aedificiis Domorum et Collegiorum, quod in nobis est; ne, praeter caetera incommoda, fiant aliquando palatia nobilium; sed sint ad habitandum et officia nostra exercenda utilia, sana

P. Laynez Praep. Gen. — 1558

et fortia; in quibus tamen paupertatis memores videamur: unde nec sumptuosa sint, nec curiosa, etc. De ecclesiis tamen nihil dictum est, et hanc rem totam magis considerandam esse videbatur.

114, in Ms. tit. 6 decr. 35.

Barba non nutrienda.

De barba etiam nutrienda. Et eam non esse nutriendam visum est.

115, in Ms. tit. 6 decr. 36.

Decreta ante electionem non obligant in futurum. *Vide tamen C. 2 d. 51. C. 3 d. 4.*

An ea, quae decisa sunt in Congregatione ante electionem, rata sint futura in posterum, si contra Constitutiones non fuerint. Statutum est: ut non obligent in futurum; sed scribenda esse seorsum, ut possint illis uti, si volent. Quae vero post electionem decisa sunt, scribenda esse seorsum; et ut auctoritatem haberent, quam illis Constitutiones praebent 7 cap. VIII partis.

Decreta post electionem quam habeant auctoritatem. *P. 8 c. 7, C. C. 2 d. 51.*

116, in Ms. tit. 6 decr. 37.

Carceres an adhibendi.

De carceribus etiam in Societate tenendis Congregationi visum est: ius quidem iam esse penes Societatem ex bullis et Constitutionibus: quoad usum autem nihil esse statuendum, sed eam curam Praeposito relinquendam.

Comp. Privil. n. 150. P. 4 c. 11, B.

117, in Ms. tit. 6 decr. 38.

An aliqua Collegiola convertenda in Domos.

Propositum fuit a P. Praeposito: an expediret aliqua Collegiola in Domos converti, ut non teneamus occupatos tot Praeceptores, et plures possint conficere sua studia; et, post multa ultro citroque dicta, visum est rem maturius considerandam esse.

118, in Ms. tit. 6 decr. 39.

Cathedrae publicae quando admittendae.

Proposita sunt deinde sequentia. An essent admittendae cathedrae publicae in Universitatibus aut alibi a Nostris, cum ea disceptatione suffragiorum et oppositione, quae solet fieri.

C. 2 d. 21.

Et visum est: non esse admittendas; si tamen sponte offerantur huiusmodi cathedrae ab Universitatibus aut Rectoribus earum, et gratis praelegatur, nec quisquam se opponat, cum quo sit disceptandum, admitti possent: consulendus est tamen Praepositus Generalis, ne ordinaria ea facultas videatur.

Sup. d. 37, 75. C. 2 d. 24. C. 5 d. 29. C. 11 d. 39.

119, in Ms. tit. 6 decr. 40.

Dimissi ad scholas nostras quando admittendi.

An in scholis nostris, cum Universitatis curam suscipimus, eos admittere debeamus, qui a Societate defecerunt post emissa vota consueta.

Et responsum est: admitti debere, nisi ex admissione grave scandalum sequeretur: de quo quidem scandalo iudex erit Praepositus Provincialis; et, ut rectius tunc huiusmodi homines excludi possent a scholis, impetranda est facultas a fundatoribus ad eos excludendos, qui sine gravi scandalo teneri non possunt, ut est dictum.

120, in Ms. tit. 6 decr. 41.

Exsequiae Principum quando et quomodo a Nostris faciendae.

An possent exsequiae solemnes celebrari in nostris Collegiis in morte aliquorum Principum, qui nostrorum Collegiorum fundatores, vel de eis bene meriti exstiterunt: an potius nostro modo simplici faciendae sint.

C. 4 d. 61.

Responsum est: posse celebrari in morte Principum fundatorum vel de Societate bene meritorum, in nostris ecclesiis, quando pro eis huiusmodi exsequiae publice fieri solent per ecclesias civitatum; et id nostro modo simplici, absque pompa feretri cum facibus: nec tamen ut Constitutionem hoc debere observari; sed, ubi similis

P. Laynez Praep. Gen.

ratio posceret, posset a Praeposito permitti.

121, in Ms. tit. 6 decr. 42.

Quinam praeter Nostros et quomodo sepeliendi in nostris ecclesiis.

An, cum vita excesserint personae aliquae de Societate bene meritae, et in ecclesiis nostris sepeliri voluerint, possint a Nostris ea officia pro eis dici, quae pro Fratribus nostris dicere consuevimus.

Responsum fuit: concedendam esse sepulturam in nostris ecclesiis his, qui Collegiorum nostrorum fundatores exstiterunt, vel fundationes iuverunt; Principibus etiam et Praelatis, qui id voluerint; aliis autem personis, etiam bene meritis, non esse id concedendum sine facultate Praepositi Generalis. Quicumque tamen illi fuerint, non videntur pro eis ea officia publice dicenda, quae pro nostris Fratribus defunctis dicere solemus; et observandum est, ne cuiquam praeiudicium fiat in huiusmodi sepulturis; et nullus Nostrum sponte se offerat ad eam licentiam petendam : et etiam ne ius sepulturae posteri eorum, qui ibidem sepeliuntur, acquirant.

122, in Ms. tit. 6 decr. 43.

Proventus ex collecta publica S. Antonii an retinendi.

Propositum fuit a Patribus lusitanis: an reditus quidam essent retinendi, qui cuidam Collegio ipsorum proveniunt a petitionibus quibusdam publicis, quae sub nomine S. Antonii exiguntur cum nonnullorum scandalo.

Responsum fuit: ut videret Praepositus Generalis, an essent statim relinquendi, an retinendi, donec commutentur in alios, qui non prae se ferant eam speciem scandali.

123, in Ms. tit. 6 decr. 44.

Praemia in Scholis quibus et quomodo danda.

Petebatur etiam: an essent proponenda et danda munuscula quaedam, quae praemia vocant, scholasticis externis, ut ea ratione inflammarentur ad studia litterarum.

1558

Placuit proponi et dari, dummodo ne Fratribus nostris darentur, nec externis nostro cum sumptu; et ut servaretur modus honestus et religiosus.

124, in Ms. tit. 6 decr. 45.

Parochiae annexae Collegio conimbricensi quam primum relinquendae.

P. 4 c. 2 n. 4. Inf. d. 136, 139. C. 2 d. 30, 59. C. 5 d. 19.

Cum Collegium conimbricense hucusque possederit monasteria quaedam cum ecclesiis parochialibus annexis: an sit dispensandum in Constitutionibus, quae oppositum videntur statuere, vel quidnam faciendum sit.

Placuit Congregationi; omnem adhiberi diligentiam, ut quam primum, et quam optimo modo fieri posset, liberaretur ab animarum cura praedictum Collegium.

125, in Ms. tit. 6 decr. 46.

Studiorum intermissiones longiores Collegio Eborae concedendae.

An in Collegio eborensi, propter aëris intemperiem, et salubritatis defectum, et aestus graves illius civitatis, concedendae essent nostris Praeceptoribus studiorum intermissiones longiores, quam aliis in Collegiis concedi soleant.

Responsum est: intermissiones quidem placere; sed modum et dierum, quibus vacandum a studiis esset, numerum relinquendum esse Praepositi Provincialis iudicio.

126, in Ms. tit. 6 decr. 47.

Convictorum Conimbricensium cura retinenda, sed in Domo separata.

An expediret Nostros curam retinere quorumdam Scholasticorum externorum, qui convictores vel commensales dicuntur, quorum cura Nostris a rege Lusitaniae imposita est non exiguo cum onere, cum novum Collegium illis traderet.

Responsum est: dandam esse ope-

P. Laynez Praep. Gen. ram, ut Domus quaedam construeretur extra Collegium novum conimbricense pro habitatione huiusmodi convictorum, ut a nostrorum Scholasticorum habitatione omnino separentur. Interim tamen retinendam esse eorum curam, quam Societas iam suscepit; et hoc quidem ex dispensatione quadam concedi.

C. 6 d. 18. C. 12 d. 25. C. 4 d. 18.

127, in Ms. tit. 6 decr. 48.

An Domus Probationis a nostris Collegiis et Domibus Professis seiungendae.

An Domus Probationis sint seiungendae a nostris Collegiis.

C. 2 d. 14, 28. C. 3 d. 31.

Responsum est: rationes utrimque audiendas et expendendas esse, quae multae se offerebant: et tamen potius prope Collegia, quam prope Domos Professorum tenendae videbantur; sed ulterius non est actum ea de re.

128, in Ms. tit. 6 decr. 49.

Petierunt iidem Patres lusitani regulas, quas non habebant, et Visitatoris, et Provincialis, etc.

Responsum fuit: faciendas et eis mittendas.

129, in Ms. tit. 6 decr. 50.

Milites Christi ad Societatem admitti possunt. C. 13 d. 7.

An saeculares, qui emittunt vota in Ordine militari vocato Christi, possint ad Societatem nostram admitti, licet credatur non emissuros professionem apud nos.

Responsum est: admitti posse.

130, in Ms. tit. 6 dec. 51.

Missionibus indicis subveniendum.

Cum ex Provincia Lusitaniae plurimi ad Indos, Brasiliam et alias infidelium regiones mittantur et hominum penuria ibi laboretur, petierunt Patres lusitani a Congregatione auxilium.

Responsum fuit: quoad eius fieri posset subveniendum illis esse.

1558

131, in Ms. tit. 6 decr. 52.

Insigna Doctoratus an a Nostris portanda.

Quaesierunt etiam: an Doctores et Magistri de Societate, cum publicis praesident disputationibus aut scholasticos in Universitatibus examinant, ea insignia serica, quibus alii Doctores vel Magistri utuntur, ferre debeant.

Responsum fuit: deferendam esse huiusmodi causam ad Praepositum Generalem, ut declaret Constitutiones Universitatum. Quod ad conimbricense Collegium attinet, visum fuit: petendam esse facultatem, ut non obligarentur Nostri ad huiusmodi insignia portanda. Non tamen incommodum videbatur, si Nostri in illis actibus publicis, de quibus quaeritur, portarent aliqua insignia, in pileo praesertim, ut sunt fila illa serica, quae ponuntur in medio pilei.

P. 4 c. 17 n. 8.

132, in Ms. tit. 6 decr. 53.

Vota in saeculo emissa suspensa in Societate.

An vota, quae Nostri, cum adhuc in saeculo essent, emiserunt (quaerebatur autem de aliis votis praeterquam Religionis determinatae) censeantur ipso facto commutata in vota simplicia nostrae Societatis, simul atque illa emiserint; quod difficultatem habet, cum illud cap. *Scripturae, De voto et voti redemptione,* intelligatur a Doctoribus de ingressu per professionem.

Responsum fuit: in nostra Societate suspensa esse alia vota, etiamsi per professionem non tollantur, et sic obligationem eorum cessare dum in Societate manent.

133, in Ms. tit. 6 decr. 54.

Regulae particulares P. Generali committuntur examinandae.

Cum regulae generales et communes instructiones officiorum diligenter observentur, et iuxta illas, qui praesunt, subditos regant, petitum fuit:

P. Laynez Praep. Gen.

ut viderentur diligentius, et, si circa ordinem, vel claritatem, aut stilum aliquid esset immutandum, immutaretur.

Inf. d. 143.

Responsum fuit: ut Praeposito Generali id faciendum committeretur.

C. 2 d. 57.

Visum est: regulas ex Constitutionibus deductas servandas esse generaliter; alias videndas esse et examinandas; documenta vero, sive consilia spiritualia in unum locum redigenda extra regulas.

134, in Ms. tit. 6 decr. 55.

Cappellaniae nostris in ecclesiis non erigendae.

Sup. d. 108.

An recipi debeant in nostris Collegiis cappellaniae, quibus inserviunt clerici saeculares, quos possint Nostri eligere. Nam ex earum censibus huiusmodi Collegia augeri posse videntur.

Responsum fuit: non expedire, ut in nostris ecclesiis erigantur huiusmodi cappellaniae.

135, in Ms. tit. 6 decr. 56.

An in Domibus nostris asylum permittendum.

An sint admittendi in nostris Domibus qui aliquod facinus perpetrant, aut bonis cedunt etc., donec suae securitati consulant.

Responsum fuit: consulendos esse viros peritos: et post consultationem res est commissa Praeposito.

136, in Ms. tit. 6 decr. 57.

Ius Collegii gandiensis praesentandi tres parochiales neophytorum retinendum.
Sup. d. 124.
Inf. d. 139, 140.
C. 5 d. 19.

An ius illud, quod habet Collegium gandiense, praesentandi tres parochiales neophytorum ex Agarenis, sit conservandum, an potius sit illi renuntiandum in favorem Ordinarii. Visum est: retinendum esse ius hoc, ut melius consultum sit illorum spirituali utilitati.

137, in Ms. tit. 6 decr. 58.

Doctrina christiana

An expediret christianam doctrinam docere canendo, cum experientia doceat magis allici eo modo pueros et maiorem sequi fructum. 1558

quando docenda cum cantu.

Responsum fuit: Praeposito Generali id committendum. Ille autem statuit: ut ita fieret, ubi ad maiorem aedificationem id fore observaretur.

138, in Ms. tit. 6 decr. 59.

A Professis exsequendum votum de erudiendis pueris.

An praecipiendum esset Professis, ut per se exsequantur aliquando votum, quod faciunt de curanda institutione puerorum. Visum est Praeposito Generali id committendum esse. Ille autem statuit: ut praeter id, quod ad probationes pertinet, commendaretur valde hoc pium opus Professis, qui id exsequi deberent iuxta litterarum apostolicarum et Constitutionum rationem. Pater quidem noster Ignatius iniunxit singulis Professorum, ut semel per quadraginta dies id facerent.

Exa c. 4 n. 14.
C. 2 d. 30, 58, 65.
Comp. Pvivil. n. 396.
P. 5 c. 3 n. 3, B.

139, in Ms. tit. 6 decr. 60.

Beneficia curata vel simplicia quomodo admittenda.

An sit exterminandus a Societate mos ille admittendi beneficia curata vel simplicia, quae Nostris ad tempus conferuntur.

Sup. d. 124, 136.
Inf. d. 140.
C. 2 d. 30, 59.
C. 5 d. 19.

Commissum etiam fuit Praeposito, qui statuit: ut non admitterentur beneficia sine licentia Praepositi Generalis, quem informare oportebit de scandalo, si quod fuerit vel timebitur, et de tota re, ut videat, an dispensari oporteat.

140, in Ms. tit. 6 decr. 61.

Beneficia ante ingressum habita quando et quomodo relinquenda.

An Nostri, qui ante ingressum in Societatem habebant beneficia, postquam biennium in illa manserint, ea relinquere debeant.

Committendum etiam hoc videbatur Praeposito, qui statuit: ut servarentur Constitutiones, quibus non praecipitur, ut beneficia relinquantur

Exa. c. 4 n. 5.

P. Laynez Praep. Gen. 1558

Vide tamen C. 5 d. 19. C. 7 d. 17 n. 4.

ante professionem, nisi iubente Superiore post primum annum. Hunc autem Superiorem statuit fore Generalem, vel Commissarium, vel Provincialem.

141, in Ms. tit. 6 decr. 62.

Generalis declaret qui et quibuscum privilegia nostra communicare possint.

An quilibet Superior in Societate possit gratias Societatis cuilibet subdito communicare, cum facultate easdem aliis communicandi.

Commissum id fuit Praeposito Generali, qui, viris peritis consultis, id declararet.

142, in Ms. tit. 6 decr. 63.

Nuntii Apostolici in votis simplicibus Societatis ne dispensent.

An expediret petere a Summo Pontifice, ut Nuntii Apostolici non possint dispensare in votis simplicibus Societatis, saltem quae post biennium emittuntur.

Comp. Privil. n. 542.

Responsum est: petendum videri; usum tamen eius gratiae, si obtineatur, penes Praepositum fore.

143, in Ms. tit. 6 decr. 64.

Regulas per se condere solus potest Generalis.

An expediret, ut Praepositi inferiores non possint regulas condere sine Generalis consultatione et particulari concessione.

Responsum fuit: solum Praepositum Generalem auctoritatem habere; et alios eam dumtaxat, quam ab ipso acceperint: et cum ea si quid ordinabunt, transmittant Praeposito, ut id examinet, et, si videatur expedire, confirmet.

Sup. d. 133. C. 4 d. 19. C. 7 d. 76. C. 28 d. 25.

144, in Ms. tit. 6 decr. 65.

Contractuum ineundorum potestas penes Generalem. Sup. d. 77, 100.

De ratione ineundi contractus dictum est et a Congregatione constitutum: potestatem esse penes Praepositum Generalem, et ab eo ad alios descendere debere, iuxta Constitutionem quamdam relictam a P. Ignatio sanctae mem. extra corpus aliarum, quae tota approbata est, et IX par. cap. 3 inserta. Curandum autem dicebatur, ut breve apostolicum obtineretur, quo constaret evidentius iis, qui cum Societate negotiantur, de hac potestate. Interim autem dum breve obtineretur, ut fiat sicut hactenus factum est: nimirum, ut, si acquiescere nobis vellent, qui nobiscum negotiantur, cum Praepositi Generalis facultate dumtaxat contractus fiant; si noluerint acquiescere, ut possint collegialiter convenire ad eorum satisfactionem, non ad contractus necessitatem.

Potest eam delegare.

Curandum ut ea brevi Apostolico confirmetur. Comp. Privil. n. 284.

Interim quid agendum.

TITULUS VII.

DE DISSOLUTIONE CONGREGATIONIS.

145, in Ms. tit. 7 decr. 1.

Congregationem solvere solus Generalis non potest. P. 10 n. 8.

Non videri solvendam Congregationem pro solius Praepositi Generalis arbitrio sine consensu eiusdem Congregationis, quae Generali superior est.

146, in Ms. tit. 7 decr. 2.

Recessus aliquorum Patrum a Congregatione.

Trigesima prima Iulii propositum est: de recessu P. Magistri Ioannis Pelletarii, propter causas, quae videbantur momentum habere; et visum fuit: eum posse recedere. Paulo post P. Doctor Canisius, Provincialis Germaniae, dimittendus fuit cum Summi Pontificis Nuntio ad Regem Poloniae, cui comes cum alio theologo, scilicet Doctore Theodorico Amsterdamensi, adiunctus est. Et ita reliqui 28 Professi prius nominati cum Procuratoribus confecerunt quod reliquum fuit

P. Laynez Praep. Gen.

1558

in Congregatione generali. Supervenerat tamen 29.us Professus, Magister Baptista Violaeus, post Praepositi electionem aliquot dies, et Congregationi usque ad finem interfuit.

147, in Ms. tit. 7 decr. 3.

An Congregatio dissolvenda.

Quaesitum fuit 10 Augusti: an dissolvenda esset Congregatio. Et visum fuit: prius illa esse absolvenda, quae necessario a Congregatione generali tractanda erant, ut quae ad Constitutiones pertinent. Et ita tractata fuerunt.

148, in Ms. tit. 7 decr. 4.

Dissolvitur Congregatio.

Postmodum, 10 die Septembris, de Congregatione dissolvenda actum est, et omnium consensu est dissoluta die 10 Septembris praedicta.

1558.

DECRETA

SECUNDAE CONGREGATIONIS GENERALIS ANTE ELECTIONEM.

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

Causa Congregationis convocandae.

Erepto rebus humanis P. Iacobo Laynez, II Praeposito Generali, 19 Ianuarii 1565, a Professis romanis electus est Vicarius S. Franciscus Borgia, isque generali Congregationi initium fecit 21 Iunii eiusdem anni, renuntiatusque ab eadem Generalis 2 Iulii; Congregatio autem dimissa est 3 Septembris eiusdem anni.

Decretum 1, in manu scriptis decr. 2.

P. Petrus Ribadeneyra admittendus in Congregatione, supplendo defectum electionis.

P. Carolus Pharao admissus in Procuratorem.

Quia P. Petrus Ribadeneyra, absens, et cum ex Provincia Siciliae iam excessisset, a provinciali Congregatione electus fuerat ad electionem Generalis; et, si is non admitteretur, P. Carolus Pharao substituebatur, prout constitit ex lectis litteris Congregationis provincialis Siciliae, proposuit P. Vicarius: an dictus P. Petrus admittendus esset, supplendusque defectus electionis eius, an P. Carolus admitti deberet. Decrevit autem Congregatio pluribus suffragiis: P. Petrum esse admittendum ex aequitate vel epieikeia quadam, supplendo defectum electionis; et ne in exemplum aliorum id transiret aliqui monuerunt. Pater vero Carolus in Procuratorem admissus est, prout Congregatio provincialis petebat. Et statim vocatus est P. Petrus, et suo loco in Congregatione sedit, et sententiam dixit.

2, in Ms. decr. 3.

P. Michael Gobiernus admittendus in Congregatione, suppleto defectu electionis.

Praeterea, cum P. Ioannes de Valderrabano, Provincialis toletanus, elegisset P. Michaelem Gobiernum, postquam P. Aegidius Gonzalez, a Congregatione provinciali electus, in morbum inciderat, ipsaque Congregatio dissoluta erat, et tempus veniendi ad Congregationem generalem urgebat; proposuit idem P. Vicarius: an is admittendus esset, suppleto defectu talis electionis. Decrevit Congregatio fere omnium suffragiis: ex aequitate esse admittendum praedictum P. Michaelem Gobiernum; licet non esset in exemplum trahenda talis dispensatio. Et statim evocatus est, et suo loco sedit, et sententiam dixit.

3, in Ms. decr.

An aliqui Professi romani adhibendi ad Congregationem.

Propositum fuit: an aliqui ex Professis, qui Romae versantur, adhibendi essent ad Congregationem generalem; quandoquidem, praeter Assistentes et P. Vicarium, nullus interesset adhuc, nec electus esset, ut Constitutiones iubent ex singulis Provinciis eligi debere in Congregatione provinciali. Responsum est communi consensu: modo nihil esse innovandum, sed post Praepositi electionem agi posse ea de re.

4, in Ms. decr. 9.

Acta primae Congregationis ante electionem proponenda Congregationi.

Propositum fuit de actis primae generalis Congregationis ante electionem: an essent rata habenda, an potius essent aliqui deputandi, qui ea considerarent, et, rebus inter se discussis, proponerent Congregationi quae viderentur ex illis ad praesentem electionem facere; et quae mererentur approbationem, quae non. Decretum est pluribus suffragiis: omnia esse proponenda Congregationi ab aliquo, qui singulorum redderet rationem, ut statui posset ab eadem Congregatione, quae approbanda essent, quae non.

Inf. d. 5, pag. 194.

5, in Ms. decr. 10.

Designati ad benedictionem Pontificis petendam.

Propositum fuit ab aliquo, concedente P. Vicario: an praeter P. Salmeronem deberent ex singulis nationibus aliqui Provinciales comitari P. Vicarium ad benedictionem petendam a Summo Pontifice. Decretum est: ut P. Vicarius iret cum P. Salmerone, ut prius fuerat statutum; sed quod posset secum adducere idem P. Vicarius quos praeterea vellet ad Pontificem.

6, in Ms. decr. 11.

De duobus decretis Congregationis primae ante electionem.

Cum proponerentur sigillatim 20 illa decreta ante electionem P. Laynez Generalis Congregationi, visum est omnibus: in primo et secundo nihil esse dubii, nec ad rem nostram ea facere.

7, in Ms. decr. 12.

Ante electionem nihil tractandum, quod ad eam non pertineat.

Cum tertium decretum ante electionem legeretur, in primis discussum fuit diligenter: an de aliis rebus agendum esset, quam de pertinentibus ad electionem, antequam eligeretur Praepositus Generalis. Et maiori parte suffragiorum fuit constitutum: ut de nulla re ageretur ante electionem, praeterquam de iis, quae ad ipsam electionem pertinerent.

8, in Ms. decr. 13.

Uno die proponendae, altero tractandae res graviores.

Quod in eodem tertio decreto dicitur: uno die res proponendas, alio definiendas esse, statutum est: intelligi debere iuxta quartum decretum Congregationis post electionem, ubi dicitur: id fieri debere in rebus gravioribus, cuiusmodi sunt quae in Congregatione necessario veniunt tractanda; si quae alia proponerentur, pro arbitrio P. Praepositi, aut eodem, aut alio die tractanda esse.

9, in Ms. decr. 14.

Procuratores non admittendi ante electionem. *C. 2 d. 91.*

Ut in eodem tertio decreto habetur, visum est: Procuratores non esse admittendos ante electionem, unanimi consensu.

10, in Ms. decr. 15.

Quid significet « inter omnes » in tertio decreto.

In eodem tertio decreto sic habetur: *Si postridie inter omnes non conveniret, deputandos esse Definitores vel Compromissarios.* Declaratum est ergo:

S. F. Borgia Praep. Gen. 1565

τὸ inter omnes ita accipiendum esse, ut in iis, quae ante electionem tractanda erunt, intelligatur, *τὸ omnes*, id est, de maiore parte suffragiorum; non ita post electionem, quia tunc de Constitutionibus et rebus gravioribus erit agendum.

11, in Ms. decr. 16.

Quartum decretum approbatum.

PROPOSITUM fuit quartum decretum ante electionem P. Laynez Generalis: et pluribus suffragiis, prout iacet, placuit.

12, in Ms. decr. 17.

Quintum partim approbatum partim non approbatum. *C. 1 d. 91.*

CONSEQUENTER quintum decretum fuit propositum. Et, quae de Provincialibus et Commissariis habet, non sunt approbata, quia in decretis post electionem eiusdem Patris exactius de eis definitur. Sed ultima pars omnibus placuit, ut scilicet omnes Officiales Vicario subessent.

13, in Ms. decr. 18.

Omnes Electores informationes petere debent. ** Pag. 152.*

IN decreto sexto ante praedictam electionem, omnia capita * proposita fuerunt et perlecta sigillatim; et in primis illud: quod omnes Electores petere debeant informationem, nemine excepto. Et pluribus suffragiis statutum est: omnes petere debere.

14, in Ms. decr. 19.

A quibus quomodo et quando petendae informationes. ** Pag. 152. Vide tamen inf. d. 89.*

DE secundo capite * actum fuit etiam, scilicet: a quibus peti debeat informatio; et, cum multa hinc et inde dicta fuerint, tandem pluribus suffragiis est constitutum: ab omnibus de Societate, qui possent bene referre, posse capi informationem; ita tamen, ut illi, a quibus caperetur, eamdem legem subirent ratione informationis, quam Electores. De qua lege et informandi modo, qui petent ab aliquo extra numerum Electorum informationem, prius ipsum monere debeant, ut noverint ad quod teneantur.

C. 1 d. 6 ante elect. c. 5, pag. 153. Inf. d. 16 ante elect.

Placuit autem: ut, ante quatriduum, quod praecedit diem electionis, nulla peteretur informatio.

15, in Ms. decr. 20.

De quibus rebus et personis petendae informationes. ** Pag. 152. * Pag. 153.*

PERLECTUM fuit etiam in Congregatione tertium caput * de ratione informationis, scilicet: de quibus personis peti debeat informatio; et quartum *, scilicet: de quibus rebus peti debeat; et pluribus suffragiis decretum est: utrumque ratum habendum esse.

16, in Ms. decr. 21.

In modo petendi informationes duo immutanda sunt. ** Pag. 153.* Licet quaerere: num quis aptus; non, num quis aptissimus sit. *Vide tamen inf. d. 90.* Iniungitur praeceptum silentii in re gravi.

PROPOSITUM fuit quintum caput * sequens: quomodo scilicet peti debeat informatio: et caetera placuerunt; sed pluribus suffragiis duo immutanda visa sunt. Alterum, quod initio dicitur, id est, *non petat, an hic vel ille aptus videatur ad hoc munus, nec ne; sed de rebus illis, ex quibus iudicari possit, an sit idoneus, nec ne;* hoc ergo immutandum visum est, et permissum, ut liceret petere: an hunc vel illum aptum quis iudicet ad munus Praepositi Generalis; non tamen, an aptissimum inter omnes. Alterum est, quod, ubi dicitur: *si quid tamen intellexerit, quod secretum teneri debeat, cum aliis, praeterquam cum Electoribus in informatione, silentium servet, memor charitatis;* hic, inquam, pluribus suffragiis visum est: silentium in virtute obedientiae esse iniungendum, in re gravi tamen, non in qualibet.

17, in Ms. decr. 23.

Decretum de modo respondendi non obligat ad peccatum. ** Pag. 153.*

PERLECTUM fuit sextum caput * de ratione informationis, in quo agitur de modo, quo respondere debeat is, a quo petitur informatio.

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

Et omnibus placuit. Maior tamen pars voluit, quae in eo continentur, non obligare ad peccatum ratione decreti.

18, in Ms. decr. 24.

Interrogatorium non necessario adhibendum. * Pag. 155.

De quodam interrogatorio inserto sexto decreto praedicto, habetur in eius fine * statutum esse: quod non necesse esset eo uti; sed ut considerarentur ibi citatae Constitutiones, et sic unusquisque interrogaret, prout in Domino videretur ei expedire.

Hoc ipsum, quod ibi decernitur de interrogatorio, toti huic Congregationi placuit.

19, in Ms. decr. 25.

Quando excommunicatio incurritur ob informationem non sinceram. C. 1 d. 20 ante elect.

Cum ageretur de septimo decreto ante electionem P. Laynez, placuit fere omnibus admittendum esse, ut iacet. Explicuit tamen Congregatio locum illum, de excommunicatione latae sententiae, quae se extendit ad informationem non sinceram: quod intelligi debeat de informatione, quae studiose mendax est, id est, mala cum intentione, et in re gravi.

20, in Ms. decr. 26.

Munus Commissarii exspirat in morte Generalis. C. 1 d. 91. C. 2 d. 11.

Propositum fuit octavum decretum sequens, et placuit prout iacet. Nonum etiam omnibus fere, et decimum maiori parti, expunctis iis, quae de Commissariis dicuntur, de quibus post electionem constitutum fuit: quod exspirarent per mortem Praepositi.

21, in Ms. decr. 28.

De secreto in suffragiis servando.

Propositum fuit praeterea 12 et 13 decretum ante electionem praedictam; et utrumque placuit, ut iacet: sed in 13 visum fuit secretum esse commendandum in dandis suffragiis; et in scribendo nomine electi formam characteris aut manus propriae mutari posse, si quis volet, ne a tribus, qui suffragium videbunt et legent, agnosci possit.

Non manifestandum nomen eligentis.

Fuit autem dubitatum: an expungi deberent ultima illa verba decreti 13, scilicet: *non manifestandum nomen eligentis, nisi necessitas urgeret iudicio Congregationis*, et placuit maiori parti, ut non expungerentur, sed ut hoc adderetur: post promulgatum decretum electionis statim comburenda esse suffragia.

Comburenda suffragia post promulgatum decretum electionis. Inf. d. 25 ante elect.

22, in Ms. decr. 29.

De eligendis Secretario et Assistenti electionis.

Perlecto 14 decreto sequenti, placuit illud maiori parti, mutatis mutandis, ut ad praesentem electionem accommodaretur. Illa tamen verba tollenda esse visa sunt: *ex numero trium Electorum de quavis Provincia*, ne excluderentur Electores, qui Romae versantur, et ex Provinciis non venerunt; et dicendum sic esse: *ex numero Electorum eligerentur.*

23, in Ms. decr. 30.

Interpretatio sensus iuramenti de suffragiis sincere publicandis.

Propositum fuit 15 decretum, et in caeteris placuit omnibus; sed declaratum fuit: sensum iuramenti, quod facturus est P. Vicarius, Secretarius, et Assistens, sic interpretandum esse, ut quadrat singulis eorum iuxta Constitutiones. In forma vero absolutionis addendam esse exceptionem defectuum, qui in hac electione accidissent, iuxta declarationem in 6 cap. VIII part., quae ait: *Absolvit ab omnibus censuris, quas non incurrissent propter defectus ad hanc electionem pertinentes.* Sic ergo habebit formula: *Absolvo vos a quavis sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, et quibusvis aliis sententiis, censuris et poenis; et, quatenus sit opus, dispenso*

Addenda formulae absolutionis a censuris. P. 8 c. 6, E.

vobiscum super irregularitate quavis, (dummodo sententias et censuras, poenas ac irregularitatem huiusmodi ob defectus ad electionem hanc pertinentes non incurreritis) ad effectum legitimae electionis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Addendum esse etiam de absolutione, quam antiquissimus Professus daret Vicario, visum est: quae eiusdem tenoris erit cum ea, qua ipse alios absolvit.

24, in Ms. decr. 31.

Secretarius non debet aperto capite stare.

In 16 decreto caetera placuerunt; sed tollendum esse illud visum est, quod dicitur de Secretario: quod stare aperto capite debeat, de quo Constitutiones nihil insinuant.

Decreti electionis formula approbatur.

Formula etiam decreti electionis, quam tenuimus in praecedenti electione R. P. Iacobi Laynez, approbata est, scilicet quae sequitur: *Cum in plena et legitima Congregatione, collato numero omnium suffragiorum, plus quam media pars omnium Reverendum Patrem N. nominaverit et elegerit, ego N. auctoritate Sedis Apostolicae et universae Societatis eligo praedictum R. P. N. in Praepositum Generalem Societatis Iesu. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Romae.*

25, in Ms. decr. 32.

Decretum de Compromissariis partim immutatum.

Proposito 17 decreto ante electionem praedictam, dubitatum est: an expediret declarare, quod, antequam ad compromissionem veniretur, tentarentur plura scrutinia, quam tria, scilicet usque ad septem; vel certe, an dicendum esset, quod, si ne in tertio quidem scrutinio egrederetur Generalis, Congregationi integrum esset alia tentare scrutinia. Et visum est: decretum, ut iacet, amplecti oportere; sed non esse utendum ratione compromissionis, quae assignatur in praedicto decreto, ut scilicet quintus Compromissarius accedat in casu paritatis ad alterum ex duobus a binis Compromissariis electis; si autem oblata fuerit talis difficultas, tunc decidetur, quid agendum.

Comburenda suffragia post promulgatum decretum electionis. * *Hic C. 2 d. 21 ante elect.*

Decimum octavum decretum sequens non est approbatum; quia, ut 28 * decreto est dictum, statim comburi debent suffragia post promulgatum decretum electionis.

26, in Ms. decr. 33.

Quatriduo nullus Professorum Electorum Domo egrediatur.

Propositum fuit decretum 19 sequens: et prima eius pars, ut quatriduo ante electionem Professi Electores non egrederentur foras sine licentia P. Vicarii, omnibus placuit.

Dies 2 Iulii ad electionem designatur. *Inf. d. 27 ante elect.*

Statutum etiam fuit communi omnium sententia: ut quatriduum illud inciperet a vigilia S. Petri, 28 Iunii, ita ut dies electionis esset 2 Iulii, ipso scilicet festo Visitationis, prout in praecedenti electione fuerat. Et consequenter visum est Congregationi: non esse exspectandos absentes; nam ante id tempus exspectabatur P. Everardus, inferioris Germaniae Provincialis, nec de Provinciali Baeticae cum sociis spes iam erat, quod ad electionem venturi essent; sed, si accidisset, ut, incoepto quatriduo, aliqui venirent, ut tunc deliberaret Congregatio, an suffragium essent habituri.

Non exspectandi absentes.

P. Vicarius faciat partitionem ieiuniorum, etc.

De partitione autem ieiuniorum, disciplinarum et orationum, placuit omnibus: ut P. Vicarius illam pro suo arbitrio faceret.

27, in Ms. decr. 34.

Absolutio cui reservata sit clarius explicatur. *C. 1 d. 20 ante elec.*

Propositum fuit ultimum decretum ante electionem praedictam, et visum est: clarius debere formari, ad mo-

S. F. Borgia Praep. Gen. — 1565

dum scilicet sequentem: *Absolutio excommunicationis latae sententiae prius dictae reservetur Vicario, si ante electionem absolvi se petat qui in eam incidisset; si post electionem peteret, Praeposito Generali reservanda erit.* Hactenus de actis ante electionem.

Quibus decreta communicanda. * *Hic d. 27.* *C. 6 d. 27 n. 3. C. 16 d. 38.*

Visum est autem Congregationi: quod haec 34 * decreta possent habere singuli Electorum; et quod Provinciales etiam deberent, ut suae Provinciae Electoribus communicarent. Singuli tenentur habere, saltem quae ad informationem et electionem faciunt, ad quam, ut finem, haec acta diriguntur.

Forma decreti electionis haec fuit:

Forma decreti electionis.

Cum in plena et legitima Congregatione, collato numero suffragiorum, plusquam media pars omnium R. P. Franciscum de Borgia nominaverit et elegerit: ego Alfonsus Salmeron auctoritate Sedis Apostolicae et universae Societatis eligo praedictum R. P. Franciscum in Praepositum Generalem Societatis Iesu. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Romae, in aedibus Societatis Iesu, die 2 Iulii MDLXV.

Alfonsus Salmeron omnium nomine me subscripsi.

Ioannes de Polanco, Secretarius Societatis Iesu.

DECRETA

SECUNDAE CONGREGATIONIS POST ELECTIONEM.

Decretum 1, in manu scriptis decr. 2.

Assistentes officio defuncti Congregationi intersint cum suffragio.

De tribus Assistentibus, qui iam suo officio defuncti fuerant ipsa in electione Praepositi Generalis, actum fuit: an cum suffragio interesse deberent Congregationi: et eos quidem interesse debere decretum est. Sed quid in posterum de Assistentibus, qui exspirant, sit sentiendum; et an essent statim eligendi novi Assistentes, et Admonitor Generalis, et aliqui, ad quos referrent singuli ea, quae proponenda Congregationi viderentur, et cum qua auctoritate, in diem sequentem tractatio reiecta est.

Inf. d. 3, 20, 22.

2, in Ms. decr. 3.

Procuratores Provinciarum an adducendi ad Congregationem.

Actum fuit de Procuratoribus: an in posterum ex singulis Provinciis venire deberent: et, si venirent, an duo possent venire electi a Congregatione provinciali, vel adducti a Praeposito Provinciali. Et res est diu multumque disputata; non tamen eo die satis constituta. Unde sequenti die, scilicet 5 Iulii, denuo proposita fuerunt varia suffragia ea de re, et quod sequitur est constitutum.

Ad electionem venire tantum debent duo electi cum Provinciali. * *P. 8 c. 3 n. 1, A. C. 1 d. 3 ante elect. Inf. d. 91.*

Constitutiones * circa huiusmodi Procuratores, qui, praeter duos electos cum Provinciali ad eligendum Generalem Praepositum, mittuntur a Congregatione provinciali, vel adducuntur a Praeposito Provinciali, servandas esse: sed Congregatio sic eas interpretata est, ut, cum tantum ad electionem vocatur Societas, terni veniant ex singulis Provinciis, Provincialis cum duobus electis; nec ulli Procuratores sunt adducendi, qui suffragium habeant.

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

Ad negotia venire, praeter illos, possunt unus vel duo cum vocantur, *C. 4 d. 35.*

Quod si Praepositus Generalis, qui cogit Congregationem, vel Vicarius Generalis iudicat aliquos esse adducendos ad negotia gravia post electionem tractanda; cum id significaverit Provincialibus, tunc unus vel duo possunt ex singulis Provinciis, vel a Congregatione provinciali vel ab ipsis Praepositis Provincialibus electi, venire, et quidem cum suffragio activo et passivo, iuxta Constitutiones, si vel Coadiutores spirituales formati vel Professi trium aut quatuor votorum fuerint, non aliter.

P. 8 c. 3 n. 1, A. c. 6, B. cum suffragio, si sunt Professi aut Coadiutores formati.

3, in Ms. decr. 4.

Assistentes antiqui interesse debent Congregationi cum suffragio. *Sup. d. 1. Inf. d. 35. C. 1 d. 90.*

Agi coeptum fuerat praecedenti die: an in posterum, qui fuerint Assistentes, quorumque officium per electionem novi Praepositi Generalis exspiraverit, interesse debeant Congregationi generali, quae post electionem ad alia negotia gravia tractanda celebratur; et decretum est: ut, auctoritate ab hac Congregatione data, intersint in posterum cum suffragio generalibus Congregationibus, sive romana constituatur Provincia, sive non constituatur, sive novi eligantur Assistentes, sive non eligantur.

Ad Assistentium et Admonitoris electionem dies indicta.

Deinde actum est: an Assistentes statim eligi deberent et Admonitor Praepositi Generalis, an potius id differri in finem Congregationis oporteret; et hoc ipso die definitum est: usque ad diem festum B. Iacobi differendum id esse, et quatriduo ante informationes esse capiendas, secretas tamen, ut tunc saltem hac de re statueretur.

Inf. d. 20, 22.

4, in Ms. decr. 5.

Deputati quinque eligendi ex Provincialibus diversarum nationum.

Propositum fuerat: an aliqui essent deputandi, ad quos singuli ea referrent, quod ad negotia Provinciarum attinet, quae Congregationi proponenda viderentur, et cum qua auctoritate. Constitutum est autem: ut quinque eligerentur ex Provincialium numero, qui variis nationibus praesunt, cum ea facultate, ut unum contextum ex variis, quae suggeruntur, facerent ordine convenienti. Et, si quid videretur non pertinere ad Congregationem, sed potius ad Generalem Praepositum, admonerent proponentem: cui si persuasum non esset ut desisteret, liceret ei Congregationi proponere quod vellet; ipsa vero vel reiiceret ad Praepositum Generalem, vel de eo decerneret.

Eorum facultas. *C. 3 d. 8.*

Quid faciendum de postulatis reiectis. *Inf. d. 34.*

5, in Ms. decr. 8.

Quatuor Deputationes constituuntur: *P. 8 c. 4, 6. P. 9 c. 4, 5.*

Propositum fuit: an deputandi essent aliqui, qui Officium Vicarii, non satis in Constitutionibus expressum, conficerent et Congregationi referrent: et item alii, qui in unum corpus redigerent acta praecedentia Generalis electionem in priori et posteriori Congregatione, ita ut cuivis liceat in medium adducere, si quid habet contra illa; et statuat Congregatio generalis, an confirmari debeant, nec ne, postquam omnes audierit. Omnibus autem placuit utraque deputatio: et demandata est P. Praeposito Generali cura deputandi eos, qui ei in Domino deputandi viderentur. Ipse vero, praesente Congregatione, deputavit ad Vicarii Officium conficiendum quinque Patres, scilicet: P. Nicolaum Bobadillam, P. Nicolaum Lanoyum, P. Hieronymum Domenech, P. Petrum de Ribadeneyra, P. Ioannem de Valderrabano; et ad concinnanda acta ante electionem et de eis referendum, totidem designavit, scilicet: P. Christophorum Rodriguez, P. Guidonem Roilletum, P. Emmanuelem Lopez, P. Mar-

1\. Ad Officium Vicarii conficiendum. *Inf. d. 31. C. 1 d. 43. C. 2 post d. 93, pag. 211. C. 3, in fine.*

2\. Ad acta primae et secundae Congregationis ante electionem concinnanda et Congregationi proponenda. *Sup. d. 4 ante elect.*

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

tinum Gutierrez, P. Franciscum Enriquez. Et utrique ibidem declarati sunt.

3. Ad acta primae Congregationis post electionem examinanda.

Propositum etiam fuit: de eisdem vel aliis designandis, ut viderent, si quid esset in actis Congregationis primae generalis post electionem celebratae, quod non ab hac deberet confirmari. Et quia in Concilio Tridentino sunt quaedam, quae videntur nostris Constitutionibus aliquo modo adversari, petitum fuit: ut designarentur etiam aliqui, qui adnotarent, et expenderent, ac Congregationi proponerent ea, ut consideraret: num remedio vel declaratione aliqua opus esset. Placuit etiam Congregationi utrorumque deputatio. Et commissa est P. Generali, qui designavit ad expendenda acta post electionem et referendum de eis, septem sequentes, scilicet: P. Alfonsum Roman, P. Gasparum Loartium, P. Franciscum Adornum, P. Pontium Cogordanum, P. Paulum Hoffoeum, P. Ioannem Victoriam, P. Ignatium de Acevedo. Ad expendenda acta Concilii designavit septem alios: P. Alfonsum Salmeronem, P. Petrum Canisium, P. Hieronymum Natalem, P. Michaelem Gobiernum, P. Bartholomaeum Hernandez, P. Ludovicum a Coudreto, P. Marcum Georgium. Et utrique in eadem Congregatione publicati fuerunt.

4. Ad notanda ea, quae in Concilio Tridentino discrepant a Constitutionibus. *Vide in fine Congr. 3.*

6, in Ms. decr. 9.

Substantialia Instituti non immutanda. *C. 4 d. 26. C. 6 d. 12, 19 n. 8. C. 7 d. 35. Hic d. 16.*

Cum mentio facta fuisset de difficultatibus, quae circa Constitutiones occurrebant, placuit omnibus communi consensu: ut nihil ad substantialia Instituti nostri pertinens posset immutari, ut in secundo decreto de Constitutionibus in praecedenti Congregatione fuerat constitutum.

7, in Ms. decr. 10.

Suffragia in rebus decernendis quot requirantur. *C. 6 d. 11.*

Cum propositum fuisset et in praecedenti actione agitatum: an maior pars omnium suffragiorum, id est, quae medietatem excederet, necessaria censenda esset ad aliquid constituendum: an satis esset ad plura suffragia decernere de iis, quae proponerentur, si non essent gravissima, ut quae pertinent ad Constitutiones, et ipsum Institutum Societatis, vel ad dissolutionem admissorum Collegiorum. Die 9 Iulii omnium fere consensu definitum est: satis fore ad quidvis ex gravioribus decernendum, plus quam mediam partem eorum, qui legitime congregati sunt in generali Congregatione, dummodo non agatur de iis, quae pertinent ad substantiam nostri Instituti. De rebus minus gravibus, ad plura suffragia definire posse Congregationem.

8, in Ms. decr. 11.

Collegiorum multiplicitas et insufficiens dotatio vitanda. *P. 4 c. 2 n. 3, A. C. 1 d. 73.*

Propositum fuit: an multiplicitas Collegiorum per aliquod tempus moderanda esset, et an quaedam non satis bene constituta essent dissolvenda, nisi post certum tempus bene fundarentur iuxta Constitutiones; et an, manentibus Collegiis quibusdam, scholae saltem essent auferendae. Et, cum res per triduum disputata esset, Patribus diligenter suas sententias dicentibus, 12 Iulii sic res constituta est. In primis placuit in posterum moderationem adhiberi; et, plurimis maximique momenti rationibus in medium adductis, rogaverunt R. P. Generalem Praepositum, et serio commendaverunt, ut potius applicaret animum ad roboranda et ad perfectionem adducenda Collegia iam admissa, quam ad nova admittenda;

Moderatio in admittendis Collegiis adhibeatur. *C. 3 d. 17, 20. C. 22 d. 17.*

Quae in iis a P. Generali admittendis consideranda. *Inf. d. 47. C. 3 d. 17.*

S. F. Borgia Praep. Gen. 1565

et, si quae admittenda existimaret ex iis, quae offerrentur, eiusmodi essent, et eis in locis, et cum talibus circumstantiis, ut ad commune bonum Ecclesiae Dei magnum momentum habitura videantur; et, quoad eius fieri possit, ita dotata vel eam rerum vitae necessariarum commoditatem habentia, ut non tantum Operarii sustentari possint, sed et is etiam numerus Scholasticorum, qui pro Seminario sit eidem Collegio futurus, ut ex eo Operarii prodire possint ad id conservandum: nec admittatur, licet haec omnia suppeterent, si non haberet Societas Rectores, ac Magistros, ac demum Operarios in vita et doctrina idoneos, ut huic muneri posse satisfacere, auditis Assistentium sententiis, iudicaret, et quidem sine aliorum Collegiorum detrimento.

De non bene fundatis deliberandum.

Quod attinet ad Collegia non bene constituta, vel scholas in eis dissolvendas, visum est maiori parti Congregationis: audiendos esse eos, qui sentirent vel dubitarent aliquod tale Collegium vel scholam dissolvi debere, ut, expensis eorum rationibus, quae in scriptis dari deberent, Congregatio de singulis eorum statueret, quid facto opus esset.

9, in Ms. decr. 13.

Seminaria Nostrorum in quavis Provincia quomodo curanda. *P. 4 Prooem.*

Propositum fuit et discussum die decima tertia et decima quarta huius mensis: an deberet fieri saltem unum Seminarium Societatis perfectum in qualibet Provincia ad formandos Professores et alios, qui in Christi vinea idonei Operarii futuri essent in Humanioribus Litteris, Philosophia et Theologia, ut postea toti Provinciae sufficerent. Fuit autem constitutum: Seminaria praedicta curanda esse, ubi et quando commode fieri poterunt in quavis Provincia; sed, ubi Nostri docendi munus obituri sunt, ut paulatim, non praepropere, huic negotio promovendo darent operam.

10, in Ms. decr. 14.

Potestas Provincialium in suis Provinciis a P. Generali declaretur. *P. 9 c. 3 n. 14.*

De usu potestatis Provincialium in suis Provinciis fuit actum et decretum: ut iuxta Constitutiones nostras et rationis dictamen videatur et declaretur a P. Generali, quae sit ordinaria, omnibus Provincialibus ex aequo conferenda; quae autem extraordinaria, et pro ratione loci, temporis et personarum huic potius, quam illi, communicanda potestas: ut priorem illam omnibus, posteriorem hanc iis conferat Praepositus Generalis, quibus ad bonam gubernationem in hac vel illa Provincia convenientem fore iudicaverit.

11, in Ms. decr. 15.

Commissarii in posterum non sint nisi ad tempus a P. Generali constituendi.

Quaesitum fuit: an expediret Commissarios non fieri, nisi ex necessitate et ad tempus, et ut visitandi munere tantum fungerentur. Et decrevit Congregatio: Commissarios ad visitandas Provincias tertio vel quarto quoque anno, vel quando Praeposito Generali videbitur, et cum qua auctoritate ac iurisdictione videbitur, mittendos esse. De aliis, qui continuum et quasi ordinarium officium haberent in Provinciis remotis, censuit Congregatio, re bis consultata: non esse illos in posterum constituendos, iuxta quod in 12 decreto prioris Congregationis generalis, titulo sexto, definitum fuerat; sed, cum necessitas vel utilitas magni momenti hoc officium iudicio Praepositi Generalis requiret, pro re nata posse huiusmodi Commissarios ab eo institui; qui, cum satisfactum erit causae, propter quam instituti

Hic d. 91. Sup. d. 20 ante elect. C. 4 d. 3.

P. 9 c. 3 n. 20.

S. F. Borgia Praep. Gen. fuerant, pro eiusdem Generalis arbitrio eodem officio defungantur.

12, in Ms. decr. 16.

Mutationes personarum ab uno loco in alium quando et quomodo faciendae.

Propositum fuit et tractatum aliquot diebus: quid censendum et statuendum esset de frequenti mutatione personarum Societatis ab uno in alium locum; et quae ratio habenda esset pragmaticarum, sanctionumque regiarum in hac parte; et 18 Iulii constitutum fuit: suam legitimam potestatem ad mutationes personarum constare debere Praeposito Generali, cui Constitutiones eam tribuunt, sive ab uno in alium locum eiusdem Provinciae, sive diversae, mutari conveniat; et etiam Provincialibus intra suas Provincias; cum saepe mutationes huiusmodi, non utiles tantum ipsis, qui mutantur, vel communi bono, sed necessariae etiam prorsus existimentur. Curandum est tamen per Superiorum prudentiam, ut non sine causa alicuius momenti, nec cum detrimento eorum, a quibus aliqui removentur, tales mutationes fiant. Edicta vero regia hac in re servanda esse, et alioqui Principum habendam esse rationem, ne offendantur: et, si id timeretur, eorum consensum et satisfactionem esse ad mutationes eiusmodi procurandam.

P. 9 c. 3 n. 2, 15.

P. 9 c. 3 n. 14.

13, in Ms. decr. 17.

Collegium oropesanum non admittendum, quia non consonat Instituto.

Cum Illustrissimi D. Francisci de Toledo litterae ac postulatio proponeretur: de Collegio in oppido de Oropesa cum quibusdam conditionibus admittendo, quod hospitalis infirmorum et domus puerorum in doctrina et vita christiana instituendorum curam esset habiturum, quam hactenus tres ex Nostris in gratiam Illustrissimi Comitis de Oropesa, de Societate nostra optime meriti, aliquo modo praeter Instituti nostri rationem exercuerant; placuit Congregationi: ut huiusmodi Collegium non admitteretur. Cum enim Societatis nostrae clarissima illa domus peculiare gerat patrocinium, gratum eidem fore credebatur, si, nostri Instituti memores, quod ei non consonat recusaremus. **1565**

14, in Ms. decr. 19.

Domus Probationis in singulis Provinciis curentur institui: modus id peragendi explicatur. *C. 1 d. 127. Inf. d. 28. C. 3 d. 31.*

Propositum fuerat et consideratum aliquot diebus: an expediret in quavis Provincia Domum aliquam Probationis institui, vel coniunctam Collegio, in distincta tamen habitatione, vel separatam, in qua Novitii biennio suo exercerentur: quo tempore, non modo non adigendi essent ad vota simplicia emittenda, sed ne admittendi quidem ad ea renovanda cum aliis, licet sponte emisissent iuxta Constitutiones nostras. Placuit autem Congregationi: ut curaretur huiusmodi Domos in singulis Provinciis institui, quam cito fieri commode possent; utque biennio et bene probarentur Novitii, non litterarum, sed mortificationis ac profectus spiritualis studio vacando: in secundo tamen anno possit a Provincialibus ex commissione Generalis circa studium dispensari, habita ratione personarum, locorum et temporum, prout in Domino expedire iudicabitur. Visum est autem: non modo Novitios ad vota emittenda non instigandos esse hoc biennio, sed, si sponte emitterent, ut non simul cum aliis, qui biennium expleverunt, ad ea renovanda admittantur, sed seorsum id facerent.

P. 5 c. 4 n. 6, G. Exa. c. 1 n. 13.

Novitii biennio probandi, sed in secundo anno dispensari potest circa studia.

Novitiorum vota, intra biennium facta, seorsum renovanda. *C. 16 d. 37.*

C. 4 d. 62.

De aetate admittendorum ad probationem dubitatum fuit a quibusdam et propositum; sed visum est Congregationi: nullum decretum hac

De aetate admittendorum serventur Constitutiones. *C. 8 d. 35.*

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

de re esse faciendum, sed Constitutiones * esse servandas.

* P. 1 c. 2 n. 12.

15, in Ms. decr. 20.

Circa pecuniarum extractionem e regno vel Provincia edicta regia servanda. Inf. d. 23. C. 3 d. 16, et pag. 229.

Cum de pecuniis ex aliqua Provincia vel regno extrahendis ageret R. P. Praepositus Generalis, et ad maiorem aedificationem Principum fore diceret, si edicta regia in hac parte servarentur; approbavit Congregatio generalis eius sententiam, et statuit: circa extractionem pecuniarum edicta huiusmodi observanda esse.

16, in Ms. decr. 21.

Deputatio ad novam scribendi formulam conficiendam. Vide pag. 205.

Cum in ratione scribendi, quae in declarationibus ultimis 1 cap. viii part., litteris L, M, N continetur, licet initio Societatis perutilis fuerit, nunc gravissimae difficultates inveniantur; propositum fuit: an mutari eam oporteret et formam aliquam confici, quae Societati pro statu praesenti convenire censeretur. Et, re discussa, visum est: quaedam esse in praedicta ratione scribendi, quae modo non bene possint observari: unde remedium esse per aliquam immutationem Constitutionum in ea parte adhibendum. Et placuit designari tres, vel quatuor, vel quinque, pro arbitrio R. P. Praepositi Generalis, cui eligendi eos cura data est, qui formulam aliquam scribendi conficerent et Congregationi proponerent, ut ea decerneret, quid esset agendum. Ipse autem P. Generalis elegit tres Patres Assistentes, scilicet: P. Iacobum Mironem, P. Everardum Mercurianum, P. Benedictum Palmium cum P. Christophoro Madridio, ac P. Ioanne Polanco, Secretario, qui eam confecerunt.

Inf. d. 31, 54. C. 3 d. 33.

17, in Ms. decr. 22.

Cantus Missae et vesperarum P. Generalis iudicio relictus.

P. 6 c. 3 n. 4. C. 1 d. 39, 40. C. 3 d. 35. 36. C. 9 d. 19.

Cum de cantu Missae et vesperarum inducendo in ea loca, in quibus nondum admissus est, ageretur, tandem Congregationi placuit: ut iuxta Constitutiones et decreta praeteritae Congregationis, et habita ratione finis, quem ipsae Constitutiones intendunt, posset Praepositus illum inducere, prout expedire in Domino iudicabit, in hunc vel illum locum. Ubi autem inductus esset cantus, tam Missae quam vesperarum, si inutilis ad finem nostri Instituti et proximorum aedificationem videretur, vel deessent qui bene id munus praestare possent; commissum est P. Praeposito Generali, ut eum valeat revocare ac prohibere, si ita ei visum fuerit convenire.

18, in Ms. decr. 23.

Seminaria clericorum non admittenda.

Vide tamen C. 12 d. 26.

Quando tamen admitti possunt et quomodo.

Sed tunc Praeceptores speciales non dandi. C. 4 d. 13.

Propositum fuit: an Seminaria Episcoporum, de quibus in Concilio Tridentino est actum, admittenda a Societate nostra viderentur, si eorum gubernationem Nostris committere ipsi Episcopi vellent. Et, re satis agitata, constituit Congregatio: non admittenda videri. Si tamen fundatio perpetua et insignis huiusmodi Seminariorum ita fieret, ut simul etiam coniunctum Collegium nostrum valde promoveretur, et abundaret Societas Operariis idoneis, et libera eidem Societati gubernatio committeretur; placuit admitti posse ex dispensatione Praepositi Generalis, et non aliter. Sed, si quando admitteretur tale munus, constituit Congregatio: ut ne Praeceptores huiusmodi Seminariis darentur separati ab iis, qui in scholis nostris pro Societatis nostrae Instituto praelegunt.

19, in Ms. decr. 24.

Congregationes generales certis temporibus non cogendae.

P. 8 c. 2 n. 1, A, B.

Cum ageretur a R. P. Praeposito, de Congregatione generali, an certis et statis temporibus esset cogenda; visum est Congregationi: eius sententiam sequi, quae septimo quoque anno eam celebrandam esse censuit; hoc addito, quod si maior pars Provincialium in septimo anno iudicaret, res graves non esse, quae tractari in Congregatione debeant, differri possit in biennium; ita ut nono quoque anno ad summum celebrari debeat. Sed intercessum est et intercessio obtinuit, ne ullum certum tempus praescribatur; sed tertio quoque anno veniant simul ex omnibus Provinciis Procuratores, qui Professi quatuor votorum et viri maxime idonei sint, a Congregatione provinciali electi, et habeant ius suffragii simul cum Assistentibus et ipso P. Generali, qui duo suffragia et qualitatem praecedendi habebit, ad decernendum: an cogi debeat Congregatio generalis, nec ne.

Procuratorum Congregatio tertio quoque anno habeatur.

Inf. d. 67. C. 4 d. 7. C. 5 d. 30. C. 7 d. 9. C. 16 d. 8. C. 21 d. 10. C. 23 d. 18.

Quinam in ea ius habeant suffragii. Quale P. Generalis suffragium.

20, in Ms. decr. 25.

Assistentes ex quibus nationibus eligendi.

C. 11 d. 80, 88. Inf. d. 22. C. 6 d. 1. C. 18 d. 10. C. 20 d. 4. C. 21 d. 4. C. 22 d. 11.

Sint idonei.

P. 9 c. 5 n. 2.

C. 12 d. 5.

Cum propositum fuisset, quod ad Assistentes attinet: an ex quatuor nationibus eos eligi oporteret: ex Italia scilicet et Sicilia unum, ex Gallia et Germania alterum, ex Hispaniae Provinciis tertium, ex Portugallia et India quartum; visum est tandem: Assistentes idoneos et iis dotibus praeditos, quas Constitutiones requirunt, eligendos esse; et quidem ex quatuor nationibus, in quantum fieri posset, iuxta uniuscuiusque conscientiam.

Assistentium antiquiorum et novorum quis locus

In Con-gregatiᴜɴo.

C. 10 d. 10.

De loco autem dicendae sententiae placuit Congregationi: ut antiqui Assistentes, etiamsi suo munere iam defuncti essent per electionem novi Praepositi, inter Provinciales haberent locum, secundum ordinem et tempus suae professionis; novi vero Assistentes, qui creandi essent, si iam in Congregatione essent, ut in suis manerent locis, pro eius Congregationis tempore, in qua crearentur: statim tamen sua potestate et munere fungi inciperent in iis, quae iuxta Constitutiones eis legitime conveniunt circa P. Praepositum; nam, quod ad Congregationem ipsam attinet, nihil eos, nisi suum suffragium, ut caeteros, habere.

Novi quando munere fungi incipiant.

Assistentium electio dilata.

Sup. d. 3. Inf. d. 22.

Quia vero die 25, B. Iacobo sacra, creari debuerant iuxta praedictum decretum, res dilata est usque ad diem 28, ut informationi tempus suppeteret.

21, in Ms. decr. 26.

Universitas valentina non admissa, praesertim ob quasdam conditiones.

C. 1. d. 118.

Propositum fuit Congregationi: quod civitas valentina et alii magnae auctoritatis viri offerebant Universitatem suam, in Hispania satis celebrem, Societati nostrae, ut cum quibusdam conditionibus eius curam in se susciperet, et fere trium millium aureorum annuum reditum ad Nostrorum expensas applicandum curabant. Sed, quamvis eorum devotioni et in Societatem nostram benevolentiae gratiae habendae viderentur; id tamen onus minime subeundum esse, cum talibus praesertim conditionibus, visum; et ita non esse admittendum decretum est.

22, in Ms. decr. 27.

Admonitor sit 4 votorum Professus.

C. 1 d. 81.

Eius electioni Procuratores Provinciarum intersint.

De Admonitore Praepositi Generalis actum est in Congregatione: an necessario esse deberet Professus quatuor votorum; et an eius electioni interesse deberent Procuratores Provin-

S. F. Borgia Praep. Gen.

ciarum: et placuit fieri ea de re decretum: ut scilicet eligeretur ex Professis quatuor votorum, et eius electioni Procuratores interessent.

C. 4 d. 15. Inf. d. 85.

Assistentes ad plura medietate suffragia eligendi. Novi eliguntur: inter quos P. Araoz, absens. Sup. d. 3, 20.

Die ergo 28 Iulii, mane, cum ad plura medietate suffragia per scrutinium eligendos esse Assistentes decretum esset; in primo, pro Hispaniae Provinciis electus est P. Antonius Araoz, qui in illis Commissarius fuerat; in secundo, seorsum pro Italiae et Siciliae Provinciis P. Benedictus Palmius, Longobardiae Provincialis; in tertio, P. Everardus Mercurianus, inferioris Germaniae Provincialis, pro Galliae et Germaniae Provinciis; demum pro Portugalliae et Indiarum ac Brasiliae Provinciis P. Iacobus Miron, Portugalliae Provincialis.

Admonitor Generalis a prandio electus. C. 1 d. 81. C. 9 d. 2.

In Admonitorem autem electus ėst eodem die, a prandio, P. Ioannes de Polanco, Secretarius Societatis, simili scrutinio.

23, in Ms. decr. 28.

Bona Societati relicta in eadem Provincia distribuenda. Sup. d. 15.

Cum ageretur de distributione bonorum ex patrimoniis Fratrum nostrorum provenientium, qui, ea in subsidium Societatis dare cupientes, Praepositi Generalis iudicio dispensationem relinquunt; dixit suam sententiam R. P. Praepositus: sibi videri Constitutionem 1 cap. III part. esse servandam, expresse mentione facta illorum verborum, quae in eadem Provincia distributionem faciendam insinuant. Et visum est Congregationi id ipsum, quod P. Generali: ut scilicet talis distributio, iuxta praedictam Constitutionem et verba illa, in eadem Provincia fieret.

C. 3 d. 16. Vide tamen C. 3 post d. 48, pag. 229.

Decretum definitorum de eadem re, quod Congregatio approbavit decreto LVIII, et post praecedens, quasi eius interpretationem, poni iussit. Hic d. 41.

Constitutionum loca de bonorum distributione explicantur. Exa. c. 4 n. 1, 2, 3.

Cum facta esset interrogatio, de conciliandis et explicandis tribus locis Constitutionum, sic est constitutum. Ea, quae continentur cap. 4 Examinis, de dispositione bonorum, ita intelligenda sunt, ut instructio quaedam generalis sit et lex, qua Nostri debeant bona sua in veros pauperes distribuere, pro devotione tamen sua. Quae vero in III part. cap. 1, § 9 continentur, intelliguntur in particulari de illis bonis, quae Fratres in beneficium Societatis, sive in particulari, sive in generali distribuere pro sua devotione volunt; in quo casu, si Rectores et Provinciales, iuxta declarationem eiusdem loci, illis repraesentent perfectius esse, ut bona sua dispositioni Praepositi Generalis relinquant; tunc declaratum est: ut haec bona in eadem Provincia tantum, et non alibi P. Generalis debeat distribuere. Et ad hanc legem et intellectum, quae in IX part. cap. 3, n. 6 habentur, interpretanda sunt, si quo pacto de nostris Fratribus intelligi possunt. Quod si aliquis, imperfectionem secutus, particulari alicui Societatis nostrae loco extra Provinciam applicare sua bona velit, proponendum erit illi, ut dispositioni Praepositi Generalis relinquat, qui ea distribuet iuxta formam superius praescriptam: alias ea bona a Societate nostra non admittantur; sed ea teneatur ipse in veros Christi pauperes extra Socie-

P. 3 c. 1 n. 9.

P. 9 c. 3 n. 6.

C. 2 can. 3. C. 11 d. 21.

S. F. Borgia Praep. Gen. 1565

C. 3 d. 16.

tatem dispensare. Si vero ea alicui Collegio intra Provinciam assignaverit, sit in manu Praepositi Generalis potestas probandi eam applicationem vel improbandi. Atque in hunc quidem modum Constitutiones has posthac conciliandas, intelligendas atque observandas esse Congregatio decernit. Veneramur enim sanctam memoriam Patrum nostrorum.

24, in Ms. decr. 33.

Publica Litterarum Humaniorum lectio cum stipendio derelicta. *C. 1 d. 37, 118. C. 5 d. 29. C. 12 d. 39.*

Cum civitas perusina in lectione quadam publica Litterarum Humaniorum opera cuiusdam ex Nostris usa fuerit, et Collegio nostro perusino, loco stipendii, quod Praelectoribus huiusmodi lectionis solvi solebat, centum aureos singulis annis, pro eleemosyna tamen, non pro stipendio, solverit; actum fuit: an in posterum, quovis modo vel titulo darentur, essent admittendi. Et visum est in Domino expedire: ut nec lectionis huius munus, nec centum illi aurei in posterum admitterentur.

25, in Ms. decr. 35.

Collegium Venetiarum in Domum Professam et Domum Probationis convertendum.

Cum propositum fuisset, de Collegio Venetiarum in Domum Professorum convertendo, quandoquidem expedire videbatur, ut reditus, a Sede Apostolica ei assignati, Collegio patavino applicarentur; et utriusque fundator, R. D. Andreas Lippomanus, Prior Sanctissimae Trinitatis, eiusdem esset sententiae; placuit Congregationi: ut praedictum Collegium Venetiarum, Domus Professorum, in qua etiam Novitii probarentur, fieret; et, ut convenienti ac iusto modo id fieri posset, ut per litteras a Sede Apostolica obtentas facultas ad huiusmodi commutationem peteretur.

26, in Ms. decr. 37.

Definitores sex electi. *C. 3 d. 18.*

Actum est etiam: an Definitores eligi deberent ad res determinandas, quas eis Congregatio commisisset: et placuit sex numero eligi, et die sequenti per scrutinium ad plura suffragia electi fuerunt tres Patres novi Assistentes, et praeterea PP. Alfonsus Salmeron, Hieronymus Natalis et Michael Torres.

27, in Ms. decr. 39.

In Collegiis plures non sint, quam ali possint. *C. 3 post d. 48. C. 7 d. 82 n. 1. C. 8 d. 60. P. 4 c. 2 n. 6.*

Cum tractaretur: an Collegia Societatis plures habere collegiales deberent, quam possent alere, placuit Congregationi fieri decretum ea de re, et statui: ne plures teneantur, quam ali possint, sive ex reditibus, sive ex eleemosynis alendi sint.

28, in Ms. decr. 40.

Commissa Deputatis: Regulae contrahendae, *Inf. d. 57.* Admonitiones P. Natalis, *C. 1 d. 51. Inf. d. 42, 57. C. 4 d. 34.* Casus reservati. *Inf. d. 60.* Deputati ad formam pro Domibus Probationis conficiendam. *C. 1 d. 127. Sup. d. 14. C. 3 d. 31.*

Cum ageretur de contrahendis Regulis in minorem numerum; et de admonitionibus P. Natalis in Hispania et alibi relictis in manu Provincialium retinendis; de casibus etiam reservatis, an scilicèt tantum mortalia externa ea esse deberent: Congregatio id totum Definitoribus commisit. Ad conficiendam etiam formam, quae in Probationis Domibus tenenda esset, deputati fuerunt PP. Ioannes Plaza, Provincialis Baeticae, Ioannes Suarez, Provincialis Castellae, Bartholomaeus Bustamante, Doctor Ignatius, Franciscus Costerus et Ruiz.

29, in Ms. decr. 41.

Tempus orationis augere P. Generali permittitur. *C. 1 d. 97. C. 4 d. 5.*

Actum fuit, et per aliquot dies disputatum, de augendo tempore orationis, quod in Constitutionibus, iv part. cap. 4, praefigitur; et placuit tandem Congregationi: ut P. Praepositus Generalis pro sua prudentia possit id

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

augere, prout expedire in Domino iudicaverit, habita ratione personarum, regionum, etc.

30, in Ms. decr. 42.

Commissa Definitoribus: De doctrina christiana edocenda, et de beneficiis curatis relinquendis. *C. 1 d. 188. C. 1 d. 124.*

Cum de doctrina christiana edocenda, et de examinandis beneficiis curatis, quae Collegiis nostris paucis in locis unita sunt, et relinquendis ageretur: res est Definitoribus cum P. Generali commissa.

Recessus aliquorum Patrum in suas Provincias.

Eodem die, cum ex causis gravibus P. Edmundo, Provinciali Aquitaniae, cum socio P. Claudio recedendum in suam Provinciam videretur; placuit Congregationi, id P. Praeposito Generali committere. Idem de P. Fulvio Androtio, Ferrariae Rectore, et de P. Hieronymo Rubiola, Senarum Rectore, propositum fuit; et similibus ex causis eidem P. Generali commissum. Unde in suas Provincias recesserunt.

31, in Ms. decr. 43.

Commissa Definitoribus examinanda: Formula scribendi, * *Hic d. 16. Inf. d. 54.* quorumdam Collegiorum dissolutio,

Propositum fuit Congregationi generali, de formula scribendi, prout superius decreto 21 * constitutum fuerat; de Collegio etiam Artium conimbricensi, de bragantiensi, portuensi et septimancensi retinendis aut dissolvendis, rationibus utrimque in scripto adductis, actum est. Et Congregationi placuit: Definitoribus ea omnia decidenda committi. Tantumdem est factum de Officio Vicarii a Deputatis confecto.

Officium Vicarii. *C. 1 d. 43. Sup. d. 5. Inf. pag. 211.*

32, in Ms. decr. 46.

Intercessio a decretis Definitorum permissa. *C. 1 d. 9. C. 7 d. 87.*

Cum legerentur decreta quaedam a Definitoribus confecta, dictum fuerat: si quis haberet aliquid contra ea, ut ageret apud Definitores; a quibus, si ei non satisfieret, posset intercedere. Sed 19 die Augusti, cum urgeretur tractatio dissolutionis Congregationis propter varias causas ad commune Societatis bonum pertinentes, tandem placuit: ne dissolveretur usque ad finem mensis huius; sed ut infra biduum omnes afferrent, quae proponenda iudicarent, ad Definitores, ut secernerent ea, quae ad P. Generalem pertinent, ab his, quae ad Congregationem; ut, quae ad hanc spectarent, ad ipsam referrentur, ut vel per se statueret, vel Definitoribus rem committeret. Intercessio vero, sive una sive duae fierent, ut terminarentur a Congregatione generali in iis, quae attinent ad Constitutiones vel ad magna Collegia dissolvenda; in aliis vero, a Definitoribus.

Congregationis dissolutio ad finem mensis dilata. *Inf. d. 39, 45. C. 3 d. 18. C. 4 d. 29.*

Quae intercessiones a Definitoribus, quae a Congregatione terminandae.

33, in Ms. decr. 48.

Bona immobilia in Domibus Professis habere non licet, etiam post Concilii Tridentini concessionem.

Cum Concilium Tridentinum sess. xxv, cap. 3 de Regularibus, facultatem dederit omnibus Religiosis, exceptis Observantibus Minorum et Capuccinis, habendi bona immobilia in communi, non obstantibus quibuslibet Constitutionibus eorum; propositum fuit Congregationi: an, restringendo sanctam paupertatem, placeret cedere iuri cuicumque ad habenda bona immobilia in Domibus Professorum, quod ex decreto Concilii praedicto nobis esset acquisitum. Et placuit magno consensu Patribus: ut cederemus cuicumque iuri ex Concilio nobis provenienti; et iuxta nostras Constitutiones et vota, quae post professionem emittuntur, paupertatem in Professis ac ipsorum Domibus retineremus: et ita cesserunt totius Societatis nomine.

P. 6 c. 2 n. 2. C. 7 d. 50, 51.

34, in Ms. decr. 50.

Reiici a Definitoribus

Actum fuit: an aliqua ex iis, quae sunt a quibusdam proposita, non Pro-

S. F. Borgia Praep. Gen. | 1565

vinciarum aut Collegiorum, sed suo privato nomine, reiici possent a Definitoribus, si viderentur reiicienda potius, quam tractanda. Et responsum est: audito proponente, reiici posse; de iis loquendo, quae ad hanc Congregationem pertinerent.

quomodo possunt privato nomine proposita. Sup. d. 4. C. 1 d. 13.

35, *in Ms. decr.* 51.

Assistentium et Admonitoris officia durant usque ad novi Generalis electionem. C. 1 d. 90.

Propositum est etiam: an Assistentium et Admonitoris officia durare oporteret usque ad Congregationem generalem futuram, an quamdiu Generalis ipse Praepositus viveret. Et decrevit Congregatio: praedicta officia usque ad novi Generalis electionem esse duratura.

36, *in Ms. decr.* 52.

Provinciarum institutio Generali quomodo facienda. C. 1 d. 108. C. 4 d. 6.

Actum est praeterea: an expediret nullo modo multiplicari Provincias sine Congregatione generali. Et visum est Congregationi: Provinciarum institutionem, iuxta decretum prioris Congregationis generalis, Praeposito Generali relinquendam esse; qui tamen, non nisi re diligenter considerata et cum Assistentibus communicata, novas Provincias instituere ad commune Societatis bonum deberet.

37, *in Ms. decr.* 54.

Litterae quadrimestres in annuas convertendae. P. 8 c. 1, N. Inf. d. 48.

Propositum fuit: an litterae quadrimestres, quae iuxta Constitutiones scribi ac mitti deberent, in semestres, an potius in annuas essent convertendae. Et placuit Congregationi: ut in annuas converterentur.

38, *in Ms. decr.* 55.

Decretum Definitorum de bonorum distributione approbatur. Inf. d. 41.

Actum fuit, de declaratione trium locorum: 4 cap. Examinis, et 1 cap. III part., ac 3 cap. IX part., de distributione bonorum in usum Societatis. Et decretum a Definitoribus factum Congregationi placuit. Sed intercessit P. Gutierrez.

Intercessio.

39, *in Ms. decr.* 56.

Definitorum potestas etiam post Congregationem prorogata, quibusdam rebus exceptis. Hic d. 32. Inf. d. 45.

Cum urgeret superioris Germaniae Provincialis, suo et complurium Provincialium nomine, ut hoc mense Congregatio generalis dissolveretur iuxta decretum 46; visum est Congregationi: ut ad 3 diem Septembris finiretur, et sine alio decreto ea de re faciendo dissoluta Congregatio censeretur. Et, si quae nondum absoluta remanerent, dummodo ad Constitutionum innovationem vel abrogationem non pertinerent, vel ad magnorum Collegiorum dissolutionem, ab ipsis Definitoribus intra octo dies consequentes post dissolutionem Congregationis absolverentur; apud quos liceret intercedere.

Vide tamen inf. d. 45.

40, *in Ms. decr.* 57.

Nostri aulas Principum aut Dominorum, nisi ad breve tempus, ne sequantur. C. 5 d. 48. C. 6 d. 21. C. 7 d. 13.

Cum propositum esset: an Illustrissimo Cardinali Augustano Theologus nostrae Societatis dari posset, qui eius confessiones audiret et aulam sequeretur; visum est Congregationi: nec Principibus nec Dominis aliis saecularibus aut ecclesiasticis assignari debere aliquem ex nostris religiosis, qui aulas eorum sequeretur et in eis habitaret, ut Confessarii vel Theologi, aut alio quovis munere fungeretur; nisi forte ad perbreve tempus unius vel duorum mensium.

41, *in Ms. decr.* 58.

Loca Constitutionum conciliata de bonorum distributione.

Post secundam intercessionem, circa decretum de conciliandis tribus locis: in cap. 4 Examinis, et in 1 capite III part., et in 3 IX part., de distributione bonorum; placuit decretum, quod afferebatur; et statim post 28 ponendum esse, quasi eius interpre-

Hic d. 28, pag. 200.

S. F. Borgia Praep. Gen. tationem, visum est. Et, cum nova intercessio fieret, non placuit eam admitti.

42, in Ms. decr. 60.

Scholia P. Natalis non obligant. *C. 1 d. 51. Sup. d. 28. Inf. d. 57. C. 4 d. 34.*

Cum intercessisset aliquis Patrum circa scholia P. Natalis, quod attinet ad auctoritatem aliquam, quae ipsis tribui debere insinuabatur; placuit Congregationi: ut praedicta scholia, prius a R. P. Generali et a designatis ad eorum inspectionem examinata, amplecteremur pro directione tantum et sine ulla obligatione.

43, in Ms. decr. 61.

Cuiusdam decreti emendatio P. Generali commissa. *Hic d. 23, pag. 200.*

Verba quaedam addita in decreto post 28 ponendo, ubi dicebatur: *Si aliter intellexerunt*, etc., actum est: an mutari deberent, et illorum loco dici: *Si aliter intellexissent, vel dispensandum censuissent;* et visum est Congregationi: R. P. Generali committendum esse, ut circa illorum verborum immutationem faciat quod in Domino expedire iudicaverit.

44, in Ms. decr. 62.

Decretum quoddam Definitorum reiectum.

Cum a Definitoribus decretum proponeretur Congregationi, quo in futurum constituebatur: ut statim post electionem Generalis octo Definitores eligerentur, ac deinde Assistentes et Monitor; intercessit quidam ex Patribus, et visum est decretum non esse admittendum.

45, in Ms. decr. 63.

Congregatio et Definitorum potestas exspiret die 3 Sept. * *Hic d. 39.*

Intercessit aliquis ex Patribus circa decretum 56, * de dissolutione Congregationis; et visum est, quod hodie, id est 3 Septembris, simul Congregatio et Definitorum potestas deberet exspirare. Unde, si quid expediendum esset, hoc ipso die expediri oportere, vel ad Generalem Praepositum aut aliam Congregationem reiici. 1565

C. 3 d. 32.

46, in Ms. decr. 64.

Canones secundae Congr. approbati; primae Congr. commissi. *C. 3 d. 9, 33.*

Lecti fuerunt et approbati canones ex decretis huius Congregationis extracti, et P. Generali cum Definitoribus fuit commissum: ut etiam ex actis prioris Congregationis similiter canones ad praxim pertinentes extraherentur, eo ordine numerorum et ea cum distinctione, quae ipsis videretur. Reliqua vero acta utriusque Congregationis bene servanda esse, quamvis canones hi communius circumferantur.

C. 4 d. 51. C. 5 d. 66. C. 6 d. 47.

Acta utriusque Congr. bene servanda, canones communius circumferendi. *C. 6 d. 27 n. 3.*

47, in Ms. decr. 65.

Confirmatur P. Generalis potestas ad Collegia admittenda. *Sup. d. 8. C. 3 d. 17, 20. C. 5 d. 69. C. 11 d. 16.*

Quia de quibusdam Collegiis admittendis actum est elapsis diebus, ad quod facultas penes Generalem est; placuit Congregationi declarare: quod per huiusmodi decreta non intendit minuere ullo modo facultatem Generalis Praepositi.

48, in Ms. decr. 66.

Catalogi, non ter, sed semel in anno mittendi. *Sup. d. 37.*

Licet in Constitutionibus, declar. litt. N in 1 cap. VIII part., quarto quoque mense catalogi mittendi dicantur; visum est Congregationi: satis fore, si semel singulis annis ordinarie mitterentur cum informatione.

49, in Ms. decr. 67.

P. Generalis Domus romanae est Praepositus. *Inf. d. 73. C. 4 d. 28.*

Propositum est: an R. P. Generalis Praepositus, huius romanae Domus Praepositus particularis esse deberet, nec ne: et placuit Congregationi pars affirmativa.

50, in Ms. decr. 68.

Electores Vicarii sint minimum sex. *Vide tamen C. 6 d. 27 n. 1.*

Cum ageretur de numero eorum, qui ad electionem Vicarii Generalis

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

necessarii viderentur, constitutum est: ut minimum, sex eos esse debere.

51, in Ms. decr. 69.

Decreta I et II Congr. ante electionem emendata confirmantur. *C. 3 d. 4.*

Cum ex decretis praecedentibus primam et secundam electionem unum corpus auctoritate Congregationis confectum esset, et quaedam emendata, placuit eidem Congregationi: ut ea confirmarentur; ita saltem, ut ad primam Congregationem vim haberent.

C. 1 d. 115.

52, in Ms. decr. 70.

Versio latina Constitutionum cum textu hispanico conferenda et emendanda. *C. 1 d. 79. C. 3 d. 26, 34. C. 4 d. 8, 33, 50. C. 5 d. 76. C. 23 d. 27.*

Petitum est: an deberet R. P. Praepositus committere aliquibus, ut conferrent translationem Constitutionum latinarum cum hispanico textu, et iuxta illius veritatem emendarent, ubi emendatione opus esset. Et placuit Congregationi, ut id fieret.

53, in Ms. decr. 71.

Facultas ineundi contractus, sed non omnes, est penes Vicarium.

Cum proponeretur: an Congregatio generalis vellet dare Vicario Generali pro tempore futuro facultatem ineundi contractus in iis, quae commode non possunt electionem Praepositi Generalis exspectare; placuit facultatem huiusmodi Vicario concedi, nisi cum ageretur de vendendis vel alienandis bonis stabilibus ipsius Societatis.

C. 4 d. 36.

SEQUUNTUR DECRETA PER DEFINITORES CONFECTA ET A CONGREGATIONE GENERALI APPROBATA.

54, in Ms. decr. 73.

Formula scribendi. * *Hic can. 28.* * *Hic d. 16.*

Constitutum est: ut 12 * canoni adderetur forma scribendi, quae sequitur: hic 12 canon ex 21 * decreto desumptus est:

FORMULA SCRIBENDI.

Sup. d. 16, 31. C. 3 d. 33. P. 8 c. 1 n. 9, L, M. N.

Quaedam sunt in ratione scribendi, quae in declarationibus 1 capitis VIII partis continentur, quae modo bene observari non possunt; unde remedium per aliquam immutationem Constitutionum in ea parte adhibendum est.

Litterae aedificationis.

Litterae ad aedificationem spiritualem scribantur a singulis Rectoribus et Praepositis localibus semel in anno; et illarum tot fiant exempla, quot nationes a R. P. Generali designatae fuerint.

Superiorum localium litterae ad Provincialem.

Rectores et Praepositi locales scribant singulis hebdomadis ad suum Provincialem in Europa, iuxta Constitutiones: in India vero et Brasilia, ut suis Provincialibus visum fuerit commodum et opportunum.

Litterae eorum qui in missionibus versantur et earum responsa.

Missi autem ad fructificandum in agro Domini, scribant ad eum, quem designaverit ille, a quo missi sunt, singulis hebdomadis, vel quoties ipsis fuerit praescriptum. Et illis quidem rescribant sui Superiores semel in mense, iuxta Constitutiones: his vero respondebitur, quoties iudicaverit is, qui illos misit.

Provincialium, Rectorum et Praepositorum localium litterae ad Generalem.

Provinciales omnium Provinciarum Europae scribant ordinarie ad P. Generalem semel quolibet mense. Rectores autem et Praepositi locales tertio quoque mense ad eumdem scribant. Ita tamen haec accipiantur, ut extraordinarie possint scribere, quoties necessitas urgebit. Provinciales vero Indiae et Brasiliae scribant Praeposito Generali quando se obtulerit navigationis commoditas. Rectores autem et Praepositi locales ex Indiis semel, ex Brasilia vero bis in anno, si sese obtulerit occasio.

Quando rescribet Generalis.

Praepositus Generalis ad Provinciales rescribet secundo quoque men-

S. F. Borgia Praep. Gen.

se; ad Rectores vero et Praepositos locales sexto quoque mense, nisi aliqua necessitas prius ad respondendum suadeat.

De quibus, quomodo et quando scribendum statuat P. Generalis.

Reliqua, quae spectant ad res, de quibus scribendum est, ad modum, et ad quale anni tempus annuas litteras scribere debeant, hoc totum P. N. Generali relinquitur, ut ipse pro sua prudentia statuat, quid facto opus sit.

Catalogorum scribendorum ratio.
P. 8 c. 1, N.

Rectores Collegiorum et Praepositi locales catalogum Patrum ac Fratrum conficiant, et informationem communem semel in anno ordinarie, et ad suos Provinciales mittant, qui illos ad Praepositum Generalem mittent. Materia vero et modus conscribendi hos catalogos a P. N. Generali praescribatur.

Serventur etiam de his Constitutiones.

In reliquis, quae hic non attinguntur, observentur Constitutiones, quae tamen propterea non expungantur, donec id definierit proxima futura generalis Congregatio, etiam si executio et praxis iuxta decreta haec sit observanda.

55, in Ms. decr. 74.

Lites forenses Nostris fugiendae.
C. 16 d. 81.
P. 6 c. 3 n. 7.

Lites forenses, pro rebus praesertim temporalibus, fugiant Nostri omnes, et id curent Provinciales efficere; ac primum compromissione rem adnitantur componere. Quod si nulla ratione id possint assequi, tamen non intendat quisquam e Nostris litem huiusmodi, nec omnino litem aliquam, absque consensu Praepositi Generalis, aut eius, cui expresse suas vices ad hanc rem ille commiserit. Nostris autem si lis intendatur, curent Provinciales primum, vel a parte vel a Iudice peti, vel id consequi per Principem, ut prius possit consuli Generalis Praepositus, quam liti respondere cogantur; nam fieri poterit, ut Generalis Praepositus iubeat cedere Nostros liti, et potius detrimentum temporale pati, quam litibus dare operam, etiam pro re alioqui debita. 1565

Si Nostris lis intendatur quid faciendum.

56, in Ms. decr. 75.

Eleemosynae qua moderatione petendae: quae item cavenda.
P. 3 c. 1 n. 9.
Sup. d. 23.
P. 6 c. 2 n 6, 10.

Quamvis autem ex eleemosynis vivat Societas, et opus bonum sit eleemosyna Societati collata, atque ad bona omnia inducere quosvis possimus; tamen, ad maiorem aedificationem et paupertatis nostrae sinceritatem et puritatem, placuit praecipere Nostris omnibus, ut nulli externo suadeant, nam de Nostris in Constitutionibus et decretis dictum est, ut nobis potius quam aliis pauperibus dent eleemosynas; sed contenti simus, ubi petimus quotidianas eleemosynas, illas simpliciter ac plane amore Dei petere. Ad donationes vero quascumque sive legata, simpliciter etiam et plane possimus nostras necessitates tantum explicare; definitionem tamen eius devotioni relinquamus, a quo petimus has etiam eleemosynas; ac proponere tantum illi possimus, ad orationem et alia media ut accurrat, quibus possit de donatione vel legato constituere iuxta id, quod ipsi Dominus inspiraverit et ratio recta suaserit.

57, in Ms. decr. 76.

Summarium Constitutionum conservandum.
C. 8 d. 27.
Regulae quaenam examinandae et contrahendae.
C. 1 d. 133.
Sup. d. 28.
C. 8 d. 2.

Regulae generales, quae incipiunt: *Summa Sapientia,* integrae conserventur; reliquae vero et examinentur et, quoad eius fieri poterit, breviores fiant. Verum earum ratio habeatur, quas certo constiterit esse a R. P. N. Ignatio editas, si tempori consentaneae, et bono universali utiles esse censebuntur. Praecipue vero regulae officiorum Provincialis, et Rectoris, aliorum etiam Officialium examinentur et contrahantur. Admonitiones autem

Admonitiones P. Natalis Provincialibus sint directioni. *Sup. d. 28. C. 4 d. 34.*

P. Natalis, ab ipso expurgatae atque in ordinem redactae, Provincialibus a R. P. Generali tradantur, ut illis pro sola directione, nulla interim obligatione obstricti, utantur.

58, in Ms. decr. 77.

Doctrina christiana ab iis docenda, qui ad gradum promoti: explicatur. *P. 5 c. 3,* B. *C. 1 d. 138.*

Hoc exercitium maxime commendatur. *Inf. d. 65.*

Quivis Professus quatuor vel trium votorum, quivis etiam Coadiutor spiritualis formatus, post editam professionem vel vota simplicia, intra annum, per quadraginta dies continuos vel interpolatos doctrinam christianam pueros atque rudes personas docere teneatur. Praeterea vero hoc tam sanctum exercitium visum est admodum R. P. Generali commendandum; ne ullo umquam tempore illius oblivio in nostros animos irrepat, cum illud in votorum nostrorum formula complectamur. Curet itaque idem R. P. Generalis, ut Nostri frequentius, quemadmodum ipsi in Domino expedire visum fuerit, in hoc tam pio opere exerceantur.

59, in Ms. decr. 78.

Beneficia curata non admittenda. *C. 1 d. 134, 136, 139, 140. Sup. d. 30. C. 5 d. 19.* Admissa examinentur et quod expediat decernatur.

P. 4 c. 2 n. 4.

Quod ad unionem beneficiorum, quae curam animarum habent, pertinet, definitum est: ut in futurum non admittantur; admissa vero ac unita huiusmodi beneficia, auditis eorum sententiis, qui de his cum Definitoribus quidquam agere voluerint, examinentur; ut tandem, quod pro maiori omnium aedificatione conveniat, decernatur.

60, in Ms. decr. 79.

Casus reservati retineantur: explicandi: declaratio spectat ad Praep. Gen. *Inf. can. 4. Sup. d. 28.*

P. 3 c. 1 n. 11. Vide tamen Ord. Gen. c. 5 n. 3. C. 20 d. 24.

Casus reservati, qui a R. P. Laynez editi sunt, retineantur. Visum tamen est: ut septimus, undecimus et duodecimus explicatius traderentur, ut, quod alioqui intelligi necessum erat, facilius intelligatur. Declaratio vero casuum et ampliatio vel restrictio spectat ad R. P. N. Generalem. De nono autem casu, videlicet, *confiteri externo Sacerdoti,* etc. iudicium commissum est P. Generali.

61, in Ms. decr. 80.

Negotiatio Nostris prohibita. *P. 6 c. 3 n. 7. C. 7 d. 34.*

Omnia, quae speciem habent saecularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, et similibus, intelligantur prohibita esse Nostris.

62, in Ms. decr. 81.

Concionatores et Confessarii sint idonei: detur ipsis peculiaris instructio. *C. 6 d. 38. C. 7 d. 80 n. 8-10. C. 23 d. 29.*

Comp. Privil. n. 447, 449.

Curabit P. Generalis, ut, qui sunt e Nostris concionaturi publice, qui etiam confessiones audituri, hi sint ad ea munera obeunda sufficienter instructi; hoc enim ad eius administrationem attinet; tum etiam illud, ut communicetur Concionatoribus et Confessariis peculiaris instructio. Et tamen visum est: retinendum esse privilegium a Sede Apostolica concessum, ut Nostri possint concionari, etiamsi non sint ad ordines promoti.

63, in Ms. decr. 82.

De votorum obligatione.

C. 1 d. 94.

De obligatione votorum simplicium, praesertim castitatis, difficultati, quae offerebatur, responsum est: esse servandum decretum actorum posteriorum primae Congregationis.

64, in Ms. decr. 83.

Renovatio votorum quando facienda designet P. Generalis.

P. 4 c. 4 n. 5, D.

Quamvis in Constitutione, cap. 4 part. iv designentur festa Paschae ac Nativitatis Domini, quibus renovent vota Scholastici; tamen, cum colligi possit ex declaratione eius loci, potestatem esse in Superiore Rectoris immediato in aliquo particulari casu mutandi illa festa; facile interpretari possumus, in Generali Praeposito esse facultatem in universum illa festa

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

mutandi; quod traditio universalis, a tempore ipsius N. P. Ignatii usu et consuetudine hactenus corroborata, confirmat.

65, *in Ms. decr. 84.*

Doctrina christiana a Rectoribus quando et quomodo docenda.
P. 4 c. 10 n. 10, K.

Rectores, cum teneantur ex Constitutione et declaratione 10 cap. IV part. doctrinam christianam legere vel docere per quadraginta dies per se vel per alium; expositum est: id debere praestari intra annum, postquam officium Rectoris inierint, continenter quadraginta diebus vel interpolatim: primo quidem, quemadmodum solent doceri pueri; deinde, etiam per conciones, si ita Superior censuerit. Praeter illum annum, eodem quidem nomine non tenebitur Rector, sed alio poterit communi, ut in superiori quodam decreto definitum est de Professis et Coadiutoribus formatis.

Sup. d. 58.

66, *in Ms. decr. 85.*

Quae regulae publice legendae.
P. 4 c. 10 n. 10, L.

Ex declaratione cap. 10 paragrapho ultimo IV part. colligitur, illas intelligi Constitutiones esse legendas, quae sunt propriae Scholasticorum nostrorum: illae vero cum contineantur in regulis Scholasticorum, fit ut illae regulae sint legendae publice bis aut ter singulis annis; eas autem curabit P. Generalis, si opus fuerit, emendandas.

67, *in Ms. decr. 86.*

Congregationes provinciales et Procuratorum quando cogendae.
** P. 8 c. 2, B.*
** Sup. d. 19.*
C. 4 d. 7.
C. 5 d. 30.
C. 7 d. 9.
C. 16 d. 8.

Congregationes provinciales fiant iuxta Constitutiones, * ad eligendos eos, qui suffragium sint habituri in generali Congregatione; fiant praeterea iuxta decretum * huius Congregationis generalis tertio quoque anno ad Procuratores eligendos, qui destinandi sunt ad P. Generalem, etc. Alias censemus non esse cogendas huiusmodi provinciales Congregationes.

C. 21 d. 10.
C. 23 d. 13.

68, *in Ms. decr. 87.*

Rectoribus non designandum triennium ut Provincialibus.
P. 9 c. 3 n. 14, I.
C. 5 d. 35.
Comp. Privil. n. 526.

Ut triennium designatum est Provincialibus, quo officium gerant suum, ut habetur 3 cap. IX part. Const., non videtur similiter agendum in Rectoribus, nec addendum propterea ad Constitutiones, quae de hoc nihil decernunt.

69, *in Ms. decr. 88.*

Breves cursus Artium non instituendi.
P. 4 c. 15 n. 2, 3.

Quaenam Coadiutorum spiritualium studia.
P. 4 c. 5, D.
Vide tamen C. 21 d. 16.

Visum est non expedire, ut breves cursus Artium vel Theologiae instituantur: sed, si quis in Coadiutorem spiritualem instituendus fuerit, is Humaniorum Litterarum studio et compendio Dialectices contentus sit; quibus studiis intructus, Casus conscientiae audire poterit.

70, *in Ms. decr. 89.*

Ad quas facultates in Universitatibus nostris licet promovere.
P. 4 c. 15 n. 4.

Non probatur, ullum ad aliquam in nostris Universitatibus facultatem esse promovendum, quam Nostri non profiteantur.

71, *in Ms. decr. 90.*

Collegia non sufficienter dotata qua ratione retinenda.
C. 3 d. 43.
C. 6 d. 18.
P. 4 c. 2 n. 2, 6.

Si qua Collegia sint hactenus absque sufficienti dotatione fundata, in quibus Nostri nec legant, nec Scholasticos alant, poterunt tamen illa hac ratione retineri, si ex fructibus videlicet eorum, per publicam aliquam personam conservatis, detur opera, ut plene fundentur, quemadmodum de Collegio maioricensi potest dici. Nostri tamen interim bonis illis non utantur, sed ex eleemosynis vivant, ac simul dent operam, ut praedicta Collegia sufficienter etiam aliunde dotentur.

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

72, in Ms. decr. 91.

Quod examen promovendorum ad ordines et beneficia Nostris permitti potest.

Quemadmodum hactenus factum est in quibusdam locis, ut Nostri ita examinent ad ordines promovendos, aut curae animarum, verbo Dei vel confessionibus audiendis praeficiendos, ut simul iudicium ferant de illorum sufficientia et admissione, ita de caetero ne fiat: quandoquidem iudicamus, non esse consentaneum nostro Instituto. Quod si examinandi ministerium effugere nulla ratione possumus; illud tamen retineamus, ut iudicium de admittendis vel non admittendis non feramus, sed illud omnino Praelatis relinquamus; possit tamen dispensare R. P. Generalis, ubi hoc utile et expediens esse in Domino iudicaverit.

Vide tamen C. 4 d. 63.

73, in Ms. decr. 92.

Generalis sit Praepositus Domus romanae. *P. 9 c. 6 n. 5. Sup. d. 49. C. 4 d. 28.*

P. Generalis erit Praepositus Domus romanae, et habebit Ministrum et alios Officiales, quorum opera utetur ad gubernationem particularem eiusdem Domus.

74, in Ms. decr. 93.

Assistentes ne distrahantur a suo officio. *P. 9 c. 5 n. 2, A. c. 6 n. 10, F. C. 4 d. 32.*

Assistentes vero officio sibi a Congregatione generali commisso incumbant, iuxta Constitutiones, nec aliis occupentur ministeriis, quibus a suo officio avocentur vel impediantur.

75, in Ms. decr. 94.

Procuratores Indiae et Brasiliae quando et quomodo admittendi in Congr. gen. *C. 4 d. 41.*

Si contigerit Procuratores electos ex Provinciis Indiae et Brasiliae in Europa esse, quando fit Congregatio generalis, ad quam venire possint; hi intersint Congregationi pro suis Provinciis. Qui quidem, si sint Professi quatuor votorum, et non solum electi a suis Provinciis ut Procuratores, sed etiam ut suffragium hic possent habere in electione Generalis Praepositi; tunc hi possunt etiam admitti, ut in dicta electione habeant suffragium. Quod si non adfuerint quando fit Congregatio generalis, tunc potest eligi unus Procurator tantum pro India et Brasilia a Provincia Lusitaniae, quemadmodum hactenus factum est.

Quando substituendi.

76, in Ms. decr. 95.

De arbitris ad bonorum distributionem serventur Constitutiones: difficultatibus, si quae sunt, occurrat P. Generalis. *Exa. c. 4 n. 3, A.*

Propter difficultatem, quae ingeri alicui possit ex ultima parte 3 § cap. 4 Examinis, ubi consulendi praescribuntur aliqui ob bonorum distributionem in cognatos, etc., non censemus immutandam esse illam Constitutionem; sed occurrendum scandalis et sinistris opinionibus, si quae ortae sunt vel oriri possint propter rei ignorantiam vel exsecutionis praxim. Id vero diligenter curabit R. P. N. Praepositus Generalis.

77, in Ms. decr. 96.

Sacerdotes e Societate dimissos Episcopi alere non tenentur. *C. 7 d. 8.*

Quod attinet ad ordinationem Nostrorum, qui non sunt Professi, nulli videtur dari causa iustae quaerelae, quandoquidem nos utimur iure nostro. Quod si Nostros ordinatos contingat expelli a Societate, tamen non tenebuntur eos Episcopi alere, cum, qui ordinantur ex Societate nostra, cesserint suo iuri in ordinatione; ordinantur enim ad titulum voluntariae paupertatis.

78, in Ms. decr. 97.

Arcula pro eleemosynis in ecclesiis nostris non proponenda.

Omni cura, labore et diligentia curemus, ne arcula aliqua proponatur in nostris ecclesiis ad eleemosynas accipiendas pro aliis, cum pro nobis tam sit necessarium eas poni non posse, ut non rem tantum evitemus, quae nobis prohibita est, sed rei illius omnem speciem. *P. 6 c. 2 n. 8.*

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

79, in Ms. decr. 98.

De libro actorum Congregationis. De decretis in Congregatione legendis, etc. *C. 14 d. 27. C. 23 d. 43 n. 4.*

Librum habeat Secretarius Congregationis, in quo quae confirmata erunt decreta contineantur: et ea quidem ante dissolutionem Congregationis simul leget in plena Congregatione Secretarius, et sua manu subscribet, et sigillo Societatis muniet.

80, in Ms. decr. 99.

De Secretario electionis et Congregationis. *C. 1 d. 14 ante elect. C. 2 d. 22, 24 ante elect. C. 3 d. 2 ante elect. C 10 d. 7. C. 18 d. 11 n. 1, 3.*

Secretarium eliget Congregatio ante Generalis electionem, non solum qui electioni ipsi subserviat, sed qui congregationibus et actis, si quae fient ante electionem. Post electionem autem, vel eumdem ad illas congregationes et acta confirmabit, vel alium eliget. Horum officium terminabit finis electionis vel Congregationis.

81, in Ms. decr. 100.

De duobus sociis Secretarii Congregationis.

Eligendi praeterea a Congregatione videntur duo Patres eiusdem Congregationis ad suffragia enumeranda et conficienda decreta cum Secretario Congregationis.

82, in Ms. decr. 101.

Procurator, Provinciales, Commissarii et Praep. Gen. a quibus alendi. *P. 4 c. 2,* E, F.

Procuratorem, qui negotia agit cum externis vel Romae vel alibi, alere debent ii, quorum negotia agit. Provinciales vero, Commissarios, Generalem etiam ipsum alet ea Domus vel Collegium, ubi erunt; quibus, quando in itinere sunt, expensas facient ii, quibus erit bono illud iter; si tamen pro Societatis gubernatione vel negotiis iter faciant.

83, in Ms. decr. 102.

Expensae Sollicitatoris, Advocati, etc. a quibus solvendae.

Pro Sollicitatore, pro Advocato, pro Procuratore et aliis officialibus externis, si quid praeterea ad actionem vel expeditionem alicuius negotii, vel litterarum apostolicarum vel regiarum, et eiusmodi aliarum, expendetur ab aliis, id solvere debent ii, in quorum gratiam illud fuerit expensum.

84, in Ms. decr. 103.

Forma aedificiorum ad Praep. Gen. referenda. *Decr. 113. P. 10,* C.

Ad R. P. Generalem referenda videtur forma ac modus aedificiorum nostrorum construendorum, ut ille, iuxta decretum actorum posteriorum praeteritae Congregationis, quod sibi in Domino visum fuerit, statuat.

85, in Ms. decr. 104.

Nomen *Don*, ut insigne nobilitatis, non usurpandum. *Exa. c. 4 n. 7.*

Decretum est: ut nomen illud honorificum, id est *Don*, ubi est insigne nobilitatis saecularis, de Societate nostra omnino tollatur.

86, in Ms. decr. 105.

De Superintendentis officio. *P. 8 c. 1 n. 3,* D.

Non videtur officium Superintendentis vel nomen usurpandum in Societate, nisi ubi pro arbitrio R. P. Generalis necessitas vel magnitudo Collegii utrumque postulaverit; neque enim nomen tantum retinendum est.

87, in Ms. decr. 106.

Ordo sedendi in Congr. non mutandus post elect. ** Decr. 45. C. 1 d. 10 ante elect. C. 1 d. 2, 90, 106. Sup. d. 20. C. 3 d. 1, 2. C. 4 d. 64. C. 9 d. 16. C. 10 d. 10. C. 22 d. 1. P. 8 c. 7,* A.

Prima generalis Congregatio in actis posterioribus * statuit: ut Patres in Congregatione eo ordine sederent, qui in actis prioribus fuerat praescriptus. Eumdem igitur ordinem conservandum esse censemus; nec retinendam esse partem illam declarationis 7 cap. viii part., quae ab eadem Congregatione abrogata fuerat.

88, in Ms. decr. 107.

Informatio de rebus ante electionem ab omnibus Electoribus peti potest. *C. 3 d. 5 ante elect.*

Ubi dicitur in 3 decreto actorum priorum primae Congregationis: ***Et**, si informatio maior desideraretur in re aliqua, a Vicario petendam esse:* decretum est, esse addendum: non a Vicario

S. F. Borgia Praep. Gen.

1565

solum, sed ab aliis etiam Electoribus accipi informationem illam posse.

89, in Ms. decr. 108.

Informatio de personis a solis Electoribus et Procuratoribus in quatriduo capienda. * *Sup. d. 14 ante elect.*

Quamvis a Congregatione secunda generali in actis prioribus * sit dictum, informationem pro Generalis electione ab omnibus de Societate, qui possent bene referre, capi posse; visum tamen est: ut non ab omnibus, sed a solis Electoribus et Procuratoribus accipi possit informatio, et ea quidem in quatriduo dumtaxat.

C. 18 d. 11 n. 4.

90, in Ms. decr. 109.

Non petendum: an hic vel ille sit aptus. * *Sup. d. 16 ante elect.*

Permissum fuerat in actis prioribus Congregationis secundae, * ut liceret in informatione petere: an hunc vel illum aptum quis iudicaret ad munus Generalis Praepositi, non an aptissimum inter omnes: totum hoc tamen visum fuit immutandum. Ne igitur de caetero ita interrogare liceat; sed conservetur, quod in prioribus actis primae Congregationis statutum fuerat.

Decr. 6 c. 5, pag. 158.

91, in Ms. decr. 110.

Procuratores ante electionem non admittendi. *Sup. d. 2. Vide tamen Form. Congr. gen. n. 5.*

De Procuratoribus, an ad congregationes, si quae habebuntur ante electionem Generalis Praepositi, sint admittendi cum interrogatio fieret; visum est: observandum decretum 3 actorum priorum primae Congregationis, confirmatum in actis item prioribus secundae Congregationis. *

* *C. 2 d. 9 ante elect.*

92, in Ms. decr. 111.

Deputatio pro detrimentis eligenda.

Ad pleniorem pro Generalis Praepositi electione informationem, decretum est: ut Congregatio ante electionem aliquos Patres deputet, qui cum Vicario Generali et Assistentibus videant: an aliquid sit, in quo insigne detrimentum passa sit Societas vel passura esse timeatur, quod singulari providentia atque industria vel resarciendum vel curandum sit; de quo, si quid fuerit, conficient interrogationem commode, qua interrogatione inquirere Electores possint ac debeant, et intelligere, quis esse aptissimus videatur ad officium Generalis Praepositi ad maiorem Dei gloriam administrandum. Porro de quibus agent ii Deputati, ea ad plura suffragia transigent; nec duo suffragia habebit Vicarius Generalis, sed solum suffragii praerogativam.

Eius officium.

C. 3 d. 5 ante elect.

Quibus suffragiis in ea res transigendae.

93, in Ms. decr. 112.

Quaedam Praep. Generali commissa.

Cum aliqua commiserit exsequenda Praeposito Generali superior Congregatio in actis posterioribus, si qua ex illis non fuerint exsecutioni mandata, id curet facere R. P. N. Praepositus Generalis.

DE OFFICIO VICARII,

Habetur etiam in fine Congr. 3, et inter Reg. part.

QUOD IN II CONGREGATIONE A DEFINITORIBUS, EIUSDEM CONGREGATIONIS MANDATO, RECOGNITUM EST DECRETIS * VIII ET XLIII.

* *Hic d. 5, 31.*

Quale eius officium et quamdiu durat. A quibus eligendus. *P. 8 c. 4 n. 1, A.*

Vicarius Generalis, propter mortem Generalis Praepositi constituendus, vel nominatur ab ipso Praeposito ante mortem, ut habetur cap. 4 Const. et declar. VIII part., vel, si ille non nominasset, eligitur a Professis, qui apud eum fuerint, ut habetur in eadem declaratione. Huius igitur officium durat usque ad electionem Praepositi Generalis, et duplex quidem est.

Vicarii officium duplex.

S. F. Borgia Praep. Gen. — 1565

Alterum est, Societatem ad electionem Praepositi faciendam praescripto tempore et loco, quo convenire oporteat, convocare, ut habetur Const. part. VIII, cap. 4, § 1. Alterum, Generalis vices gerere in gubernatione Societatis, donec novus Praepositus electus fuerit, ut habetur declar. part. VIII, cap. 4, lit. A.

Sacrificia pro Generali defuncto. *C. 7 d. 5. C. 12 d. 56 n. 5.*

Vicarius itaque, simul atque creatus fuerit, curabit funus Praepositi Generalis, nisi iam curatum fuerit, dabitque operam, ut Missae et orationes in universa Societate pro anima Praepositi mortui fiant: deinde ad convocandam Societatem ad novi Praepositi electionem primo quoque tempore diligentissime incumbet.

Tempus convocandi Congregationem generalem. *P. 8 c. 5 n. 2, 3.*

Praepositos Provinciales certiores faciat, tempus et locum Congregationis iuxta Constitutiones praescribat; Missas et orationes pro felici electione Praepositi indicat, Congregationes provinciales ut rite fiant admoneat; et si post electionem Praepositi alia negotia graviora tractanda in Congregatione sint, ad quae discutienda vel definienda aliorum opera, praeterquam duorum Electorum a provinciali Congregatione, necessaria videatur; Provinciales admoneat, qui adducendi erunt, ut eos adducant iuxta Constitutiones.

Sacrificia pro felici electione. *P. 8 d. 5 n. 3.*

Quando alii vocandi. *C. 4 d. 35, can. 16.*

Potestas Vicarii.

Antequam congregata sit Societas, potestatem habeat Vicarius, qua possit solus iubere, quae ad convocationem attinent, iuxta Constitutiones; solus tamen non potest prorogare tempus Congregationis, ut decretum est in actis posterioribus primae Congregationis tit. II, decreto 30. Postquam autem sunt Patres congregati, vel omnes vel eorum maior pars, post tempus definitum, solus non poterit ea, quae ad electionem pertinent, definire; sed, si quid emerget dubii vel difficultatis, id erit per Congregationem determinandum; exsecutio vero Vicarii erit.

Hic d. 44.

C. 6 d. 35 n. 19. C. 10 d. 4.

Reddet rationem in Congregatione. *Form. Cong. gen. n. 7.*

Ubi autem dies constitutus et terminus praefixus venerit, ad quem venturi sunt Patres, eos, qui iam convenerunt, convocabit, modo excedant duas tertias partes; eisque rationem eorum, quae facta sunt post mortem Generalis ad Congregationem pertinentia, reddet. Deinde in primis tractet: an habenda sit pro legitima Congregatio, quod ad personas, tempus et modum attinet; et, si qui sint defectus: an suppleri debeant: an exspectandi sint absentes: an benedictio a Summo Pontifice petenda ad electionem iuxta nostras Constitutiones celebrandam. Denique reliqua omnia, quae ad rite electionem faciendam pertinere videbuntur Congregationi, curabit; quae petenda sunt, tum ex Constitutionibus, tum ex decretis ante et post electionem; detque operam Vicarius, ut nihil in Congregatione ante electionem Generalis agatur, nisi quae ad illam spectabunt, et quidem necessario, ut quam primum Societas Praepositum Generalem habeat.

Gubernabit Societatem. *P. 8 c. 4, A. C. 1 d. 43. C. 10 d. 8.*

Nihil mutabit in gubernatione Societatis.

Alterum officium Vicarii est, Societatem universam gubernare. Verum ita est illam gubernaturus, quasi Vicarius Praepositi demortui, non quasi Praepositus; quare illam ita gubernabit, ut sibi tradita est. Nullam igitur immutabit gubernationis rationem, nihil propriae inventionis, nullam novam regulam, nullam ritum, nullam consuetudinem aut inducet aut introductam mutabit; sed ad spiritum et sensum Generalis demortui se componet, illius compertam voluntatem sequetur, incertam coniectabit. Itaque, quoad poterit, debebit suo mi-

S. F. Borgia Praep. Gen.

nisterio quasi vivum ac praesentem Generalem illiusque gubernationem repraesentare.

Eisdem utetur Officialibus. C. 1 d. 90. C. 20 d. 18.

Quocirca eisdem Assistentibus, Secretario, Procuratore, quibus utebatur Praepositus Generalis, utetur Vicarius ad gubernandam Societatem; eisdem Praepositis, Rectoribus, Praefectis Probationum, et aliis Officialibus primariis, qui creantur a Generali; quos mutare ei non licet, vel novos creare, nisi forte aliqui illorum morerentur, et alii in eorum locum usque ad electionem Praepositi Generalis substituendi essent, vel aliquae gravissimae causae intercederent, propter quas aliquis illorum ab officii exsecutione tollendus vel suspendendus videretur, iure suffragii nihilominus ei relicto; et hoc quidem non sine consilio Assistentium.

Quando et quomodo mutare Officiales possit. C. 12 d. 30. C. 13 d. 11. C. 16 d. 7. C. 19 d. 10.

Res graves servandae Praeposito eligendo.

Eadem de causa res omnes graves et maioris momenti, quae differri usque ad electionem novi Praepositi poterunt, quando illa brevi futura est, quoad eius fieri poterit, differet, et ad novum Praepositum Generalem remittet.

Non admittet interim Collegia.

Quocirca nullam Domum, nullum Collegium, nullam Universitatem vel Domum Probationis instituet; quae si offerantur, ita negotium fundationis tractabit, ut si in rem Societatis aperte futura sint, et omni difficultate careant; eos, qui fundatores esse volunt, iubeat bene sperare, et omnem dubitationem seponere; si quid vero difficile aut dubium sit, alet spe eorum bonam voluntatem, nihil certi promittet, rem totam ad Generalis creationem reservabit.

De promotione ad gradum et dimissione Professorum vel Coadiut. formatorum. C. 4 d. 8. Vide tamen C. 12 d. 10.

Ad professionem admittere etiam vel designatum a praemortuo Praeposito, vel in his, quae ad professionem attinent, dispensare non poterit Vicarius; neque Professum aliquem vel Coadiutorem formatum a Societate dimittere.

1565

Vide tamen C. 8 d. 46.

De mutandis Professis loco.

Circa missiones Professorum, si quid urgeret, potestate Generalis uti poterit, consultis Assistentibus; eos tamen, qui electi sunt a Congregationibus provincialibus, vel qui probabiliter eligendi essent ut Congregationi generali intersint, ad ea loca, unde ad electionem commode venire non possint, non mittet; neque etiam ad infideles neque ad partes remotas, quae maiorem considerationem requirunt.

Consultabit res omnes graviores. C. 7 d. 74. C. 20 d. 18.

In universum cum Assistentibus consultare debet res omnes graviores, non minus, immo magis, quam Praepositus Generalis; quandoquidem minorem habet auctoritatem, minorem experientiam, minus diuturnum regendae Societatis munus; sic enim plus ponderis habebunt apud illam quae ipse constituet. Quamobrem, quae sunt a Praeposito vita functo vel constituta vel concessa, non temere neque sine gravissima causa vel infirmabit vel revocabit.

P. 8 c. 5 n. 2.

Si novi Praepositi electio aliquo casu ultra sex menses, a Constitutionibus praescriptos, differatur; et aliqua gravia acciderent, quae usque ad eius electionem commode differri non possent; Vicarius Generalis, auditis Assistentibus, id statuat, quod ad maiorem Dei gloriam et Societatis utilitatem magis fore iudicabit.

Vicarius a quibus eligatur.

Si Praepositus Generalis Vicarium non nominaverit ante mortem, et in eo loco, ubi mortuus est, non sunt Professi saltem sex, tot enim ad minimum iudicatum est esse oportere, tunc cura adhibenda erit, ut ex vicinioribus locis, utcumque illa distent, is numerus convocetur; quod si in illa

S. F. Borgia Praep. Gen. 1565

distantia aequali plures fuerint quam sex, omnes erunt ad electionem vocandi; interim tamen Societatis gubernatio erit in ordinariis Superioribus; electioni vero, Romae quidem praeerit Minister Domus, si fuerit quatuor votorum Professus; alibi vero Provincialis vel antiquissimus ex Professis quatuor votorum.

P. 8 c. 5 n. 1.

Habetur etiam post canones Congr. secundae.

FORMULA ACCEPTANDORUM COLLEGIORUM

DATA A R. P. N. MAGISTRO LAYNEZ, GENERALI PRAEPOSITO SOCIETATIS IESU, DE QUA FIT MENTIO CANONE V CONGREGATIONIS II.

Hic can. 6.

Consideratis operibus et ministeriis quibus ad Dei gloriam et animarum profectum Societas nostra occupatur; et considerata etiam obligatione charitatis, qua ex Instituto tenemur in illis perseverare; re prius praemeditata, et cum Patribus Assistentibus ad consultationem adducta, et Domino commendata; visum est mihi: ut in Collegiis, quae deinceps divina Maiestas fundare dignabitur, novae a nobis obligationes non admittantur. Sed qui divino instinctu, et Dei obsequio, quod praestatur in Societate, ac utilitate, qua Dei gratia proximi iuvantur, commotus, Collegium aliquod fundare voluerit; pure et libere, absque conditione vel modo donationem faciat dotationis, quam Domino Deo nostro offerre vult. Societas vero, non ex nova obligatione, sed ex sua illa antiqua, quam, ut diximus, habet, curet, ut secundum numerum eorum, qui ex tali fundatione sustentari poterunt, in tali Collegio numerus Operariorum constituatur, qui quidem in illo iuxta nostrum Institutum se exerceant in vinea Domini. De cuius divina bonitate speramus, si christiana hac simplicitate, quae ipsi innititur, progrediamur, Societatem perseveraturam puriorem; nec desituram illud praestare, ad quod secundum suam vocationem obligatur. Fundatoris etiam intentio ita implebitur, simulque tollentur hinc inde causae inquietudinis, quae ex humanis cautionibus oriri possunt et solent: quae, quantumvis caute et circumspecte transigantur, nihilominus semper ab humana astutia labefactari possunt, ut ipsa experientia ostendit; quae tam in aliis Religionibus, quam in multis nostrae Societatis locis nos docet praedictum modum fundationis partibus omnibus bene cedere ad divinum obsequium et commune bonum, quod optatur.

Fundationes libere et sine conditione fiant.

DE VARIIS MODIS COLLEGIORUM, ET PERSONARUM NUMERO, QUAE VIDENTUR IN SINGULIS NECESSARIAE.

Collegium 20 Nostrorum.

In Collegio, ubi tres ponuntur Praeceptores Litterarum Humaniorum, quartus etiam esse debet, qui illis substitui possit, et tres Sacerdotes, in quibus unus Rector sit, reliqui duo utilitati serviant animarum. Ubi vero tales septem Operarii sunt, convenit totidem saltem ibi Scholares alere, ut illud perpetuum opus esse queat; succedentibus his in Sacerdotum

ac Praeceptorum locum, ubi aut morte aut aegritudine aut aliis de causis non possent officio suo fungi. Est etiam, praeter hos, necessarius Minister unus, cum Coadiutoribus quinque, videlicet: ianitore, sacrista, coquo, emptore et quodam alio, qui eos in omnibus adiuvet. Minimum itaque Collegium viginti constabit ex Nostris. Ultra quos providendum erit, unde Corrector, qui de Societate non sit, alatur ad eos castigandos pueros, qui scholas frequentabunt, prout illi ab ipsis Praeceptoribus praescribetur.

Collegium 30 Nostrorum.

Si Collegium quinque Praeceptores habeat, ad Humanas Litteras, latinas, graecas et Rhetoricam profitendum; substitutos alios duos habeat necesse est, nec non quatuor quinqueve Sacerdotes; ut, praeter illos quinque Praeceptores supra dictos, eorum unus lectionem Casuum conscientiae possit profiteri, ut Sacerdotes illius regionis, qui parum erunt in iis versati, hac in parte, quae eis est necessaria, iuvari possint, quo ipsi melius officium suum faciant ad divinam gloriam. Ubi vero tales undecim aut duodecim Magistri ac Sacerdotes conceduntur, totidem saltem Scholastici instituendi erunt ad operis perpetuitatem, ut superius dictum est, Minister etiam unus cum sex Coadiutoribus. Itaque minimus numerus complebit triginta, extra Correctorem, in similibus Collegiis.

Collegium 50 Nostrorum.

Si Collegium, praeter supra dicta, Artium Liberalium cursus volet suscipere, ultra illum numerum Nostrorum viginti, addendi erunt partim Praeceptores, partim discipuli; ita ut omnes simul conficiant numerum quinquagenarium.

Collegium 70 Nostrorum.

Si Societas alicuius Universitatis aut Generalis Studii curam susceptura esset, adiungeretque supra dictis scholasticam Theologiam et Sacram Scripturam, huiusmodi onus admittere non debebit, nisi commode provideatur, unde septuaginta aut iis plures Collegae possint ali, ut superiori numero accedant viginti, partim Praeceptores et partim discipuli: et expediret, ut hic numerus adhuc augeretur, quo non tantum opus huiusmodi perpetuo duraret, verum etiam ex eo Collegio insignes aliqui Operarii possint excerpi ad commune bonum in his et illis locis promovendum.

In Collegiis, ubi Societas proprias non habet scholas, praeter Scholasticorum numerum, sunt etiam necessarii Rector et Minister; et, si magnus numerus inibi esset, adhuc Subminister. Coadiutores vero secundum numerum Collegarum.

In huiusmodi vero Collegiis collocari poterunt Operarii secundum commoditatem, quam habet Societas, et dispositionem messis in populo.

DECRETA

TERTIAE CONGREGATIONIS GENERALIS ANTE ELECTIONEM.

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

Causa Congregationis convocandae.

Post translatum die 1 Octobris 1572 ad beatam immortalitatem S. Franciscum Borgiam, a Professis Romae degentibus sublectus est ei vicaria potestate P. Ioannes de Polanco. Is 12 Aprilis 1573 Congregationem generalem celebravit, quae P. Everardum Mercurianum Praepositum Generalem dixit 23 Aprilis, terminataque est Congregatio 16 Iunii eiusdem anni.

Decretum 1, in manu scriptis decr. 3.

P. Leo Enriquez ad Congregationem admissus.

Cum auditum esset: P. Provincialem Portugalliae post electos illos, qui ad Congregationem venturi erant, et dissolutam provincialem Congregationem, propterea quod adversa illius valetudo, in quam paulo ante inciderat, augeretur, suo loco P. Leonem Enriquez, qui non fuerat a Congregatione nominatus, misisse; agitatum fuit: an deberet ad Congregationem admitti; et quibusdam videbatur, quod de iure, maiori autem ex parte, quod ex aequitate, omnibus vero, quod admittendus esset, et ita revocatus est, et Congregationi interfuit.

2, in Ms. decr. 5.

Quando Secretarius et Assistens electionis eligendi. *C. 2 d. 80. C. 10 d. 7. C.18 d.11 n.1,3.*

Quaesitum fuit: an Secretarius, qui acta Congregationis exciperet usque ad Generalis electionem, et Assistens eligi deberet, tametsi quatriduum illud, quod electionem antecedit, necdum fuisset inchoatum; et decretum fuit: ut Secretarius eligeretur; Assistens vero nonnisi intra quatriduum. Porro ad plura suffragia P. Laurentius Magius, Austriae Provincialis, in Secretarium electus fuit.

3, in Ms. decr. 6.

Designati ad petendam a Sum. Pont. benedictionem.

Cum esset propositum a P. Vicario: quando et cum quibus benedictionem a Summo Pontifice pro more petere deberet; decretum fuit: ut quamprimum peteretur; et ut P. Vicarius cum P. Salmerone et iis, quos P. Vicarius ex singulis nationibus secum adducendos eligeret, ad petendam benedictionem Congregationis nomine accederet.

4, in Ms. decr. 7.

Deputati quinque pro detrimentis eligendi *Hic d. 92.*

ex quinque nationibus.

Propositum etiam fuit ab eodem P. Vicario: utrum eligendi essent aliquot Patres, ad quos, iuxta decretum 111 secundae Congregationis, alii Patres referrent: num quid detrimenti passa sit hactenus aut deinceps passura Societas timeatur; et ii quot esse, et ex quibus nationibus deberent. Et decretum fuit: ut eligerentur quinque Patres ex quinque nationibus: germanica, italica, gallica, hispanica, lusitanica, qui cum P. Vicario et quatuor Assistentibus et duobus primis Patribus, Salmerone et Bobadilla, ista exciperent et cognoscerent; et horum electio in diem sequentem dilata fuit; simulque declaratum: ex illa natione eos esse censendos, qui ab ea ad generalem Congregationem missi fuerunt, etiamsi genere alterius essent nationis; dummodo ad proprietatem nationum, quoad eius fieri posset, accederetur, iuxta decretum de Assistentibus.

Nationis nomen explicatur. *Inf. d. 3, pag. 219.* *C. 2 d. 20.*

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

A quibus capienda informatio detrimenti. C. 2 d. 88, 89, 92. C. 18 d. 11 n. 4.

5, in Ms. decr. 10.

Propositum fuit: a quibus capienda sit huiusmodi informatio, quae praedictis Deputatis exhiberi debet; et pluribus suffragiis decretum fuit: ut a solis Electoribus et Procuratoribus peteretur, et quidem de rebus tantum, non item de personis; neque etiam de rebus, quae ad particulares personas referri possint. Si qui vero alii praeterea, cordati praesertim et probati, ad Deputatos aliquid deferre vellent, ut non impedirentur; verum non requirerentur, et eorum informatio non nisi scripta, et ab ipsis subscripta admitteretur.

C. 1 d. 6 ante elect., pag. 154.

INTERROGATORIUM COMMUNICANDUM ELECTORIBUS ANTE QUATRIDUUM AD INQUIRENDUM QUIS APTISSIMUS VIDEATUR AD OFFICIUM PRAEPOSITI GENERALIS.

Interrogatorium a supra dictis Deputatis ex acceptis informationibus confectum, quo Electores inquirere possint ac debeant et intelligere, quis esse aptissimus videatur ad officium Generalis Praepositi; quod Interrogatorium iudicatum fuit non oportere, ut publice in Congregatione legeretur, sed satis esse, si singulis Electoribus ante incoeptum quatriduum communicaretur: necesse tamen esse, ut Deputati, ab Electoribus interrogati circa intelligentiam vel explicationem eius, eos informarent de statu Societatis in huiusmodi rebus, et de iis, quae Societas passa est vel passura timeatur, quatenus ad bonam electionem futuri Generalis utile erit.

Praeter ea, quae interrogari debent ex 3 cap. Examinis, 1, 2 et 3 cap. I part. et 2 cap. IX part., vel ex Interrogatorio ex eis confecto, quae sequuntur interrogari oportet, propter quaedam particularia incommoda, quae passa est vel timeri possent in Societate.

1. An credatur N. gubernaturus Societatem spiritu paterno, et non despotico, ut verbis P. N. Laynez sanctae mem. utamur, ut subditi facilem aditum habeant, eique laeti in Domino ac confidenter cor suum aperire aveant.

2. An speretur illius charitatis et unionis futurus studiosus, quam Constitutiones nostrae tantopere commendant; quamque homines semper in Societate nostra sunt admirati, ut, amputatis omnibus dissensionum occasionibus, huc serio incumbat, ut universae Societati pristinam illam et laudabilem unionem restituat.

3. An credatur observaturus Constitutiones nostras, quoad admissiones, dimissiones, professiones, probationes, paupertatis et puritatis integritatem, mortificationes passionum et propriae voluntatis, exstirpationem affectus honoris, et morbi ambitionis, carnisque ac sanguinis, absolutamque rationem obedientiae, etc., non quidem ex proprio spiritu, sed iuxta spiritum et praxim P. N. Ignatii, semoto omni peregrino et a nostro Instituto alieno spiritu.

4. An credatur serio daturus operam, ut liberet Societatem a multis, quae non conveniunt nostro Instituto; nosque ita gravant, ut cogamur relinquere, quae sunt nostri Instituti propria. Eiusmodi sunt Seminaria, Domus Convictorum, Collegium Poenitentiariorum, interesse Inquisitionis Congregationibus ad iudicandum, et Signaturae Poenitentiariae, et ministerio examinandi contra formam nostri decreti. C. 2 d. 72.

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

5. An timeatur propensus ad admittenda nova Collegia, cum iam adeo videatur Societas gravata et oppressa multitudine Collegiorum, ut satisfacere oneribus susceptis non possit.

6. An credatur diligenter curaturus, ut idonei Operarii mittantur ad sublevandas Collegiorum necessitates, maxime transmarinas, ubi Societas graviter laborat in observatione Instituti, et aliis rebus, ob inopiam bonorum Superiorum et Operariorum, ne, quod saepe contigisse Provinciae conqueruntur, qui minime idonei et sufficientes sunt, pro huiusmodi mittantur.

7. An in modo procedendi cum aliis, et in gubernatione, si quam forte in Societate exercuit, veritatem cum animi candore ac religiosa simplicitate, ita colere studuerit, ut ab omni humanae artis suspicione sit penitus liber.

8. An communiter omnibus amabilem se praebuerit tam domi, quam foris, et in amando aequalitatem erga omnes ita servaverit, ut non sit deprehensus in suspicione acceptionis personarum, nec in agendo visus sit sequi aut proprias passiones, aut illos respectus, qui vulgo humani mundanive appellantur.

9. An ea humilitate animi praeditus cognoscatur, ut aliquorum defectuum admonitus, studio eos corrigendi alios potius aedificaverit, quam aliqua auctoritate cum offensione suorum eosdem tegere velle solitus sit: et an credatur futurus strenuus et vigilans, ac vacaturus gubernationi.

10. An in rebus tractandis propensus sit et habeatur ad quaerendum et sequendum consilia meliora Assistentium sibi a Congregatione assignatorum: an vero tenacior sit proprii iudicii, quam conveniat et deceat ad provocandos Assistentes, ut libere dicant quod sentiunt; et ad dandam illis spem, quod pondus rationum locum apud ipsum inveniet. Item, an curaturus videatur, ne Assistentes a se dimittantur.

11. Interrogare debent de iis, quae numero 2 cap. 3 Examinis continentur, quatenus id facit ad auctoritatem Praepositi Generalis retinendam, et ad bonum delectum admittendorum.

12. An sit plenus zelo perfectionis Nostrorum, et magis addictus officio veri pastoris, quam industrius et practicus in exercendis per se aut alios litibus ac negotiis temporalibus, et in exigendis pecuniis, et ex aliis Provinciis in alias transferendis, cum ob eam causam ubique Societati nostrae apud Principes utriusque status nota inuratur, et periculum schismatis idcirco Societati exstitisse compertum sit.

Forma decreti electionis haec fuit.

Decretum electionis.

Cum in plena et legitima Congregatione, collato numero omnium suffragiorum, plus quam media pars omnium R. P. Everardum Mercurianum nominaverit et elegerit; ego Ioannes de Polanco, Vicarius, auctoritate Sedis Apostolicae et universae Societatis eligo praedictum R. P. Everardum in Praepositum Generalem Societatis Iesu. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Romae, in aedibus Societatis Iesu, die 23 Aprilis MDLXXIII.

Ioannes de Polanco.

DECRETA

TERTIAE CONGREGATIONIS POST ELECTIONEM.

Decretum 1, in manu scriptis decr. 2.

P. Mercurianus Praep. Gen.

Procuratores post electionem vocati. C. 1 d. 8. C. 2 d. 91.

Propositum fuit: an Procuratores, qui venerant ad negotia tractanda post electionem, vocandi essent, et quo ordine sedere deberent. Et declaratum est: eos debere vocari, et vocati sunt P. Ignatius Martinez, Procurator Indiae et Brasiliae, et P. Richardus Tectorius, Procurator Poloniae, qui ante Congregationem a P. Vicario vocatus fuerat; praeter quos duos nulli alii Procuratores aderant. Et praeterea decretum fuit: ut, iuxta decretum 106 secundae Congregationis post electionem, P. Ignatius, Professus quatuor votorum, inter Electores ordine antiquitatis suae professionis, et P. Richardus, Professus trium votorum, post omnes Electores sederent. Et ut suffragium haberent ad omnia, praeter quam ad electionem Assistentium, quam ad solos Praepositi Generalis Electores pertinere docet Constitutio 5 cap. IX part. § 3.

Hic d. 87. Quo loco sederunt. C. 4 d. 1, 64.

Suffragium habent ad omnia, praeter quam ad electionem Assistentium. C. 11 d. 28. C. 18 d. 4.

2, In Ms. decr. 3.

Post electionem Vicarius sedeat inter Provinciales iuxta antiquitatem professionis.

Quaesitum fuit: an P. Polancus, qui Vicariatus officio defunctus fuerat, ad Congregationem vocari, et ubi sedere deberet. Constitutum autem fuit: ut deinceps, non solum ipse, sed quicumque Vicarius Generalis post obitum Praepositi exstitisset, post electionem novi Generalis Praepositi sequentis ad Congregationem accederet, et locum inter Provinciales iuxta antiquitatem suae professionis haberet, quemadmodum etiam de Assistentibus decreto 4 secundae Congregationis post electionem decretum fuit.

1573

Hic d. 8.

3, in Ms. decr. 5.

Quinque Deputati ad secernenda postulata ex quibus eligendi.

Quaesitum est: an essent deputandi aliqui ad videnda ea, quae afferrentur, ut secernerent, quae ad Generalem Praepositum essent reiicienda, et quae ipsi Congregationi proponenda. Decretum autem fuit: deputandos esse, et quidem numero quinque, et praecipue ex ordine Provincialium et Assistentium, aliis interim etiam non exclusis; et quidem ex iis, qui ex diversis nationibus venissent; et cum eadem potestate, quam illis 5 decretum secundae Congregationis post electionem tribuit. Caeterum horum electio in sequentem diem reiecta fuit.

C. 5 d. 1. C. 11 d. 9. C. 12 d. 5. Hic d. 4. Cum qua potestate. Inf. d. 15.

4, in Ms. decr. 6.

Deputantur quinque, qui formulam eligendi Praep. Gen. examinent et Congregationi proponant. Inf. d. 33.

Quaesitum etiam fuit: an essent deputandi, qui formulam eligendi Generalem Praepositum, in actis secundae Congregationis electionem praecedentibus contentam, examinarent et emendarent, et ad Congregationem referrent, si quae immutanda iudicarent; quandoquidem illa non omnino confirmata fuit, nisi usque ad hanc Congregationem, iuxta decretum 69 secundae Congregationis post electionem. Et decretum fuit: deputandos esse quinque, pro iudicio et arbitrio R. P. Generalis; qui ad hoc munus P. Iacobum Mironem, P. Plazam, P. Franciscum Adornum, P. Balduinum et P. Claudium nominavit.

Hic d. 51.

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

5, *in Ms. decr.* 8.

P. Canisius, ex aequitate admissus ad Congregationem,

Propositum fuit: an P. Petrus Canisius, qui a Summo Pontifice Romam accersitus fuerat, ad Congregationem esset admittendus, et quo loco collocandus. Decretum autem fuit: ut ex quadam aequitate admitteretur, cum praesertim non parvam utilitatem negotiis tractandis afferre posset; et ut sederet post Provinciales, iuxta ordinem suae professionis. Verum ut hoc factum non traheretur in exemplum, nec ipse ad electionem Assistentium suffragium haberet, iuxta Const. IX part., cap. 5, § 3.

sedet post Provinciales iuxta ordinem suae professionis.

6, *in Ms. decr.* 9.

Definitores non eligendi, nisi rerum tractatio ad id invitet vel urgeat.

Propositum fuit: an statim Definitores constituendi essent, ad quos Congregatio reiiceret quaecumque reiicienda iudicaret, ut citius negotia omnia expediri possent; quot item illi, quales, hoc est, quibus ex nationibus, et quando constitui deberent. Decretum autem fuit: nihil de Definitoribus constituendis agendum esse, nisi postquam rerum tractatio ad id faciendum invitaret vel urgeret.

7, *in Ms. decr.* 11.

Duplex fiat Deputatio: ad Officium Vicarii et formulas, tum scribendi, tum Congregationis provincialis examinandas *Inf. d.* 33.

Propositum fuit: an aliqui essent deputandi, qui Officium Vicarii Generalis, formulam Congregationis provincialis, et rationem conscribendi annuas litteras examinarent et emendarent. Decretum autem fuit: ut duplex fieret deputatio ad arbitrium P. Generalis: altera quidem ad Officium Vicarii, et modum conscribendarum annuarum; altera vero ad formulam Congregationis provincialis examinandam et emendandam: ita ut illi in Congregatione promulgarentur, ut ad eos quicumque vellent deferre possent, quod ad rem hanc pertinere iudicaretur; ipsi vero confectum opus Congregationi diiudicandum et approbandum proponerent.

et Congregationi proponendas.

8, *in Ms. decr.* 12.

Deputatio ad examinanda quae in Conc. Trid. adversari videantur nostris Constitutionibus. *Inf. pag.* 244.

Propositum etiam fuit: de alia deputatione facienda, ad examinandum, sit quid in Concilio Tridentino reperiretur, quod nostris Constitutionibus adversari videretur, et de quo declaratio, aut etiam dispensatio a Summo Pontifice peti deberet. Et placuit: ut iidem, quibus in secunda generali Congregatione decreto 8 hoc munus commendatum fuerat, id etiam nunc expedirent, et quae tunc annotata fuerant, nec tamen ad Congregationem relata, ea diligenter inspicerent (adiungendo illis, si quos P. Generalis adiungendos esse iudicaret in eorum, qui deerant, locum, aliquos alios) et quae perfecissent Congregationi proponerent.

Hic d. 5 *n.* 4. *Inf. d.* 30.

9, *in Ms. decr.* 15.

Fiat Deputatio ad acta I et II Congr. post elect. revidenda. *C.* 2 *d.* 46.

Propositum item fuit: an aliqui alii deputandi essent ad acta primae et secundae Congregationis post electionem revidenda, et canones ex actis primae Congregationis conficiendos. Et placuit: ut fieret huiusmodi deputatio ad arbitrium P. Generalis; et ut ex illis duabus et praesenti Congregationibus canones, qui ad observationem et praxim communem pertinere possent, desumerentur, et seorsim imprimerentur, ac soli vulgarentur: reliqua vero Congregationum acta et decreta asservarentur.

et canones trium Congregationum conficiendos et imprimendos: *C.* 2 *d.* 46. *Inf. d.* 33. reliqua acta et decreta asserventur.

10, *in Ms. decr.* 17.

Assistens pro Galliarum et Flandriae Provinciis postulatus.

Quoniam Provincia Aquitaniae peculiarem Assistentem a Germaniae Assistente diversum pro Galliarum et Flandriae Provinciis sibi designari

P. Mercurianus Praep. Gen. 1578

Res differtur tractanda: *Inf. d. 14.*

postulabat; propositum fuit: an numerus Assistentium, qui hactenus quatuor fuerunt, uno addito augeri deberet. Et, prolatis pro parte affirmante rationibus, res in sequentem diem dilata fuit.

11, in Ms. decr. 18.

Deputantur qui Officium Assistentium conficiant. *Inf. d. 33. C. 4 d. 2, 48.*

DEINDE, cum de Officio Assistentium conficiendo actum esset, placuit Congregationi: ut Officium hoc ex Constitutionibus, decretis et praxis observatione desumeretur, et ad illud conficiendum et de eo Congregationi referendum aliqui Patres pro iudicio R. P. Generalis deputarentur.

12, in Ms. decr. 19.

Assistentium Substituti non eligendi.

PRAETEREA quaesitum fuit: an Substituti Assistentium eligi deberent, quemadmodum in Congregationibus provincialibus fieri consuevit: ut, si contingat aliquem Assistentem deesse, non desit qui auctoritate Congregationis quamprimum illi substituatur. Et responsum fuit: nullos eligendos esse Substitutos huiusmodi; verum servandas esse Constitutiones et decreta Congregationum, in quibus abunde prospectum esse videtur omnibus casibus, qui circa Assistentes evenire possent.

P. 9 c. 5 n. 3. C. 1 d. 84, 87. Inf. d. 42.

13, in Ms. decr. 21.

Nihil immutandum circa deliberandi modum.

Suffragia secreta, cum de rebus agitur, reiecta. *Vide tamen C. 5 d. 64 n. 4, 65. C. 8 d. 21. C. 11 d. 2. C. 12 d. 2. C. 14 d. 4. C. 18 d. 10.*

PROPOSITUM fuit: an in negotiis agitandis prius deliberationes audiendae essent; et cum primum omnes dixissent, tum demum colligerentur suffragia. Tum, an suffragiis secretis nonnumquam agendum esset, tametsi de personis non tractaretur. Et responsum fuit: nihil esse immutandum circa deliberandi modum; verum pristinam et usitatam consuetudinem servandam esse.

14, in Ms. decr. 22.

Assistens Galliarum Provinciis non concessus. * *Hic d. 10.*

DE quinto Assistente Galliarum Provinciis designando, quod praecedenti decreto 17 * propositum fuerat, cum in utramque partem diligenter agitatum fuisset, tandem Congregatio fere omnium consensu decrevit: numerum quatuor Assistentium modo non esse augendum.

C. 6 d. 1.

15, in Ms. decr. 25.

Intra quod tempus offerenda postulata ad Deputatos. *Hic d. 3.*

QUAESITUM praeterea fuit: an terminus aliquis praescribendus esset, intra quem Patres afferrent ad Deputatos, de quibus decreto 5 actum fuit, quaecumque vellent; et decretum est: dandam esse crastinam diem ad excipienda a Deputatis quaecumque illis offerrentur, et ut ex illis contextus quam primum fieret. Nec ideo tamen reiiciendum esse, si quid deinceps afferretur. Non enim claudendam ianuam proponendi, durante Congregatione, Patres censuerunt.

16, in Ms. decr. 26.

De bonorum distributione in eadem Provincia: * *Hic d. 28. C. 2 d. 15.*

CUM in proxima praecedenti Congregatione, decr. 28, * constitutum fuisset: quomodo bona ex patrimoniis Fratrum nostrorum provenientia, qui, ea in subsidium Societatis dare cupientes, Praepositi Generalis iudicio dispensationem relinquunt, distribuenda essent; nec tamen incommoda illa, ad quae antevertenda decretum illud factum fuerat, sublata esse experientia docuisset; quaesitum fuit: ut verba illa 1 cap. III part. Constitutionum, *in eadem Provincia,* clarius explicarentur. Et, cum res diu multumque agitata fuisset, tandem decretum fuit: per *eamdem Provinciam*, intelligendam esse Provinciam, in qua sunt ipsa bona, non autem in qua quis in

id est, in qua sunt bona.

P. Mercurianus Praep. Gen.

1573

Societatem ingreditur aut versatur; sumpto tamen Provinciae nomine more Societatis, prout scilicet uni Praeposito Provinciali subest: et in huiusmodi Provincia tantum, et non alibi, bona illa distribui debere. Quod si in eadem Provincia sint plura dominia diversis Principibus subiecta, adiecit Congregatio: diligenter servandam esse eamdem Constitutionem, ut scilicet in transferendis huiusmodi Fratrum nostrorum bonis ex uno dominio in aliud eiusdem Provinciae Societatis, ratio haberetur Regum, Principum ac aliorum Potentatuum, ne in eis causa ulla offensionis detur; sed ad maiorem aedificationem omnium, et spiritualem utilitatem animarum, et gloriam Dei omnia cedant. Praeter haec autem, si quae aliae difficultates orirentur, Congregatio declaravit: eas omnino prudentia et auctoritate R. P. Generalis esse submovendas.

Quid, si in ea sint dominia diversis Principibus subiecta?

De iis vero bonis, quae hactenus uni Provinciae vel loco ex alia Provincia applicata fuerant, necdum tamen extracta, Congregatio iudicium et dispositionem illorum prudentiae ac arbitrio R. P. Generalis relinquendam esse censuit, ut ipse, habita ratione maioris aedificationis omnium et communioris boni, id exsequatur, quod ad maiorem Dei Domini Nostri gloriam pertinere existimaverit: sive ut ad eum locum, cui applicata fuerunt, exportentur; sive ut in eadem Provincia, ubi adhuc reperirentur, vel in nostrae Societatis usus, vel externos pauperes distribuantur.

De bonis applicatis Provinciae diversae, sed nondum extractis, dispositio Praep. Generali relicta.

17, in Ms. decr. 27.

Propositum fuit: an Domus Professorum in magnis civitatibus, quae Societatem habere desiderant, erigi deberent; et an curandum esset, ut plures Domus Professas, et pauciora Collegia haberemus. Congregatio autem totum hoc negotium R. P. Generali commisit. Eidem commendandum censuit: ut erigendis huiusmodi Domibus applicaret animum; ipsius tamen prudentiae tempus, et locum, et modum reliquit, quo id effici deberet, eique interim serio commendavit, ut, iuxta decr. 11 Congregationis II post electionem, potius applicaret animum ad roboranda et ad perfectionem adducenda Collegia iam admissa, quam ad nova admittenda.

An plures Domus Professae et pauciora Collegia habenda.

C. 20 d. 13.

Hic d. 8.

Potius roboranda Collegia admissa, quam nova admittenda. *Inf. d. 20.*

Die 9 Maii, mane, ad plura medietate suffragia per scrutinium iuxta decretum 27 * secundae Congregationis post electionem, electi sunt Assistentes: in primo, pro Germaniae et Galliae Provinciis, electus est P. Oliverius Manaraeus, Rector Collegii parisini; in secundo, seorsum pro Portugalliae et Indiae Orientalis et Brasiliae Provinciis, P. Petrus Fonseca; in tertio, pro Hispaniae, Peru, et Novae Hispaniae Provinciis, P. Aegidius Gonzalez, Provincialis Castellae, absens in itinere. Demum, pro Italiae et Siciliae Provinciis, P. Benedictus Palmius, qui R. P. Francisci Borgiae piae memoriae Assistens quoque fuerat. In Admonitorem autem electus est eadem die, a prandio, P. Oliverius Manaraeus, Assistens, simili scrutinio, ad plura suffragia.

Assistentes ad plura medietate suffragia electi. * *Hic d. 22.*

Admonitor electus a prandio ad plura suffragia. *Vide tamen C. 5 d. 68. C. 8 d. 2, etc.*

18, in Ms. decr. 28.

Actum est etiam: an Definitores eligi deberent ad res determinandas, quas eis Congregatio commisisset. Et placuit sex nunc eligi iuxta decretum 37 secundae Congregationis post electionem. Et die sequente, 10 Maii, per scrutinium ad plura suffragia electi fuerunt: P. Alfonsus Salmeron,

Definitores sex electi ad plura suffragia.

Hic d. 26. C. 2 d. 32.

P. Mercurianus Praep. Gen.

Provincialis neapolitanus, P. Ioannes de Polanco, P. Hieronymus Natalis, P. Benedictus Palmius, Assistens, P. Michael Torres, P. Oliverius Manaraeus, Assistens; et quidem cum eadem potestate, quam suis Definitoribus secunda Congregatio generalis decreto 46 tribuit.

Hic d. 32.

19, in Ms. decr. 29.

Constitutio de promissione abdicationis bonorum explicatur.

Quaesitum fuit: quomodo locus ille cap. 4 Exam., § 2, de promissione abdicationis bonorum, quae post primum probationis annum fieri debet, intelligendus sit; cum exsecutio illius Constitutionis quibusdam dura esse, et quibusdam in locis non observari videretur. Declaravit autem Congregatio: actum illum, quo, qui in Societatem admittitur, promittit se post primum annum bona sua distributurum, neque votum esse, neque solum propositum; sed simplicem promissionem conditione illa, si ille perseveraverit et Superior illi iniunxerit, affectam. Constitutionem vero ipsam nec duram esse, nec observatu difficilem; ac proinde diligenter, ut sonat, observandam esse. Constitutionis autem praxim iudicio Praepositi Generalis, qui, quod ad maius Dei obsequium pertinet, intuebitur, relinquendam.

Praxis iudicio P. Generalis relicta.

20, in Ms. decr. 30.

Confirmatur decretum de Collegiis non multiplicandis.

Propositum fuit: an decreto aliquo multiplicitas Collegiorum deinceps interdicenda esset, saltem ad aliquod certum tempus; quandoquidem ex multitudine Collegiorum magna incommoda exoriri experientia docuit. Et, re diligenter disputata, statuit Congregatio: nihil novi iam esse decernendum; sed serio rogandum esse R. P. Generalem et illi studiose commendandum, quemadmodum etiam rogavit et commendavit, ut decretum 11 secundae Congregationis post electionem deinceps servari curet.

1573

Hic d. 8. C. 22 d. 17.

21, in Ms. decr. 31.

Quando Professi trium votorum aut non Professi praeesse possint Professis.

Quaesitum fuit: an Professi trium votorum, seu non Professi, Professis quatuor votorum praeesse possint; et hi vicissim illis obedire teneantur, cum in iis locis versantur, ubi illi Superiores sunt. Et, cum res diligenter fuisset disputata, declaravit Congregatio: tales, sive Professos trium votorum, sive non Professos, cum Rectores vel Ministri sunt, Sacerdotes tamen, Professis quatuor votorum, qui apud illos versantur, seu etiam divertant ex itinere iuxta regulae communis praescriptum, praesse posse, ac etiam debere; et vicissim hos ad obedientiam illis praestandam ac subiectionem iuxta communem locorum, ubi illi praesunt, ordinem ac regulas teneri; quemadmodum et Constitutionibus ipsis, quae subordinationem membrorum et unitatem capitis in gubernatione vehementer commendant, consentaneum est, et congruus ordo in omni bene instituta communitate necessarius maxime requirit. Haec autem neque decreto 28 tit. II primae Congregationis, neque declar. 3 cap. VIII part., § 1, quidquam adversari; quae, cum decernit: ne Professi trium votorum, aut alii non Professi, Professis quatuor votorum praeesse possint, de praesidentia in Domibus Professis vel integris Provinciis, ubi subditos communiter Professos esse quatuor votorum oportet iuxta Constitutiones, intelligendum est.

Reg. 48.

Hic d. 42.

Qui Professi 4 votorum non sint, praeesse non possunt in Domibus Professis vel integris Provinciis. *Vide tamen C. 4 d. 82. C. 8 d. 20. C. 17 d. 9.*

Intercesserunt autem quidam ex Patribus, et admissa est intercessio, ut die sequenti de eadem re de inte-

Denuo id ipsum confirmatur.

P. Mercurianus Praep. Gen.

1573

gro tractaretur. Verum, cum res iterum diligenter disputata fuisset bidui spatio, tandem id ipsum die 27 Maii confirmatum fuit; et iuxta praedictam explicationem deinceps intelligendam esse ac observandam declarationem illam 3 capitis VIII partis Congregatio decrevit.

P. 8 c. 3, A.

22, *in Ms. decr.* 32.

Quaestio de Coadiutorum pileis iudicio P. Generalis relicta.

Cum quaestio, de pileis Coadiutorum temporalium, de qua in prima Congregatione actum fuerat, iterum proposita fuisset; decretum fuit: ut R. P. N. Generali, qui, quod unicuique Provinciae expedierit, iudicabit, totum negotium relinqueretur: sic tamen, ut iuxta decretum 16 tit. VI primae Congregationis, distinctio inter ipsos et nostros Sacerdotes, ac saeculares etiam homines servaretur.

Hic d. 95. C. 6 d. 30. C. 7 d. 24, 27. C. 8 d. 21. C. 9 d. 24. C. 22 d. 44 n. 6.

23, *in Ms. decr.* 33.

Constitutiones inviolatae permaneant. *C. 1 d. 15, 78.*

Cum quidam ex Patribus proposuissent: utrum Constitutiones, quae ratione temporum, vel alias ob causas in praxi non sunt, expungendae essent; responsum est: nulla ratione id faciendum esse; sed potius oportere, ut omnes inviolatae permaneant, ut quales a sanctae mem. R. P. N. Ignatio acceptae sunt, tales identidem ad posteros transmittantur: notandum tamen esse aliqua ratione, quod non observandum esse Congregatio iudicaret.

24, *in Ms. decr.* 35.

Decernat P. Generalis: an retinendi convictores, qui in Collegio Germanico aluntur propriis sumptibus. *C. 1 d. 126. C. 4 d. 13. C. 12 d. 25, 26.*

Propositum fuit: utrum convictores, qui in Collegio Germanico aluntur propriis sumptibus cum alumnis germanis, retinendi essent deinceps, an potius dimittendi. Decretum autem fuit: hoc totum negotium iudicio et arbitrio R. P. N. Generalis relinquendum esse, quemadmodum ad eius etiam gubernationem pertinet; sic tamen, ut, si iudicaret Societatem ab eo onere liberandam esse, Congregationis auctoritate uti ad id possit.

25, *in Ms. decr.* 37.

Quae eleemosynae admittendae in Collegiis decernet P. Generalis. *C. 8 d. 59.*

Quaesitum fuit: de intelligentia et usu Constitutionis 2 cap. IV part. § 6, in qua dicitur: nec eleemosynas nec dona ulla admittenda esse in iis Collegiis, quae duodecim Scholasticos, praeter Praeceptores, ex propriis reditibus alere possunt. Et, quoniam finis illius Constitutionis est populi aedificatio, declaravit Congregatio: ad huius finis normam, tam intelligentiam quam praxim Constitutionis exigendam esse; iudicio autem et arbitrio R. P. Geralis relinquendum, ut, habita ratione finis et Constitutionis, usum praescribere, et interpretari eamdem, et, si opus esset, dispensare etiam posset.

26, *in. Ms. decr.* 41.

Deputentur qui duas versiones latinas Constitutionum inter se et cum autographo conferant. *C. 1 d. 79. C. 2 d. 52. C. 4 d. 8, 33, 50. C. 5 d. 76. C. 23 d. 27.*

Cum duae iam exstent latinae Constitutionum editiones, et in multis ab invicem discrepent; postulatum est a quibusdam Patribus: ut statueretur a Congregatione, vel primam vel certe secundam editionem esse verum originale Constitutionum; ne posthac recurrendum sit ad exemplar hispanicum, quod, cum impressum non sit nec omnibus commune, posset fortasse successu temporis facilius immutari. Decrevit autem Congregatio: ut deputarentur aliquot Patres arbitrio R. P. Generalis, qui has duas versiones inter se et cum autographo, acceptis ab aliis Patribus, quas ad eos afferrent, observationibus, primo quoque tempore diligenter conferrent, et posteriorem versionem examinarent, ut illa tamquam vulgata, et qua omnino utendum sit, a Congre-

Inf. d. 34.

P. Mercurianus Praep. Gen. — 1578

Autographum hispanicum conservandum. C. 1 d. 15, 58, 78. C. 5 d. 61.

gatione probetur. Autographum porro hispanicum conservandum esse; et ad illud, si qua in re R. P. Generali vel Congregationi videretur, pro explicatione recurri posse, constitutum fuit. Deputavit autem R. P. Generalis sequentes Patres, scilicet: P. Iacobum Mironem, P. Michaelem Gobiernum, P. Petrum de Ribadeneyra, P. Paulum Hoffaeum, P. Dionysium Vazquez, P. Antonium Possevinum.

Quinam deputati sint.

27, in Ms. decr. 42.

Summarium Constitutionum emendandum.

Cum propositum fuisset: an Regulae generales, quae incipiunt: *Summa Sapientia,* examinari et emendari deberent, si qua emendatione opus esset, ut emendatae nomine Congregationis ab omnibus observandae promulgarentur; decretum fuit: ut R. P. Generalis cum suis Assistentibus hoc totum negotium ab universa Congregatione commendatum haberet, habita ratione decr. 76 secundae Congregationis, quoad eius fieri possit, et exsecutioni mandari curaret.

Hic d. 57.

28, in Ms. decr. 43.

An a Sede Apostolica alia ratio ineundi contractus petenda, et quanta in eis potestas Provincialibus concedenda. * *Vol. 1 pag. 42.*

Quoniam formula celebrandi contractus ex bulla Pii v * desumpta, in quibusdam locis multas affert difficultates et multa incommoda; quaesitum fuit: ut alia expeditiore et commodiore formula istis incommodis occurreretur, et res tota R. P. Generali commissa est; qui iudicabit: an alia ratio ineundi contractus a Sede Apostolica peti, et quanta potestas Provincialibus ad celebrandos contractus concedi debeat.

C. 8 d. 54.

29, in Ms. decr. 44.

Methodus agendi post elect. a Praep. Gen. conficienda.

Propositum quoque fuit: ut conficeretur methodus agendi de negotiis post electionem, et eligendi Assistentes, capiendique informationes ad eos eligendos pro futuris Congregationibus, ut celerius et expeditius omnia transigerentur. Commissum autem fuit a Congregatione R. P. N. Generali, ut, collectis a Patribus congregatis, si quid in ea re annotassent, suo commodo praedictam methodum conficiat futurae Congregationi proponendam.

C. 4 d. 2, 44, 48.

30, in Ms. decr. 45.

Curetur relaxatio eorum, quae ex Conc. Trid. nostris Constitutionibus repugnant. *C. 2 d. 5 n. 4. Sup. d. 8. Inf. pag. 244.*

Cum in plena Congregatione legerentur illa, quae Deputati ex Concilio Tridentino nostris Constitutionibus et privilegiis repugnare annotarant; decretum fuit: ut R. P. Generalis primo quoque tempore opportuno relaxationem illarum derogationum curaret.

31, in Ms. decr. 46.

Ordo Novitiorum et Officium Magistri Novitiorum ad P. Generalem reiecti. *C. 2 d. 14, 28. C. 4 d. 50, 67. Inf. d. 33.*

Cum fuisset lectus Ordo Novitiorum in Congregatione, placuit Congregationi: ut tam Ordo iste, quam Magistri Novitiorum Officium ad R. P. Generalem reiiceretur; cum utrumque ad regulas et gubernationis rationem pertineat.

32, in Ms. decr. 47.

Congregatio et Definitorum potestas exspirent die 14 Iunii.

Cum Provinciales ultramontani suo et Sociorum nomine urgerent, ut Congregatio hac hebdomada dissolveretur, et quaecumque intra illud tempus expediri possent expedirentur; reliqua vero, si qua superessent, ad R. P. Generalem cum Assistentibus conficienda reiicerentur; visum est Congregationi: ut ad proximum diem sabbati, vel dominicum, qui erit 14 Iunii, finiretur (sic tamen, ut intercedi posset, si necessitas alicuius rei gravis ita postularet) et simul Definitorum potestas exspiraret, quemadmodum in secunda Congregatione,

P. Mercurianus Praep. Gen.

decr. 63 * factum fuit. Intra hoc vero tempus Patres afferrent, si quae praeterea afferenda iudicarent, et illa omnia expedirentur, quae Congregationis auctoritatem necessario requirunt; reliqua P. Generali conficienda relinquerentur; ita tamen, ut, secundum Societatis morem, cum Assistentibus ea tractaret.

* Hic d. 45.

Quae sine Congregatione expediri possunt ad P. Generalem reiecta.

33, in Ms. decr. 53.

Tum Officii Assistentium, tum Formulae scribendi emendatio, et canonum trium Congr. post elect. extractio ad P. Generalem reiicitur.

Quaesitum fuit: quid faciendum esset de variis deputationibus superius factis, cum necdum expeditae essent, nec facile expediri possent, nisi Congregatio diu protraheretur. Et decretum est: ut quae pertinent ad conficiendum Officium Assistentium, et Formulam scribendi emendandam, R. P. Generali relinquerentur, utpote ad regulas pertinentia. Canones quoque ex actis trium Congregationum generalium post electionem idem extrahi curaret, nulla facta sensus mutatione. In difficultatibus etiam Constitutionum declarandis, auctoritate tantum sua ordinaria uteretur. Formula tamen Congregationis provincialis, et Vicarii Officium, et canones ex actis ante electionem desumpti in Congregatione legerentur, et ab ea probarentur, quod et factum est.

Sup. d. 31. C. 4 d. 19. C. 7 d. 76.

Formula Congr. provincialis, Officium Vicarii et canones ex actis ante elect. approbantur. Sup. d. 7, 9.

34, in Ms. decr. 54.

Secunda Constitutionum editio pro vulgata habeatur. * Hic d. 26. C. 1 d. 79. C. 2 d. 52. C. 4 d. 8, 33, 50. C. 5 d. 76. C. 23 d. 27.

Quaesitum etiam fuit: quid decernendum esset de secunda Constitutionum editione, de qua decr. 41 *; et decretum fuit: ut haec secunda editio, quae cum exemplari hispanico magis convenire inventa est, deinceps pro communi et vulgata haberetur in Societate, saltem donec sequens futura Congregatio aliud statuerit.

SEQUUNTUR DECRETA PER DEFINITORES CONFECTA, ET A CONGREGATIONE GENERALI APPROBATA.

35, in Ms. decr. 57.

Processiones a Nostris ne fiant; tamen P. Generalis dispensare possit.

Decretum fuit: ne deinceps processiones a Nostris fierent; liberam tamen R. P. Generalis haberet facultatem dispensandi circa quascumque processiones retinendas et instituendas, ubi ad Dei gloriam et proximorum aedificationem, praesertim ubi usu receptae sunt, et maxime inter haereticos, et ubi conversioni infidelium datur opera, expedire videret. Omni autem studio et diligentia privilegium aliquod a Summo Pontifice impetrandum esse, quo a publicis Ordinariorum processionibus eximeremur. Quod privilegium, si obtineri non posset, vel quamdiu non obtineretur, et Nostri ad publicas supplicationes procedere cogerentur, superpelliceis utendum esse, ut, sicut in habitu sequi debemus, ita etiam in huiusmodi processionibus communem honestorum clericorum morem sequeremur. De loco tamen et ordine procedendi, relinquendum esse eorum, qui Nostros ad processionem vocarent, arbitrio ac dispositioni constitutum fuit.

Exemptio a publicis Ordinariorum processionibus procuranda; interea, si cogimur ad eas procedere, modus id faciendi innuitur.

Cum autem sequenti die quidam ex Patribus in Congregatione intercessissent: ne hoc praesenti anno romana processio abrogaretur; admissa fuit intercessio, ut postridie ea de re ageretur; et tunc etiam decretum fuit: ut omnino intermitteretur. Verum Summus Pontifex hoc audiens mandavit: ne Romae praeteriretur deinceps; nec rationes nomine Congregationis illi 27 Maii propositas admisit. Ab obligatione tamen publi-

Non admittitur intercessio pro romana processione; sed Sum. Pont. mandat, ne praetereatur deinceps, promittens exemptionem.

Comp. Privil. n. 221.

Vult Sum. Pont., ut Romae cantetur a Nostris Sacrum diebus Dominicis et festis. *P. 6 c. 3,* B.

carum supplicationum se nos liberaturum promisit, ne scilicet ab Episcopis ad eas cogi possemus. Voluit etiam: ut Romae Sacrum cantaretur diebus dominicis et festis, sicut hactenus factum est; servatis tamen in modo et ratione cantus nostris Constitutionibus.

36, in Ms. decr. 58.

Qua ratione cantus in ecclesiis nostris adhibendus.

Cantus in ecclesiis Societatis inductus talis sit deinceps, qualem declaratio 3 cap. vi part., § 4, litt. B praescribit: nempe devotus, suavis et simplex, non figuratus vel firmus; et in iis tantum locis retineatur, ubi per Nostros, non admissis externis, commode exerceri potest, et finis, quem praedicta Constitutio proponit, et iuxta decr. 22 secundae Congregationis consequitur: locum tamen habeat dispensatio, praesertim inter haereticos et infideles, quoad inductionem, retentionem, modum et qualitatem cantus pro iudicio et arbitrio R. P. Generalis.

Hic d. 17. C. 1 d. 39, 40.

37, in Ms. decr. 59.

Nostri in peregrinationibus et profectionibus pedibus iter agant, iudicio Superiorum.

Ad religiosam disciplinam et paupertatis rationem pertinet, ut in peregrinationibus et profectionibus Nostri, quos ipsorum Superiores id praestare posse iudicaverint, pedestri itinere in toto vel in parte utantur; et ob eam causam R. P. Generalis eam hac in re moderationem per se et suos Provinciales adhibebit, quae Societatis nostrae Instituto consentanea sit: curabitque, ut in equitando solius necessitatis, sive personae, sive negotiorum, quam Superiores mittentes iudicabunt, ratio habeatur.

P. 7 c. 2, G.

38, in Ms. decr. 60.

Regula de mensa privata

Superiorum de caetero vim non obtineat. * *Hic d. 76.*

Regula illa, de separata mensa Superiorum, cuius mentio habetur in prima Congregatione, tit. iv, decr. 5 *, de caetero vim non obtineat. Per hoc tamen non iudicatur excludendam esse antiquam illam consuetudinem a Patribus Generalibus cum ratione observatam, tam in sua mensa, quam ut etiam cum aliis ex causa dispensetur, prout in Domino magis expedire existimaverit ipse R. P. Generalis.

Consuetudo a PP. Generalibus observata non iudicatur excludenda. *C. 7 d. 7.*

39, in Ms. decr. 61.

In distributione bonorum pactiones a Nostris ne fiant, inconsulto P. Generali. *P. 6 c. 2 n. 12.*

Licet Nostris, qui de suis bonis sunt disposituri, integrum sit pactiones cum suis parentibus et quibuscumque aliis de legitima parte et aliis bonis ad se pertinentibus inire; admonendi tamen sunt illi prius, Societatem ipsam ad ea bona nullum ius habere. Nullae tamen huiusmodi pactiones deinceps ineantur, nisi prius Generalis Praepositus de conditione Fratris, de cuius legitima parte vel bonis agitur, et de re tota diligenter informetur; et universa huius rei praxis illius iudicio et gubernatione exerceatur.

C. 4 d. 65. C. 7 d. 17.

40, in Ms. decr. 62.

Quae facienda suffragia pro defunctis Domus vel Provinciae:

In singulis Provinciis servetur mos antiquus in suffragiis faciendis pro iis, qui in Provincia moriuntur: ut scilicet in eo loco, ubi quis decesserit, singuli Sacerdotes tria Sacra, et singuli Fratres tres coronas; in aliis vero eiusdem Provinciae locis duo Sacra faciant, et duas coronas recitent. Pro aliis autem, qui extra Provinciam obeunt, singuli Sacerdotes cuiusvis Provinciae semel in quavis hebdomada Missae sacrificium offerant, et singuli Fratres unam coronam recitent. Praeterea de obitu cuiusque, ut hactenus factum est, significetur extra Provinciam per universam Societatem, ut ubique omnes

pro defunctis extra Provinciam. *C. 13 d. 8. C. 15 d. 10. C. 18 d. 9. Ord. Gen. c. 2 n. 3.*

Obitus cuiusque per universam Societatem significetur.

P. Mercurianus Praep. Gen.

illius animam Domino Deo commendent: Sacerdotes quidem in Missis, vel per collectam, vel alia ratione; alii vero in suis precationibus pro uniuscuiusque devotione.

41, in Ms. decr. 63.

Quis Domus Professae fundator censendus; quae pro ipso suffragia facienda. *P. 9 c. 3 n. 17.*

Domus Professae fundatorem habere possunt, quemadmodum et Collegia. Fundator autem Professae Domus ille censeri debet, qui dat ecclesiam necessariis rebus ad cultum Dei ornatam; praeterea Domum supellectili domestica et libraria sufficienter instructam. Pro huiusmodi autem fundatore ea suffragia in ipsa Domo, et Provincia, in qua Domus erigitur, exhibebuntur, quae Constitutio iv part. cap. 1 pro Collegiorum fundatoribus in tota Societate exhiberi praescribit, excepta candelae traditione.

C. 6 d. 20.

Candela ipsi ne tradatur.

42, in Ms. decr. 66.

Quomodo Admonitor Generalis absens vel mortuus substituendus.

Si contigerit Admonitorem Praepositi Generalis alio mitti; poterit quidem alius illi ab ipso Generali substitui, si ad breve tempus tantum sit ille abfuturus. In casu autem mortis et diuturnae absentiae, eadem in alio substituendo ratio servetur quam in Assistentium substitutione Constitutio ix part. cap. 5, § 3, et decretum 8 tit. vi primae Congregationis servandum esse praescribit.

Hic d. 87. Sup. d. 12. C. 4 d. 24.

43, in Ms. decr. 67.

Collegia non bene constituta, an et quamdiu ex eleemosynis vel reditibus vivere debeant. *P. 4 c. 2 n. 2, 6.*

Collegia, in quibus propria Collegiorum munia non exercentur, vel quia nondum plene constituta sunt, licet sint inchoata, vel quia aedificandi necessitas non patitur Nostros legere, nec Scholasticos nostros illic ali; R. P. Generalis iudicabit: an et quamdiu ex eleemosynis vel ex reditibus vivere debeant, et faciet quod in Domino expedire iudicaverit: neque enim hic casus idem est cum illo, qui in decreto 90 secundae Congregationis continetur. 1573

Hic d. 71.

44, in Ms. decr. 68.

Procurator Gen. admittendus ad Congr. gen. post elect. *C. 4 d. 17. C. 11 d. 28. C. 13 d. 2. C. 18 d. 15. C. 22 d. 9.*

Procurator Generalis Societatis nostrae, qui Romae fuerit Congregationis tempore, ad Congregationem generalem deinceps admittatur post electionem Praepositi Generalis, utpote qui ad tractanda negotia utilis esse possit.

45, in Ms. decr. 69.

Non tenemur recipere redeuntes a Carthusia. *C. 4 d. 66.*

Si qui ex Nostris ad Carthusiensium Ordinem transirent, et redire ad Societatem denuo vellent, non tenetur Societas eos recipere ex ratione sui Instituti.

46, in Ms. decr. 70.

Formula votorum simplicium Professorum immutatur. *P. 10 n. 6. C. 1 d. 102. Pag. 146, 180. C. 9 d. 18.*

Verba illa: *Tum, si quem sciam id curare,* etc., addita secundo voto simplici, quod Professi emittunt post professionem, reponantur post sequentem promissionem, de non praetendenda praelatione aliqua extra Societatem, in hunc modum: *Tum, si quem sciam aliquid praedictorum duorum curare vel praetendere,* etc., ut ita utrumque complectantur, scilicet, quod de praelatione in Societate et extra Societatem dicitur.

47, in Ms. decr. 72.

Aristotelis interpretes impii cum delectu legendi a Magistris: hi faciant, ut Philosophia Theologiae ancilletur. *C. 5 d. 41.*

R. P. N. Praepositus Generalis commendatum magnopere habeat, ut Praeceptores nostri, qui interpretantur Aristotelem, non nisi cum magno delectu interpretes eos legant, qui contra christiana dogmata impie scripserunt, et maxime ad ea impugnanda, quae christianae veritati adversentur;

P. Mercurianus Praep. Gen.

P. 4 c. 12 n. 8. C. 14 n. 1.

1573

et ita Philosophiam interpretentur, ut verae Theologiae scholasticae, quam nobis commendant Constitutiones, ancillari et subservire faciant.

48, in Ms. decr. 73.

Procuratores Sardiniae, Indiarum et Poloniae cui Congregationi interesse possint et quando. *C. 4 d. 12. Vide tamen C. 6 d. 35 n. 16.*

SARDINIAE Procurator sine alia Congregatione provinciali, cui non potest interesse, ut plurimum, possit venire ad generalem, et ad alia ius habere suffragii, praeterquam ad Generalis et Assistentium electionem. Simili modo ex Lusitania pro India et Brasilia, et ex Baetica pro Peru et Nova Hispania Procuratores mitti possent, si alii electi non sufficient ad negotia tractanda iudicio Congregationis provincialis Lusitaniae et Baeticae. Ex Polonia etiam admittatur Procurator ad Congregationem provincialem Austriae, si Vice Provincialis iudicaverit ad eam non posse venire suos Rectores; et ad generalem etiam venire poterit, ut alii supra dicti, si Congregationi Austriae videbitur expedire. Et haec intelligantur, quamdiu Sardinia et Polonia non fient separatae Provinciae. In Polonia autem et Sardinia eligetur Procurator a Vice Provinciali et Consultoribus ac Professis quatuor votorum, qui in eo loco fuerint, ubi Vice Provincialis erit. In Baetica autem et Lusitania ipsa Congregatio provincialis eliget.

A quibus hi Procuratores eligendi.

C. 4 post d. 67. C. 6 d. 8.

DECRETUM TERTIAE CONGREGATIONIS GENERALIS, QUOD IN ACTIS NON EST INSERTUM, SED IN ARCHIVIO REPOSITUM.

Deputantur qui videant, quanam ratione Collegium romanum aere alieno liberetur

CUM die 14 Iunii ageretur de gravissimis necessitatibus Collegii et Domus romanae, ob contracta multa debita et summam difficultatem in tanta multitudine alenda, et de modo aliquo adhibendi remedium quaereretur; decrevit Congregatio: ut R. P. Generalis deputaret aliquos, qui ista inspicerent, et de remedio consultarent, ac in Congregatione referrent. Ipse vero deputavit PP. Assistentes, et omnes Provinciales, ut viderent: quaenam ratio iniri posset, ut Collegium romanum aere alieno liberaretur, et in futurum provideretur, unde sustentari posset. Convenerunt igitur Patres deputati, et, re diligenter excussa, maior illorum pars censuit: ut decretum illud de distributione bonorum facienda in eadem Provincia, in qua sunt bona, et non in ea, ubi quis ingrediatur, integrum maneat; sed Congregatio generalis relinquat R. P. Generali facultatem in eo dispensandi in Collegio romano et aliis Seminariis Provinciarum, pro iudicio et arbitrio R. P. Generalis, habita ratione necessitatis et communis boni, ita ut, cum quis in his locis ad Societatem admittitur, possit P. Generalis dispensare, ut eius bona, quae in alia Provincia fuerint, applicentur illi Seminario. Extra hunc autem casum, semper iuxta decretum applicentur bona Provinciae, in qua ipsa bona sunt; et haec dispensatio perpetua non sit; sed interim locum habeat, dum Dominus alia ratione Seminariis huiusmodi non providerit; vel certe usque ad aliam generalem Congregationem, et modo scandalum semper in his distributionibus vitetur. Visum est pene omnibus: ut in his Collegiis Nostrorum numerus minuatur, ita ut deinceps nulla debita contrahantur; sed nos accommodemus S. Concilii Tridentini decreto et nostro. Et huic sententiae consensit Congregatio die 16 Iunii 1573; verum ne in actis insereretur, sed in archivio reponeretur.

et ipsi in futurum provideatur.

Sup. d. 16. C. 2 d. 15, 23. Pro Collegio romano et aliis Seminariis nostris P. Generali ad tempus fit facultas dispensandi in decreto, de bonis extra Provinciam non extrahendis.

In his Collegiis Nostrorum numerus minuatur. *Sess. 25 de Regular. c. 3.*

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

FORMULA ELIGENDI PRAEPOSITUM GENERALEM,

SEU CANONES

C. 3 d. 4, 33. EX ACTIS III CONGREGATIONIS GENERALIS ANTE ELECTIONEM DESUMPTI, QUIBUS INCLUDUNTUR EA, QUAE IN PRIORIBUS CONGREGATIONIBUS ANTE ELECTIONEM OBSERVANDA VIDEBANTUR, RECOGNITI ET CONFIRMATI POST ELECTIONES, UT VIM HABEANT IN FUTURUM.

1. Cum generalis Congregatio indicta fuerit a P. Vicario pro electione novi Praepositi Generalis, et spatium temporis convocandi ad hoc Societatem iuxta Constitutiones fuerit elapsum; inchoari poterit Congregatio, si iam duae tertiae partes Electorum a suis Provinciis advenerint. Et quidem, si ex singulis Provinciis vocati fuerint Procuratores ad tractanda negotia post electionem Generalis, non admittentur in Congregationem ante electionem, neque ad acta, quae in illa fiunt. Ordo autem sedendi in Congregatione et dicendi sententias huiusmodi erit: ut ad dextram P. Vicarii sedeant Patres, qui superstites fuerint ex decem primis; deinde simul Assistentes et Provinciales, ordine antiquitatis in sua professione inter ipsos servato; postea vero eodem ordine ad sinistram reliqui Professi Electores, de quorum legitima vocatione et iure suffragii ad electionem Generalis P. Vicario et Assistentibus ex actis singularum Congregationum provincialium, vel ex alio sufficienti testimonio constiterit. Si quid vero dubii in aliquibus particularibus invenerint, id totum ad generalem Congregationem quam primum referent, non admissis iis, de quibus legitime dubitatur, donec ipsa Congregatio de illis constituerit.

2. Decernatur primum a Congregatione: eos, qui adsunt, Congregationem generalem legitimam et plenam conficere. Quod si P. Vicarius et Assistentes de aliquorum Electorum legitima electione aut vocatione dubitaverint, id referant, ut paulo ante dictum est, ad Congregationem, ut de illis, antequam ad illam admittantur, sigillatim ipsa statuat, quid agendum sit.

3. Proponatur Congregationi: an suppleri debeant omnes defectus, si qui forte acciderint, tam in Congregationibus provincialibus, quam alii quicumque.

4. Secretarium per scrutinium secretum eliget Congregatio, non solum qui Generalis electioni, sed qui Congregationibus et actis, si quae fient ante electionem, subserviat; cuius officium finis electionis terminabit.

5. Si Romae habeatur Congregatio, proponatur: quinam cum P. Vicario adire debeant Summum Pontificem ad petendam ab ipso benedictionem, et ad electionem Praepositi, et ad alia, quae in Congregatione iuxta nostras Constitutiones tractanda erunt.

6. Eligatur unus ex Electoribus per scrutinium secretum, qui secundam habiturus sit orationem, iuxta 6 cap. VIII partis. Eligatur etiam alius

P. Mercurianus Praep. Gen. extra numerum Electorum, qui curam habeat includendi Electores cum aliis quatuor, sive ex Procuratoribus, qui vocati sunt ex diversis Provinciis, si qui tales venerint, sive ex Patribus de Societate.

7. Deinde Congregatio per secreta scrutinia eligat et deputet quinque Patres ex variis nationibus de numero congregatorum, qui cum P. Vicario et Assistentibus videant: an aliquid sit, in quo insigne detrimentum passa sit Societas, vel passura esse timeatur, quod singulari providentia atque industria vel resarciendum vel curandum sit; de quo, si quid fuerit, conficient interrogationem commode, qua interrogatione inquirere Electores possint ac debeant, et intelligere, quis esse aptissimus videatur ad officium Generalis Praepositi ad maiorem Dei gloriam administrandum. Porro de quibus agent Deputati, ea ad plura suffragia transigent, nec duo suffragia habebit Vicarius Generalis, sed solum suffragii praerogativam.

8. Ad hos autem Deputatos singuli Electores et Procuratores ferent quae habent a suis Congregationibus provincialibus, vel quae ipsi notarunt ad hoc negotium pertinentia. Si vero alii ex Nostris, extra numerum Electorum et Procuratorum, aliquid huiusmodi Deputatis proponerent, non erunt reiiciendi; tamen non sunt provocandi, ut hoc faciant: verum eorum informatio non nisi scripta ab ipsis recipiatur. Interrogatorium autem a Deputatis confectum non oportebit ut publice in Congregatione legatur; sed satis erit si singulis Electoribus ante inceptum quatriduum communicetur; necesse tamen erit, ut Deputati, ab Electoribus interrogati circa intelligentiam vel explicationem interrogatorii, eos informent de statu Societatis in huiusmodi rebus; et de iis, quae ipsa passa est vel passura timeatur, quatenus ad bonam electionem futuri Generalis utile erit. 1573

9. Si quaedam maioris momenti ad electionem spectantia Congregationi proponantur, uno die haec proponi debent, rationibus utrimque adductis (et si in his maior informatio desideraretur, ea a Vicario vel ab aliis Electoribus petenda est), et sequenti die dicantur sententiae. Haec vero et omnia, quae ante electionem tractanda erunt, ad plura suffragia decernantur; si qua autem leviora proponerentur, pro arbitrio P. Vicarii, non contradicente Congregatione, aut eodem, aut alio die tractentur. Nihil tamen Congregationi generali ante electionem erit proponendum, quod non ad ipsam electionem pertineat; et quae proponenda videntur, prius a P. Vicario cum Assistentibus ad plura suffragia determinentur; si quis vero postea non fuerit contentus, licebit illi proponere Congregationi.

10. In actis ante electionem Vicarius habebit solum qualitatem praecedendi, caeteris paribus tam suffragiis quam qualitatibus: nulla tamen sufficiet qualitas suffragiorum ad electionem Praepositi; sed numero medietatem omnium suffragiorum excedi oportebit.

11. Proponatur ante quatriduum: an exspectandi sint absentes ad electionem Praepositi faciendam; et si decernatur non esse exspectandos, nihilominus suus illis locus servandus erit in Congregatione, si venerint.

12. Primo die quatridui mane eligatur Assistens per scrutinia secreta, post cuius electionem P. Vi-

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

carius suam habebit orationem iuxta Constitutiones.

13. Quatriduo ante electionem Professi non egrediantur Domo sine licentia P. Vicarii (cui liberum erit egredi, si quando opus esse iudicaret) ut orationibus, Missis quotidie dicendis, ieiuniis et aliis corporis afflictionibus, et informationibus etiam vacent. De partitione autem ieiuniorum, disciplinarum et orationum, quae fieri debebunt in eo loco, ubi Congregatio habebitur, P. Vicarius illam quo suo arbitrio faciet.

Vide etiam pag. 152.

DE RATIONE INFORMATIONIS AD ELECTIONEM PRAEPOSITI GENERALIS.

14. Videndum est: qui debeant informationem petere, a quibus ea peti, de quibus personis, de quibus rebus, quomodo peti debeat, postremo, quomodo petenti respondendum sit.

1. Qui debeant petere.

Omnes Electores, nemine excepto, informationem petent.

2. A quibus peti debeat.

Ab iis solis, qui ad Congregationem vocati sunt, sive sint Electores, sive Procuratores, et in quatriduo dumtaxat. Ita tamen, ut Procuratores, a quibus peteretur, teneantur eamdem legem subire ratione informationis, quam Electores; de qua lege et informandi modo Procuratores ipsi per Secretarium prius informari debeant.

3. De quibus personis peti debeat.

De quibus venit in mentem unicuique, quod possent esse idonei ad munus Praepositi Generalis, sive absentes sive praesentes sint, inter Professos tamen quatuor votorum.

4. De quibus rebus peti debeat.

In genere loquendo, his de rebus, ex quibus iudicari potest, quod aliquis sit idoneus ad munus Praepositi obeundum, vel contra. Itaque defectus, qui bonae gubernationi adversari possunt, et peti et dici debent, omissis illis, quae ad bonam Praepositi electionem non faciunt; et haec omnia iuxta Constitutiones, et praecipue 2 cap. IX part., et iuxta interrogatorium, quod a Deputatis conficietur, ut dictum est. Sed et habenda est ratio eorum, quae in 2 et 3 cap. Examinis et etiam 2 et 3 cap. primae partis Constitutionum dicuntur: ex iis enim quisque sibi interrogatorium ad informationem conficere potest; nemo tamen arctandus videtur, quin interrogare possit alia, quae interroganda praeterea iudicaverit. Peti etiam debebit ab eo, qui reddit informationem: an quid aliud habeat dicendum de persona, de qua interrogatur; et an de alia sentiat capiendam informationem; et an ab alio quopiam aliqua in re clariorem ac certiorem informationem habere possit inter eos, a quibus peti debet informatio.

5. Quomodo peti debeat informatio.

Non petat: an hic vel ille aptus videatur ad hoc munus, nec ne; sed de rebus illis, ex quibus iudicari possit, an sit idoneus, nec ne. Eius intentio sit pura ab affectibus humanis, etiam naturalibus, nedum vitiosis; et tantum gloriam Dei et meliorem Societatis gubernationem, quae ad commune bonum animarum ordinatur, prae oculis habeat, et non propriam utilitatem, quae illi non consonat.

Nec solum ab omni ambitione pro se et aliis sit liber; sed diligenter ob-

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

servare debet, ne voluntatis propensionem ad hunc vel illum excludendum vel admittendum habeat, quoad eius fieri potest; donec post orationem et informationem suo tempore et loco statuat, quam sententiam sit dicturus; nec eam prae se ferat.

Cum informationem aliquam de aliquo accipit, servet alteram aurem aliis, et cor Deo, memor, quod iuramento est electurus quem aptissimum duxerit. Si quid tamen intellexerit, quod secretum teneri debeat, cum aliis, praeterquam cum Electoribus in informatione, silentium teneat, memor charitatis, et in virtute sanctae obedientiae in re tantum gravi, non in qualibet.

Non existimet quisquam Electorum, se minus gratum futurum ei, cui non dederit suum suffragium, et de quo libere secundum conscientiam informaverit; quin potius eidem, et universae Societati, et Deo rem gratissimam se facturum sciat.

Post informationem consideratio et discussio necessaria est, et multo magis oratio, quae illustrationem impetret a Deo, sapientiae fonte, ad bene iudicandum, et eligendum eum, qui Deo maxime sit placiturus. Et in hac divina gratia, potius quam in humana diligentia, spem constituat; meminerit tamen, non solum voluntatem, sed iudicium cohibendum esse ab ultima definitione, iuxta 6 cap. VIII part., donec in locum inclusionis ingrediatur.

6. Quomodo respondere debeat is, a quo petitur informatio.

Nemo obtrudat informationem non petenti, et qui obtruserit deferatur. Caveat et ipse affectus humanos, non solum ambitionis, sed et cuiusvis propensionis, quae non ducatur ex intentione honoris Dei, communis boni, et bonae gubernationis Societatis, et, ut dictum est de petente, sic de dante informationem intelligatur; nec ad promotionem nec exclusionem ullius incumbat, nec propensam ad id voluntatem ostendat; sed ut de re speculativa, vel omnino ad se non pertinente, quod sentit, praecise conetur explicare.

Non solum mendacia, sed amplificationes et exaggerationes relinquantur; nihil temere, sed considerate et mature, certa pro certis, opinata pro opinatis referat; et qui aliquem defectum ab aliquo ex informatoribus audivit, non referat aliis, etiam interrogatus; sed ad eum, a quo audivit, interrogantem remittet, ut qui coram Deo agit, et ei rationem est redditurus eorum, quae in sua informatione dixerit.

15. Super illud 6 cap. VIII part., quod sub poena excommunicationis latae sententiae quisque teneatur manifestare, si quem sciret affectasse hoc munus; statuit: addendam esse censuram hanc in eos, qui ambiunt pro aliis; et quod haec censura se extendat ad informationem non sinceram; eam scilicet, quae studiose mendax est, mala cum intentione, et in re gravi. Demum ipso facto ambitiosos pro se vel pro aliis in excommunicationem incidere decernitur; a qua non possint absolvi ante electionem nisi a P. Vicario, post electionem vero a R. P. Generali.

16. Si Vicarius ipse notaretur de ambitu, deferendus esset ad duos antiquissimos Professos vel ad Provincialem antiquissimum, pro deferentis arbitrio.

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

17. Pridie electionis, vesperi, in loco electionis deputato parentur altare cum Crucifixo, suggestus, et mensa, ubi erit Vicarius et Assistens cum Secretario, et urna, in quam coniicienda sunt suffragia. Parentur item schedulae, quotquot erunt necessariae, in quibus ex una parte scriptum sit iuramentum, ut est in Constitutionibus, incipiendo hoc pacto: *Ego N. testem invoco Iesum Christum, qui est Sapientia aeterna, quod, eum eligo et nomino in Praepositum Generalem Societatis Iesu, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum.* Ex alia vero parte ponantur haec verba: *Eligo in Praepositum Generalem Societatis Iesu N.*, ita ut nihil desit Electori scribendum, nisi nomen electi et eligentis; et hoc manu propria, sed immutato, quantum fieri poterit, charactere, ne agnosci possit a tribus illis, qui suffragia visuri et lecturi sunt. Nomen tamen eligentis maneat obsignatum iuxta Concilium Tridentinum, in quo praecipitur: Generales eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Post promulgatum autem decretum electionis, statim comburantur suffragia in ipso Congregationis loco.

18. Missa de Spiritu Sancto ipso die electionis celebrabitur, iuxta Constitutiones 6 cap. VIII part., ab ipso Vicario, vel ab eo, quem elegerit; et quidem coram omnibus, et in aurora; et post eius communionem statim Electores communicabunt. Missa autem in ecclesia celebranda erit, et eumdem ordinem in eundo ad eam, et communicando, et redeundo, de quo supra dictum est, servabunt. Incedant autem bini, et ad campanae domesticae pulsum (quae post communionem omnium usque ad inclusionem in loco Congregationis sonabit) hi qui suffragia habent ad locum Congregationis se conferent, cruce praecedente, aliis de Societate interim canentibus: *Veni, Creator Spiritus.* Quem hymnum submissa voce omnes Electores in ipso loco Congregationis dicent: et post inclusionem Electorum iidem de Societate in ecclesia vel alibi dicent Litanias, et continuam orationem, quae usque ad electionem durabit, habebunt.

19. Inclusis Electoribus per Deputatos iam antea ad hoc electos, primum habeatur concio a Deputato a Congregatione, qua in genere exhortetur ad electionem eius Praepositi, qui ad maius Dei obsequium conveniat, nullo dato signo, quo particularis aliqua persona significetur. Deinde quisque seorsum oret Deum per horam, et, cum nullo alio loquendo, in Creatoris sui ac Domini conspectu, ex iis, quae prius intellexerit, apud se statuat, quem sit electurus.

20. Statim post orationem tentandum erit scrutinium, nisi prius communis inspiratio in eligendo quempiam praevenisset ordinem; quae quidem inspiratio acceptari deberet, modo adeo luculenta et notoria esset, ne uno dempto, ut nulla tergiversatione negari posset divinam esse inspirationem.

21. Iuxta Const. VIII part. cap. 6: *ex his, quae prius quisque intellexerit, apud se statuat, quem sit electurus, et in charta scribet nomen personae, quam eligit;* locum illum declarando, statuitur: novas informationes, quae nullae debent sumi in loco inclusionis, excludi debere; et ex praecedentibus, cum gratia tam illustrationis divinae, quam discursus, accepta a Deo, et *P. 8 c. 6 n. G.*

P. Mercurianus Praep. Gen. **1573**

prius et eodem loco, electionem esse faciendam Praepositi Generalis, quem inter absentes et praesentes, Professos tamen quatuor votorum, eligi oportet.

22. Pater Vicarius, Secretarius et Assistens, antequam scribantur suffragia, iurabunt coram Deo, ut quadrat singulis iuxta Const. 6 cap. VIII part., se sincere accepturos et publicaturos suffragia: et tam protestationis huiusmodi quam absolutionis formula haec est, videlicet: *Testem invoco Deum, cuius oculis omnia nuda sunt, me fideliter accepturum et publicaturum suffragia; et quae ad officium meum pertinent, sincera cum intentione me praestiturum. Protestor etiam in divinae Maiestatis conspectu et universae Societatis, quam hic repraesentamus, me neminem admittere velle, qui non sit admittendus, nec excludere, qui non sit excludendus.* Dein subiunget P. Vicarius:

23. *Et auctoritate Dei omnipotentis mihi, licet indignissimo, per Sedem Apostolicam concessa, absolvo vos a quavis sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, et a quibusvis aliis sententiis, censuris et poenis, et, quatenus sit opus, dispenso vobiscum super irregularitate quavis (dummodo sententias, censuras et poenas ac irregularitatem huiusmodi ob defectus ad electionem hanc pertinentes non incurreritis) ad effectum legitimae electionis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

24. Absolutio autem, quam antiquissimus Professus dat Vicario, eiusdem tenoris erit cum ea, qua ipse absolvit.

25. Post praedictam protestationem et absolutionem, Secretarius dicat Vicario: *Pater, da tuum suffragium in nomine Iesu.* Mox Vicarius, surgens, flectet genua coram Crucifixo, et signans se cruce, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, legat iuramentum a tergo schedulae scriptum huius tenoris, ut dictum est: *Ego N. testem invoco Iesum Christum, qui est Sapientia aeterna, quod eum eligo et nomino in Praepositum Generalem Societatis Iesu, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum.* Deinde, surgens, et duobus digitis clausum suffragium suum ostendens, in urnam mittat; et, se rursum inclinans coram Crucifixo, redibit ad locum suum, et mox dicet duobus sociis suis et caeteris: *Omnes ordine ferant sua suffragia in nomine Iesu.* Deinde, surgens Secretarius et Assistens, et postea reliqui suo ordine, sigillatim iuramentum facient, et sua suffragia ferent ad exemplum P. Vicarii. Quod autem iurent omnes, se eligere eum, quem senserint in Domino aptissimum ad hoc onus ferendum, etc., declaratum est: quod si quis duos aut plures pares omnino iudicaret suo iudicio, integrum sit ei dare cui voluerit suffragium.

26. Deinde Secretarius ex urna, cum prius mixta fuerint, suffragia sigillatim extrahat, et cum reverentia et modestia extracta singula ostendet P. Vicario; ille autem visa, et utrique socio ostensa, leget publice, vel Secretario legenda reddet; et in hac promulgatione electus tantum nominetur, obsignato manente nomine eligentis, ut dictum est.

27. Post singulorum suffragiorum publicationem conferetur numerus, si plures nominati fuerint; et, qui plus quam mediam partem omnium suffragiorum habuerit, Generalis Praepositus erit; et Vicarius, si ipse

P. Mercurianus Praep. Gen.

electus non fuerit, significet publice, plura esse medietate suffragia eius, qui eligitur, et postmodum formet decretum in hanc formam: *Cum in plena et legitima Congregatione, collato numero omnium suffragiorum, plus quam media pars omnium R. P. N. nominaverit et elegerit: ego N. auctoritate Sedis Apostolicae et universae Societatis, eligo praedictum R. P. N. in Praepositum Generalem Societatis Iesu. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Romae,* vel *alibi, etc.*

28. Si Vicarius ipse electus esset, eius loco significabit et formabit decretum * antiquissimus ex Professis Electoribus; scribeturque a Secretario decretum, et subscribetur ab eo qui format illud, et sigillo Societatis obsignabit; et statim omnes ad reverentiam ei exhibendam accedant, incipiente Vicario cum Secretario et Assistente, ordine prius dicto, nisi aliquis ex ipsis electus esset. Postremo omnes ad ecclesiam se conferent, canentibus aliis de Societate: *Benedictus Dominus Deus Israel,* etc., inter eundum; et in ipsa ecclesia: *Te Deum laudamus,* etc., et unus Sacerdos dicet tres orationes: primam de Trinitate, secundam in gratiarum actionem, tertiam de die, vel de B. Virgine; et usque ad egressum de ecclesia Praepositus non admittat oscula manuum ab aliis quam ab Electoribus.

* *Vide tamen Form. n. 50.*

29. Si in primo scrutinio nullus habuerit amplius quam medietatem suffragiorum, ante Compromissariorum electionem, de qua agitur 6 cap. VIII partis, tentandum erit secundum scrutinium inter omnes, qui habuerunt suffragium aliquod ad officium Praepositi; et si nec tunc quidem crearetur Praepositus, eodem modo tertium scrutinium tentandum erit. Si nec tunc quidem egrederetur Praepositus, quinque Electores ad plura suffragia eligendi erunt, et ad quem maior pars eorum inclinabit, ille Praepositus erit. Reliqua autem, ut supra, facienda erunt. 1573

30. Ad hos quinque Electores eligendos danda est una hora, et servanda est formula scribendi, iurandi et publicandi Electores similis illi, quae ad Generalem eligendum data est. Si acciderit duos uni et totidem alteri suum dare suffragium, tunc decidetur a Congregatione, quid erit agendum.

31. Hi autem Compromissarii eligent Praepositum Generalem inter eos, qui aliqua suffragia habuerint, sepositis illis, qui ad tria non pertigissent, nisi huiusmodi plures essent quam duo. Si vero duo vel tres eminenter plura suffragia habuerint quam alii, illi nec activam, nec passivam vocem ad electionem Compromissariorum habebunt. Si qua vero difficultas oriatur, tunc a Congregatione statuatur, quid circa illam agendum sit.

32. Atque hactenus de canonibus ante electionem dictum sit, qui quidem soli in futurum vim et robur obtinere debeant.

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

FORMULA CONGREGATIONIS PROVINCIALIS

A TERTIA GENERALI CONGREGATIONE APPROBATA.

Habetur etiam in fine huius Voluminis.

Caput I. — *Quibus in casibus Congregatio provincialis cogi debeat.*

Quatuor in casibus cogenda est Congregatio provincialis. Primus est, ad eligendos Electores Praepositi Generalis, iuxta 3 cap. VIII part. Secundus, quando occurreret aliquis ex iis casibus, qui in 2 et 3 cap. VIII part. et 5 cap. IX part. attinguntur. Tertius, quando eligendi sunt hi, qui cum Provinciali ad Congregationem generalem sunt mittendi, quae ab ipso Praeposito vivente ad aliqua gravia negotia cogitur, prout 5 cap. VIII part. dicitur; vel cum Congregatio Procuratorum simul cum Assistentibus et ipso Generali cogendam esse decernunt, iuxta decretum 24 secundae Congregationis generalis. Quartus est, ad eligendos Procuratores, qui tertio quoque anno, a fine Congregationis generalis computando, ex singulis Provinciis ad Praepositum Generalem mittendi sunt, iuxta declarationem 2 cap. VIII part. et praedictum decr. 24 secundae Congregationis.

Hic d. 19.

Hic d. 19.

Caput II. — *Quis, ubi et quando debeat Congregationem provincialem convocare.*

1. Spectabit ad Praepositum Provincialem, vel ipsius loco ad Vice Provincialem, Congregationem huiusmodi indicere, quocumque ex praedictis casibus cogenda illa sit.

2. Eiusdem erit locum commodum et idoneum designare, quo debeant convenire; et tempus etiam praescribere, quod opportunum sit, ut, ea absoluta, qui electi fuerint, ad locum Congregationis generalis celebrandae designatum, vel ad P. Generalem tempore praescripto commode venire possint. Non durabit autem Congregatio provincialis ultra decem, vel ad summum duodecim dies.

Caput III. — *Qui congregari debeant.*

1. Intererunt et suffragii ius habebunt in Congregatione provinciali, in quocumque ex quatuor casibus praedictis cogatur, in primis ipse Praepositus Provincialis, et si quis Commissarius vel Visitator iam officio suo defunctus (nam si eius officium adhuc perdurat, Congregationi adesse non debet) in aliqua Provincia eo tempore versabitur, quo celebranda est Congregatio. Praepositi praeterea Domorum Professarum, Rectores Collegiorum Societatis et Domorum Probationis, quae separatae et Provinciali immediate subiectae fuerint, vel Vice Praepositi Provinciarum et Domorum, ac Vice Rectores (si accideret in aliqua Provincia, Domo vel Collegio eo tempore non inveniri Praepositum, vel Rectorem, aut legitime impeditum esse) vel ii, quos ii miserint suo loco. Rectores etiam, qui praesunt Seminariis vel Convictoribus, ubi curam huiusmodi suscepit Societas; si tamen novem de Societate, ut minimum, in huiusmodi Collegiis, et immediate Provinciali subditi fuerint.

2. Intersint etiam praeter hos omnes Professi quatuor votorum (exceptis iis, qui, post cognitam Praepositi Generalis mortem, ad eam Provinciam ex alia missi fuissent; ne

P. Mercurianus Praep. Gen. 1578

in duabus diversarum Provinciarum Congregationibus suffragium habere quisquam possit) quotquot non fuerint legitime impediti vel necessario occupati: et huius legitimi impedimenti ac necessariae occupationis iudex erit Provincialis ipse cum Consultoribus et Professis quatuor votorum, qui fuerint in eo loco, ubi ipse erit, ad plura suffragia.

3. Praeterea venient Procuratores unius vel plurium Provinciarum; et ubi tales non fuerint, Procuratores maximi omnium in quavis Provincia Collegii; modo sint Sacerdotes, et Coadiutores formati, aut trium votorum Professi, et non sint legitime impediti, ut de Professis dictum est. Porro nec Vicarius Generalis nec Assistentes Congregationi provinciali interesse debebunt, aut etiam poterunt.

4. Quae autem impedimenta excusare debeant vel Provincialem vel aliquem electum in Congregatione provinciali, quominus ad Congregationem vel ad Praepositum Generalem veniat, si Congregatio provincialis non erit dissoluta, ipsa statuet per vota secreta; si dissoluta fuerit, de Electorum impedimentis statuat ipse Provincialis cum suis Consultoribus et Professis quatuor votorum praesentibus, ad plura suffragia: an legitima sit excusatio. Quod si impedimentum Provinciali acciderit, Consultores ipsius et Superior loci, ubi Provincialis erit, cum Professis quatuor votorum praesentibus ad plura suffragia decernent: an huiusmodi impedimentum legitimum censendum sit.

Caput IV. — De eligendis in Congregatione provinciali.

1. Si agitur de mittendis ad Congregationem generalem, quinque Professi quatuor votorum eligi debent. In primis duo Electores Praepositi futuri, iuxta Constitutiones, cap. 3 et 5 part. VIII, vel in quocumque casu comitaturi Provincialem ad Congregationem generalem.

2. Deinde eligendus est tertius, ut ex duobus praedictis et ex eo conficiatur ille ternarius, ex quo unum Provincialis suo loco mittere debet, iuxta declarationem 3 cap. VIII part., si impeditus legitime iudicabitur. Praeterea quartus et quintus addantur, ut subrogentur in locum duorum, qui electi primo fuerunt, et cum Provinciali ad Congregationem venient, si legitime et ipsi impedirentur. Ita ut, si solus Provincialis excusatus habebitur, tertius veniat; si aliquis ex duobus primis comitibus, non autem ipse Provincialis se excusabit, tertius nihilominus veniat; si uterque ex primo electis excusandus iudicabitur, tertius et quartus eorum loco subrogentur. Quintus autem non subrogabitur, nisi ultimo loco, quando ex aliis nominatis, propter legitima eorum impedimenta non potest impleri numerus duorum, qui cum Provinciali et Vice Provinciali venturi sunt ad Congregationem generalem.

3. Si agitur de electione Procuratorum, in primis, qui praeest Provinciae eligi non poterit, ut tertio quoque anno ad Praepositum Generalem veniat, ne Provinciam suam deserere cogatur. Eligi autem debebunt duo Professi quatuor votorum: unus primo loco, et alter secundo, qui subrogetur in

P. Mercurianus Praep. Gen. 1578

locum prioris, si ille propter legitima impedimenta venire non poterit.

4. Ex transmarinis Provinciis veniant Procuratores Professi etiam quatuor votorum, a Provinciali cum Consultoribus et Professis quatuor votorum praesentibus ad plura suffragia electi; ut simul cum aliis Romae de Congregatione generali cogenda deliberaturi cum suffragio intersint. Si tamen praedicti Electores in praedictis locis iudicabunt commode non posse mitti talem Procuratorem, licebit eis, vel Professum trium votorum mittere, vel Coadiutorem spiritualem formatum, vel in sequens triennium differre missionem.

Caput V. — De rebus tractandis in Congregatione provinciali.

1. Post electionem personarum, agendum est de rebus, quae vel Praeposito vel Congregationi generali nomine illius Provinciae proponendae sunt. Et si agitur de Procuratore mittendo tertio quoque anno, in primis agetur de rationibus, quae movere possunt, ut Congregatio generalis celebrari debeat, vel non celebrari; deinde de negotiis, vel in Congregatione generali, vel cum ipso P. Praeposito, aut Congregatione Procuratorum tractandis.

2. Cum mittuntur Procuratores, ea proponantur, quae ad veram et utilem informationem P. Generalis de statu totius Provinciae Domorum, Collegiorum, negotiorum, demum de tota ratione gubernationis in Provincia, et quomodo Superiorum ordinationes observatae sint, in dicta Congregatione expediet tractare iudicio Deputatorum, et ipsius nomine ei referri. Quidquid autem Congregationis nomine proponetur aut petetur, subscriptum sit a Secretario et obsignatum. Quae vero vel ab ipso Provinciali vel ab aliis verbo vel scripto ei dicentur, ut P. Generali referat, nomine ipsorum, non Congregationis, referre debebit.

3. Cum rationes proponentur ad suadendam vel dissuadendam Congregationem generalem, nihil in alterutram partem statuatur; hoc enim Procuratorum est, cum fuerint apud Generalem cum Assistentibus congregati; qui proponent eas, prout eis dictae fuerint, Congregationis provincialis vel aliorum nomine.

4. Intelligat Congregatio provincialis, non sibi licere quidquam constituere, praeter ea, quae in hoc officio expressa erunt; unde neque infirmare vel immutare ea, quae a Superioribus iam ordinata fuerunt, poterit.

Caput VI. De modo procedendi circa Congregationes provinciales.

1. Superiores, antequam discedant ad Congregationem provincialem, informatione accepta ab iis, quos ex suis domesticis bene sentire de rebus tractandis iudicabunt, (non prohibendo alios, quin possint privato nomine, vel Consultoribus offerre, vel ad Congregationem provincialem mittere, quae volent) conferant cum suis Consultoribus, quae ad Congregationem provincialem sunt deferenda.

2. Elapso die ad conveniendum praefixo, sequenti die congregentur omnes, qui adfuerint ex iis, qui habent ius suffragii; et habito in primis a Praeposito Provinciali, vel ab alio per ipsum designato, sermone brevi, in quo proponantur in genere quae agenda sunt, omnes hortetur, ut sincere in omnibus se gerant. Deinde: an legitima Congregatio sit censenda, ad plura suffragia decernant. Tertio

P. Mercurianus Praep. Gen.

1573

vero loco eligatur Secretarius, etiam ad plura suffragia, qui omnia, quae fuerint acta in Congregatione, mandet scriptis; et iis, quae vel ad Praepositum vel ad Congregationem generalem nomine Congregationis mittenda sunt, subscribet et signabit sigillo Provincialis. Ei autem adiungatur unus ex Patribus eodem modo electus, qui ad colligenda suffragia et reliqua scribenda ipsum adiuvet.

3. Eodem modo eligantur duo ex primariis Patribus, qui una cum Praeposito Provinciali seligant, quae sunt Congregationi provinciali proponenda, quae reiicenda, iudicio saltem duorum ex ipsis: atque illa tantum ibi tractanda curent, quae maioris momenti videbuntur, et quae possint tempore Congregationi praefixo absolvi. Licet tamen unicuique quae a Deputatis reiecta fuerint, vel in Congregatione proponere, dummodo de personis non agatur, vel ad generalem Congregationem, seu Praepositum transmittere, si iudicio Deputatorum non acquieverit. Ad hos autem deferant omnes, qui ad Congregationem venerint, intra diem unum aut alterum sequentem post electionem mittendorum, omnia quae Congregationi proponenda attulerunt, assigneturque dies, in quo facienda sit electio eorum, qui ad generalem Congregationem vel ad Praepositum sunt ituri: qui dies tertius, vel ad summum quartus sit a die, quo fuit aperta Congregatio provincialis; habita prius informatione de qualitatibus mittendorum, iuxta decretum 24 secundae Congregationis, et iuxta declarationem 2 cap. VIII part., si agitur de Procuratoribus; si autem de Congregatione generali, iuxta 2 et 3 cap. VIII part.

Hic d. 19.

4. In sedendo et dicendo hic ordo servabitur: ut ad dexteram Provincialis sedeant Professi omnes quatuor votorum, iuxta suae professionis antiquitatem, sive sint Superiores, sive non; ad sinistram vero Rectores, iuxta antiquitatem suae professionis trium votorum, vel admissionis in Coadiutores formatos; si vero tales non fuerint, iuxta antiquitatem sui ingressus in Societatem; postea Procuratores simili ordine antiquitatis.

5. Electiones personarum ad Praepositum Generalem vel Congregationem generalem mittendarum, ad plura medietate suffragia eaque secreta fiant: sic tamen, ut, si in primis duobus scrutiniis nullus electus fuerit, in aliis consequentibus scrutiniis suffragia dentur tantum inter eos, qui aliqua suffragia antea habuerint.

6. Rerum verum tractandarum determinationes ad plura vota simpliciter definiantur, ut citius expediantur; nec ulla intercessio permittatur. Praepositus autem Provincialis, vel eius loco Vice Provincialis duo semper suffragia habebit in Congregatione. Quae porro fient in Congregatione provinciali, legantur die sequenti a Secretario, ut omnes videant, an recte facta sint.

7. In principio Congregationis provincialis affigatur muro catalogus omnium Professorum quatuor votorum, qui in Provincia versantur, tam absentium, quam praesentium, ut omnes sciant, e quibus possint eligere eos, qui Romam sunt mittendi.

8. Cum autem capietur de personis eligendis informatio, illud praecipue animadvertendum est, ut nullus per se, vel per alium pro se, vel pro alio, ne indirecte quidem suadeat, ut se vel alium eligant, aut non eligant;

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

sed fiant potius electiones omnes sincere et candide, ex iis, quae Spiritus Sanctus dignabitur suggerere, et quae ex informationibus didicerint. Nemo itaque alteri obtrudet informationem non petenti; caveanturque diligenter, non solum mendacia, sed etiam exaggerationes in laudandis vel vituperandis eis, de quorum agitur qualitatibus.

9. Si quis autem (quod avertat Deus) ambitiose agere deprehensus fuerit ad sui vel alterius electionem vel exclusionem, si id probabitur sufficienter, activa vel passiva vel utraque voce privetur iuxta delicti gravitatem et probationis certitudinem: et quidem, si ambitio publica esset, punitio quoque publica esse debebit. Iudicabunt autem hanc Provincialis et tres ex antiquioribus Professis; vel si ipse Provincialis reus esset, quatuor antiquiores Professi, ex iis, qui Congregationi provinciali intersunt, et saltem tres ex illis convenire debent in eamdem sententiam.

Caput VII. — De iis, quae Procuratores Romae agere debent.

1. Postquam ad Generalem venerint Procuratores, agent tum de informatione Praeposito Generali danda iuxta illa, quae ex suis Provinciis attulerunt; tum de Congregatione generali: an scilicet convocari debeat, nec ne, accepta informatione ab iis tantum, qui ius habent suffragii iuxta decretum 24 secundae Congregationis: et praesertim quomodo serventur Constitutiones, et decreta Congregationum, et regulae: an disciplina religiosa relaxetur: an in spiritu et virtutibus proficiat Societas, an potius deficiat: quomodo unio animorum se habeat in Societate, et an aliquod grave periculum illius labefactandae metuatur, etc.

Hic d. 19.

2. Deinde, praemissa oratione et consideratione, apud se et coram Deo statuent, quam sint dicturi sententiam, et, omnes simul in nomine Domini congregati, ad plura medietate suffragia, die ad hoc statuto definient: an cogenda sit et quando Congregatio generalis.

3. Si inter ordinationes vel responsa aliis Provinciis data, quae videri debebunt, aliqua fuerint, quae ad usum suarum Provinciarum secum ferenda existimabunt, id facere poterunt iudicio P. Generalis, vel eorum quibus ipse commiserit.

4. Si ad Seminaria nostrorum Scholasticorum vel Novitiorum in aliqua Provincia perficienda, vel ad transmarinarum, vel septemtrionalium, aut aliarum Provinciarum necessitates graves operariis pluribus opus esset, quam quos mittere P. Generalis ex Urbe possit; curent, qui earum Provinciarum Procuratores fuerint, P. Generali suggerere, ut dispiciat: an alicuius Provinciae abundantia alterius inopiam supplere possit; et id, congregatis Procuratoribus omnibus, facilius tractari poterit.

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

OFFICIUM VICARII GENERALIS

A TERTIA GENERALI CONGREGATIONE APPROBATUM.

Habetur etiam pag. 211, et in Vol. 3 inter Reg. part.

A quibus eligendus.

1. VICARIUS Generalis propter mortem Generalis Praepositi constituendus, vel nominabitur ab ipso Praeposito ante mortem, ut habetur cap. 4 Const., et declar. VIII part., vel, si ille non nominasset, eligetur a Professis quatuor votorum: qui, si in eo loco, ubi mortuus est, non sint saltem sex (tot enim ad minimum iudicatum est esse oportere) tunc cura adhibenda erit, ut ex vicinioribus locis, utcumque illa distent, is numerus convocetur. Quod si in distantia aequali plures fuerint quam sex, omnes erunt ad electionem vocandi. Fiet autem electio ad plura medietate suffragia: et iuxta Constitutiones communiter eligatur ex iis, qui adesse Praeposito et ipsum iuvare soliti sunt; vel certe ex iis, qui proxime degunt, et sunt in rebus Societatis versati; praemissa per biduum oratione et informatione, iuxta rationem informationis, quae in electione Generalis servari solet. Illud tamen biduum computandum est a sepultura P. Generalis; interim tamen gubernatio Societatis erit in ordinariis Superioribus. Electioni vero Romae quidem praeerit Provincialis romanus, si aderit; sin minus, Minister Domus, si fuerit quatuor votorum Professus; alibi vero, qui praeest toti Provinciae, vel, ipso impedito, antiquissimus ex Professis quatuor votorum.

P. 8 c. 4 n. 1, A. (beside "cap. 4 Const.")

P. 8 c. 4 n. 1, A. (beside "iuxta Constitutiones")

P. 8 c. 5 n. 1. (beside "Superioribus")

Vicarii officium duplex: quamdiu durat.

2. Vicarii officium durat usque ad electionem Praepositi Generalis, et duplex quidem est.

3. Alterum est, Societatem ad electionem Praepositi faciendam praescripto tempore et loco, quo convenire oporteat, convocare, ut habetur Const. part. VIII cap. 4.

4. Alterum est, Generalis vices gerere in gubernatione Societatis, donec novus Praepositus electus fuerit, ut habetur declar. part. VIII cap. 4. Vicarius itaque, simul atque creatus fuerit, dabit operam, ut Missae et orationes in universa Societate pro anima Praepositi mortui fiant; deinde ad convocandam Societatem ad novi Praepositi electionem, primo quoque tempore diligentissime incumbet. Praepositos Provinciales certiores faciat, locum Congregationis et tempus quinque aut sex mensium iuxta Constitutiones praescribat; prorogari tamen poterit, cum necessitas postulaverit, vel initio, vel antequam Patres convenerint, arbitrio ipsius Vicarii et Assistentium ad plura suffragia; quando vero aliqui Patres convenerint, non poterit sine illorum suffragiis prorogatio fieri iuxta decr. 30 tit. 2 primae Congregationis. Missas et orationes pro felici electione Praepositi indicat, Congregationes provinciales ut rite fiant, admoneat; et si post electionem Praepositi alia negotia graviora tractanda in Congregatione sint, ad quae discutienda vel definienda aliorum opera, praeterquam duorum Electorum a Congregatione provinciali, necessaria videatur, Provinciales admoneat, qui adducendi erunt, ut eos adducant iuxta Constitutiones.

Sacrificia pro Generali defuncto. *C. 7 d. 5. C. 12 d. 56 n. 5.*

Tempus convocandi Congregationem generalem. *P. 8 c. 5 n. 2, 3.*

Hic d. 44.

Sacrificia pro felici electione. *P. 8 d. 5 n. 3.*

Quando alii vocandi. *C. 4 d. 35, can. 16.*

P. 8 c. 3 n. 1.

Potestas Vicarii.

5. Antequam congregata sit Societas, potestatem habeat Vicarius, qua possit solus iubere, quae ad convocationem attinent, iuxta Constitu-

P. Mercurianus Praep. Gen.

tiones: solus tamen non potest prorogare tempus Congregationis, ut decretum est in actis posterioribus primae Congregationis tit. 2 decreto 30. Postquam autem sunt Patres congregati, vel omnes vel eorum maior pars, post tempus definitum, non poterit solus ea, quae ad electionem pertinent, definire; sed, si quid emerget dubii vel difficultatis, id erit per Congregatos simul cum eo determinandum; executio vero Vicarii erit.

Hic d. 44. *C. 6 d. 35 n. 19.* *C. 10 d. 4.*

Reddet rationem in Congregatione.

6. Ubi autem dies constitutus et terminus praefixus venerit, ad quem venturi sunt Patres, eos, qui iam convenerunt, convocabit, modo excedant duas tertias partes; eisque rationem eorum, quae facta sunt post mortem Generalis, ad Congregationem pertinentia, reddet; et reliqua omnia, quae ad rite electionem faciendam pertinere videbuntur Congregationi curabit, quae petenda sunt, tum ex Constitutionibus, tum ex decretis ante electionem.

Form. Congr. gen. n. 7.

Gubernabit Societatem. *P. 8 c. 4, A.* *C. 1 d. 43.* *C. 10 d. 8.*

7. Alterum officium Vicarii est, Societatem universam gubernare. Verum ita est illam gubernaturus, quasi Vicarius Praepositi demortui, non quasi Praepositus; quare illam ita gubernabit, ut sibi tradita est. Nullam igitur immutabit gubernationis rationem, nihil propriae inventionis, nullam novam regulam, nullum ritum, nullam consuetudinem aut inducet, aut introductam mutabit (quod utique vel provincialibus Praepositis vel Congregationibus minus licebit facere) sed ad spiritum et sensum Generalis demortui se componet, illiusque compertam voluntatem sequetur, incertam coniectabit. Itaque, quoad poterit, debebit suo ministerio quasi vivum ac praesentem Generalem illiusque gubernationem repraesentare.

Nihil mutabit in gubernatione Societatis.

1573

Eisdem utetur Officialibus. *C. 1 d. 90.* *C. 20 d. 18.*

8. Quocirca eisdem Assistentibus, Admonitore, Secretario, Procuratore, quibus utebatur Praepositus Generalis, utetur Vicarius ad gubernandam Societatem; eisdem Praepositis, Rectoribus, Praefectis Probationum, et aliis Officialibus primariis, qui creantur a Generali: quos mutare ei non licet, vel novos creare, nisi forte aliqui eorum morerentur, et alii in illorum locum usque ad electionem Praepositi Generalis substituendi essent; vel aliquae gravissimae causae intercederent, propter quas aliquis illorum ab officii exsecutione tollendus vel suspendendus videretur, iure suffragii nihilominus ei relicto; et hoc quidem non sine consilio Assistentium, de quorum etiam consilio et suffragiis eliget Admonitorem, si forte ipse fuerat Admonitor Praepositi Generalis demortui, et in Vicarium electus est.

Quando et quomodo mutare Officiales possit. *C. 12 d. 30.* *C. 13 d. 11.* *C. 16 d. 7.* *C. 19 d. 10.*

Res graves servandae Praeposito eligendo.

9. Eadem de causa res omnes graves et maioris momenti, quae differri usque ad electionem novi Praepositi poterunt, quando illa brevi futura est, quoad eius fieri poterit, differet, et ad novum Praepositum Generalem remittet.

Non admittet interim Collegia.

10. Quocirca nullam Domum, nullum Collegium, nullam Universitatem vel Domum Probationis instituet; quae si offerantur, ita negotium fundationis tractabit, ut si in rem Societatis aperte futura sint, et omni difficultate careant; eos, qui fundatores esse volunt, iubeat bene sperare: si quid vero difficile aut dubium sit, alet spe eorum bonam voluntatem, nihil certi promittet, rem totam ad Generalis creationem reservabit. Ad professionem admittere, etiam vel designatum a praemortuo Praeposito, vel in his quae ad professionem attinent dispensare non poterit Vicarius; ne-

De promotione ad gradum et dimissione Professorum et Coadiut. formatorum. *C. 4 d. 3.* *Vide tamen C. 12 d. 10.*

P. Mercurianus Praep. Gen.

que Professum aliquem, vel Coadiutorem formatum a Societate dimittere *.

* Vide tamen C. 8 d. 46.

Contractus quales et quomodo celebrare possit.

11. Circa contractus, ad quos facultatem habebit, sic explicatur decretum 71 ** Congr. II, ut non possit de vendendis vel alienandis bonis stabilibus Societatis, nisi res sit in evidentem utilitatem et necessaria, quae moram non patiatur, et cum consensu Assistentium ad plura suffragia.

** Hic d. 53.

De mutandis Professis loco.

12. Circa missiones Professorum, si quid urgeret, potestate Generalis uti poterit, consultis Assistentibus; eos tamen, qui vel electi sunt a Congregationibus provincialibus vel qui eligi possunt, ut Congregationi generali intersint, ante factam electionem, neque ex aliis Provinciis ad se evocabit, neque ad ea loca mittet, unde ad electionem commode venire non possint: nec etiam ad infideles, neque ad partes remotas, quae maiorem considerationem requirunt; nisi forte in iis aliquid tam grave et urgens accideret, ut Assistentium iudicio res differri non posset.

Consultabit res omnes graviores. C. 7 d. 74. C. 20 d. 18.

13. In universum cum Assistentibus consultare debet res omnes graviores, non minus, immo magis quam Praepositus Generalis: quandoquidem minorem habet auctoritatem, minorem experientiam, minus diuturnum regendae Societatis munus; sic enim plus ponderis habebunt apud illam, quae ipse constituet. Quam ob rem, quae sunt a Praeposito vita functo, vel constituta, vel concessa, non temere, nec sine gravissima causa, vel infirmabit, vel revocabit. Litteras vero, quas Vicarius scribet, vel a Provinciis accipiet, Assistentibus ostendet.

P. 8 c. 5 n. 2.

14. Si novi Praepositi electio aliquo casu ultra sex menses a Constitutionibus praescriptos differatur; et aliqua gravia acciderent, quae usque ad eius electionem commode differri non possent; Vicarius Generalis, auditis Assistentibus, id statuat, quod ad maiorem Dei gloriam et Societatis utilitatem magis fore iudicabit. 1578

DESIGNATIO LOCORUM CONCILII TRIDENTINI, QUAE CUM NOSTRIS CONSTITUTIONIBUS, PRIVILEGIIS ET USITATO AGENDI MODO PLANE PUGNARE VIDENTUR, DE QUIBUS DECRETO XII ET XLV TERTIAE CONGREGATIONIS AGITUR.

C. 3 d. 5 n. 4. Hic d. 8, 30.

1. Sessione v, cap. 2: *Regulares personaliter se coram Episcopo praesentare, et ab eo benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant.* Id quod explicatur magis cap. 4. sess. XXIV, ubi nullus Regularis, etiam in ecclesiis sui Ordinis, contradicente Episcopo, praedicare permittitur.

2. Sessione VII, cap. 7: *Beneficia ecclesiastica curata, quae ecclesiis sive Collegiis perpetuo unita et annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur;* et cap. sequenti idem repetitur de quibuscumque ecclesiis quomodolibet exemptis.

3. Sessione XXII, decreto de observandis et evitandis in celebratione Missae proponitur: ne patiantur Episcopi privatis in domibus, ac omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, Sacrificium a Regularibus quibuscumque peragi.

4. Ibidem cavetur: ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent.

5. Sessione XXIII, cap. 12: *Regulares debita aetate non sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque penitus exclusis.*

6. Eadem sessione, cap. 15: *Decer-*

P. Mercurianus Praep. Gen. 1573

nit sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones audire, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, aut alias idoneus iudicetur, privilegiis non obstantibus.

7. Sessione xxv, cap. 12 de Regular.: *Censurae et interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum ecclesiis publicentur, atque serventur.* Et cap. sequenti: *Regulares quicumque, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur.*

8. Eadem sessione, cap. 22: *Sancta Synodus praecipit omnibus Generalibus et aliis Superioribus Ordinum, ut omnia et singula in decretis de Regularibus contenta statim exsequantur, et Regularium negligentiam Capitula provincialia et generalia suppleant.*

9. Eadem sessione, cap. 2: *Ad normam decretorum Synodi, Magistri, Doctores et alii in Universitatibus ea, quae catholicae fidei sunt, doceant; seque ad hoc institutum initio cuiuslibet anni solemni iuramento obstringant.*

Haec de locis Concilii Tridentini manifeste pugnantibus cum legibus et consuetudinibus nostrae Societatis. Sunt et alia, quae prima specie pugnare videantur; sed sane intellecta minime pugnare censemus.

Visa est etiam bulla nova Gregorii xii, Pontificis Maximi, quae omnium Regularium privilegia et indulta prius concessa revocat; eosque licet exemptos subiicit plane dispositioni iuris communis et Concilii Tridentini.

His fortasse posset adiungi ex sessione xxiv, cap. 18, ubi sic dicitur: *Examinatores singulis annis in dioecesana Synodo ad minus sex proponantur. Sint vero hi Examinatores Clerici, seu Regulares, iurentque etc.*

DESIGNATIO LOCORUM EIUSDEM CONCILII, QUAE CUM NOSTRO INSTITUTO, EIUSQUE PRIVILEGIIS QUODAMMODO PUGNARE POSSE VIDENTUR.

Sessione v, cap. 1. *In Conventibus Regularium, in quibus studia commode vigere possunt, Sacrae Scripturae lectio habeatur, quae a Capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus Magistris.*

Sessione xiv, cap. 9. *Beneficium unius Dioecesis non uniatur perpetuo Collegio alterius Dioecesis.*

Sessione xxiii, cap. 17, statuitur: ordinum quorumcumque functiones exerceri non debere, nisi per constitutos in praedictis ordinibus.

Sessione xxv, cap. 6. In electione quorumcumque Superiorum et aliorum Synodus praecipit electionem fieri per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur.

Eadem sessione, cap. 10: *Quod vero sanctissimum Christi corpus intra chorum vel septa monasterii, et non in publica ecclesia conservetur, prohibet sancta Synodus, non obstante quocumque privilegio.*

Eadem sessione, cap. 16, ubi Societas nostra primum a Synodo approbatur, sed mox additur: *Neque ante professionem, excepto victu et vestitu, Novitii vel Novitiae illius temporis, quo in probatione est, quocumque praetextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus eius, Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem partem substantiae suae Monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare*

P. Mercurianus Praep. Gen.

possit. Quin potius praecipit sancta Synodus sub anathematis poena dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant.

Omnia hactenus scripta sic se habent. In quorum fidem ea manu propria subscripsi, et iuxta decr. Congregationis sigillo Societatis munivi. 1578

Laurentius Magius, Secr. Soc. IESU.

DECRETA

QUARTAE CONGREGATIONIS GENERALIS ANTE ELECTIONEM.

P. Aquaviva Praep. Gen.

Causa Congregationis convocandae.

DIES 1 Augusti 1580 suprema fuit P. Everardo Mercuriano Generali; quinta vero eiusdem mensis e Professorum suffragatione P. Oliverium Manaraeum Vicarium obtinuit. Per eum Congregatio generalis coepta est 7 Februarii 1581, eiusdemque mensis 19 P. Claudius Aquaviva Praepositus Generalis dictus. Congregatio vero terminum habuit 22 Aprilis eiusdem. 1581

DECRETUM 1, in manu scriptis decr. 2.

P. Magius sedet suo loco inter Provinciales, et P. Lanoyus inter Electores, suppletis omnibus defectibus.

POSTQUAM visum fuit Patribus plenam et legitimam esse Congregationem, proposita fuit difficultas, quae circa personam P. Magii, atque etiam P. Lanoyi orta erat; nimirum: cum P. Magius, defunctus officio Visitatoris in Polonia, a Provinciali illius Provinciae moriente fuisset nominatus Vice Provincialis, et Congregationi provinciali, ab eodem Provinciali ante mortem suam indictae, interfuisset ac praefuisset, (ut in actis Congregationis provincialis Poloniae, quae lecta fuerunt, planius declaratur) ac nihilominus in Congregatione provinciali austriaca, tamquam Rector Collegii viennensis, absens electus fuisset; et quia Congregatio austriaca ignorabat ubi P. Magius ageret, aut an ut austriacus Romam ire posset, idcirco P. Lanoyum, qui eius loco in casu Romam proficisceretur, elegisset, et uterque iam adesset; dubitatum fuit: quis locus P. Magio assignandus esset: an inter Provinciales, tamquam Vice Provinciali Poloniae, et P. Lanoyo inter alios Electores: vel an P. Lanoyus cedere deberet, et dare P. Magio locum inter Electores, tamquam in austriaca Congregatione electo. Et cum varia dixissent, in hoc omnes consenserunt: post electionem Praepositi huiusmodi necessitati (quoad hoc, ut moriturus Provincialis nominare possit Vice Provincialem, praesertim dum instat Congregationis provincialis celebrandae tempus) providendum esse, atque P. Magium sedere debere suo loco inter Provinciales; Patrem vero Lanoyum inter Electores: et defectus omnes supplendos. Et ita factum est, atque illi, vocati, suis in locis ambo consederunt.

Inf. d. 56.

2, in Ms. decr. 13.

Excommunicatio in ambientes extenditur etiam ad non Electores. *C. 1 d. 7, 20 ante elect. C. 6 d. 35 n. 1*

POSTREMO statutum est: ut excommunicatio, de qua dicitur in 6 cap. VIII part., extenderetur ad quoscumque ex Nostris, etiamsi Electores non essent, qui directe vel indirecte domi forisve impedire satagerent liberam

P. Aquaviva Praep. Gen. 1581

Quatriduo nullus domo egrediatur. C. 1 d. 19 ante elect.

et sinceram electionem; et ut Superioribus mandaretur: ne hoc quatriduo Nostros exire permitterent, nisi urgente necessitate.

In Ms. decr. 25 act. 5.

Forma decreti electionis haec fuit: *Cum in plena et legitima Congregatione, collato numero omnium suffragiorum, plus quam media pars omnium R. P. Claudium Aquavivam nominaverit et elegerit: ego Oliverius Manaraeus, Vicarius Generalis, auctoritate Sedis Apostolicae et universae Societatis eligo praedictum R. P. Claudium Aquavivam in Praepositum Generalem Societatis Iesu. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Romae, in aedibus Societatis Iesu, die 19 Februarii MDLXXXI.

Oliverius Manaraeus, Vicarius Societatis Iesu.

DECRETA

QUARTAE CONGREGATIONIS POST ELECTIONEM.

Procurator Sardiniae vocatur ad Congregationem; C. 1 d. 3.

Decretum 1, in manu scriptis decr. 1.

Cum Patres convenissent, proposuit R. P. Generalis: an vocandi essent duo Procuratores, nempe P. Melchior Valpedrosa, Procurator Sardiniae, et P. Didacus Ximenez, Procurator Generalis. Et visum est: vocandos esse, et ut ad quaecumque alia ius suffragii habeant, praeterquam ad electionem Assistentium, iuxta decretum 2 proximae Congregationis generalis; declaravitque Congregatio: nihil officere P. Ximenio, quod neque Professus neque Coadiutor formatus esset, quominus interesse posset. Itaque, vocati, sederunt suis locis iuxta decretum 2 proximae Congregationis.

Hic d. 1.

et etiam Procurator Gen., quamvis nec Professus nec Coadiutor formatus.

Hic d. 1.

2, In Ms. decr. 4 et 5.

Deputationes octo fiant a Praep. Gen. pro suo arbitratu. Inf. d. 48.

Decretum fuit: ut fierent aliquae Deputationes. Prima quidem pro regulis Assistentium et Admonitoris, et modo eligendi illos, et regulis Secretarii revidendis ac perficiendis. II. Pro Formula Congregationis provincialis revidenda. III. Pro iis, quae pertinent ad Constitutiones et bullas. IV. Pro revidendis regulis. V. Pro methodo agendi de negotiis in Congregatione generali. VI. Pro Formula Congregationis Procuratorum. VII. Pro Formula eligendi Vicarium, et Officio eiusdem revidendo. VIII. Pro revidendis canonibus ante electionem, et conficienda ex eis Formula electionis, et revidendis decretis omnium Congregationum, et extrahendis canonibus ex illis. Et omnibus omnino visum est: ut ipsemet P. Generalis pro suo arbitratu ac prudentia decerneret eiusmodi Deputatos ad praedicta revidenda et conficienda, quae postea ad Congregationem referrentur.

Inf. d. 48.

C. 3 d. 29. Inf. d. 44, 48.

3, in Ms. decr. 6.

Nec nominationes Provincialium et aliorum Superiorum, C. 1 d. 5 ante elect. C. 1 d. 1. C. 12 d. 30.

Propositum fuit: an declarandum esset a Congregatione, nominationes Provincialium et aliorum Superiorum, quae ante obitum P. N. Generalis non fuerunt adhuc executioni mandatae, per eius mortem non exspirare, sed robur obtinere, et esse omnino executioni mandandas, quoadusque eius succes-

P. Aquaviva Praep. Gen. 1581

nec mandata et ordinationes exspirant per mortem Generalis, etiamsi nondum exsecutioni tradita fuerint; C. 7 d. 72. C. 17 d. 12.

nec nominationes Commissariorum et Visitatorum extra Europam; utique intra Europam. C. 1 d. 91. C. 6 d. 35 n. 6. C. 9 d. 28. C. 12 d. 50.

sor aliud statuerit: similiter etiam mandata et ordinationes, potissimum quae tribuunt iurisdictionem; et haec quidem, sive fuerint, sive non fuerint exsecutioni mandata. Declaravit autem Congregatio et constituit: praedictas nominationes Provincialium et aliorum Superiorum ordinariorum ubivis, atque etiam Commissariorum et Visitatorum extra Europam, non exspirare per mortem nominantis, etiamsi nondum exsecutioni mandatae fuissent; sed robur suum obtinere, et esse omnino exsecutioni mandandas, quoadusque eius successor aliud statuerit. Commissariorum vero ac Visitatorum in Europa officium ac potestatem exspirare per mortem Generalis Praepositi, ut in prima Congregatione statutum fuit tit. VI decr. 12, idque deinceps observandum esse. Similiter mandata et ordinationes quascumque, exceptis illis, quae designationes admittendorum ad professionem sunt, (in his enim ita faciendum erit, ut non admittantur, nisi illa designatio iam scripto missa esset ab ipso Generali Praeposito Provinciali) non exspirare per obitum Generalis mandantis et ordinantis, sed robur suum obtinere, et exsecutioni mandanda, si nondum fuissent mandata, donec successor eius aliud statuerit.

Hic d. 91.

Designationes ad professionem non admittendae, si nondum scripto missae a Praeposito Gen. Vide tamen C. 12 d. 10.

4, *in Ms. decr.* 7.

De sepultura Nostrorum non Sacerdotum servetur decr. 109 Congr. primae: in quo tamen P. Generalis dispensare potest.

NOMINE quarumdam Provinciarum hispanicarum propositum fuit: clericos saeculares, qui Sacerdotes non sunt, non sepeliri in illis partibus eodem habitu, quo uti solebant dum viverent, etiam qui clericali utebantur; sed eodem omnino habitu, quo alii saeculares sepeliuntur: et inde fieri, ut Nostri, cum in hoc eos imitantur iuxta decretum 30 * tit. VI primae Congregationis, scandalum praebeant etiam ipsis saecularibus, cum vident eum, qui tota vita religiosus perseveravit, in morte religiosas vestes deponere, et saecularium more sepeliri; quod ipsum etiam Nostrorum animos plurimum contristat. Quare petitum est nomine earumdem Provinciarum a Congregatione generali: ut declaret Fratres nostros eodem vestitus modo esse sepeliendos, ubi istud incommodum viget, quo dum viverent usi sunt, cum is sit vestitus clericorum saecularium honestorum. Decrevit autem Congregatio: decretum primae Congregationis retinendum esse, nec immutandum. Quia tamen finis praecepti charitas est, commisit P. Generalis arbitrio atque iudicio: ut dispenset, si quando, quomodo, et ubi visum illi fuerit magis in Domino expedire ad communem aedificationem.

* Hic d. 109.

C. 1 d. 09.

5, *in Ms. decr.* 8.

Consuetudo unius horae orationis omnino retinenda. * Hic d. 29.

PROPOSITUM fuit a quibusdam: num consuetudo a R. P. Borgia, iuxta potestatem sibi factam a secunda Congregatione generali decr. 41 * introducta, de integra orationis hora praeter tempus utriusque examinis, retinenda sit; an potius illius praxis revocanda ad Constitutiones semihorae, et duorum examinum, et formam decreti 18 ex tit. VI primae Congregationis. Et decretum fuit: praedictam consuetudinem unius horae integrae orationis, praeter tempus duplicis examinis quotidiani, tamquam piam et salutarem, omnino retinendam esse, prout a R. P. Borgia fuit introducta; et servata forma supra dicti decreti secundae Congregationis generalis, decreto Congre-

P. 4 c. 4 n. 3.

Hic d. 97.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1581

gationis stabiliendam, prout praesenti decreto stabilitur.

6, in Ms. decr. 9.

Praepositi Gen. facultas instituendi seu dividendi Provincias confirmatur.
* Hic d. 108.
** Hic d. 86.

Cum in prima Congregatione, tit. VI, decr. 29 *, et in secunda, decr. 52 **, constitutum fuerit: ut institutio novarum Provinciarum Praeposito Generali relinqueretur; nihilominus propositum fuit ab aliquibus: an non expediret potius, ob rationes, quae in medium prolatae fuerunt, ut talis institutio soli Congregationi generali reservaretur. Et, consideratis rationibus productis, statutum fuit: nihil esse immutandum de praedictis decretis; sed praedictam novarum Provinciarum institutionem seu divisionem Praeposito Generali, iuxta praedictorum decretorum formam, esse relinquendam.

7, in Ms. decr. 10.

Congregationi gen. tempus certum non praescribendum; tertio quoque anno cogatur Congr. Procuratorum.
Hic d. 19.
C. 2 d. 67.
C. 5 d. 30.
C. 7 d. 9.
C. 16 d. 8.
C. 21 d. 10.
C. 23 d. 13.
P. 8 c. 2, B.

Fuit etiam propositum: utrum sexto aut septimo quoque anno cogi deberet Congregatio generalis; et diiudicatis rationibus, quae propositae fuerunt, statutum est: servandum esse decretum 24 secundae Congregationis generalis, quo cavetur: nullum tempus certum Congregationi generali cogendae praescribendum; sed ut tertio quoque anno veniant simul ex omnibus Provinciis Procuratores, qui cum P. Generali et Assistentibus decernant: an cogi debeat Congregatio generalis, nec ne.

8, in Ms. decr. 12.

Vulgata editio Constitutionum denuo a Deputatis recognoscatur.
C. 1 d. 79.
C. 2 d. 52.
* Hic d. 84.

Cum secundam Constitutionum editionem, quae declarationes habet cum Constitutionibus coniunctas, pro communi et vulgata habendam esse in Societate, usque ad praesentis Congregationis iudicium, statuerit tertia Congregatio generalis decr. 54, * postulatum est a quibusdam: ut haec eadem Constitutionum editio denuo recognosceretur, et ad veritatem hispanici exemplaris exacte emendaretur; sic vero emendata, authentica et vulgata in tota Societate haberetur. Decrevit porro Congregatio: ut res ista, quam primum fieri possit, conficeretur; et ob eam causam commendavit Patribus deputatis ad revidendas Constitutiones et bullas, de quibus supra decr. 5, ut maturarent, quo res tam salutaris et necessaria primo quoque tempore exsecutioni mandari possit.

Inf. d. 33, 50.
C. 5 d. 76.
C. 23 d. 27.
Hic d. 2.

9, in Ms. decr. 13.

Circa tempus admittendi ad gradus Societatis nihil immutandum; sed determinatio P. Generalis iudicio relinquenda.
C. 5 d. 36, 37.

Et quia variae querelae ac difficultates propositae fuerunt circa admissionem Nostrorum ad statum Societatis, dum multi, qui in Societate per multos annos laudabiliter vixerunt, nimium differantur; unde taedio affecti in varias tentationes incidunt, et saepe, abundantiore tristitia absorpti, non sine populi scandalo retrorsum abeunt ab eo, quod sunt amplexi, sancto Instituto; cum Congregatio rationes allatas considerasset, decrevit: nihil esse innovandum; et hanc rem totam P. Generalis iudicio ac prudentiae committendam; simulque illi commendavit: ut quod Constitutiones hac de re praescribunt, sine differentia personarum accurate servari curet, memor hoc ad Societatis conservationem vehementer pertinere.

P. 5 c. 2.
P. 10 n. 7.

10, in Ms. decr. 14.

Superpellicea in lectionibus sacris non adhibenda, ubi eorum non est usus.
* Hic d. 110.

Propositum etiam fuit: an decretum 31 * tit. VI primae Congregationis, quo prohibetur superpelliceum in lectionibus sacrae Scripturae, quae ad

populum habentur, ita temperandum sit, ut id tantum intelligatur de regionibus et aliis locis, ubi non est illius usus. Alioqui enim magna est indecentia non uti superpelliceo, ubi est illius usus; et inter haereticos refert haereticorum ministros, qui in ministerio verbi superpellicea irrident et aversantur. Et statuit Congregatio: ut illud decretum ea moderatione temperetur, qua dictum est; id tantum intelligendum esse de regionibus et locis, ubi non est superpellicei usus.

11, in Ms. decr. 15.

Secretarius Soc. ad quas Congregationes et quando admittendus. *C. 6 d. 25 n. 12. C. 11 d. 28. C. 13 d. 2. C. 14 d. 16.*

Statutum est: Secretarium Praepositi Generalis, si sit Professus quatuor votorum, admittendum esse ad provincialem Congregationem cum suffragio activo et passivo, quocumque in casu illa cogatur; non item ad Congregationem Procuratorum, qui ex Provinciis tertio quoque anno in Urbem mittuntur, admitti debere, nisi electus fuerit Procurator in Congregatione provinciali. Ad Congregationem vero generalem, post electionem Praepositi, sive ille Professus sit, sive non, admittendum esse cum iure suffragii ad alia omnia, quam ad Assistentium electionem; et informationes, tam pro Praeposito Generali, quam pro Assistentibus et Admonitore eligendis, in quatriduo ab eo, sicut ab aliis, capi posse.

12, in Ms. decr. 16.

Procurator Vice Provinciae Sardiniae a quibus eligendus, ut ius suffragii habeat in Congr. gen., praeterquam ad electionem Praep. Gen. et Assistentium.

Propositum fuit nomine Patrum Sardiniae: ut, quamdiu Sardinia non fiet Provincia separata ab Aragoniae Provincia, saltem id illi concedatur, ut Vice Provincialis Sardiniae, comite aliquo quatuor votorum Professo, qui a Rectoribus locorum Sardiniae, atque aliis quatuor votorum Professis electus sit, ad generalem Congregationem cum iure suffragii post electionem venire possit. Decrevit autem Congregatio: nihil iam esse innovandum, sed servandum esse decretum 73 tertiae Congregationis, quo statuitur: ut, quamdiu Sardinia non fiet separata Provincia, Sardiniae Procurator, sine Congregatione provinciali electus a Vice Provinciali et Consultoribus et Professis quatuor votorum, qui eo in loco, ubi Vice Provincialis, fuerint, possit venire ad generalem Congregationem, et ad alia ius suffragii habere, praeterquam ad Generalis et Assistentium electionem.

Hic d. 48. C. 11 d. 28.

13, in Ms. decr. 18.

Optandum, ut a Convictorum cura Societas liberetur; *C. 1 d. 126. C. 2 d. 18, 24. C. 12 d. 25, 26.* sed videat P. Generalis, quid pro ratione regionum ac personarum in hac re expediat.

Propter ingentem fructum, et penuriam fidelium paedagogorum, et alias utilitates, quae ex ea occupatione videntur sequi, flagitatum est: ut in partibus septemtrionalibus Nostri habeant convictores, et eorum curam gerant; ea tamen lege, ut res nummaria Oeconomo tradatur; et non sollicitentur adolescentes ad Institutum nostrum, nec admittantur invitis parentibus. Et iudicatum a Congregatione fuit: valde optandum esse, ut Societas, quoad fieri poterit, eiusmodi oneribus liberetur, atque ideo P. Generalis prudentiae commisit, ut pro ratione regionum ac personarum expendat, quid in hac re ad maius Dei obsequium et commune Societatis bonum maxime expediat.

14, in Ms. decr. 19.

Circa admittendos ad professionem 4 votorum diligenter Constitutiones serventur.

Cum etiam postulatum fuisset: ut professio quatuor votorum ad eos, qui audierunt cursum Philosophiae ac Theologiae, minime restringeretur; multis de causis Congregatio,

P. Aquaviva Praep. Gen. 1581

P. 5 c. 2 n. 2.

diiudicatis rationibus, statuit: nihil esse immutandum de Constitutionibus; quin potius R. P. Generali commendavit, ut illas hac in parte diligenter observandas curaret.

15, in Ms. decr. 20.

Admonitor Praepositi Gen. potest esse vel non esse unus ex Assistentibus; sit tamen 4 votorum Professus.

De Admonitore Praepositi Generalis propositum quoque fuit: non videri expedire, ut sit aliquis e numero Assistentium; sed aliquem alium extra eorum numerum a tota Congregatione eligendum. Decrevit autem Congregatio: relinquendum esse liberum, ut scilicet eligi possit, sive ex numero Assistentium, sive extra numerum eorumdem, pro uniuscuiusque arbitrio et conscientia, dummodo Professus sit quatuor votorum, iuxta 27 decretum secundae Congregationis.

Hic d. 22.

16, in Ms. decr. 21.

Assistentes ad plura medietate suffragia eliguntur. *C. 1 d. 80. C. 2 d. 22. C. 3 d. 17. C. 8 d. 2.*

Assistentium electio die 5 Martii, mane, expedita fuit. Et primo quidem pro septemtrionalibus partibus, primo scrutinio ad plura medietate suffragia, electus est P. Paulus Hoffaeus, Provincialis Superioris Germaniae; secundo, pro Italia, simili scrutinio, P. Laurentius Magius, Vice Provincialis Poloniae; tertio, pro Hispania et Indiis ad eam pertinentibus, simili scrutinio, P. Garcias de Alarcon, Provincialis Baeticae; quarto, pro Lusitania et Indiis Orientalibus et Brasilia, simili scrutinio, P. Georgius Serranus, Praepositus Domus Professae S. Rochi, absens.

17, in Ms. decr. 22.

Admonitor Praepositi Gen. ad plura suffragia eligitur. *C. 6 d. 2.*

Die 6 Martii, congregatis Patribus, primo scrutinio ad plura suffragia electus est in Admonitorem Praepositi Generalis P. Paulus Hoffaeus, Assistens pro septemtrionalibus partibus; cuius electioni interfuit uterque Procurator, Sardiniae et Generalis.

C. 3 d. 44.

18, in Ms. decr. 23.

Secretariae romanae scriptores qua ratione sustentandi. *C. 2 d. 82, 83.*

Cum in Secretaria romana necesse sit plures scriptores alere in usum necessarium totius Societatis, cum magno romanae Domus gravamine; propositum fuit: ut Provinciae annua contributione sex scriptores alerent. Verum Congregatio, cum speciem certi cuiusdam proventus hoc habere videatur, propositionem reiecit, et P. N. Generali commendavit: ut aliam honestam rationem illos sustentandi pro sua prudentia pervestigaret atque iniret.

19, in Ms. decr. 24.

Declarationes Praepositi Gen. ad Constitutiones et decreta quam vim habeant.

Propositum etiam fuit: ut Congregatio generalis pro bono Societatis decerneret: an P. Generalis possit declarare Constitutiones et decreta generalia, ita ut declaratio vim legis obtineat, ut de facto fecit P. Everardus bonae mem., cum declaravit: intelligi de Professis trium votorum, quod in Constitutionibus dicitur: Professos debere post professionem emittere quinque vota simplicia, ut patet in regulis Provincialis. Declaravit autem Congregatio: Praepositum Generalem auctoritate sua ordinaria Constitutiones et decreta generalia declarare posse; eas tamen declarationes non habere vim legis universalis, sed valere tantum ad praxim bonae gubernationis; cum Congregationis generalis, cuius est leges condere, sit etiam eas hoc modo declarare.

Comp. Privil. n. 286-288. C. 1 d. 143. C. 7 d. 76. C. 23 d. 25.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1581

20, *in Ms. decr.* 25.

An Praeposito Generali mandandum, ut Vicarium ante mortem nominet.

Propositum quoque fuit: ut Congregatio Praeposito Generali et caeteris eius successoribus serio mandet: ut eligant Vicarium Societatis ante mortem, iuxta Constitutiones, part. viii, cap. 4, plures ob causas, quae commemoratae fuerunt. Cum autem multi multa dixissent, et subinde sententiae variarent, intercessum fuit a pluribus, ut res differretur in crastinum, et accuratius consideraretur.

21, *in Ms. decr.* 26.

Serio P. Generali commendatur, ut Vicarium sibi nominet.

Tractatum fuit de proxima hesterna quaestione; et cum multa in utramque partem dicta fuissent, tandem Congregatio, in primis, declaravit: Constitutionem praedictam, part. viii, cap. 4, § 1, eum sensum habere, ut Praepositus Generalis Vicarium nominet, qui morientis locum sustineat, nisi morte, vel morbo, qui ad hunc effectum perinde ac mors censeatur, praeoccupetur, ut habet eiusdem Constitutionis declaratio. Deinde huius Constitutionis praxim P. N. Praeposito serio commendavit, ut scilicet Vicarium sibi nominet.

C. 8 d. 28.

22, *in Ms. decr.* 27.

Regulae communes ab omnibus servandae.

Quaesitum fuit propter locum Const. vi part. cap. 3, § 3, ut Congregatio declararet: omnes regulas communes Societatis ab omnibus, etiam Professis et Coadiutoribus formatis, observandas esse. Congregatio autem declaravit: omnes ad earum observationem teneri, ut in tertia Congregatione decr. 31 definitum est; nec id repugnare loco citato Constitutionum part. vi.

Hic d. 21.

23, *in Ms. decr.* 28.

Nulla Domus vel Collegii dissolutio sine Congregatione fiat, si differri potest. *C. 1 d. 100. Comp. Privil. n. 19.*

Circa declar. 2 cap. iv part. Constitutionum, lit. a, ubi dicitur: *Domus vel Collegia admissa an relinqui aut retineri debeant, statuat Societas; id tamen in Congregatione generali fieri posset, et etiam, sine illa, missis suffragiis ab iis, qui ius habent suffragii;* petitum fuit: ut Congregatio declararet, qui sint ii, qui ius suffragii habent, cum de dissolutione alicuius Domus vel Collegii agitur, quando non est coacta Congregatio generalis: an scilicet cum Praeposito Generali omnes Provinciales totius Societatis, tam qui in Europa, quam qui extra Europam sunt: an praeterea etiam Assistentes: an demum, praeter hos omnes, Procurator quoque Generalis et Secretarius; et postremo: an maior pars horum suffragiorum sufficiat ad hoc statuendum, quod in deliberatione ponitur. Congregatio autem, in primis, statuit: nullam Domus vel Collegii dissolutionem sine generali Congregatione, si omnino ad illam differri possit, faciendam. Quod si necessitas plane cogat, ut generalis Congregationis tempus antevertatur, declarat: ius suffragii indubitatum habere ex officio, praeter Praepositum Generalem, omnes Provinciales; non oportere tamen suffragia Provincialium, qui extra Europam sunt, propter nimiam eorum distantiam, exquirere, nisi illius Provinciae, in qua esset Domus vel Collegium, de cuius dissolutione ageretur. Assistentes vero non habere quidem ius suffragii, illis tamen fieri ab hac Congregatione, quae id vehementer expedire iudicavit: et ita eorum, sicut et Provincialium, sententiam exquirendam. Procuratorem autem Gene-

Si differri nequit, ius habeant suffragii Praepositus Gen. et Provinciales Europae; *Inf. d. 27.* et etiam extra Europam, Praeses Provinciae, in qua est illa Domus vel Collegium.

Conceditur idem ius Assistentibus. *C. 5 d. 16.*

Maior pars suffragiorum sufficit.

ralem nec Secretarium habere ius suffragii, nec illis tradendum videri. Maiorem porro partem horum suffragiorum sufficere ad id statuendum, de quo deliberatur, iuxta Societatis bullas, et praesertim Iulii III, anni MDL. Sed circa Procuratorem et Secretarium intercessum est a quibusdam, qui iudicabant expedire, ut illis ius suffragii traderetur; petiveruntque: ut iterum hac de re tractaretur.

Vol. 1 pag. 24. Videatur, an etiam Procuratori Gen. et Secretario Soc. idem ius concedendum. *Inf. d. 27.*

24, in Ms. decr. 29.

Extra Congregationem non petenda approbatio Provincialium, qui in Europa non sunt, ad substituendos Assistentes. *P. 9 c. 5 n. 3. C. 1 d. 87. C. 6 d. 27 n. 2. C. 8 d. 19. C. 17 d. 8.*

CUM etiam in IX part. Const. cap. 5 dicatur: *Si aliquis Assistens mortem obiret, aut graves ob causas diutius abesset, Praepositus Generalis alium substituet cum approbatione omnium vel maioris partis Provincialium;* petitum est a Congregatione, ut declararet: an approbatio Provincialium, qui sunt extra Europam, sit exspectanda, ut substituatur aliquis Assistens. Et declaravit Congregatio: iuxta id, quod proximo decreto definivit, approbationem eorum tantum Provincialium, qui sunt in Europa, et solent interesse Congregationibus generalibus, ad hoc sufficere. Eamdem vero omnino rationem in substitutione Admonitoris servandam esse, quae de substitutione Assistentium iam dicta est.

et Admonitorem. *C. 1 d. 84, 87. C. 3 d. 42. C. 17 d. 8.*

25, in Ms. decr. 30.

Assistentes substituti suffragii ius non habent, donec a maiori parte Provincialium approbentur. *Sup. d. 23.*

PETITUM quoque fuit a Congregatione, ut declararet: si Praepositus Generalis substitueret ad tempus aut simpliciter aliquem in locum alicuius Assistentis demortui, aut qui ob graves causas absens esset; an talis substitutus possit habere suffragium, sicut habet Assistens, in cuius locum substitutus est; et declaravit Congregatio: talem substitutum non posse habere suffragium, nec in Congregatione generali, nec Procuratorum, nec ad dissolvenda Collegia seu Domos Societatis, nisi prius constet de approbatione omnium aut maioris partis Provincialium iuxta decreta.

P. 9 c. 5 n. 3. Sup. d. 24.

26, in Ms. decr. 31.

Formulae votorum simplicium, quae post professionem fiunt, non addenda promissio de non agendo contra essentialia Instituti. *C. 2 d. 6.*

PROPOSITUM postremo fuit: an Formulae votorum simplicium, quae post professionem emittuntur, addenda esset huiusmodi promissio: Insuper promitto, me nulla ratione curaturum, aut locuturum publice vel privatim aliquid, quod sit contra essentialia Instituti et Constitutionum Societatis. Decrevit autem Congregatio: non esse talem promissionem ad reliqua vota addendam; sed ad Deputatos Formulae Congregationis provincialis id reiiciendum, ut in ea, auctoritate huius Congregationis, prohibeatur: ne quis deinceps in Congregationibus provincialibus audeat de huiusmodi rebus quocumque praetextu verba facere: tum, si quis de his rebus, aut ibi aut alibi usquam quaestionem instituat, serio a suis Superioribus corripiatur et corrigatur.

Prohibetur de his verba facere, in Congr. prov. *Form. Congr. prov. n. 44. C. 1 d. 16.* Qui ibi aut alibi secus fecerit corrigatur. *C. 6 d. 12.*

27, in Ms. decr. 32.

In dissolvendis Domibus vel Collegiis suffragium conceditur duobus antiquissimis cuiusque Provinciae Professis, *Hic d. 23.*

CUM legeretur decretum 28,* circa illa verba: *Declarat ius suffragii habere ex officio, praeter Praepositum Generalem, omnes Provinciales;* intercessum fuit ab omnibus Deputatis Constitutionum et bullarum, ut, licet illi indubitatum ius habeant ex Constitutionibus, non tamen illorum tantum, sed etiam aliquorum aliorum sententiae exquirantur. Decrevit autem Congregatio: ut non solum Provincialium, sed etiam duorum antiquissimorum Professorum cuiusque Provinciae sententiae per litteras petantur, declarando, prout declarat Congregatio:

P. Aquaviva Praep. Gen. 1581

Vol. 1 pag. 24.

ita intelligendam esse declarationem cap. 2 part. IV, lit. A, cui respondet quod habetur in bulla Iulii III anni MDL. Quod intelligi vult tantum cum de dissolvenda aliqua Domo vel Collegio extra Congregationem agitur. Quod vero ad intercessionem de Procuratore Generali et Secretario, in eodem 38 decreto factam, attinet, Congregatio definivit: ut et illi, quemadmodum de Assistentibus dictum est, ius suffragii in hoc eodem casu, auctoritate huius Congregationis, habeant.

et Procuratori Gen. ac Secretario Soc.

* Hic d. 23.

28, in Ms. decr. 33.

P. Generalis est Praepositus Domus Professae romanae.

PROPOSITUM deinde fuit: an constituendus esset separatus Praepositus huius Professae Domus romanae, qui eam, sicut alii similes Praepositi, administraret, ita ut P. Generalis deinceps Praepositus tantum Geneneralis esset, non item Praepositus particularis huius Professae Domus romanae. Decretum autem fuit: nihil iam esse innovandum, sed servanda esse decr. 67 et 92 secundae Congregationis; posse tamen ab eodem P. Praeposito Generali constitui pro suo arbitrio ac prudentia Vice Praepositum cum ordinaria Praepositorum Societatis potestate, qui habeat suos Consultores, Admonitorem et alios Officiales, et particularem Domus gubernationem exerceat.

Hic d. 49, 73.

Potest constituere Vice Praep. cum ordinaria Praepositorum facultate. P. 9 c. 6 n. 5. Inf. d. 32.

29, in Ms. decr. 34.

Considerandum: an Definitores eligendi,

ACTUM est etiam: an Definitores eligi deberent ad res determinandas, quas eis Congregatio committeret; et quidem cum eadem potestate quam suis Definitoribus secunda Congregatio decr. 46, et tertia Congregatio generalis decr. 28 tribuerunt; nempe, ut omnis proposita vel proponenda quaestio et intercessio, sive una, sive duae fiant, terminetur a Congregatione generali in iis, quae attinent ad Constitutiones, vel ad magna Collegia dissolvenda; in aliis autem, a Definitoribus. Placuit autem, ut res tota accuratius consideraretur, et in sequentem diem differretur.

Hic d. 32.

Hic d. 18. quorum facultas explicatur.

Inf. d. 30. C. 8 d. 32.

30, in Ms. decr. 35.

Definitores sine scrutinio eliguntur, simul cum P. Generali, veteres et novi Assistentes.

CUM propositum esset de Definitoribus eligendis, ut proximo decreto tractatum fuerat; placuit, eligi Definitores et numero et potestate sicut pridie propositum erat; nempe: ut, exceptis iis, quae ad Constitutiones et magna Collegia dissolvenda pertinent, reliqua omnia a Definitoribus definirentur. Quamquam postea conventum fuit omnium consensu: ut, non obstante decr. 7 tit. primi Congregationis primae, pro hac vice sine scrutinio Definitores essent cum P. Generali veteres et novi Assistentes; videlicet: P. Petrus Fonseca, P. Benedictus Palmius, P. Oliverius Manaraeus, P. Aegidius Gonzalez, P. Garcias de Alarcon, P. Paulus Hoffaeus, P. Laurentius Magius.

C. 5 d. 2.

31, in Ms. decr. 36.

Deputantur qui Formulam Studiorum conficiant. C. 5 d. 41, 42, 43, 56. C. 7 d. 26, 33, 95, 97. C. 17 d. 13. C. 20 d. 10. C. 21 d. 15. C. 22 d. 38. C. 23 d. 16.

POSTEA P. Generalis deputavit ad conficiendam Formulam Studiorum sequentes Patres, videlicet: P. Petrum Fonsecam, P. Franciscum Costerum, P. Nicolaum Clerum, P. Sebastianum Morales, P. Franciscum Adornum, P. Alfonsum Dezam, P. Ioannem Maldonatum, P. Achillem Galiardum, P. Iacobum Acostam, P. Franciscum Riberam, P. Aegidium Gonzalez, P. Benedictum Sardium.

32, in Ms. decr. 37.

Vice Praep. Domus roma-

UT Assistentes officio sibi commisso impensius ac melius vacare

P. Aquaviva Praep. Gen. 1581

possint, iuxta 93* decretum secundae Congregationis, statuit Congregatio: ut Vice Praepositus Domus Professae romanae, sive Minister, non sit ex numero Assistentium. Praeterea definitum est: ut praedictus Vice Praepositus possit interesse Congregationi provinciali cum iure suffragii, sive Professus sit, sive non; quamvis curandum erit, quoad eius fieri poterit, ut semper sit Professus quatuor votorum.

nae non sit Assistens; * *Hic d. 74. Sup. d. 28.* suffragium habet in Congr. prov.; curandum ut sit Prof. 4 votorum.

33, in Ms. decr. 38.

Deputati Congregationi proponant examinanda ea, quae in versione latina Const. emendatione videntur egere. *C. 1 d. 79. C. 2 d. 52. Sup. d. 8. C. 5 d. 76. C. 23 d. 27.*

Cum propositum esset nomine Deputatorum ad revidendas Constitutiones: aliqua inventa esse in versione latina, quae emendatione egere videntur; petitum est eorumdem nomine a Congregatione: ut P. Generali faciat potestatem deputandi aliquos, qui per otium loca illa ab ipsis observata, et alia, si qua ipsi observaverint, recognoscendo, universas Constitutiones emendent ad veritatem autographi, atque restituant, ita ut ea emendatio et restitutio, ubi absoluta fuerit, authentica sit auctoritate huius Congregationis; et interim nostra haec versio, prout statutum est in tertia Congregatione Generali decr. 41 et 54, pro vulgata habeatur. Decrevit autem Congregatio: ut loca a Deputatis collecta proponantur examinanda; reliqua committantur P. Generali cum Assistentibus pervestiganda et consideranda, ut sequens generalis Congregatio materiam paratam reperiat ad Constitutiones emendandas iuxta P. Ignatii autographum, si opus fuerit. Interim versio Constitutionum, a tertia generali Congregatione approbata, iterum approbetur usque ad sequentem Congregationem auctoritate praesentis Congregationis, prout approbata fuit, nisi durante Congregatione omnia loca iam collecta examinata essent, et ab hac Congregatione approbata.

Hic d. 26, 34. Interim pro vulgata habeatur. *Inf. d. 50.*

34, in Ms. decr. 39.

Necessitas faciendi scholia in Constitutiones cessasse videtur. *C. 1 d. 51. C. 2 d. 28, 42, 57.*

Cum petitum fuisset: ut Congregatio P. Generali curam conficiendi brevia quaedam scholia in locos difficiliores Constitutionum committeret, quemadmodum in prima Congregatione, et in secunda item, saepius commendatum fuit; quae scholia auctoritatem eam habeant, quam P. Generalis eis dandam censuerit ad commune bonum Societatis, usque ad futuram generalem Congregationem; decrevit Congregatio: eiusmodi scholia non esse facienda. Quia, licet I et II Congregatio id curandum censuerit; postea tamen illa necessitas cessasse videtur, cum multa dubia per decreta sequentium Congregationum, et declarationes Praepositorum Generalium, et regulas emendatas, sublata sint.

35, in Ms. decr. 40.

Vicarius Gen. potest ex omnibus Provinciis praeter duos Electores, unum aut duos advocare ad negotia tractanda post elect. *Hic d. 2. P. 8 c. 3 n. 1. c. 6, B.*

Petitum fuit, ut Congregatio constituat: an relinquenda sit potestas Vicario Generali monendi Provinciales, ne, praeter duos electos, alios quosdam adducant ad negotia tractanda post electionem iuxta decretum 3 Congregationis secundae. Decretum autem fuit: praeter duos electos posse adduci unum aut duos Procuratores ex omnibus Provinciis, monente Vicario, ad tractanda negotia in Congregatione post electionem Praepositi; et cum fuisset intercessum, nihilominus idem statutum fuit. Hos autem non aliter a Vicario vocandos, et a Provincialibus adducendos esse decrevit Congregatio, quam

P. Aquaviva Praep. Gen.

si illorum opera, praeterquam duorum Electorum, ad graviora negotia tractanda in Congregatione, post electionem Praepositi, necessaria videbitur ipsi Vicario et Assistentibus ad plura suffragia. Tum ut, si qui praeter duos electos iudicentur adducendi, ii eligantur a Congregatione provinciali ad plura medietate suffragia, sicut caeteri, et non aliter adducantur.

Quomodo et a quibus eligendi.

36, *in Ms. decr.* 41.

Contractus ineundi potestas Vicario confirmatur. * *Hic d.* 53. *C. n p. Privil. n.* 284.

Cum quaesitum fuisset: an servandum esset decretum 71 * Congregationis secundae, in quo Vicario conceditur facultas ineundi contractus, cum Summus Pontifex soli Generali eam concesserit, aliis intra Europam incommunicabilem; nihil definitum fuit, sed res dilata in aliud tempus; et tandem decrevit Congregatio: quod ex parte Societatis est, ut haec facultas illi concedatur, iuxta id, quod habetur in Officio ipsius.

Offic. Vic. n. 10.

37, *in Ms. decr.* 42.

Congregationes prov. semper fiant ad eos eligendos, qui ad generalem venire debent. Fit intercessio, et quaestionis solutio differtur.

Propositum fuit, videri statuendum: ut, quotiescumque cogenda est Congregatio generalis, fiant Congregationes provinciales ad eligendos eos, qui comitaturi sint Provincialem, nec liberum relinquatur id, quod est in viii part., cap. 3, § 1, ut scilicet: ii cum Provinciali venire possint ad generalem Congregationem, quos Generalis ipse, aut eius nomine Provincialis elegerit. Et, auditis rationibus, quae ad hanc sententiam confirmandam prolatae sunt, placuit Congregationi, concurrente Patrum numero ultra duas tertias partes: ut semper fierent Congregationes provinciales ad eligendos eos, qui ad generalem venturi essent; et non relinqueretur liberum, ut Generalis vel Provincialis eos nominaret; verum, cum intercessum fuisset, dilata est solutio huius quaestionis in sequentem congregationem.

1581

Inf. d. 39.

38, *in Ms. decr.* 43.

Litterae annuae a singulis Provinciis ad Urbem et ad alias Provincias mittantur; *P. 8 c. 1 n. 9, M. C. 2 d. 37. C. 7 d. 91.*

Propositum etiam fuit: moderationem aliquam videri adhibendam annalibus litteris, quae in Societate quotannis scribuntur; ea autem videbatur fore ad rem, si ex quadringentis et quadraginta duabus, quae scribuntur, duae tantum et quadraginta scriberentur: viginti et una quidem ad Urbem ex omnibus Provinciis, hoc est, a singulis singulae; totidem vero ad easdem Provincias ab omnibus annuis confectae; idque per aliquem ex Patribus, qui in Collegio resideat, et sumptibus Provinciarum alatur cum scriptore suo, quemadmodum Procurator cum suis sociis. Et, auditis rationibus in medium allatis, placuit Congregationi predicta moderatio. Unum vero tantum alendum esse in hunc finem in Collegio romano sumptibus Provinciarum, qui ad hanc rem perficiendam idoneus sit; quae Provinciae sumptus etiam suppeditent ad exempla annuarum per externos describenda.

ex Urbe vero ad Provincias mittendum annuarum compendium, conficiendum per aliquem, qui sumptibus Provinciarum alatur: hae suppeditent etiam sumptus ad exempla describenda. *C. 7 d. 19. C. 21 d. 20.*

39, *in Ms. decr.* 44.

Congregationes provinciales cogendae quoties futura est generalis. * *Hic d.* 37.

Statutum fuit: ut decretum 42 * praecedentis actionis 14, de cogendis semper Congregationibus provincialibus ad eligendos eos, qui ad generalem venturi essent, non relicta libertate Generali vel Provinciali eos nominandi, retineatur in omnibus, ut in proxima actione constitutum fuit, non obstante intercessione ibi facta; et ita servandam esse Constitutionem viii part. cap. 3 § 1, iuxta huius decreti formam, non obstante decreto 3 Con-

Hic d. 2.

P. Aquaviva Praep. Gen. 1581

gregationis secundae, Congregatio declaravit.

40, *in Ms. decr.* 45.

Praxis reddendae rationis conscientiae a P. Generali praescribatur. * *Hic reg. 40. C. 5 d. 58, Tertio.*

Cum constet ex cap. 4 Examinis, § 36, et reg. 41 * Summarii, et perpetua praxi Societatis, reddendam esse Superioribus rationem conscientiae; modus autem huius praxeos quibusdam certus, et omnibus Provinciis communis desideraretur; petitum fuit a Congregatione: ut praxim declararet, et aliquid certi constitueret. Caeterum Congregatio rem totam commisit P. Generali, ut scilicet ipse cum suis Assistentibus praxim huius Constitutionis, salva ipsa Constitutione, edoceret, atque praescriberet.

C. 22 d. 44 n. 4.

41, *in Ms. decr.* 46.

Procuratores Provinciarum extra Europam suffragii ius habent in elect. Generalis, si sunt Prof. 4 vot. et ad hoc electi. * *Hic d. 75.*

Propter illa verba 94* decreti secundae Congregationis: *electi a suis Provinciis*, propositum fuit nomine Definitorum: ut Procuratores, qui a Provinciis extra Europam exsistentibus Romam mittuntur, et Professi quatuor votorum sunt, habeant suffragium in electione Generalis, etiam si a Congregationibus provincialibus electi non fuerint; dummodo Provincialis cum suis Consultoribus, qui aderunt, et caeteris omnibus praesentibus, qui in Congregatione provinciali ius suffragii habent, illos elegerint. Decrevit autem Congregatio: ut praedicti Procuratores, sive a Congregationibus provincialibus, sive a suis Provincialibus cum reliquis supra dictis electi fuerint, modo Professi quatuor votorum sint, et ad hoc electi fuerint, habeant suffragium in electione Generalis; et ita declaravit praedicta verba 94 decreti secundae Congregationis intelligenda esse, ut illi a suis Provinciis electi esse intelligantur, quicumque alterutro praedictorum modorum electi fuerint.

Hic d. 75.

42, *in Ms. decr.* 48.

Definitores quando eligendi.

Cum de electione Definitorum ageretur: quibus scilicet in casibus eos eligi oporteat; et qua ratione statuendum sit, an in talibus casibus eligi debeant, et quot suffragiis, quave ratione, et cum qua potestate facienda sit eorum electio; declaravit Congregatio ac statuit: duobus in casibus eligi eos posse: altero quidem, cum, rebus agitatis hinc inde in una vel pluribus congregationibus, nihil manifeste in alteram partem statui videretur, prout in Constitutionibus habetur; altero vero, ad celeriorem negotiorum expeditionem, ut nimirum citius Congregatio absolvi possit. Et quidem in priore casu ad duas saltem tertias suffragiorum, in posteriore vero ad plura medietate suffragia statui oportere: an Definitores sint eligendi, nec ne. Ipsorum autem Definitorum electionem in utroque casu ad plura medietate suffragia fieri debere, et ita esse deinceps intelligendas Constitutiones et decreta atque in posterum practicanda, Congregatio declaravit. Simulque decrevit: ad posterioris generis Definitores pertinere ea definire, quae Congregatio illis specialiter commiserit, et cum ea potestate, quam eadem Congregatio tunc dandam illis esse iudicaverit.

P. 8 c. 7 n. 8.

Quot suffragiis statuendum, num eligendi; quot vero ipsa electio fieri debeat. *C. 7 d. 46.*

Quae eorum potestas.

43, *in Ms. decr.* 50.

Approbantur: Formula eligendi Vicarii, et eius Officium; *C. 1 d. 43. Sup. d. 2.* Formula Congr. Procuratorum; *C. 6 d. 26. C. 18 d. 13.*

Proposita et lecta fuerunt sequentia, videlicet: Formula Congregationis ad eligendum Vicarium Societatis, quando ille a demortuo Generali non fuerit nominatus, Officium Vicarii Generalis, Formula Congregationis Procuratorum, qui ad Generalem ter-

P. Aquaviva Praep. Gen. 1581

Regulae Admon. Gen. *Sup. d. 2.*

tio quoque anno veniunt, Regulae Admonitoris Generalis; et auctoritate Congregationis fuerunt approbata.

44, in Ms. decr. 51.

Decreta Definitorum et methodus agendi post elect. Gen. approbantur. *C. 3 d. 29. Sup. d. 2.*

Proposita fuerunt et lecta decreta quaedam Definitorum, et methodus servanda post electionem Praepositi Generalis in Congregatione generali; et auctoritate Congregationis approbata.

45, in Ms. decr. 52.

Assistentes ius habent suffragii in Congregationibus generalibus quibuscumque.

Quaesitum fuit: an per Constitutiones et decreta liceret Assistentibus interesse Congregationibus generalibus, quae ab ipso P. Generali cogi possunt. Et, cum id hactenus constitutum esse non videretur, decrevit Congregatio: ut Assistentes, tam in huiusmodi Congregationibus, quam in quibuscumqne aliis generalibus, quacumque ratione illae cogantur, intersint et ius suffragii habeant.

46, in Ms. decr. 53.

Dubia Deputatorum pro decr. et can. revidendis ad Definitores reiecta. * *Hic d. 1, 98, 99, 120.* * *Hic d. 14, 72.*

Nomine Deputatorum pro decretis et canonibus revidendis proposita fuerunt aliquot decreta, videlicet: ex prima Congregatione * decr. 1 tit. 1, et decr. 19, 20 et 41 tit. 6, et item decr. 19 et 91 secundae Congregationis *, in quibus nonnulla videbantur illis, partim explicanda, partim extendenda. Congregatio autem, cum Deputatorum dubia et sententias audivisset, ea omnia ad Definitores reiecit expedienda.

47, in Ms. decr. 56.

Alia eiusmodi dubia eisdem committuntur explicanda. *Hic d. 1, 39, 46.*

Proposita fuerunt a Deputatis pro decretis et canonibus revidendis aliquot decreta, videlicet: decretum 2, 61, 69 Congregationis iii, quae illis visa sunt declaratione indigere. Congregatio autem, auditis eorum dubiis et sententiis, ea commisit Definitoribus explicanda.

48, in Ms. decr. 57.

Definitorum declarationes, Formulae Congr. prov., ad eligendos Assistentes et Admonitorem Gen., et Regulae Assistentium approbantur. * *Hic d. 46. C. 3 d. 7, 33. Sup. d. 2.*

Lecta fuerunt sequentia, et auctoritate Congregationis approbata: decretum aliquod Definitorum, in quo decreta aliquot praeteritarum Congregationum, de quibus supra decr. 53 *, declarata fuerunt et extensa, Formula Congregationis provincialis, Formula ad eligendos Assistentes, Formula ad eligendum Admonitorem Praepositi, Regulae Assistentium.

49, in Ms. decr. 58.

Indices ambitus sint ex quatuor nationibus. *Vide tamen C. 7 d. 65.*

Decretum fuit: ut, quod habetur part. viii, declar. cap. 6, a, de tribus antiquioribus Professis, qui cum Vicario iudicaturi sunt eos, qui ob ambitum delati fuerint; intelligatur de antiquioribus Professis diversarum nationum, ita ut omnes quatuor Iudices sint ex illis quatuor nationibus, ex quibus Assistentes eligi solent.

50, in Ms. decr. 59.

Approbantur: explicatio dubiorum, de quibus in decr. 33 et 47, *Hic d. 47.* *Inf. d. 67.* et Formula Congr. gen. *Hic d. 33.* Versio latina Constitutionum, cum correctionibus impressa,

Lecta fuerunt sequentia, et auctoritate Congregationis approbata, nempe: decreta quaedam Definitorum, in quibus decreta Congregationis iii, supra in decreto 56 proposita, fuerunt explicata et extensa. Tum decretum de conciliatione locorum Constitutionum, quae in regulis Magistri Novitiorum et Examinatoris inserta sunt. Deinde, Formula Congregationis generalis. Postremo, nonnulla loca Constitutionum, de quibus supra decr. 38, quae ad veritatem autographi corrigenda videbantur, et P. Generali commissa. Et quoniam ea omnia, quae in Constitutionum versione corrigenda

P. Aquaviva Praep. Gen. 1581

erant *, lecta sunt in Congregatione et approbata; commissum est P. Generali: ut secundum eiusmodi correctiones Constitutiones denuo imprimantur, et eiusmodi editio deinceps in universa Societate pro vulgata habeatur.

pro vulgata habeatur. * Sup. d. 8, 33. C. 1 d. 79. C. 2 d. 52. C. 3 d. 26, 34. C. 5 d. 76. C. 23 d. 27.

51, in Ms. decr. 61.

Praepositus Gen. canones Congregationum omnium revideat et evulget.

Cum Deputati ad decreta revidenda, et canones extrahendos, Congregationi proposuissent canones ex decretis omnium Congregationum, legique coepissent, et aliquot canones expungendi viderentur; quia res nimis in longum potrahebatur, et Patres cupiebant urgebantque, ut Congregatio eodem die absolveretur; visum est Congregationi: ut res tota P. Generali committeretur, qui, salvis decretis, canones praedictos revideat et evulget, prout communi Societatis praxi expedire iudicaverit.

C. 2 d. 46. C. 3 d. 9, 33. C. 5 d. 66. C. 6 d. 47.

SEQUUNTUR DECRETA PER DEFINITORES CONFECTA, ET A CONGREGATIONE APPROBATA.

52, in Ms. decr. 63.

Indifferentium gradus ne duret post biennium.

Definitum est: ut gradus indifferentium, de quibus in Examine cap. 8 dicitur, non duret post biennium; sed, eo exacto, determinentur ad aliquem aliorum, nempe, vel Scholastici vel Coadiutoris temporalis, prout Superior illos aptos esse, et expedire communi bono iudicaverit.

53, in Ms. decr. 64.

Qui post vota simplicia deficiunt, ut apostatae puniendi. Exa. c. 4 n. 42. Comp. Privil. n. 41, 382. C. 1 d. 94. C. 7 n. 4, 22 n. 4. C. 9 d. 37.

Omnes, qui post biennium probationis vota simplicia Societatis cum promissione ingrediendi eamdem Societatem emiserint, sive illi sint Coadiutores temporales, sive Scholastici, eamdem per omnia obligationem subire, ac proinde, ut apostatas, si defecerint, iuxta privilegia Societatis et litteras apostolicas puniri posse declaratum fuit.

54, in Ms. decr. 65.

Professi trium votorum emittere debent post suam professionem vota simplicia, quae Professi quatuor votorum post professionem emittere solent.

Professi 3 votorum etiam vota simplicia Prof. emittere debent. P. 6 c. 2 n. 1. P. 10 n. 6.

55, in Ms. decr. 66.

Nostri, qui in Domibus habitant et Collegiis, bis tantum quotannis sua vota renovent, iuxta praxim a tempore P. N. Ignatii sanctae mem. servatam. Nec obstat declaratio cap. 4 v part., littera h, exemplaris hispanici, de tribus vicibus in tribus festis solemnibus; cum illud scriptoris mendum esse manifeste appareat, si locus iste cum alio iv part., cap. 4, § 5, qui in isto citatur ab auctore, conferatur. Et ideo probatur correctio praedicti loci part. v Constitutionum a P. Everardo piae mem. facta.

Vota bis tantum quotannis renovanda.

56, in Ms. decr. 67.

In Europa Provinciali defuncto quis succedat explicatur.

Si quis Provincialium Europae moriatur, nullo successore per Generalem in ea Provincia nominato, nec ipse Provincialis moriens aliquem Vice Provincialem designaverit; tunc Praepositus Domus Professae, vel, si plures sint Domus Professae, antiquissimus Professorum ex Praepositis sit Vice Provincialis, donec Generalis provideat. Quod si nulla in ea Provincia sit Domus Professa, succedat in Vice Provincialem Rector maximi Collegii, si Professus quatuor votorum sit; aut, si ille non fuerit talis Professus, sit antiquissimus similium Professorum ex caeteris Rectoribus. Si vero contingat nullum quatuor voto-

C. 9 d. 11, 35. C. 13 d. 12.

P. Aquaviva Praep. Gen.

rum Professum esse Rectorem, sit nihilominus antiquissimus Professus quatuor votorum Provinciae tantisper Vice Provincialis, quoad Generalis aut Vicarius alium nominaverit.

57, *in Ms. decr. 68.*

Sequuntur declarationes, de quibus in decr. 46 et 47.

Cum quaedam praeteritarum Congregationum generalium decreta visa essent aliqua tum explicatione tum extensione indigere, illa in hunc, qui sequitur, modum fuerunt explicata.

58, *in Ms. decr. 69.*

Hic d. 1.
Sup. d. 46.

In decreto 1 tit. 1 Congregationis primae, ad illa verba: *huiusmodi Officiales,* additum est: *qui ab ipso Generali creentur.*

59, *in Ms. decr. 70.*

Ordinarie omnes orare simul non expedit. * *Hic d. 98. Sup. d. 46.*

In decreto 19 * tit. 6 primae Congregationis illa verba: *Responsum est simul,* etc. usque ad finem decreti, sic declarata sunt. Responsum est: quamvis Nostris praescribendum non sit, ut omnes in eumdem locum orationis causa conveniant (quod de ordinaria oratione intelligitur, non de extraordinaria, quae pro re nata ad tempus publice institui potest) cum Novitiis tamen in oratione ante coenam dispensari poterit, ubi Praepositus Generalis expedire iudicaverit.

Cum Novitiis in oratione ante coenam dispensari potest.

60, *in Ms. decr. 71.*

De benedictione in secunda et privata mensa. * *Hic d. 99. Sup. d. 46.*

In decreto 20 * tit. 6 Congregationis primae, ad illa verba: *nam in privata mensa antiquam,* etc. additum est: *nam in privata et secunda mensa antiquam,* etc.

61, *in Ms. decr. 72.*

* *Hic d. 120.* Exsequiae Principum quando et quomodo in ecclesiis nostris celebrandae. *Sup. d. 46.*

In decreto 41 * tit. 6 Congregationis primae, illa verba: *posse celebrari in morte Principum,* etc. usque ad finem, ita fuerunt explicata. In morte Principum, quando pro eis exsequiae publicae fieri solent per ecclesias civitatis, posse in nostris ecclesiis huiusmodi exsequias celebrari cum feretro, sine pompa, celebrando scilicet Missas; vel, si usus patriae habet, etiam recitando officium defunctorum modo nostro simplici, ut fieri solet in sepulturis Nostrorum.

1581

62, *in Ms. decr. 73.*

Renovatio votorum quomodo a Novitiis facienda. * *Hic d. 14. Sup. d. 46.*

In decr. 19 * secundae Congregationis, ad illa verba: *sed seorsum id facerent,* additum est: *sed seorsum ab illis ipsi Novitii simul inter se id facerent.*

63, *in Ms. decr. 74.*

In examine promovendorum ad ordines, ad curam animarum etc., * *Hic d. 72. Sup. d. 46.*

In decreto 91 * secundae Congregationis, post illa verba: *sed illud omnino Praelatis relinquamus,* addita sunt sequentia: Caeterum, cum in examinatione promovendorum ad ordines, curam animarum, etc., duplex fieri possit iudicium: unum de eorum in doctrina ad munus, pro quo examinantur, sufficientia; alterum de vita ac morum probitate, et aliis, quae eos ex omni parte dignos reddere solent, ut ad huiusmodi munus admittantur; non prohibetur per hoc decretum Nostris, quin possint in examinandi munere, si quando illud necesse sit exercere, de doctrinae sufficientia ferre iudicium; sed interdicitur solum: ne de eorum admissione decernant; cum ad eam, ultra doctrinae sufficientiam, vitae probitas et alia requiruntur, de quibus esset Nostris, cum difficile, tum etiam odiosum, velle iudicare. Possit tamen dispensare R. P. Generalis, ubi hoc utile et expediens esse in Domino iudicaverit.

Nostri de eorum admissione ne decernant.

Potest tamen Praepositus Gen. in hoc dispensare.

P. Aquaviva Praep. Gen. 1581

64, in Ms. decr. 75.

Ordo sedendi in Congregationibus declaratur. * *Hic d. 1. C. 2 d. 87. Sup. d. 47.*

In decreto 2 * Congregationis tertiae haec declaratio et extensio adhibita est: Procuratores, qui Professi fuerint quatuor votorum, sedeant inter Electores, iuxta ordinem antiquitatis suae professionis; reliqui vero omnes, post Electores, hoc ordine sequentur; ut scilicet: primo loco sint Professi trium votorum, secundo Coadiutores formati, tertio caeteri omnes iuxta antiquitatem sui gradus in Societate.

65, in Ms. decr. 76.

Detur a P. Generali instructio de bonorum distributione. * *Hic d. 39. Sup. d. 47. Ord. Gen. c. 1 n. 10. C. 7 d. 17. C. 10 d. 2.*

In decreto 61 * Congregationis tertiae nihil addendum visum est, sed retinendum decretum per omnia: dandam vero a P. N. Generali Provincialibus instructionem, quomodo circa praxim illius decreti, praesertim quoad pactiones, se habere debeant, ut omnia cum aedificatione fiant.

66, in Ms. decr. 77.

De redeuntibus a Carthusia. * *Hic d. 45. Sup. d. 47.*

In decreto 69 * Congregationis tertiae nihil immutandum iudicatum est; sed servandum decretum inter alia decreta Congregationis eiusdem; nullum vero canonem ex illo extrahendum, et qui antea extractus fuerat, ex canonibus expungendum.

67, in Ms. decr. 78.

Constitutionum nonnulla loca circa Novitios explicantur. *Sup. d. 50.*

Cum proposita fuissent nonnulla dubia circa intelligentiam aliquorum locorum Constitutionum, quae in regulis Examinatoris et Magistri Novitiorum continebantur; auctoritate Congregationis statutum est: illa loca ita concilianda esse, et in praedictis regulis infra scripto modo inserenda, videlicet: si quis ad studia maiorem propensionem, quam par esset, et minorem indifferentiam, quam ad alia ministeria Societatis, prae se ferret, et videretur nihilominus ad ea minus aptus; non tantum proponatur ei scriptum Examen, ut reliquis, sed et § 2 cap. 7 accurate illi explicetur; interrogeturque: an patienter se dimitti sinet a Societate, dummodo ab omni voto ac promissione liber maneat.

Hoc tempore primae probationis per quinque vel sex dies accurate informentur praedicto modo de iis, quae ad Institutum et ad ipsos pertinent; et lectione alicuius pii libelli, qualis est De imitatione Christi, subinde recreentur. Deinde, qui litteris operam dederunt, de singulis facultatibus, in quibus versati sunt, singulas praelegant lectiones coram eis, qui a Superiore ad eorum talentum cognoscendum in doctrina et proponendi modo sunt constituti; et postea exhortationem unam quisque faciat. Tum, si quis, antequam fuerit ad Societatem admissus, Spiritualia Exercitia non fecerit, hoc primum experimentum, iuxta 4 cap. Examinis § 10, aggrediatur; et iuxta Exercitia suo tempore generaliter confiteatur, nisi ante ingressum fuerit alicui de Societate generaliter confessus; tunc enim satis erit, si ab eo tempore generalem confessionem incipiat: et eodem tempore conscientiam suam Superiori, aut ei quem Superior delegaverit, aperiat, iuxta part. I Const., cap. 4, § 6; et si ab aliqua censura virtute nostrorum privilegiorum sit absolutus, admoneatur, quod, si non perseveraverit, in eamdem reincidet. Expleto autem tempore huius experimenti, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum accipiet; et communem Domum habitationis ingredietur, ubi cum aliis versari, et in secunda probatione diutius exerceri Novitii solent. Quod si,

Comp. Privil. n. 164, 165.

P. Aquaviva Praep. Gen. vel cuiusquam valetudo, vel aliqua temporis aut personae ratio persuaserit non esse tamdiu haec mentalia Exercitia continuanda; antequam Exercitia aggrediantur, per quatuor vel quinque dies vacare, et separatim recreari poterunt; vel, si Magistro Novitiorum videretur, facta confessione generali, et peractis Exercitiis primae hebdomadae; sed, quando haec relaxatio longius ob valetudinem aut aliam rationem protrahenda Magistro Novitiorum visa fuerit, poterunt, sumpta Eucharistia, etiam ad communem victum admitti, et ubi recreati fuerint, sua Exercitia peragent.

* C. 4, post d. 67.
* C. 3, post d. 48.

DECRETUM IV * CONGREGATIONIS, QUO CONFIRMATUR DECRETUM III * CONGREGATIONIS, DE BONIS EXTRAHENDIS EX PROVINCIIS ET AD SEMINARIA EGENTIA APPLICANDIS.

Cum die 1 Aprilis 1581 petitum fuisset: ut Congregatio praesens confirmaret decretum III Congregationis, de bonis extrahendis ex Provinciis in quibus sunt, et applicandis ad Seminaria, quae huiusmodi praesidiis indigerent, saltem quoad romanum Collegium, donec illi prospectum esset de sustentatione; placuit: ut res melius consideraretur, et iterum tractaretur. Cum itaque die 4 denuo ea de re ageretur, constitutum fuit, post varias rationes a pluribus Patribus in medium allatas: ut praedictum decretum III Congregationis, de bonis extrahendis ex Provinciis in quibus sunt, et applicandis ad Seminaria egentia, atque potestas dispensandi in eo contenta, auctoritate huius Congregationis deinceps perseveret, ut hactenus, usque ad proximam Congregationem generalem, cum limitationibus in eo contentis.

1581

C. 3, post d. 48, pag. 229.

C. 6 d. 8.

DECRETA

QUINTAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

Causa Congregationis convocandae.

Haec prima Congregatio fuit, quae superstite Generali celebraretur. Eam imperaverat Summus Pontifex Clemens VIII, protractaque est, Praeside Claudio, a 3 Novembris 1593 ad 18 Ianuarii 1594.

Decretum 1, in manu scriptis decr. 6.

In electione Deputatorum ad secernenda postulata,

Hic d. 4.
Hic d. 8.

Die 4 Novembris facta est Deputatio quinque Patrum ex quinque diversis nationibus, secundum rationem decreti 7 ante electionem, et 5 * post electionem Congregationis tertiae generalis, ad videndum ea, quae afferrentur a Patribus, et secernendum, quae Congregationi generali proponenda, quae item ad Generalem Praepositum reiicienda sint. Sed, antequam ad scrutinium veniretur, pro hac vice tantum, ad effectum praesentis electionis, declaratum fuit: primo, ad gallicanam nationem pertinere etiam Anglos, Scotos, Hibernos; ex quibus, sicut ex Gallis, electio pro gallicana natione fieri possit. Secundo, ex Provincia Flandriae electionem fieri posse promiscue pro utraque natione, gallica et germanica. Tertio, polonicam Provinciam inter germanicas computari. Quarto, si qui unius nationis in Provincia alterius nationis occupentur, hos, non ad na-

ad quas nationes censeantur pertinere Angli, Scoti, Hiberni, Flandri, Poloni et hi, qui in Provincia alterius nationis occupantur.

P. Aquaviva Praep. Gen. 1593-94

Deputati quinque ad postulata eliguntur.

tionem, in qua versantur, sed ad eam, ex qua orti sunt, spectare. His praemissis, ad scrutinia ventum est: et primo scrutinio pro germanica electus est P. Paulus Hoffaeus; secundo, pro italica P. Benedictus Palmius; tertio, pro gallica P. Iacobus Tyrius; quarto, pro hispanica P. Aegidius Gonzalez; quinto, pro Lusitania P. Petrus a Fonseca.

2, *in Ms. decr. 10.*

Ad detrimenta deputantur sine scrutinio iidem, qui ad postulata.

Quoniam ad conservationem et incrementum, non solum corporis, id est eorum, quae externa sunt, sed etiam spiritus Societatis plurimum refert, illius statum et conditionem non ignorari, quo melius de necessariis praesidiis perquirendis et illi subministrandis agi possit; propositum fuit: an facienda esset aliqua Deputatio Patrum, qui ea excipiant, quae alii Patres ad eos deferent, ob eam causam, ut cognoscatur: an aliquid detrimenti passa sit hactenus aut deinceps passura Societas timeatur. Et, re prolixe ac diligenter examinata, decretum fuit concordi omnium voluntate, ac P. Generali urgente: ut illa tamquam pernecessaria omnino fieret. Placuit etiam plurium suffragiis: ut iidem quinque Patres supra, decreto 6, deputati cum Praeposito Generali ad secernendum oblata, nec plures, in hac etiam Deputatione simul cum eodem P. Praeposito sint Deputati. Et quidem pro hac vice sine scrutinio, ut in IV Congregatione, decreto 35, in faciendis Definitoribus observatum fuit. Quod si quid illis a quoquam tradetur, in quo illorum quispiam, sive in persona, sive in rebus ad ipsum pertinentibus tangatur, placuit Congregationi: ut ille tantisper secedat, dum ab aliis illud legatur. Demum, ut quae repererint, in quibus Societas detrimentum passa sit aut passura timeatur, ad Congregationem referant.

Deputationis scopus.

C. 7 d. 78.

Hic d. 1.

Hic d. 30.

3, *in Ms. decr. 13.*

Ad quodnam secretum Deputati pro detrimentis teneantur, explicatur. * *Hic d. 2.*

Quaesitum est: an, et quo genere secreti obligandi essent Deputati pro detrimentis, supra decreto 10 * instituti, in suo munere obeundo. Decrevit autem Congregatio: quo liberius omnes afferre ad illos possent quaecumque vellent, praedictos Deputatos cum P. Praeposito sub praecepto obedientiae, quod de facto illis imposuit, deinceps teneri, ne quis eorum, ad quem fuerit a quopiam aliquid delatum, manifestet quovis modo, directe vel indirecte, personam deferentem, nec Congregationi ipsi, nec ulli prorsus, sive de Congregatione, sive extra Congregationem, neque etiam ulli collegarum suorum, nisi ipso, qui detulerit, volente. Porro, quod ad delatos attinet, cum divinum ac naturale praeceptum de non laedenda proximi fama satis manifestum sit; placuit Congregationi: nullum secreti praeceptum illis addere, sed eorum conscientiae ac providentiae hoc ipsum relinquere.

C. 14 d. 11.

4, *in Ms. decr. 14.*

Formulae votorum Scholasticorum cur nihil addendum explicatur.

Propter varia incommoda, quae circa Formulam votorum simplicium Scholasticorum Societatis saepe offerri solent, tum ex parte quorumdam e Nostris, qui, ignorantiam causati, quod voverunt ac saepius in renovatione votorum repetiverunt, suae promissionis praevaricatores facti, indifferentes ad alterutrum gradum esse recusant; tum etiam ex parte multorum externorum, ac praesertim quorumdam Tribunalium, quae ex eo modo lo-

P. Aquaviva Praep. Gen. — 1593-94

quendi Formulae occasionem aliquando sumunt dubitandi: an nostrae Societatis homines ante gradum fixum vere Religiosi sint; propositum fuit: an in eadem Formula, ubi dicitur: *et promitto eamdem Societatem me ingressurum*, inserendum esset, quod habetur in declaratione eiusdem loci, de alterutro gradu, vel Professorum vel Coadiutorum formatorum, prout Praeposito ad maius DEI obsequium fore videbitur, acceptando. Et, cum haec quaestio multis in utramque partem allatis rationibus diligenter discussa fuisset; tandem omnium consensu statutum fuit: ut Formula intacta et non mutata retineatur, quemadmodum habetur in libro Constitutionum, et eam accepimus a P. N. Ignatio, cuius sanctam memoriam veneramur. Neque enim allata incommoda tanti sunt momenti, ut ulla eorum ratio haberi debeat; cum praesertim per duas extravagantes duorum Summorum Pontificum, nempe Gregorii XIII et Gregorii XIV, isti difficultati satis superque prospectum fuerit; ac praeterea omnibus iis incommodis, quae obiici solent, occurrere, atque etiam illa praecavere difficile non sit. Hoc autem quomodo fieri possit, ad Deputatos pro substantialibus Instituti declarandis, et Formula votorum recognoscenda, Congregatio reiecit considerandum.

P. 5 c. 4 n. 4, E.

C. 1 d. 94.

Comp. Privil. n. 41, 882.

Inf. d. 50.

5, in Ms. decr. 16.

In Formula votorum *promissio* est votum, a tribus aliis distinctum. *P. 5 c. 4 n. 4.*

CIRCA verba illa, quae habentur in Formula votorum simplicium Scholasticorum Societatis, nempe: *et promitto eamdem Societatem me ingressurum*, quaesitum est: ut a Congregatione declararetur: an illud *promitto* habeat veram rationem voti. Et, re mature considerata, ac rationibus diligenter expensis, Congregatio declaravit: praedictam promissionem vere et proprie fuisse, et esse, et ab omnibus censeri debere votum peculiare, a tribus aliis in eadem Formula contentis distinctum, quo quis se obligat ad acceptandum gradum Professorum vel Coadiutorum formatorum, prout Praeposito ad maius DEI obsequium fore videbitur.

Inf. d. 7, 50 n. 1. C. 7 d. 82.

6, in Ms. decr. 17.

Declaratio Constitutionum de submittendo iudicio, *Inf. d. 50 n. 2.*

PROPOSITA fuerunt quaedam Constitutionum loca, nempe: § 11 cap. 3 Examinis, adiuncta declaratione § 18 cap. 1 part. III, lit. O, de obligandis Nostris ad suum iudicium submittendum, sentiendumque, ut fuerit constitutum in Societate, de opinionibus ab iis differentibus, quae communius ab Ecclesia et Doctoribus ab ea approbatis tenentur, sentire oportere. Nam non defuerunt viri graves et eruditi, qui ex falsa praedicti loci intelligentia et interpretatione Societatem calumniati sint, eam sibi magisterium et potestatem definiendi dogmata fidei et obligandi suos ad submittendum suum iudicium tali definitioni arrogare. Item § 2 cap. 7 Examinis, de dimittendis Nostris ob defectum sanitatis, etc., adiuncta declar. cap. 6 part. IV, lit. N, et cap. 2 part. II lit. B. Nonnullis enim e Nostris gravis esse solet, atque etiam nonnumquam periculosus totus iste locus. Itaque postulatum est: ut Congregatio ista duo loca declararet, et inter se, quae ad eamdem materiam pertinent, conciliaret, quo variis incommodis occurratur.

et de dimittendis ob defectum sanitatis, *Inf. d. 50 n. 3.*

Et quidem Congregatio censuit: omnia praedicta loca esse declaranda et concilianda; formam tamen declarationis reiecit ad Deputatos pro du-

ad Deputatos reiecta.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

bitationibus circa Constitutiones explicandis conficiendam, et a se postea probandam.

7, in Ms. decr. 18.

Decretum 5, non obstante intercessione, confirmatur. * *Hic d. 5.*

Cum legeretur decretum 16 *, de Scholasticorum promissione ingrediendi in Societatem, intercessum fuit a tribus Patribus. Sed, re denuo diligenter considerata, Congregatio confirmavit declarationem factam, et statuit: ut decretum praedictum de ea re factum retineretur.

8, in Ms. decr. 19.

Declaratio Const. de bonis restituendis iis, qui a Societate dimittuntur, ad Deputatos defertur.

Propositum fuit: ut auctoritate Congregationis declararetur praxis illius declarationis, quae habetur part. II Const., cap. 3, lit. B, de restituendis eorum bonis iis, qui a Societate dimittuntur. Et Congregatio censuit: rem totam deferendam ad Deputatos pro explicandis dubiis Constitutionum; praxim vero P. Praepositi arbitrio relinquendam, et nihil Congregationis nomine definiendum.

Praxis Praeposito Gen. relinquitur. *Comp. Privil. n. 483.*

9, in Ms. decr. 20.

Constitutio de editione librorum non extenditur ad eorum scriptionem. *Reg. 60 Prov. C. 1 d. 105.*

Quaesitum est: an, quod habetur part. III, cap. 1 Const., § 18, de editione librorum, extendendum esset ad eorum etiam scriptionem; ita ut, sicut edi, sic nec scribi possint absque Praepositi Generalis facultate. Et placuit Congregationi: ut eiusmodi extensio non fiat.

10, in Ms. decr. 21.

Qui rebus suis tamquam propriis utuntur, an peccent contra votum.

Circa illa verba § 7 cap. 1 part. III Const.: *doceantur omnes, quod nulla re tamquam propria uti debeant,* propositum fuit, ut declaretur: an qui, re aliqua tamquam propria utuntur, et nominatim, qui possessione bonorum suorum nondum se abdicarunt, et rebus suis tamquam propriis utuntur, expendendo, donando, etc. sine facultate, contra votum peccent. Decretum est autem: id quidem omnino declarandum esse; verum ut Deputati Patres pro dubitationibus circa Constitutiones prius hanc rem diligenter discutiant, et discussam ad Congregationem referant.

Inf. d. 50 n. 4, 59.

11, in Ms. decr. 22.

Quando fundatores Collegiorum sunt Episcopi, quinam censendi eorum successores.

Circa illa verba § 3 cap. 1 part. IV Const.: *candela cerea fundatori offeratur,* an declarandum esset: ut, quando ab Episcopis fiunt fundationes Collegiorum de bonis mensae Episcopalis, sint potius habendi successores in fundatione Episcopi subsequentes, quam fundatorum consanguinei. Et Congregationi visum fuit: ut nullum hac de re decretum fieret, sed P. Generali praxis permitteretur.

12, in Ms. decr. 23.

Ante expletum biennium novitiatus nullus censeatur verus Religiosus.

Statutum fuit auctoritate Congregationis: ut deinceps in nullo casu exerceri liceat facultatem illam dispensandi in contrahendo biennii spatio, ad hoc, ut quispiam ante expletum biennium censeatur verus Religiosus et Scholasticus approbatus per emissa vota simplicia Scholasticorum Societatis; quam facultatem concedit declaratio part. V cap. 1, lit. C. Per hoc tamen non intenditur hanc declarationem abrogari; sed solum facultatis, quae in ea conceditur, usum prohiberi. Caeterum a quodam Patre intercessum fuit.

Fit intercessio.

13, in Ms. decr. 24.

Quaestio praecedens ad Deputatos defertur. * *Hic d. 12.*

Cum, propter intercessionem heri factam adversus decretum 23 *, de eadem re iterum actum esset, obtentum fuit: ut decretum illud, sicuti

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

iacet, retineretur; quia tamen postea quidam dixerunt supra dictum locum part. v, cap. 1, lit. c posse forsitan ita declarari: ut de solis Professis, qui ad solemnia vota admittuntur, intelligatur, propterea quod nullae ex iis causis non levis momenti, quarum in ea declaratione fit mentio, in eos incurrere posse videntur, qui simplicia vota emittunt; placuit Congregationi: hanc rem ad Deputatos pro dubiis Constitutionum deferendam esse, ut ipsi accurate illam considerent, et postea ad Congregationem referant.

Inf. d. 63.

14, in Ms. decr. 25.

Externorum negotiationes et intercessiones quomodo et quando Nostris prohibeantur. C. 7 d. 20, 22 n. 2. C. 8 d. 24. C. 9 d. 24. C. 10 d. 18. C. 16 d. 17.

Propositum fuit circa id, quod habetur part. vii, cap. 2, lit. k, : ne quis scilicet Principem, vel Communitatem, aut hominem quempiam magnae auctoritatis ad scribendum Superiori, vel verbo tenus petendum aliquem de Societate moveat, etc.: an aliquid statuendum esset in eos, qui per negotiationes et intercessiones externorum aliquid a Superioribus obtinere procurant. Decrevit autem Congregatio: omnino statuendum esse; quid vero, quibus in casibus, et id genus alia particularia, ad Deputatos pro detrimentis Societatis cognoscendis reiecit, qui, rem totam cum expedierint, ad ipsam Congregationem referre debebunt.

Inf. d. 49.

15, in Ms. decr. 26.

Quinam censendi divisionis vel dissensionis auctores, quos separare oporteat.

Petitum etiam fuit: ut circa id, quod habetur part. viii, cap. 1, § 5, cum sua declaratione, nempe: si quis divisionis vel dissensionis eorum, qui una vivunt, inter se vel cum suo capite auctor esse cerneretur, etc., Congregatio declaret: quinam sint censendi divisionis vel dissensionis auctores, quos separare oporteat. Et censuit Congregatio: omnino declarandum esse; rem tamen ad Deputatos pro detrimentis Societatis cognoscendis deferendam esse; quam confectam, ipsi postea ad eamdem Congregationem referant.

Inf. d. 54.

16, in Ms. decr. 27.

Assistentes quando suffragium decisivum habeant. Inf. d. 64, 65. C. 4 d. 23, 25. Offic. Vic. n. 3, 4, 7, 9-12.

Statutum fuit auctoritate Congregationis: ut Assistentes habeant suffragium decisivum in iis omnibus, in quibus illud habent Provinciales extra Congregationem generalem.

17, in Ms. decr. 28.

Deputatio pro casibus reservatis revidendis facienda. Inf. d. 22, 51.

Placuit Congregationi: ut P. Generalis designaret aliquot Patres, qui casus reservatos Societatis reviderent, et cum Formula a Summo Pontifice edita pro Religiosorum familiis conferrent; et postea ad Congregationem referrent, ut illa demum statueret: quid in Societate servandum esset.

18, in Ms. decr. 29.

Qui iure Maioratus in Hispania gaudet, sine Praepositi Gen. facultate in Soc. non recipiatur.

Cum propositum fuisset: graves querimonias adversus nostram Societatem in Hispania exortas esse, ob maxima incommoda, quae oriri possunt ex parte eorum, qui Maioratus (vulgo *Mayorazgos*) habent, si, in Societatem admissi, non ita se firmiter iure illo Maioratus statim post biennium expletum probationis abdicent, ut ad illud nullo umquam tempore nullove casu recursus esse illis possit; ob eam causam serio flagitatum est: ut Congregatio aliquod sufficiens remedium huic gravissimo incommodo decernat. Re autem mature deliberata, Congregatio statuit: ne quis, iure illo Maioratus gaudens in Hispania, sine facultate P. Generalis ad Societatem recipiatur; et is sit iis donis ornatus,

C. 11 d. 25.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

ut spem magnam praebeat, se post biennium probationis fore talem, qualem nostrae Constitutiones requirunt ut ad professionem trium votorum admitti queat, ad quam sine voluntate P. Generalis promoveri non poterit. Ad professionem autem intelligitur admittendus, nisi qualitas Maioratus eiusmodi fuerit, ut promotio ad sacrum Ordinem firmitati illius abdicationis satis sit; tunc enim, non professio, sed ordinatio procuranda erit.

Quandonam is ad Professionem 3 votorum, quando ad Sacerdotium promovendus.

19, in Ms. decr. 30.

Beneficia ecclesiastica ante votorum emissionem resignanda. *C. 1 d. 140. C. 2 d. 59. C. 7 d. 17 n. 4. Comp. Privil. n. 482. Litt. Apost. pag. 275. C. 1 d. 140 can. 1.*

Ut gravissimis incommodis occurreretur, et communi aedificationi consuleretur, decretum est auctoritate Congregationis: ut beneficia ecclesiastica, quaecumque Nostri obtinent, finito biennio probationis, priusquam vota simplicia Scholasticorum emittant, non obstante canone 1 Congregationis primae generalis, omnino resignentur.

20, in Ms. decr. 31.

Durante hac Congregatione, provideat P. Generalis Superiores, ubi opus est. *C. 1 d. 1, can. 32. C. 6 d. 17, 35 n. 20.*

Expositum fuit in Congregatione: nonnulla Collegia et Domos aliquarum Provinciarum indigere praesenti provisione Superiorum. Quoniam vero dubitabatur: an canon 32 Congregationis primae prohiberet hanc provisionem fieri per Praepositum Generalem, durante Congregatione generali; placuit Congregationi: ut interim P. Praepositus provideat Superiores iis in locis, ubi opus est, donec melius declaretur canonis illius sensus, quod ad Deputatos pro dubitationibus Congregatio reiecit, Congregationi postea proponendum.

Inf. d. 23.

21, in Ms. decr. 32.

In gratiam S. Inquisitionis

Cum nomine Philippi, Hispaniarum Regis Catholici, significatum esset Congregationi: cupere Maiestatem suam pro affectu, quo erga S. Inquisitionis Tribunal afficitur (quippe quod ad catholicam fidem et pacem in illis regnis tuendam apprime necessarium esse novit), ut Societas usu nonnullorum privilegiorum in illis regionibus abstineret, quae Sancto illi Officio minus commoda censebantur; ea autem erant: facultas legendi libros prohibitos, absolvendi ab haeresi in foro conscientiae, et exemptio quaedam a fel. rec. Gregorio XIII concessa, ne Nostri, absque expresso Superioris sui consensu ac mandato, ad quodvis munus, officium vel exercitium obeundum, quorumvis, quacumque ecclesiastica vel saeculari dignitate seu auctoritate fungentium, etiamsi S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, vel alii Antistites et Praelati, nec non Synodi, Communitates et Capitula quaecumque, aut Officii haereticae pravitatis Inquisitores, ac Commissarii, vel Iudices, vel etiam Imperator, Reges et alii saeculares Principes essent, destinari, adigi vel cogi possent; responsum est: de primis quidem duobus privilegiis, rem esse iam confectam; quandoquidem P. Praepositus Generalis, ut ipse retulit, in gratiam eiusdem Maiestatis, et ut Sancto illi Tribunali satisfieret, impetratam a Summo Pontifice per breve duarum illarum facultatum revocationem in Hispaniam iam transmiserat. De tertio vero idem P. Praepositus per litteras patentes, 20 Martii, anno 1589 datas, Nostris omnibus usum huius privilegii interdixerat. Petitum est ergo regiae Maiestatis nomine a Congregatione: ut id ipsum sua auctoritate firmaret. Quae, quoniam suis privilegiis ad aedificationem et divinum tantum obsequium

Nostri in Hispania abstineant a privilegio legendi libros prohibitos, absolvendi ab haeresi, et exemptionis a dignitatibus et muneribus extra Soc.

Litt. Apost. pag. 99.

Haec tria iam statuta fuerant.

Denuo confirmantur

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

uti cupit, et Sancto illi Tribunali, ut par est, plurimum deferre; praedictas patentes litteras praesenti decreto confirmat, praecipiens atque interdicens: ne quis Nostrorum, in illis regnis aliisque dominiis illi Tribunali subiectis, privilegio illo, quod ad praedictum Sanctum Officium pertinet, quoquo modo uti, aut illo se tueri ullatenus praesumat. Immo omnem facultatem eo utendi sibi prorsus sublatam esse intelligat, ac si privilegium ipsum a Sede Apostolica numquam impetratum esset. Quin potius omnes Nostros in huiusmodi regnis existentes serio et graviter hortatur, ut quidquid obsequii a nostra tenuitate in Sanctum illud Officium eiusque Ministros provenire poterit, id humiliter semper atque alacriter praestare curent.

Inf. d. 28.

Obsequium erga S. Inquisitionis Officium maxime commendatur.

22, in Ms. decr. 33.

Deputantur qui casus reservatos recognoscant. * *Hic d. 17.* *Inf. d. 51.*

Pro Deputatione ad recognoscendos casus reservatos, de qua decreto 28 * actum fuerat, P. Praepositus nominavit sequentes Patres, videlicet: P. Paulum Hoffaeum, P. Aegidium Gonzalez, P. Emmanuelem Rodericum, P. Robertum Bellarminum, P. Marium de Andria, P. Bartholomaeum Perez, P. Clementem Puteanum, P. Ioannem Alvarum.

23, in Ms. decr. 34.

Superiorum mutatio, durante Congr., sine huius facultate fieri nequit. * *C. 1 d. 1 can. 32.* ** *Hic d. 20.* *C. 6 d. 17.*

Cum declaratio can. 32 * Congregationis primae generalis, de qua supra, decreto 31 **, actum fuit, per Deputatos pro dubitationibus Constitutionum facta, proposita fuisset, videlicet: omnes illos iudicasse, canonem illum absolute de omni Congregatione generali intelligendum esse; Congregatio hanc illorum declarationem approbavit.

24, in Ms. decr. 35.

Utrum congregandorum numerus in Congr. prov. minuendus, proponant Congregationi Deputati.

Quoniam, excrescente iam in dies numero Professorum et Superiorum in variis Provinciis, ob eam causam multo frequentiores, quam par esset, ad provinciales Congregationes conveniunt; et posthac numerus congregandorum quotidie magis adhuc excrescat, non sine multis iisque gravibus incommodis; quaesitum fuit a Congregatione: ut aliquod remedium adhiberet, minuendo scilicet numero congregandorum, ubi magnus est numerus Professorum. Et, quia haec res ad aliquam Constitutionum, part. VIII cap. 3, immutationem posse pertinere videbatur, prius visum est agendum esse: an de hac re tractandum foret. Et decretum fuit: omnino de remedio adhibendo agi oportere; utque Deputati pro Formulis Congregationum recognoscendis hoc ipsum curarent, Congregationi postea proponendum; et ut Patres, qui hac de re aliquid proponere vellent, ad praedictos Deputatos deferrent per totam praesentem hebdomadam, hoc est, usque ad diem 27 huius mensis Novembris inclusive.

Inf. d. 38, 60, 81

25, in Ms. decr. 36.

Formula acceptandorum Collegiorum revidenda.

Decretum fuit: ut Formula acceptandorum Collegiorum, a P. Generali facta, tradatur Deputatis pro detrimentis Societatis cognoscendis, ut eam revideant, et ad Congregationem referant.

Inf. d. 69.

26, in Ms. decr. 37.

Carthusiensium fraternitatis societas summo amore et veneratione acceptatur.

Cum venerabilis Carthusiensium Religio, pro sua praestanti pietate et erga Ordinem nostrum charitate, non solum tempore P. N. Ignatii sanctae mem., sed etiam postremis his tem-

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

poribus in suo Capitulo generali, societatem fraternitatis per bonorum operum suorum communicationem nobiscum inire voluerit; decrevit generalis Congregatio nomine totius nostrae Religionis, summa omnium consensione et erga sanctam illam Religionem veneratione: parem illi gratiam referre, et per eamdem bonorum operum, quae per eius parvitatem divina bonitas operari dignatur, communicationem, fraternitatis societatem cum illa vicissim inire, cum summa testificatione amoris et officiorum nostrorum.

et ipsis vicissim a Nostris conceditur.

27, in Ms. decr. 38.

Ieiunia et abstinentia a carnibus in Adventu ordinarie Nostris non iniungenda.

Cum propositum fuisset: in aliquibus locis aliquam offensionem seu scandalum nonnumquam suboriri, propterea quod Nostri in Adventu, nec ieiunant, nec a carnibus abstinent; et ob eam causam petitum: ut Nostri in iis locis communiter omnes eo tempore, vel ieiunent, vel saltem a carnibus abstineant; responsum est: si, quod dicitur de scandalo, intelligatur de scandalo, quod proprie obligaret ad peccatum, nullo opus esse decreto; si autem intelligitur de aliqua admiratione seu offensione externorum, Congregatio decrevit: nil esse addendum ad decretum 17 tit. 6 primae Congregationis generalis.

C. 6 d. 9.

Hic d. 96.

28, in Ms. decr. 40.

Sub poena excommunicationis interdicitur Nostris ambitus officiorum S. Inquisitionis in Hispania.

Ut Sancti Officii ministerio, ad quod assumere volent Inquisitores ex Nostris, liberius et dignius praestetur obsequium; tum etiam, ut ambitionis inter ipsos Nostros aditus praecludatur; placuit Congregationi: omnibus Nostris in regno Hispaniae aliisque dominiis illi Tribunali subiectis praecipere sub poena excommunicationis latae sententiae: ne quisquam per se vel per alium praesumat procurare vel ambire officia Consultoris et Qualificatoris; sed sincere ac religiose illius Sancti Tribunalis iussis obediant. Quod si, tempore procedente, compertum fuerit, alias etiam poenas esse necessarias ad huiusmodi ambitionem coercendam (quod Congregatio sperat non futurum) serio commendat P. Praeposito Generali: ut graviores etiam pro necessitate occurrente poenas adhibeat.

Sup. d. 21.

29, in Ms. decr. 41.

Accipere stipendium vel eleemosynam pro ministeriis, an sit contra votum. *C. 1 d. 37, 74, 118.*

Circa cap. 1 Examinis, § 3, et cap. 2 Const., part. vi, § 7, postulatum fuit, ut Congregatio declararet: an accipere aliquid pro ministeriis Societatis, tamquam stipendium vel eleemosynam in compensationem, sit contra votum paupertatis Societatis, vel contra Constitutionem tantum. Et cum haec quaestio serio et accurate per plures dies agitata fuisset, tandem placuit Congregationi: nihil in alterutram partem definire aut declarare, sed exactissimam illius gravissimae Constitutionis observationem, ad maiorem aedificationem et paupertatis nostrae sinceritatem ac puritatem retinendam pernecessariam, vehementer omnibus commendare; ac omnino prohibere: ne ullus Superior, ac ne ipse quidem Praepositus Generalis in ea dispenset.

Exactissima huius Constitutionis observatio vehementer commendatur. *Exa. c. 1 n. 3. P. 6 c. 2 n. 7.*

in qua nec ipse Praepositus Gen. potest dispensare. *C. 12 d. 39.*

30, in Ms. decr. 42.

Congregationi generali cogendae nullum certum tempus praescribendum.

Cum propositum fuisset: utrum statuendum esset certum aliquod tempus pro generali Congregatione convocanda; re diligenter considerata, Congregatio decrevit communi omnium consensu, ac nemine prorsus discre-

P. Aquaviva Praep. Gen. 1593-94

pante: nullum certum tempus Congregationi generali cogendae praescribendum; sed decreta 24 * secundae, et 10 * quartae Congregationum generalium servanda esse, quae praesens Congregatio rata firmaque habet et de novo confirmat.

* Hic d. 19.
* Hic d. 7. C. 7 d. 9. C. 21 d. 10.

31, in Ms. decr. 43.

Circa dimittendos e Soc. serventur Const. et Ord. Gen., praxi Praeposito Gen. commendata.

Postulatum fuit: ut Congregatio moderationem adhiberet in dimittendis Nostris e Societate, prius id commeritos castigando, ac praeterea praecavendo, ne, qui Societatem deserere praetendunt, id male se gerendo studeant obtinere. Et quoniam per nostras in II part. Constitutiones et PP. Generalium Ordinationes omnibus casibus ita prospectum esse videtur, ut nullo novo decreto opus esse appareat, placuit Congregationi: ea de re nihil plane decernendum esse; totam vero huius materiae praxim R. P. Generali committendam et commendandam, ut ipse quod in Constitutionibus et Ordinationibus praedictis de hac re habetur, iuxta facultatem in litteris apostolicis concessam, diligenter servari curet.

Ord. Gen. c. 12.
Comp. Privil. n. 159, 160.

32, in Ms. decr. 44.

Congregationibus provincialibus maior potestas non concedenda.

Quaesitum fuit: an provincialibus Congregationibus auctoritate huius Congregationis concedenda esset maior aliqua potestas, quam nunc habeant, ad res suarum Provinciarum ordinandas. Et, re mature examinata, Congregatio statuit communi omnium consensu, ac nemine prorsus discrepante: provincialibus Congregationibus aliam potestatem, praeter eam, quam nunc habent, non esse concedendam; et nihil plane hac in parte innovandum; sed servandam Formulam Congregationis provincialis, in quarta generali Congregatione recognitam et approbatam, et in hac quinta recognoscendam et approbandam.

Sup. pag. 237, et in fine vol.

33, in Ms. decr. 45.

Superiorum syndicatus non adhibendus.

Propositum fuit: ut huius Congregationis decreto Provinciales et Superiores locales ad reddendam rationem suorum officiorum adstringantur, declarando illis accusationes, quae adversus illos deferri solent, eorumque defensiones audiendo; quo constare possit, quomodo illi in suorum munerum functionibus se gesserint. Censuit autem Congregatio: nihil omnino hac de re statuendum esse, cum satis superque provisum sit per ea, quae de huiusmodi ratione reddenda continentur in Constitutionibus, part. IV, cap. 2, § 5, et cap. 10, § 3, et part. IX, cap. 3, § 4, cum declaratione; et in regulis Provincialis, cap. 14, et in instructionibus Visitatorum; quorum omnium accuratam exsecutionem, sicubi opus sit, utpote gubernationi bonae pernecessariam, Congregatio serio et graviter P. Praeposito commendat.

Vide tamen inf. d. 64 n. 2.
Inf. d. 34.

34, in Ms. decr. 46.

Audita intercessione de syndicatu, nihil immutandum decernitur.

Cum legeretur decretum proximum 45 *, intercessum fuit a quodam Patre, qui censebat addendum esse decreto: ut Provinciales rationem suorum officiorum ad finem triennii reddere teneantur; cum saepe contingat illos defungi suis officiis, nulla illorum reddita ratione. Congregatio nihilominus statuit: decretum praedictum, ut iacet, retinendum, et nihil illi addendum esse.

* Hic d. 33.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

35, *in Ms. decr. 47.*

Superiorum triennium non statuendum. *Comp. Privil. n. 526.*

Petitum fuit, ut auctoritate Congregationis statueretur: ne Superiorum localium officia ultra triennium continuentur. Decrevit autem Congregatio: nullum certum tempus praefigendum, sed servandum esse decretum 87 * Congregationis secundae generalis. Et nihilominus Congregatio vehementer commendat P. Praeposito: ut diligenter curet, ne praefecturae istae Societatis nimis diuturnae sint, aut prolixe continuentur.

* *Hic d. 68. Vide tamen inf. d. 64 n. 1.*

Curandum diligenter, ne praefecturae istae nimis diuturnae sint.

36, *in Ms. decr. 49.*

Antequam tractetur: an promotioni ad gradus certum tempus statuendum, Formula informandi de promovendis ad gradus revideatur.

Cum propter varias querelas ac difficultates, quae circa admissionem Nostrorum ad gradus fixos, et potissimum professionis Societatis audiuntur, fuisset quaestio proposita: utrum certum aliquod tempus statuendum esset, quo Nostri ad eos gradus promovendi forent; antequam quidquam de hac re ageretur, Congregatio statuit: ut Formula informandi de promovendis ad praedictos gradus, a P. Praeposito superioribus annis confecta, per Patres Deputatos ad cognoscenda detrimenta Societatis diligenter revideretur; et, ut Patres congregati, si quid in eam rem haberent, intra sequens quatriduum, die 12 huius mensis terminandum, ad praedictos Patres deferrent; quo illi, huiusmodi aliorum Patrum adnotationibus adiuti, supra dictam Formulam perficiant, et omnibus numeris absolutam Congregationi proponant; ut hac ratione nihil praetermittatur, quod bonam, sinceram et exactam huius promotionis praxim iuvare possit. Tum de proposita quaestione tractari coeptum fuit.

Ord. Gen. c. 18.

Inf. d. 37.

37, *in Ms. decr. 50.*

Nullum certum tempus promotioni ad gradus praefiniendum, et quare. * *Hic d. 36.*

Tractatum fuit de proxima quaestione decreto 49 * proposita: utrum scilicet certum aliquod tempus promovendi Nostros ad gradus fixos in Societate praefigendum esset. Et, cum multa in eam rem a Patribus praeclare dicta fuissent, tandem Congregatio summa animorum et sententiarum consensione in primis declaravit: nullum in Constitutionibus certum tempus iis gradibus conferendis praefixum esse, aut etiam, illis integris, praefigi posse; cum ex illis nihil aliud habeatur, quam praescribi ea, quae promotionem ad illos gradus praecedere oporteat; terminum vero ad illos promovendi nullum alium esse, quam sufficientiam promovendorum, pro qualitate cuiusque gradus in christianae vitae puritate ac selecta doctrina satis cognitam, et diuturnis ac diligentissimis probationibus exploratam, cum omnium aedificatione et satisfactione; ac denique non nisi cum Societati vel eius Praeposito Generali (in cuius manu proprii cuiusque gradus iudicium, nostri forma Instituti et apostolicae constitutiones esse voluerunt) fuerit ab eis plene in Domino satisfactum. Deinde eadem Congregatio, inhaerens decreto 13 Congregationis quartae generalis, quod ratum habet, ac de novo confirmat, statuit: nullum certum tempus praedictis gradibus conferendis praefiniendum esse; aut quidquam in Constitutionibus in hac parte innovandum; cum et nostri Instituti substantialibus hoc plane repugnet, et gravissima ad illud labefactandum incommoda ex eiusmodi determinatione necessario secutura essent.

Exa. c. 1 n. 8, 12. c. 4 n. 16, 41. P. 5 c. 2 n. 1. P. 10 n. 7.

Comp. Privil. n. 280.

Hic d. 9.

Et, quoniam aliqui Provinciales

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

An de eligendis pro celeri negotiorum expeditione Definitoribus tractandum.

questi fuerunt: nimium protrahi Congregationem, cum magno suarum Provinciarum incommodo, P. Praepositus monuit Patres, ut cogitarent: an de eligendis Definitoribus, pro celeri negotiorum expeditione, tractandum foret.

38, in Ms. decr. 51.

Numerus congregandorum in Congr. prov. contrahendus.

Hic d. 24.

Cum Patres Deputati pro Formulis Congregationum recognoscendis retulissent ad Congregationem suum iudicium, de numero congregandorum in Congregationibus provincialibus contrahendo, et de contractionis modo, prout ad eos reiectum fuerat considerandum decreto 35; Congregatio, quod ad numerum contrahendum attinet, re diu multumque in utramque partem agitata, demum Patrum Deputatorum iudicium probavit; ac in Const. part. VIII, cap. 3, dispensandum esse decrevit, numerumque omnino minui debere, ob gravia incommoda, quae ex nimia congregandorum frequentia sequuntur.

Audita intercessione, idem denuo decernitur.

Inf. d. 60, 81.

Et, cum aliqui Patres intercessissent, iterum sententiae rogatae fuerunt, iterumque decretum fuit: ut numerus omnino contrahatur; modum vero contractionis in alia actione considerandum esse.

39, in Ms. decr. 52.

Definitores octo eligendi ad negotia celerius expedienda.
* Hic d. 37.

Statutum fuit omnium consensu: ut, quemadmodum ad finem decreti 50 * propositum fuerat considerandum, Definitores eligantur, et quidem numero octo; qui cum P. Praeposito in negotia, quae Congregatio ad eos reiiciet, celerius expedienda incumbant, cum ea potestate, quam Congregatio illis communicabit.

40, in Ms. decr. 54.

Ad electionem Definitorum faciendam Provincia Flandriae ad germanicas Provincias pertineat.
* Hic d. 39.

Hic d. 1.

Cum, iuxta decretum 52, * electio Definitorum facienda esset, omnium primum pro hac vice declaratum fuit: Provinciam Flandriae ad germanicas Provincias pertinere. Caetera vero, quae de huiusmodi materia decreto 6 ante electionem quinque Deputatorum pro illa vice declarata fuerunt, in hac etiam electione servari placuit.

Definitores octo ex quibus nationibus eligendi.

Tum decretum est: ut cum quinque Definitores eligendi sint ex quinque nationibus consuetis; ex tribus aliis, qui supererunt eligendi, unus ex italica, alter ex hispanica et lusitanica promiscue, tertius similiter promiscue ex transalpinis eligatur.

Ad plura medietate suffragia eliguntur.

Hic d. 42.

Postremo facta est singulorum electio per scrutinium ad plura medietate suffragia, iuxta decretum 48 Congregationis IV generalis. Et primo quidem, pro Germania electus est P. Paulus Hoffaeus, tertio scrutinio. Secundo, pro Italia P. Benedictus Palmius, secundo scrutinio. Tertio, pro Gallia P. Iacobus Tyrius, primo scrutinio. Quarto, pro Hispania P. Aegidius Gonzalez, primo scrutinio. Quinto, pro Lusitania P. Petrus a Fonseca, primo scrutinio. Sexto, pro Italia P. Laurentius Magius, primo scrutinio. Septimo, pro Hispania et Lusitania P. Garzias Alarconius, secundo scrutinio. Octavo, pro transalpinis P. Oliverius Manaraeus, primo scrutinio.

41, in Ms. decr. 55.

Doctrina S. Thomae in Theologia scholastica a Professoribus nostris sequenda.
Inf. d. 56.

Cum Deputati pro Ratione Studiorum recognoscenda, post accuratam discussionem et multorum dierum collationem, suam sententiam ad Congregationem retulissent circa partem speculativam et delectum opinionum; Congregatio iudicium illorum proba-

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

vit. Et, primo loco, unanimi omnium consensu statuit: doctrinam S. Thomae in Theologia scholastica, tamquam solidiorem, securiorem, magis approbatam et consentaneam nostris Constitutionibus, sequendam esse a Professoribus nostris. Deinde, Congregatio regulas quasdam ab iisdem Deputatis confectas pro delectu opinionum, tam in rebus theologicis, quam philosophicis, in libro de Ratione Studiorum recensendas esse decrevit, ut a nostris Professoribus exacte servarentur. Sunt autem, quae sequuntur:

P. 4 c. 14 n. 1.

Regulae pro delectu opinionum in Theologia et Philosophia, a Deputatis confectae, in Rat. Stud. recensendae.

REGULAE PRO DELECTU OPINIONUM PRO THEOLOGIS.

Reg. 2 Prof. Theol.

1. Sequantur nostri Doctores in scholastica Theologia doctrinam S. Thomae; neque deinceps ad cathedras theologicas promoveantur, nisi qui S. Thomae bene affecti fuerint; qui vero eiusdem auctoris parum studiosi, vel etiam ab eo alieni sunt, a docendi munere repellantur. De Conceptione autem B. Mariae ac de solemnitate votorum sequantur sententiam, quae magis hoc tempore communis, magisque recepta apud Theologos est.

Ibid. reg. 3.

Ibid. reg. 5.

2. In docendo, corroborandae primum fidei alendaeque pietatis cura habeatur. Quare in iis quaestionibus, quas S. Thomas ex professo non tractat, nemo quidquam doceat, quod cum Ecclesiae sensu receptisque traditionibus non bene conveniat, quodque aliquo modo solidae pietatis firmitatem minuat. Quo pertinet, ut nec receptas iam, quamvis congruentes tantum, rationes, quibus fidei res probari solent, Nostri refellant, nec temere novas excogitent, nisi ex constantibus solidisque principiis.

Reg. 6 Prof. Sup. Fac.

3. In iis etiam, in quibus nullum fidei pietatisque periculum subest, nemo in rebus alicuius momenti novas introducat quaestiones, nec opinionem ullam, quae idonei nullius auctoris sit, iis qui praesunt inconsultis; nec aliquid contra Theologorum axiomata communemve scholarum sensum doceat. Sequantur potius universi probatos maxime Doctores, et quae, prout temporum usus fuerit, recepta potissimum fuerint in catholicis Academiis.

Reg. 6 Prof. Theol.

4. Quae opiniones, cuiuscumque auctoris sint, in aliqua Provincia aut Academia catholicos graviter offendere scientur, eas ibi nemo doceat aut defendat. Ubi enim, nec fidei doctrina, nec morum integritas in discrimen adducitur, prudens charitas exigit, ut Nostri se illis accommodent, cum quibus versantur.

Ibid. reg. 4.

5. Si quando, vel ambigua fuerit S. Thomae sententia, vel in iis quaestionibus, quas S. Thomas forte non attigit, Doctores catholici inter se non consenserint; licebit Nostris quamcumque partem sequi; dummodo in iis, ita defendatur una pars, ut alterius etiam partis, ac multo magis prioris Professoris, si contrarium docuerat, existimationi modeste ac benevole consulatur. Quin etiam, si conciliari possunt auctores, id ne negligatur optandum est.

REGULAE PRO DELECTU OPINIONUM PRO PHILOSOPHIS.

Reg. 2 Prof. Phil.

1. Philosophiae Professores in rebus alicuius momenti ab Aristotele non recedant; nisi quid incidat a doctrina, quam Academiae ubique probant, alienum; multo magis, si orthodoxae fidei repugnet; adversus

C. 8 d. 47.

P. Aquaviva Praep. Gen. — 1593-94

quam, si qua sunt illius aliusve Philosophi argumenta, ea strenue refellere studeant, iuxta lateranense Concilium.

Ibid. reg. 3. C. 3 d. 47. 2. Aristotelis interpretes, de christiana Religione male meritos, non sine magno delectu, aut legant, aut in scholam proferant; caveantque, ne erga illos nimium afficiantur auditores. *Ibid. reg. 4.* Eam ob rem nec Averrois (idem de huiusmodi aliis iudicium) digressiones in separatum aliquem tractatum conferant; et, si quid boni ex ipso proferendum sit, sine laude proferant; et, si fieri potest, id eum aliunde sumpsisse demonstrent.

Ibid. reg. 5. 3. Nulli sectae, ut Averroistarum, Alexandrinorum et similium, vel se vel suos addicant; nec Averrois aut caeterorum errata dissimulent; sed inde acrius eorum auctoritatem deprimant. *Ibid. reg. 6.* Contra vero de S. Thoma numquam non loquantur honorifice, libentibus illum animis, quoties oporteat, sequendo; aut reverenter et gravate, si quando minus placet, deserendo.

Ord. pro Stud. Sup. n. 12 § 2. 4. Nullas novas introducant quaestiones nec opinionem, quae idonei nullius auctoris sit, iis qui praesunt inconsultis; nec aliquid contra Philosophorum axiomata communemque scholarum sensum defendant. Intelligant quoque, si qui fuerint ad novitates proni, aut ingenii nimis liberi, eos a docendi munere sine dubio removendos.

Reg. 5 Prof. Sup. Fac. 5. In iis quaestionibus, in quibus liberum est quamcumque partem sequi, ita defendatur una pars, ut alterius etiam partis, ac multo magis prioris Professoris, si contrarium docuerat, existimationi modeste ac benevole consulatur. Quin etiam, cum conciliari possunt, id ne negligatur optandum est.

42, in Ms. decr. 56.

Praeludia Deputatorum ad regulas pro delectu opinionum, diligentius correcta, in actis Congr. inserantur, ut usui sint Superioribus.

Quibusdam Patribus id postulantibus, fuerunt lecta in Congregatione fundamenta seu praeludia, quae a Deputatis studiorum conscripta fuerant ad maiorem intelligentiam regularum, quas hesterno decreto Congregatio approbavit. Cum igitur petitum esset: an ista fundamenta essent reponenda inter acta Congregationis, decretum fuit: ut, diligentius recognita et correcta ab iisdem Deputatis, inserantur in actis Congregationis; ita tamen, ut non evulgentur in manus omnium, sicut regulae; sed tantum usui sint Superioribus ad maiorem lucem habendam, et ad cognoscendum sensum Congregationis, quem habuit in instituendis illis regulis, et ad illarum praxim exercendam. *Inf. d. 56.*

43, in Ms. decr. 58.

Post auditam intercessionem, decretum praecedens retinetur.

Postquam lectum fuit decretum heri factum de inserendis in actis Congregationis praeludiis, quae pertinebant ad declarationem regularum circa Studiorum Rationem, Patres quidam contra illud intercesserunt; et, cum rogata iterum fuissent suffragia, placuit nihilominus Congregationi retineri decretum.

44, in Ms. decr. 59.

Substantialia Instituti qualia sint indicatur.

Postulatum fuerat a plerisque Provinciis, ut declararetur: quaenam sint substantialia Instituti nostri; cumque facta esset specialis Deputatio aliquorum Patrum ad id examinandum, ii, diligenti et accurato studio in eam rem incumbentes, post maturam discussionem, sententiam suam Congregationi retulerunt. Congregatio vero, re iterum diu et exacte disceptata, iudicium Deputatorum

P. Aquaviva Praep. Gen. 1593-94

Vol. 1 pag. 4, 7, 23.

probans et sequens, tandem declaravit: ea, quae vel expresse continentur in Formula Instituti Iulio III, Summo Pontifici, proposita, et ab eo aliisque successoribus eius confirmata sunt; vel quae in eadem referuntur ad Constitutiones nostras declarationis causa, esse et censeri debere substantialia nostri Instituti. Et quamvis alia sint, quae ad substantiam Instituti nostri pertineant, iudicavit tamen Congregatio: non esse modo de iis agendum, sed interim ab hac tractatione abstinendum.

Inf. d. 45, 58.

45, in Ms. decr. 60.

Audita intercessione, decretum praecedens Deputatis corrigendum committitur.

INTERCESSUM est a quibusdam Patribus contra decretum proxime factum de substantialibus Instituti. Et primo, quoniam videbatur esse aliquid obscuritatis in illis verbis: *quae referuntur ad Constitutiones declarationis causa, esse substantialia;* nam forte non omnia illa, quae in iis locis Constitutionum, ad quae Formula refertur, continentur, sunt substantialia; petitum fuit: ut aliqua maior declaratio fieret in decreto, ad explicandum, quaenam ex illis sint substantialia. Secundo, propositum fuit: an expediret, ut ad ultimam clausulam decreti, ubi dicitur esse alia, quae ad substantiam Instituti pertinent, adderentur, exempli causa, nonnulla ex illis substantialibus, quae magis opportuna viderentur; et ad finem illorum diceretur: *et his similia.* Quare Congregatio, quoad utramque partem intercessionis, corrigendum esse decretum iudicavit; idque Deputatis pro substantialibus exsequendum, et ad se referendum commisit.

Inf. d. 58.

46, in Ms. decr. 61.

Missiones obnixe commendantur. P. 7 c. 1, 2, 3. P. 4 Prooem., A.

CUM quaesitum fuisset: ut Missiones, quae sunt ex praecipuis nostrae Societatis functionibus, et propriae Professorum, per aliquod Congregationis decretum P. Praeposito commendarentur, quo diligentius et frequentius in posterum exerceantur; placuit Congregationi: praeter studium, quod P. Praepositus ea in re variis litteris scriptis et Missionum Ordinatione declaravit, id ipsum obnixe ipsi P. Praeposito commendare; ut scilicet curet exsecutionem et praxim saluberrimi huius ministerii ad aedificationem et fructum animarum maiori cum diligentia posthac in Societate exerceri; et ut apti et selecti mittantur Operarii.

Instr. 12.

Curet Praep. Gen. diligentem ministerii huius exsecutionem. C. 22 d. 23.

47, in Ms. decr. 63.

Tractatio rerum Status et politicarum graviter et severe Nostris prohibetur. Hoc decr. specifice confirmatum fuit a Paulo V, Litt. Apost. pag. 133. C. 7 d. 46. C. 16 d. 26.

QUONIAM Societas nostra, quae ad fidei propagationem et animarum lucra a Domino excitata est, sicut per propria Instituti ministeria, quae spiritualia arma sunt, cum Ecclesiae utilitate ac proximorum aedificatione sub crucis vexillo finem feliciter consequi potest, quem intendit; ita et haec bona impediret, et se maximis periculis exponeret, si ea tractaret, quae saecularia sunt, et ad res politicas atque ad Status gubernationem pertinent; idcirco sapientissime a nostris maioribus statutum est: ut, militantes DEO, aliis, quae a nostra professione abhorrent, non implicemur. Cum autem, his praesertim temporibus valde periculosis, pluribus locis et apud varios Principes (quorum tamen amorem et charitatem sanctae mem. P. N. Ignatius conservandam ad divinum obsequium pertinere putavit) aliquorum fortasse culpa, vel

P. 6 c. 3 n. 7.

Principum amor et charitas ad divinum obsequium conservandae. P. 10 n. 11, B.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

Etiam ab omni specie mala abstinendum nobis est.

ambitione, vel indiscreto zelo, Religio nostra male audiat; et alioquin bonus Christi odor necessarius sit ad fructificandum; censuit Congregatio: ab omni specie mala abstinendum esse, et querelis, quoad fieri poterit, etiam ex falsis suspicionibus provenientibus, occurrendum. Quare praesenti decreto graviter et severe Nostris omnibus interdicit: ne in huiusmodi publicis negotiis, etiam invitati aut allecti, ulla ratione se immisceant, nec ullis precibus aut suasionibus ab Instituto deflectant. Et praeterea, quibus efficacioribus remediis omnino huic morbo, sicubi opus sit, medicina adhibeatur, Patribus Definitoribus accurate decernendum ac definiendum commendavit.

Huic morbo, sicubi opus sit, efficaciora remedia adhibenda. *Inf. d. 79.*

48, in Ms. decr. 64.

Principum familiaritas et negotia saecularia diligentissime a Nostris vitanda. *C. 6 d. 21. C. 7 d. 13.*

Illud etiam cavendum diligentissime: ne cum detrimento spiritualis boni et religiosae disciplinae Nostri sese in familiaritatem Principum insinuent; nec aliis negotiis saecularibus, licet rerum particularium ad consanguineos, amicos vel quosvis alios pertinentibus, occupentur; nisi forte interdum iudicio Superiorum charitas aliud suaderet. Quo in genere non raro a nonnullis erratur, praesertim vero a Superioribus, qui huiusmodi permittunt. Nam, cum Constitutiones nostrae, part. VI, cap. 3, § 7, huiuscemodi negotia, tamquam a nobis aliena, nullo modo permittant, diligentissime curandum est, ut intra nostri Instituti limites proximos iuvare conemur. Cui etiam incommodo Patres Definitores iussit Congregatio pro eorum pietate atque prudentia diligenter occurrere.

Curent Superiores, ut intra nostri Instituti limites proximos iuvare conemur. *Inf. d. 80.*

49, in Ms. decr. 65.

Externorum negotiationes et intercessiones Nostris prohibentur. * *Hic d. 14. P. 7 c. 2, K.*

Cum Congregatio in decreto 25 * reiecisset ad Patres Deputatos pro detrimentis, ut viderent: quid statuendum esset in eos, qui per negotiationes et intercessiones externorum aliquid a Superioribus obtinere procurant; Deputati retulerunt ad Congregationem, se in ea esse sententia: ut nihil a Congregatione hac de re decernatur; tum propter difficultatem inveniendi veritatem harum procurationum; tum quia praxis huius rei pendet ex particularibus circumstantiis, quae particularem postulant informationem; sed totum hoc negotium P. Praeposito committendum esse, ut ipse pro sua prudentia, omnibus circumspectis, ea remedia adhibeat, iisque poenis errantes corrigat, quas, tam ad delinquentium emendationem, quam ad aliorum exemplum in Domino convenire iudicaverit. Congregatio autem iudicium Deputatorum approbavit, et rem P. Praeposito serio commendavit.

Praepositus Gen. delinquentes corrigat et eorum emendationem procuret. *C. 7 d. 20, 22 n. 2. C. 8 d. 24. C. 9 d. 24. C. 10 d. 18. C. 16 d. 17.*

50, in Ms. decr. 66.

Dubia quaedam Constitutionum enodantur.

Patres Deputati pro declarandis dubitationibus Constitutionum et substantialibus Instituti retulerunt Congregationi suam sententiam circa quaedam specialiter ipsis commissa a Congregatione. Et primo, quod incommodis, quae oriebantur ex male intellectis verbis Formulae votorum: *promitto Societatem me ingressurum,* de quibus dictum est decreto 14, occurri posset hac ratione; nimirum: si in regulis Magistri Novitiorum exprimatur, et ab ipso Magistro aperte explicetur Novitiis, tum initio, cum Societatem ingrediuntur, tum postea, sexto quoque mense, praecipue cum vota emittere debent post biennium:

Promissio, quae in votorum Formula continetur, quomodo Novitiis explicanda. *Hic d. 4.*

promissionem illam de ingrediendo Societatem, quae fit in Formula votorum, esse votum, quo obligantur ad recipiendum gradum Coadiutoris formati vel Professi, prout Praepositus Generalis iudicaverit. Itemque, si in libro, in quo notantur nomina Scholasticorum, qui emittunt vota simplicia, iuxta regulam 11 Rectoris, postquam illa quis emiserit, subscribat se tali die et anno emisisse vota, et clare intellexisse: vim illius promissionis esse, se manere obligatum ad praedictam indifferentiam.

Qui vota simplicia emittit, subscribat se clare promissionis vim intellexisse.

eclaratio Const. de opinionibus. * Hic d. 6.

2. Secundo, locum Examinis, cap. 3, § 11, de quo supra, decreto 17 *, ubi habetur: *num paratus sit ad iudicium suum submittendum, sentiendumque, ut fuerit constitutum in Societate de huiusmodi rebus sentire oportere,* intelligendum esse de iis rebus, in quibus locum habet opinio, ut patet ex verbo *opinionis* et ex verbo *communius*, quod hispanice est *comunmente*, hoc est, ut plurimum. In quo sensu etiam loquitur declar. part. III, cap. 1, § 18, lit. O. Tria ergo volunt Constitutiones. Primum, ut Nostri non inducant novas opiniones. Secundum, ut, si quando contra communem senserint, sequantur quod Societas iudicaverit. Tertium, ut in controversiis, in quibus neutra opinio est adeo communis, redigantur ad conformitatem, ut sic idem sapiamus et idem dicamus omnes iuxta Apostolum.

De aliquibus causis et modo dimittendi Novitios, * Hic d. 6.

Hic d. 67. et Scholasticos.

3. Tertio, alia loca Constitutionum, de quibus eodem decreto 17 *, hac ratione esse interpretanda et concilianda: ut cap. 7 Examinis, § 2, non loquatur de omnibus, sed de eo, qui habet maiorem propensionem ad studia, quam par est, iuxta decretum 78 Congregationis IV, et regulam 16 Magistri Novitiorum. Locus autem part. II, cap. 2, lit. B, intelligatur de eo, qui in aegritudinem incidit in quocumque obsequio Societatis, postquam emiserit vota, biennio exacto; is enim dimitti non potest, nisi ipse contentus esset. Nam, si hoc accidat in novitiatu, dimitti posset ex § 3 eiusdem capitis, etiamsi in ordinariis laboribus Societatis in morbum incidisset. Constitutio autem part. IV, cap. 6, § 15, lit. N, sic intelligatur, ut, qui in Scholasticum admissus fuisset, si, emissis votis post biennium, inveniatur ineptus ad studia et ad alia domestica ministeria, posset in rigore a Societate dimitti, quia adhuc in probatione est ad ulteriores gradus; eo magis, si illa inutilitas esset cum aliqua culpa voluntatis coniuncta. Ex aequitate tamen, si nulla sit culpa, consulatur Generalis, ut dicit Constitutio.

Votum paupertatis laeditur utendo rebus tamquam propriis. * Hic d. 10.

Inf. d. 59.

4. Quarto, verba illa part. III, cap. 1, § 7, de quibus decreto 21 *: *Doceantur omnes, quod nulla re tamquam propria uti debent,* sic accipienda sunt: ut, qui utitur rebus suis, quacumque ratione illis utatur tamquam propriis, vel ea distribuat sine facultate Superioris, faciat contra votum paupertatis. Has igitur declarationes singulas ita explicatas Congregatio approbavit, et iuxta praedictum sensum loca illa intelligi debere statuit.

51, in Ms. decr. 67.

Casus reservati enumerantur. * Hic d. 17, 22.

C. 9 d. 43.

Ord. Gen. c. 5.

PATRES Deputati pro recognoscendis casibus reservatis, iuxta decr. * 28 et 33, suum iudicium retulerunt ad Congregationem. Fuit vero hoc: ut, praeter reservari permissos omnibus Regularibus a Sanctissimo D. N. Clemente VIII per quoddam decretum ab eodem editum sub die 26 Maii 1593, reservarentur in Societate etiam infra scripti. Primo, periurium et falsum

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

testimonium in iudicio vel extra. Secundo, furtum, et usurpatio seu appropriatio alicuius rei contra votum paupertatis in ea quantitate, quae efficiat peccatum mortale. Tertio, lapsus carnis voluntarius, et quidquid est contra votum castitatis, quod quidem in actum externum prodeat. Quarto, inobedientia expressa, qua quis asserit se nolle parere. Quinto, seditio in Superiorem, et divisio a capite, in grave nocumentum Societatis. Sexto, detractio famae bonaeque existimationis aliorum, et discordiarum seminatio inter Fratres. Septimo, impedimentum excludens a Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod incommodum oriri possit. Octavo, acceptio seu missio litterarum absque licentia expressa; quae scilicet acceptio et missio contineat rationem peccati mortalis. Ab his casibus non licet, absque expressa licentia Superioris Domus vel Collegii, absolvere; cum nempe manifeste sunt peccata mortalia, et in actum externum prodeuntia. Congregatio vero approbavit iudicium Deputatorum, et interim iudicavit, quodam Patre id petente, melius considerandum esse: an expediret, praeter iam dicta peccata, reservari nonnulla alia, ut sunt ea, quae habent annexam excommunicationem, et quae sunt contra vota simplicia, quae emittuntur a Professis. Placuit etiam Congregationi: ut omnino postularetur a Sua Sanctitate dispensatio super illa parte decreti praedicti, quae iubet: primo, in singulis Domibus, praeter Confessarium, deputari duos vel plures Confessarios, qui a non reservatis absolvant. Hoc enim in parvis Collegiis est fere impossibile, ubi, praeter Confessarium, omnes alii Patres, vel habent officium Superioris, vel sunt Consultores; unde non conveniret eos deputari in Confessarios. Secundo, iubet, ut absolutio reservatorum committatur iudicio Confessarii; sic enim videretur tolli reservatio casuum.

Quid requiratur, ut sint reservati; ab eis sine expressa Superioris licentia non licet absolvere.

An alia etiam peccata reservari expediat.

Inf. d. 57.

A Summo Pont. petendum, ut in singulis Domibus non deputentur plures, qui a non reservatis absolvant; *Inf. d. 64, post n. 4. C. 11 d. 21.*

et ut absolutio reservatorum non committatur iudicio Confessarii. *Inf. d. 64, post n. 4.*

52, in Ms. decr. 68.

Quoniam Societatis ministeria eo maiori cum fructu in communi animarum salute procuranda exercentur, quo Nostri longius absunt ab iis hominum conditionibus, quae aliis offendiculo esse possunt; ii autem, qui a progenitoribus modernis christianis descendunt, plurimum et offendiculi et detrimenti (quemadmodum diuturna experientia compertum est) ordinarie in Societatem invehere consueverunt; ob eam causam multi efflagitarunt, ut praesentis Congregationis auctoritate statueretur: ne ullus posthac in Societatem admittatur, qui ex Hebraeorum aut Saracenorum genere descendat; et, si quispiam eorum per errorem admissus fuerit, cum primum de hoc impedimento constiterit, a Societate dimittatur. Placuit autem Congregationi universae statuere, quemadmodum praesenti suo decreto statuit: ut nullus omnino ex huiusmodi hominibus, qui ex Hebraeorum aut Saracenorum genere descendunt, deinceps in Societatem recipiatur. Quod si eorum quispiam errore aliquo admissus fuerit, cum primum de hoc impedimento constiterit, quocumque tempore ante professionem id detegatur, admonito prius Praeposito Generali, et exspectato eius responso, dimittatur. De qua re omnes ante admissionem perspicue admonendi erunt. Quamquam enim Societas pro communi salute omnibus

Qui ex Hebraeorum et Saracenorum genere descendunt, in Societatem non admittendi.

Exa. c. 3 n. 2.

Vide tamen C. 6 d. 28.

Si eorum quispiam errore admissus fuerit, exspectato Praepositi Gen. responso, dimittatur.

De hac re ante admissionem omnes admonendi.

P. Aquaviva Praep. Gen. 1593-94

Cur hi homines excludendi.

omnia fieri optat, ut, quos poterit, Christo lucrifaciat; non tamen necessum est, ut suos ministros ex quovis hominum genere desumat. Quin potius ad maiorem Dei gloriam perfectioremque propositi sibi finis assecutionem convenientius est, ut eos habeat Operarios, qui omnibus aliis nationibus in toto orbe gratiores sint, et quibus in Ecclesia Dei libentius et fidentius utantur ii, quorum voluntas bene aut male in nos affecta (ut sanctae mem. P. Ignatius ait) multum habet momenti, ut aditus ad divinum obsequium et animarum auxilium aperiatur aut praecludatur.

Hoc impedimentum non est essentiale; est tamen indispensabile, etiam a Praeposito Gen.

Caeterum, cum circa huius decreti vim et efficaciam dubitatio exorta esset: utrum, quod eo decreto prohibetur, inter essentialia impedimenta, quae a Societate omnino excludunt, referri; an potius indispensabile tantum impedimentum decerni oporteret; tandem, post multa in utramque partem allata, Congregatio declaravit et statuit: hoc decretum non essentialis, sed indispensabilis impedimenti vim obtinere; sic scilicet, ut nullus omnino Superior, ac ne ipse quidem Praepositus Generalis in eo dispensare possit, atque ita deinceps in Societate integre inviolateque servandum esse.

C. 7 d. 42.

53, in Ms. decr. 69.

Auditis intercessionibus, et re diligenter discussa, praecedens decretum denuo stabilitur. * Hic d. 52.

Cum proximum 68* decretum in Congregatione legeretur, tres intercessiones a diversis Patribus factae fuerunt. Una quidem, ut cum iis, qui bona fide in Societatem ingressi essent, a P. Praeposito dispensari possit, quo in Societate retinerentur. Altera, ut eidem P. Praeposito dispensare integrum esset in quibusdam casibus perraris, ut, cum aliquis ex eo quidem sanguine, sed genere tamen nobilissimus in Societatem recipi petit, is admitti possit. Tertia, ut hoc impedimentum, non solum indispensabile sit, verum etiam inter essentialia impedimenta numeretur. Cui intercessioni ea ratione multi adhaeserunt, ut, si forte aliae binae obtinerent, in praedicto decreto dispensari posse, ipsorum quoque nomine intercessum esse censeretur. Verum, cum denuo de hac quaestione multa in medium a Patribus prolata fuissent, et rogata suffragia; Congregatio magna animorum ac sententiarum consensione priores duas intercessiones reiecit; et quod eo decreto 68 ante statuit, nunc iterum decrevit, illudque ipsum decretum hoc novo decreto stabilivit, atque per omnia integre incorrupteque in Societate servandum esse, serio et graviter mandavit. Sic autem, et qui postremo loco intercesserat, a sua discessit intercessione, et ad aliorum sententiam se adiunxit.

Hic d. 52.

C. 6 d. 28.

54, in Ms. decr. 70.

Perturbatores Societatis, quamvis pauci gravissima ipsi attulerunt incommoda. *Hoc decretum confirmatum fuit a Paulo v, Litt. Apost. pag. 132.*

Quoniam diuturno quietis suae detrimento Societas nostra satis superque experta est gravissima incommoda, quae filii quidam praevaricatores, et communis pacis illius perturbatores, ac rerum novarum architecti suis conatibus illi attulerunt; et multae Provinciae maiorem in modum id efflagitarunt, ut huiusmodi homines debitis poenis castigarentur; Congregatio, pro eo ac debuit, spiritualium filiorum suorum iacturam dolenter ingemiscens; ac nihilominus perpendens, quantum detrimenti unio, obedientia religiosaque disciplina Societatis ab iis hominibus passa sit; quantumque apud externos bonae illius famae, qua bonus odor ubique gen-

P. Aquaviva Praep. Gen. — 1593-94

Salutari medicamento tam gravis morbus depellendus.

tium in Christo esse solet, detractum fuerit; statuit omnino: salutari alicuius severi decreti medicamento, huic tam gravi morbo depellendo prospiciendum esse. Siquidem frequentes illi falsas calumnias et varias criminationes (de quibus speciale postea iudicium Praeposito Generali habendum erit) suae Religioni immerito imposuerunt; atque, zeli communisque boni pallio se contegentes, id sibi arrogare ausi sunt, ut iudicio totius Societatis, immo et ipsiusmet Fundatoris P. N. sanctae memoriae se praeferrent; nec dubitarunt libellis scriptis, atque ad Summos Pontifices transmissis, subscribere his verbis: *ita petit tota Societas,* cum tamen ii pauci essent, et degeneres filii nostrae Religionis; eaque postularent, quae substantialia Instituti nostri labefactarent, rationemque gubernationis in Constitutionibus expressam immutarent, ac, novam prorsus formam et rationem inducentes, universam Societatis structuram dissolverent, atque a fundamentis everterent. Quocirca Congregatio declarat: eiusmodi homines, tantorum malorum auctores, aliorumque seductores, ac eorumdem vere complices, censuras et poenas omnes in apostolicis bullis contentas incurrisse. Nec non decernit: eos omnes, utpote gravissimae divisionis Societatis auctores, a tota Societate, velut pestem, quam primum separandos esse; iudicio P. Praepositi permittens, utrum eos peculiaribus poenitentiis ante dimissionem castigari conveniat. Quod si per aliqua necessaria impedimenta eos e Societate statim eiici non licuerit, Congregatio statuit: eos praeterea inhabilitatis ad quaevis officia et dignitates seu praelationes, vocisque, tam activae quam passivae privationis poenis obnoxios fore, quamdiu eos in Societate necessario retineri contigerit.

Perturbatorum arrogantia, calumniae et machinationes innuuntur.

P. 9 c. 3, et alibi.

Ipsi et eorum complices censuras et poenas incurrerunt.

Quamprimum, velut pestis, prius forte castigandi, a Societate separentur.

Poenae in eos, qui statim dimitti non possunt.

Insuper Congregatio statuit: ut, qui vehementer suspecti de praedictis machinationibus reperti fuerint, ii, vel iurent se humiliter amplexuros Constitutiones et decreta generalium Congregationum, nec non Summorum Pontificum bullas, quibus Societatis Institutum confirmatur seu explicatur, praesertim vero fel. rec. Iulii III, Gregorii XIII, et Gregorii XIV, nec umquam se acturos quocumque praetextu contra illas, neque, ut quidpiam de nostri Instituti ratione immutetur, curaturos per quoscumque in bulla Gregorii XIV non permissos; vel, si hoc iuramentum praestare noluerint, aut post illud praestitum non servaverint, etiamsi Professi et antiqui fuerint, de Societate omnino eiiciantur. Praecepit etiam Congregatio in virtute sanctae obedientiae: supra dictos omnes, auctores et complices, tamquam Societati perniciosos, et Apostolicae Sedi inobedientes, a quocumque ex Nostris, sive certa scientia, sive fide digna auditione deprehensi fuerint, et quoscumque alios, si qui in posterum pariter deprehendentur similia machinari, ad Praepositum Generalem fideliter esse deferendos, ut ille pro suo officio et huius Congregationis voluntate eos iisdem poenis afficiat, et a Societate dimittat; certus, nisi id utiliter exsequatur, se, nec bono Societatis, pro qua sanguinem fundere paratus esse debet, nec propriae conscientiae satisfacturum. Quod ut sine impedimento fiat, et optata pace tandem aliquando Societas frui possit, Congregatio decernit: suppliciter a Sanctissimo D. N. Clemente totius Religionis nomine

Quid faciendum sit cum suspectis de praedictis machinationibus.

Litt. Apost. pag. 22, 87, 90, 118.

Ibid. pag. 123.

Praecipitur cunctis: ut praedictos omnes, auctores et complices, et qui in futurum deprehendentur, ad Praepositum Gen. deferant.

C. 6 d. 2. C. 9 d. 5, 25.

Petenda a Summo Pont. nova Instituti confirmatio.

P. Aquaviva Praep. Gen. — 1593-94

et ut sine impedimento, quae in hoc decreto sancita sunt, exsecutioni mandentur.

petendum esse, ut praedecessorum suorum exemplo confirmare circa nostrum Institutum quae ab illis confirmata et declarata sunt, et sua auctoritate et potestate illi assistere dignetur, ut, quae in huiusmodi perversos homines hoc decreto sancita sunt, sine impedimento exsecutioni mandentur.

55, in Ms. decr. 71.

Rex Catholicus, a perturbatoribus Soc. falsis accusationibus circumventus, informetur.

Inter caetera, quibus nostrae Societatis perturbatores illius eversionem procurarunt, illud quoque gravissimum fuit, quod eam falsis calumniis et mendacibus criminationibus apud Catholicam Philippi, Hispaniarum Regis, Maiestatem traduxerunt; id artificiosis suis commentis contendentes, ut piissimi Regis auctoritate Societatis innocentia opprimeretur, et ipsa Societas in summum naufragii discrimen adduceretur. Quo factum est, ut religiosissimus Rex, pro sua eximia in Deum eiusque Ecclesiam pietate et in nostram Societatem propensa voluntate, vehementer exoptarit, ea omnia huius Congregationis opera examinari, et veritatem omnino patefieri. Cum igitur Congregatio in eam rem serio ac diligenter desudarit, et iam res tota patefacta fuerit; satisque manifestum evaserit, horum omnium figmentum et novitates, non ex Societatis sensu, quod ipsi mentiebantur, sed proprias ipsorum adinventiones esse; decrevit: piissimum Regem Catholicum, et per communes litteras, et per certos Patres ex eorum numero, qui in Hispaniam revertentur, de his omnibus, quae gesta sunt, ac de certissima rerum veritate suo nomine certiorem facere; eumque summo animi studio ac reverentia obsecrare, ut, sicut Congregatio non dubitat, illum pro sua insigni pietate Societatem nostram in suis regnis salvam esse velle; ita eius Maiestas, pro singulari clementia, eamdem Societatem, sui observantissimam, ab eiusmodi calumniatoribus vexari minime patiatur. Sic enim fore confidit, ut, religiosam quietem et tranquillam vitam agentes, Ecclesiae utilitati, et spiritualibus proximorum commodis, ac illius etiam Maiestatis obsequiis fructuose vacare valeamus.

Obsecrandus, ut Societatem ab eiusmodi calumniatoribus vexari minime patiatur.

56, in Ms. decr. 72.

Praefatio ad regulas de delectu opinionum, correcta et approbata, inseritur.

** Hic d. 42, 43.*

*** Hic d. 41.*

Cum, iuxta decretum 56 et 58 *, Deputati pro Ratione Studiorum fundamenta seu praeludia ad maiorem regularum, quae decreto 55 ** continentur, intelligentiam conscripta diligentius recognovissent, et correcta Congregationi proposuissent; Congregatio illa probavit, et in actis huius Congregationis ad usum Superiorum, ut in decreto 56 propositum fuit, inserenda mandavit. Illa vero sunt, quae sequuntur, videlicet:

Hic d. 42.

PRAEFATIO AD REGULAS DE DELECTU OPINIONUM A DEPUTATIS PRO RATIONE STUDIORUM CONFECTA.

Sup. d. 41.

Patres Deputati ex variis nationibus pro libro de Ratione Studiorum recognoscendo, cum de delectu opinionum primo loco tractandum censuissent, ac tamquam fundamentum proposuissent: doctrinam Societatis esse debere uniformem, securam et solidam, iuxta Const. part. iii, cap. 1, § 18, et part. iv, cap. 5, § 4; post accuratam discussionem et collationem multorum dierum, statuerunt communi consensu ea, quae sequuntur:

Reg. 2 Prof. Theol.

1. Nostri omnino S. Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque

P. Aquaviva Praep. Gen. in scholastica Theologia sequi teneantur; tum quia Constitutiones eum nobis commendant part. IV, C. 22 d. 37 n. 1. C. 23 d. 16. cap. 14, § 1, et Summus Pontifex Clemens VIII id se cupere significavit; tum quia, cum unius scriptoris doctrinam in Societate eligendam Constitutiones moneant part. VIII, cap. 1, lit. K, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quae sit ea solidior aut securior, ut non immerito S. Thomas Theologorum princeps ab omnibus habeatur.

Reg. 2 Prof. Theol. 2. Non sic tamen S. Thomae adstricti esse debere intelligantur, ut nulla prorsus in re ab eo recedere liceat; cum illi ipsi, qui se Thomistas maxime profitentur, aliquando ab eo recedant; nec arctius nostros S. Thomae alligari par sit, quam Thomistas ipsos.

Ibid. reg. 3. 3. In quaestionibus mere philosophicis, aut etiam in iis, quae ad Scripturas et Canones pertinent, licebit sequi etiam alios, qui eas facultates magis ex professo tractaverunt.

4. Caeterum, ne forte ex iis, quae dicta sunt, sumat aliquis occasionem S. Thomae doctrinam facile deserendi, praescribendum videtur: ut nullus ad docendum Theologiam assumatur, Reg. 9 Prov. n. 2. qui non sit vere S. Thomae doctrinae studiosus; qui vero ab eo sunt alieni, omnino removeantur. Nam, qui ex animo S. Thomae fuerint addicti, certum erit, eos ab eo non recessuros, nisi gravate admodum et rarissime.

Sup. d. 41. His ita constitutis, sequentes regulas confecerunt, iuxta ea, quae dicta sunt, intelligendas, easque generali Congregationi approbandas obtulerunt.

1593-94

57, in Ms. decr. 73.

Statuit Congregatio: ut ad casus reservatos supra, decreto 67 *, addantur peccata contra simplicia vota, quae Professi emittunt post professionem; ac praeterea censurae Societatis nostrae dumtaxat, prout in eo decreto 67 iudicatum fuerat considerandum esse. Peccata contra vota simplicia Professorum reservantur. * Hic d. 51. Hic d. 51.

58, in Ms. decr. 74.

Quod a Congregatione, maioris declarationis causa, ad Deputatos Patres pro substantialibus Instituti, supra decreto 60 *, reiectum fuerat, hoc illi hunc in modum clarius proponi iudicarunt, et ad Congregationem retulerunt, nimirum: Substantialia Instituti quae sint clarius proponitur. * Hic d. 45. C. 7 d. 40.

Substantialia Instituti ea in primis sunt, quae in Formula seu regula Societatis, Iulio III, Summo Pontifici proposita, et ab eo aliisque eius successoribus confirmata, continentur. Litt. Apost. pag. 23. Deinde ea, sine quibus illa, aut nullo modo, aut vix constare possunt, cuiusmodi sunt:

Primo, esse aliqua impedimenta essentialia in admittendo.

Secundo, non esse necessarium, ut in dimittendo forma iudicialis servetur.

Tertio, reddendam esse Superiori conscientiae rationem.

Quarto, contentum esse debere unumquemque, ut omnia, quae in eo C. 6 d. 32 n. 4. notata fuerint, per quemvis, qui extra Confessionem ea acceperit, Superioribus manifestentur.

Quinto, paratos esse omnes debere, ut se invicem manifestent debito cum amore et charitate; et alia his similia, a quibus nunc declarandis Congre- C. 7 d. 49. gatio brevitatis causa supersedendum censuit; cum praesertim Generales

Hic d. 45. *Hic d. 58.*

Praepositi ea pro tempore ad praxim declarare possint, dum in aliis Congregationibus generalibus non declarantur. Quae omnia Congregatio probavit, et supra dictum decretum 60 ad hoc 74 exigendum esse decrevit.

59, in Ms. decr. 75.

Post emissa Societatis vota, abdicatio bonorum sine facultate est contra votum paupertatis. *Hic d. 50.*

Superioribus diebus, cum legeretur decretum 66*, dubitatum fuit a quibusdam Patribus, circa verba illa Deputatorum: *vel ea distribuant sine facultate Superioris,* quae habentur § 4 illius decreti: an scilicet distribuere sua bona, et abdicare se suis bonis sine Superioris facultate, sit contra votum paupertatis Societatis, vel contra Constitutiones tantum. Et, cum huius quaestionis discussio, tunc inchoata, hactenus dilata fuisset; Congregatio, re accurate examinata, iudicium Patrum Deputatorum approbavit: eum, qui, post emissa tria vota substantialia nostrae Religionis, sua bona distribueret sine Superioris facultate, votum paupertatis Societatis violare.

60, in Ms. decr. 76.

Congregandorum in Congr. prov. numerus statuitur et explicatur. ** Hic. d. 38. Sup. d. 24.*

Circa Formulas Congregationum provincialis et Procuratorum, Congregatio decrevit sequentia: Primo, numerum congregandorum (quod supra, decreto 51 *, expediendum supererat et huc reiectum fuerat) hoc modo contrahendum esse: ut, ad Congregationem provincialem pro eligendo Procuratore conventuri, quadragenarium numerum non excedant: nec quinquagenarium, quando ad Conventum generalem convocatur provincialis; et in utroque casu maior sit Professorum numerus; de quota vero et aliis particularibus huc pertinentibus, Definitores decernant. Secundo, ut in provincialibus Congregationibus per suffragia secreta decernatur de cogenda vel non cogenda Congregatione generali. Tertio, ut Procuratores electi in provincialibus Congregationibus, Assistentes vero in Congregatione generali iurent de fidelitate servanda circa ea omnia, quae ad Congregationem Procuratorum pertinent, et in ea tractanda sunt. Quarto, ut, cum maior pars Provinciarum censuerit, Congregationem generalem esse cogendam, non sufficiat hic Romae maior pars suffragiorum ad decernendum, ne cogatur; sed necessarium sit saltem duas tertias suffragiorum partes in id convenire; alioqui generalis Congregatio cogatur. Caetera omnia particularia, ad praedictas Formulas perficiendas pertinentia, Congregatio reiecit ad Definitores expedienda.

Inf. d. 81. — In Congr. prov. per suffragia secreta agendum: an Congregatio generalis cogenda. *Vide tamen inf. d. 75. C. 6 d. 22. C. 7 d. 11.* — Iuramentum de fidelitate servanda a Procur. et Assist. praestandum. *Suspensum inf. d. 75.* — In Congr. Procur., quot suffragiis decernendum de cogenda, vel non, Congr. gen. *Inf. d. 75. C. 6 d. 26 n. 1. Vide tamen C. 7 d. 10. C. 14 d. 6. C. 18 d. 13.*

61, in Ms. decr. 78.

Exemplum hispanicum Constitutionum, ex autographo descriptum et cum alio authentico collatum, denuo cum autographo conferendum: postquam approbatum fuerit, a Secr. subscribatur et Soc. sigillo muniatur. ** Hic d. 78. C. 1 d. 15, 58.*

Propositum fuit Congregationi quoddam exemplum hispanicum Constitutionum, ex autographo P. Ignatii de verbo ad verbum bene ac fideliter descriptum ob eam causam, quod istud autographum iam obsoletum ac fere lacerum esset; et cum eo atque cum alio authentico a prima Congregatione generali, tit. 5, decr. 1*, approbato, et manu P. Polanci subscripto, per quosdam Patres linguae hispanicae peritos diligenter collatum; postulatumque fuit: ut Congregatio illum librum probaret. Congregatio autem decrevit: illum librum, postquam denuo per aliquot Patres, a Patre Generali designandos, cum autographo collatus fuerit, probatum fore, et pro approbato haberi debere. In quorum fidem Congregatio mandavit P. Laurentio Magio, Secretario, ut ex eiusdem praescripto et omnium

Patrum nomine subscribat librum illum post praedictam collationem factam, et sigilli Societatis impressione muniat.

62, *in Ms. decr. 79.*

Novus Admonitor Gen. in demortui locum eligatur, vel qui substitutus fuerat confirmetur. *Inf. d. 68.*

Decretum fuit, proponente P. Generali: ut vel novus Admonitor proximo die Martis, qui erit 11 praesentis mensis, eligatur in locum demortui; vel, qui tunc per modum provisionis substitutus fuit, et iam eo officio fungitur, is a Congregatione confirmetur.

63, *in Ms. decr. 80.*

Addendum ad decr. 13, de non contrahendo tempore biennii probationis. * *Hic d. 13.*

Congregatio probavit iudicium Patrum Deputatorum pro dubitationibus Constitutionum exponendis, de eo, quod ad illos reiectum fuerat supra, decreto 24*. Illud vero eiusmodi est: ad decretum de non contrahendo tempore biennii probationis, nisi ad professionem in casu, etc., addendum est: quod id non videtur repugnare declarationi part. v, cap. 1, lit. c; tum quia, ut facultas dispensandi, quae in ea concessa est, possit aliquem effectum habere, satis est, si exerceatur in contrahendo tempore biennii ad professionem in casu aliquo emittendam; tum etiam, quia numquam videtur evenire posse, ut opus sit illud contrahere ad admittendum in gradum Scholasticorum vel Coadiutorum.

64, *in Ms. decr. 81.*

Clemens viii declarat quaedam executioni esse mandanda:

Quoniam Illustrissimus Cardinalis Toletus nomine Sanctissimi D. N. significavit Patribus Deputatis pro cognoscendis nostrae Societatis detrimentis, quaedam Congregationi declaranda, quae Suae Sanctitatis voluntas erat, ut exsecutioni mandarentur; ea P. Praepositus Congregationi proposuit, et sunt, quae sequuntur, videlicet:

Provincialium et Rect. officium non duret ultra triennium; *Vide tamen Litt. Apost. pag. 186 et seqq.*

1. Ut Provinciales atque Rectores, exceptis qui sunt in Domibus Novitiorum, non durent ultra triennium, sed vacent saltem per annum, in quo obediant, sicut caeteri.

Provinciales visitentur; *Sup. d. 33. Ord. Gen. c. 9.*

2. Ut Provinciales visitentur, et de suo officio reddant rationem, sive per Visitatorem sive per Provincialem successorem.

Decr. Pont. de cas. reserv. observetur;

3. Ut observetur decretum Sanctissimi de casuum reservatione.

Per secr. suffr. iudicetur: an aliquando Assistentes votum decisivum habere debeant. *Inf. d. 65.*

4. Ut examinetur in Congregatione: an Assistentes in aliquibus casibus debeant habere votum decisivum, et iudicetur per vota secreta, et referatur Sanctissimo vel Cardinali.

Congregatio reverenter haec audit et obedit.

Quae omnia Congregatio reverenter audivit, et debita cum submissione, obedientia, atque animorum promptitudine amplexa est. Et quod attinet ad § 3, de observando decreto reservationis casuum, Sua Sanctitas concessit, quod supra, decreto 67, * statutum fuerat petendum esse, ac praeterea, ut Magistri Novitiorum possint eorum confessiones audire.

Summus Pont. concedit quod decr. 51 statutum fuerat petendum. * *Hic d. 51.*

65, *in Ms. decr. 82.*

Votum decisivum Assistentibus non concedendum. * *Hic d. 64. C. 4 d. 28, 25. Sup. d. 16. Offic. Vic. n. 8, 4, 7, 9-12.*

Quod proximo decreto 81 *, § 4, mandatum fuit, ut scilicet per vota secreta examinaretur: an Assistentibus concedendum esset in aliquibus casibus votum decisivum, factum est; et, exceptis quinque, omnes censuerunt: non esse concedendum, et nihil hac in re innovandum, cum praesertim haec innovatio unum ex Instituti substantialibus convelleret.

66, *in Ms. decr. 83.*

Praepositus Gen. canones quintae Congr.

Cum canones ex decretis Congregationis, iuxta Formulam Congre-

P. Aquaviva Praep. Gen. **1593-94**

extrahendos curet et Societati communicet. *C. 2 d. 46. C. 3 d. 9. C. 4 d. 51. C. 6 d. 47.*

gationis generalis, § 75, extrahendi essent; idque commode fieri non possit ante Congregationis dissolutionem, propterea quod multi Patres cupiant et urgeant Congregationi tandem finem imponi; visum est Congregationi: ut res tota P. Generali committeretur, qui per Patres Assistentes et alios, quos ipse iudicaverit, canones ex decretis primo quoque tempore extrahi curabit, prout communi Societatis praxi expedire iudicaverit, et extractos evulget, ac toti Societati communicet.

67, in Ms. decr. 85.

Linguarum indicarum peritia maxime commendatur.

Quoniam linguarum indicarum peritia iis, qui in Provinciis indicis versantur, summopere necessaria est ad salutem Indorum procurandam, ob quam causam, vel solam, vel praecipuam, Operarii in eam Domini vineam de Societate mittuntur; visum est universae Congregationi: omnibus illarum regionum Superioribus, caeterisque Patribus ac Fratribus serio iniungere, ut diligenter exsequantur, quod est a Patribus Generalibus saepe commendatum circa studium linguae indicae discendae et exercendae; utque Superiores ipsi omni cura et diligentia, atque etiam exemplo suo, quoad licebit, ministerium illud, quod est adeo in conspectu Dei pretiosum, honorificent atque promoveant. Reverendo autem P. N. Generali commendetur: ut Instructionem ad praxim huius rei perscribat, quam pro natura et ratione gentium illarum putaverit commodissimam fore.

Superiores ministerium missionum honorificent et promoveant. *C. 6 d. 15. C. 7 d. 33 n. 6.*

Instructio de praxi huius rei a Praeposito Gen. praescribenda.

68, in Ms. decr. 86.

Admonitor ** Hic d. 62.*

Admonitoris electio, quemadmodum decreto 79 * institutum fuerat, expedita fuit; et tertio scrutinio ad plura medietate suffragia electus est in Admonitorem Praepositi Generalis P. Iacobus Ximenez, cuius electioni interfuerunt Procuratores Sardiniae, Mexici, Brasiliae, et Generalis.

ad plura medietate suffragia eligitur.

69, in Ms. decr. 87.

Collegiorum acceptandorum Formula probatur. ** Hic d. 25. Ord. Gen. c. 16.*

Formula acceptandorum Collegiorum, de qua supra, decreto 36 *, proposita fuit, et diligenter examinata, et tandem a Congregatione probata, nempe: ut deinceps nullum Collegium admittatur, in quo Litterae Humaniores doceantur, nisi ea fundatione dotatum sit, ut saltem 30 ex Nostris in eo ali possint. Quod si praeterea tres Philosophiae cursus addi fundatores velint, eiusmodi sit, ut ex propriis reditibus saltem 60 ex Nostris sustentari queant. Ubi vero Societas alicuius Universitatis aut Generalis Studii curam susciperet, ac supra dictis scholasticam Theologiam et Sacram Scripturam adiungeret, ita commode prospectum esse debebit, ut minimum 100 e Nostris nutrire valeat. Quae omnia in ipsa Formula planius explicabuntur. Excipiuntur autem indicae ac transalpinae regiones, de quibus nihil adhuc certi praescribi visum fuit. Et nihilominus circa multiplicitatem Collegiorum Congregatio commendat P. Praeposito, quod decreto 11 secundae, et 30 tertiae Congregationis generalis continetur.

Vide tamen C. 8 d. 27.

De indicis ac transalpinis regionibus nihil praescribitur.

Decreta de non multiplicandis Collegiis confirmantur. *Hic C. 2 d. 8. Hic C. 3 d. 20.*

70, in Ms. decr. 88.

An Cursus Philosophicus, Nostris omnibus communis, conficiendus.

Cum propositum fuisset: ut auctoritate Congregationis conficeretur aliquis Cursus Philosophicus, quo Nostri in Societate uterentur, omnibus communis; placuit Congregationi: ut id P. Generalis iudicio relinqueretur.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1593-94

71, in Ms. decr. 89.

Beatorum Ignatii et Francisci Xaverii canonizatio opportuno tempore petenda. C. 6 d. 3.

Propositum fuit plurium et Provinciarum et particularium nomine: ut sanctae memoriae Ignatii, Societatis nostrae Fundatoris, canonizatio a Sancta Sede Apostolica petatur. Congregatio vero decrevit: non solum P. Ignatii, sed etiam P. Francisci Xaverii canonizationem petendam esse; ac P. Praeposito commisit: ut, si iudicio peritorum solida eius petendae fundamenta exstiterint, eam Congregationis nomine opportuno tempore petat.

Litt. Apost. pag. 145, 155.

72, in Ms. decr. 90.

Missa votiva et officium de SS. Sacramento non petenda.

Postulatum fuit: ut ad maiorem erga venerabile Sacramentum Eucharistiae devotionem exercendam, petatur a Summo Pontifice: ut in Societate singulis quintis feriis non impeditis Missa de illo celebretur, et officium proprium recitetur, sicut in diebus Sabbati de B. Virgine fieri consuevit. Et visum est Congregationi: nihil omnino petendum esse; magis autem curandum, ut Societas in huiusmodi ritibus se romanae Ecclesiae consuetudini conformet, quemadmodum semper fecit.

Litt. Apost. pag. 506.

Vide tamen Comp. Privil. n. 242.

73, in Ms. decr. 91.

Mandata Summi Pont.: post sexennium cogatur Congr. gen.; fiat mutatio trium Assistentium. C. 6 d. 4, 10.

Cum P. Praepositus exposuisset: eam esse Summi Pontificis voluntatem, referente id Cardinali Toleto, ut post sequens sexennium cogatur denuo generalis Congregatio; ac praeterea fiat mutatio trium Assistentium, videlicet: Italiae, Hispaniae, Lusitaniae, propterea quod diuturno satis tempore in eo officio ii perseverarunt; nam quartus Assistens, pro transalpinis partibus, non ita pridem suum officium inchoarat; Congregatio censuit: quod ad generalem quidem Congregationem post sequens sexennium celebrandam attinet, sine recusatione obtemperandum esse; et nihilominus rationes summa cum humilitate et reverentia offerendas, quibus Congregationis sensus hac de re contineatur. De Assistentium autem mutatione Congregationi visum fuit: voluntatem Summi Pontificis, tamquam obedientiae filiis, omni qua par est promptitudine et submissione amplectendam; humiliter tamen ac reverenter cum eius Sanctitate agendum esse, illique proponendas rationes, ac serio supplicandum, ut illa mutatio non fiat; cum praesertim nostris Constitutionibus adversetur, ac nulla eius faciendae mutationis causa exstare cernatur, et gravia inde incommoda sequi necesse sit. Designandos vero pro iudicio P. Praepositi aliquot Patres, qui primo quoque tempore praedicta omnia apud Summum Pontificem Congregationis nomine pertractent. Pater autem Praepositus designavit P. Benedictum Palmium, et P. Aegidium Gonzalez, qui postridie mane ad Summum Pontificem accederent.

Congregatio deprecatur.

P. 9 c. 5 n. 3.

74, in Ms. decr. 92.

Perstat in sententia Summus Pont. * Hic d. 73.

Cum duo Patres, de quibus proximo decreto 91*, ad Summum Pontificem ob quaedam impedimenta non accessissent, et nihilominus Summus Pontifex quae in Congregatione gesta fuerant rescivisset, per Cardinalem Toletum P. Praeposito significari mandavit: ut supra dicta duo, videlicet, de Congregatione post sequens sexennium cogenda, et de mutatione Assistentium iam facienda, exsecutioni omnino mandarentur. Quae omnia cum P. Praepositus Congregationi exposuisset, Congregatio acquievit, et

Congregatio acquiescit.

obtemperandum esse annuit. Atque ita quatriduum ad capiendas informationes pro tribus Assistentibus, Italiae, Hispaniae, Lusitaniae eligendis indictum fuit; ita ut proximo die Martis, qui erit 18 praesentis mensis, mane electio fiat.

75, in Ms. decr. 93.

Decreti 60 magna ex parte suspensio. *Sup. d. 73.*

STATUTUM fuit: ut, quandoquidem post proximum sequens sexennium, Summi Pontificis mandato, cogenda est generalis Congregatio, decretum 76 maneat in omnibus suspensum, excepto primo paragrapho, de contractione numeri congregandorum in provincialibus Congregationibus, ita ut nullam omnino vim habeat quoad tres posteriores paragraphos, donec sequens Congregatio de illo decernat. *Hic d. 60.*

76, in Ms. decr. 95.

Loca collecta, in quibus versio latina Const. discrepat ab autographo, dentur Praep. Gen. cum Assist. consideranda, ut sequens Congr. materiam paratam reperiat. *C. 1 d. 79. C. 2 d. 52. * Hic d. 50. C. 3 d. 26, 34. C. 4 d. 8. C. 23 d. 27.*

PROPOSITUM etiam fuit: latinam Constitutionum editionem in multis ab autographo P. Ignatii hispanico discrepare, ac loca iam collecta esse; et ob eam causam aliquos Patres designandos esse, qui ea inspicerent, ut latina editio emendari posset. Verum Congregationi visum fuit: ea de re iam nihil agendum esse, cum praesertim latinam editionem habeamus a Congregatione IV generali, decr. 59*, approbatam, et temporis angustia illi collationi operam dari non patiatur. Loca vero collecta committi debere P. Generali cum Assistentibus consideranda, ut sequens Congregatio generalis materiam paratam reperiat; sed Constitutiones, si opus fuerit, iuxta P. Ignatii autographum emendandas, quemadmodum in IV Congregatione generali, decreto 38, factum etiam fuit. *Hic d. 83.*

77, in Ms. decr. 96.

Tres Assistentes eliguntur. ** Hic d. 74.*

CUM Patres mane convenissent, prout decreto 92 * constitutum fuerat, facta est trium Assistentium electio, ad plura medietate suffragia, praemissis quae de more praemitti solent. Et primo quidem loco, ac primo scrutinio, pro Italiae et Siciliae Provinciis electus est P. Ludovicus Masellus, Poloniae Provincialis. Secundo, pro Hispaniae et Indiarum ad eam pertinentium Provinciis, primo scrutinio P. Antonius Mendoza. Tertio, pro Lusitania et Indiis orientalibus ac Brasilia P. Ioannes Alvarus, Lusitaniae Provincialis. Quorum electioni interfuerunt Procuratores Mexici ac Brasiliae, utpote in suis Provinciis electi cum iure suffragii ad Generalem, si opus fuisset, eligendum, iuxta decretum 46 Congregationis IV generalis. Pater item Iosephus Acosta ex Congregationis concessione, non autem Procuratores Generalis et Sardiniae, iuxta decretum 73 Congregationis III generalis; nec Secretarius P. Generalis, iuxta decretum 15 Congregationis IV generalis. Porro novi Assistentes statim post electionem suam iuramentum, iuxta § 85 Formulae Congregationis generalis, coram Crucifixo, in omnium conspectu fecerunt. Similiter et P. Iacobus Tyrius, pro transalpinis partibus Assistens, qui hactenus illud non praestiterat.

Quinam eorum electioni interfuerint. *Hic d. 41. Hic d. 48. Hic d. 11.*

Assistentes iuramentum praestant.

78, in Ms. decr. 100.

Decreta Definitorum approbantur.

POSTREMO, cum lectae fuissent Congregationis actiones omnes, et decreta quaedam Definitorum, quae sequentur, eaque omnia Congregatio approbasset, communi omnium consensu Congregationi finis in nomine Domini impositus est.

Finis Congregationi imponitur.

P. Aquaviva Praep. Gen. 1593-94

SEQUUNTUR DECRETA PER DEFINITORES FACTA, ET A CONGREGATIONE APPROBATA SUPRA, DECRETO CENTESIMO. *

* Hic d. 78.

79, in Ms. decr. 101.

Negotia rationis Status sub gravissimis poenis Nostris tractanda prohibentur.

PRAECIPITUR Nostris omnibus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena inhabilitatis ad quaevis officia et dignitates seu praelationes, vocisque tam activae, quam passivae privationis, observatio decreti 63: ne, scilicet, quispiam publicis et saecularibus Principum negotiis, quae ad rationem Status, ut vocant, pertinent, ulla ratione se immiscere, nec etiam, quantumvis per quoscumque requisitus aut rogatus, eiusmodi politicas res tractandi curam suscipere audeat vel praesumat. Et serio commendatur Superioribus: ne permittant Nostros iis rebus ullo modo implicari; et si quos ad eas propensos animadverterint, Provincialem suum quamprimum commonefaciant, ut eos loco mutet, si illic sit occasio vel periculum se eiusmodi implicationibus irretiendi.

Hic d. 47. — C. 7 d. 46.

Serio in his Superiores invigilent.

Propensi ad has res politicas tractandas loco mutentur.

80, in Ms. decr. 102.

Accurata decreti 48 observatio Praeposito Gen. commendatur.

DEFINITUM est: nihil certi statuendum esse in eos, de quibus agitur decreto 64, * propter difficultatem praxis, quae ex particularibus circumstantiis pendet; sed accuratam illius decreti observationem P. Praeposito commendandam; ut ipse pro sua prudentia ea remedia adhibeat, quae Nostros iuvent, ut sine spiritualis boni ac religiosae disciplinae iactura cum Principibus viris agant; et iis poenis errantes corrigat, quas ad delinquentium emendationem et aliorum exemplum in Domino convenire iudicaverit.

* Hic d. 48.

81, in Ms. decr. 103.

Quinam in Congregationem prov. admittendi sint statuitur et explicatur.

CIRCA Formulam Congregationis provincialis, de qua decreto 76 *, sequentia particularia definita sunt: Primo, ut ad Congregationem provincialem, praeter Provincialem ipsum et Superiores omnes locales et Procuratorem Provinciae vel maximi Collegii, conveniant tot Professi antiquiores illius Provinciae, quot ad praefixum numerum explendum sufficiant. Quod si contigat numerum Superiorum, qui Professi non sunt, ita excrescere, ut tertiam suffragiorum partem superent; tunc tot Professi addantur, servato antiquitatis ordine, quousque duas tertias partes conficiant; etiamsi hoc modo praefixus numerus excederetur. Secundo, ex Rectoribus non Professis ii tantum in Congregatione locum habeant, qui Societatis Domicilia administrant; non item qui Seminariorum quorumcumque curam habent. Tertio, Consultores Provincialis, non quia Consultores sunt, sed servata suae professionis antiquitate, inter quoscumque alios admitti debent.

* Hic d. 60.

C. 7 d. 2.

DECRETA

SEXTAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

Causa Congregationis convocandae.

Ex sententia Patrum Procuratorum in sua Congregatione haec generalis indicta est a P. Claudio, et intra 21 Februarii et 29 Martii anni 1608 expedita.

Decretum 1, in manu scriptis decr. 12.

Commemoratis Galliae in Societatem meritis, et prospero Nostrorum in illo regno successu, summa consensione et laetitia quintus Assistens Galliae Provinciis conceditur. *C. 3 d. 10, 14.*

Actum est de quinto Assistente instituendo pro Gallia, quod fuerat praeterita iam actione propositum. In qua deliberatione, postquam plurima prolixe a plerisque allata fuerunt de praeclaris regni Galliae Regisque ipsius in Societatem nostram meritis ac studio, deque adeo fructuosis in illis Provinciis nostrorum Patrum ac Fratrum sudoribus, licet aliquibus nonnihil obstare quaedam posse viderentur; tamen, quia tantopere aucta iam Societate, atque, in illo praesertim regno, Collegiorum et negotiorum varietate ac multitudine, dum Assistens ipsi proprius assignatur, non illis tantum Provinciis, sed, imminuto caeteris Assistentibus onere, toti ferme Societati commodatur; neque alienum esse a Constitutionibus videtur; quia denique non exiguae res ista Societatis erga Regem Christianissimum, pro tam singularibus ab ipso in eam collatis beneficiis, gratitudinis et propensae in ipsum voluntatis futurum esse videbatur argumentum; summa omnium consensione, et communi quadam animorum laetitiae atque alacritatis significatione responsum est: quintum Assistentem Galliae Provinciis concedendum esse, reliquis omnino parem.

P. 9 c. 6 n. 10, 11.

2, in Ms. decr. 14.

Decretum 54 Congr. v contra perturbatores, a Paulo v confirmatum, renovatur.

Quoniam contra Societatis perturbatores a quinta Congregatione generali quaedam statuta fuerunt toti Societati valde salutaria; ut ad eiusdem Societatis pacem in dies conservandam magis exitum illa feliciorem habeant, praelecto 70 dictae Congregationis super ea re decreto, propositum fuit: ut illud haec quoque Congregatio, primo, renovaret; deinde, praeceptum etiam Provincialibus adderet, ut in eiusmodi perturbatores inquirant, et ad Generalem deferant; neque minus fortiter quam fideliter suo in ea re munere fungantur. Multis itaque hinc inde allatis, omnium suffragiis conclusum fuit: illud quintae Congregationis contra Societatis perturbatores decretum, nuper a Sanctissimo D. N. Paulo v confirmatum, non modo renovandum esse; verum etiam ita extendendum, ut eo Nostri omnes comprehendantur, qui quorumcumque hominum, sive de Societate sint, sive de ipsa non sint, opera utuntur ad Societatis pacem conturbandam; sic tamen, ut praecise magis ad praxim declaretur, quinam illi sint, quibusve in casibus aliqui Societatis perturbatores dici debeant. Quod vero ad praeceptum spectat, maior pars censuit esse Provincialibus imponendum.

Hic d. 54.

Provincialibus praecipitur, ut fortiter ac fideliter in perturbatores inquirant et ad Generalem deferant.

Litt. Apost. pag. 182. Extenditur decretum ad eos, qui utuntur opera aliorum de Societate vel externorum ad Societatem conturbandam. *C. 9 d. 5, 25.*

3, in Ms. decr. 15.

Canonizatio BB. Ignatii et Francisci Xaverii

Cum propositum fuisset, quod a diversis Provinciis postulabatur: ut hoc ipso Congregationis tempore totius

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

suo tempore petenda. C. 5 d. 71.

Congregationis nomine urgeretur apud Summum Pontificem, atque apud alios ad quos spectat, canonizatio B. P. N. Ignatii ac B. Francisci Xaverii; responsum est: ut id fiat suo tempore.

4, *in Ms. decr. 16.*

Exposita Summi Pont. voluntate, ut Assistentium omnium mutatio extraordinaria fiat; C. 5 d. 73, 74, 77.

Congregatio, qua par est reverentia, eam amplectitur.

P. 9 c. 5 n. 3.

Exposuit R. P. N. Generalis: Summi Pontificis voluntatem esse, referente P. Laurentio Paulo, Procuratore Generali: ut omnino fieret omnium Assistentium mutatio. Ac licet Suae Sanctitatis voluntas, qua par est reverentia, videretur ab omnibus, tamquam obedientiae filiis, amplectenda; cum res tamen gravissima iudicaretur, tum quia nostris Constitutionibus adversatur, tum quia nulla eius mutationis faciendae causa cernebatur, et gravia inde sequi incommoda posse timebatur; censuit Congregatio: designandos, R. P. N. Generalis iudicio, Patres aliquot, qui cum eodem R. Patre nostro, cum primum commode posset, rei momentum et communem Congregationis sensum Suae Sanctitati cum omni humilitate proponerent; rogarentque, in primis, ut Societatis universae illa de re mentem secretis in Congregatione suffragiis exquiri permitteret; sic tamen, ut Suae Sanctitatis nihilominus postea iudicio acquiesceremus.

Designandi qui Suae Sanctitati communem Congregationis sensum in hac re exponant.

Inf. d. 10.

5, *in Ms. decr. 17.*

Non licet Nostris, vi Bullae Cruciatae, alium Confessarium, ac assignatum a suis Superioribus, eligere, qui a reservatis in Societate eos absolvat.

Cum non desint e Nostris, qui, theologicarum rationum praetextu, vi Bullae Cruciatae sibi licere putent Confessarios eligere, qui eos a reservatis in Societate casibus absolvant; et Sacerdotes etiam e Nostris aliqui fortasse sint, qui, iisdem fundamentis seu praetextibus nixi, eos, qui in eiusmodi casus incurrerunt, absolvere aliquando audeant, cum magno religiosae nostrae disciplinae detrimento, nisi remedium efficax afferatur; propositum fuit videndum: essetne severum aliquod ab hac Congregatione decretum faciendum, quo id omnino prohibeatur, declarando praeterea: privilegium Bullae Cruciatae nihil prodesse Nostris posse adversus nostrae Societatis privilegia, saepius a Sancta Sede Apostolica nobis concessa et confirmata, decernendo: Bullae Cruciatae usum, quoad reservatorum casuum absolutionem, Nostris interdictum, ac nullum esse, iuxta breve Sanctissimi D. N. Gregorii XIII, anno 1575, die 3 Maii, et Clementis VIII, die 14 Iunii 1595, in eumdem finem concessum, et non ita pridem a Sanctissimo D. N. Paulo V vivae vocis oraculo R. Patri nostro confirmatum. Placuit autem omnibus, hoc fieri decretum, cum Congregatio sententiam eorum, qui contra frustra sentiunt, reiiciat, et Nostris omnibus, ne illam sequantur, prohibendum censuerit. Ac licet senserint, quatenus opus fuerit, a Summis Pontificibus declarationem petendam, qua dilucide constet: nullis Bullae Cruciatae privilegiis aut clausulis, etiam derogatoriis, dictis nostris privilegiis quidquam derogari; interim tamen edicit Congregatio: nemo ut Nostrorum audeat, vel docere, vel in praxi contrariam tenere sententiam. Quare nec Sacerdotes absolvere quemquam ad se cum reservatis casibus accedentem praesumant; nec, qui accedunt, tutos se ullo modo in conscientia, quasi rite absolutos, arbitrentur. Si quem vero constaret illam doctrinam docere, vel aliis persuadere tamquam probabilem; eum Provinciales, tamquam Societati maxime noxium, debitis poenis coerceant.

Comp. privil. n. 126.

Litt. Apost. pag. 56, 127.

Ita deinde declaratum a Greg. XV et Urbano VIII, Litt. Apost. pag. 169.

Qui contrariam doctrinam doceat tamquam probabilem debitis poenis coercendus.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

Nihil de consueta recreationis hora detrahatur; P. 8 c. 2, D. remedia, ut religiose expendatur, ad Deputatos deferenda. Instr. 13 c. 9.

6, in Ms. decr. 18.

Ut illa hora recreationis, qua iuxta Constitutiones post prandium et coenam a gravioribus studiis et occupationibus vacandum esse praescribitur, fructuosius et religiosius iuxta regulas expendatur, propositum fuit: ut, media post prandium et coenam hora elapsa, quod reliquum est, ita distribueretur, ut quadrans unus recensendis aliquorum Sanctorum exemplis vel huiusmodi aliis tribueretur; alter vero, si se ad cubicula Nostri reciperent, vel in recitando rosario, vel in pii alicuius libelli lectione ac meditatione iusumeretur. Cum itaque multa hinc inde diu a Patribus allata in medium fuissent; visum tandem est maiori parti: nihil de consueta illa hora recreationis detrahendum esse, de qua loquitur regula Praepositi 56, et Rectoris 55; verum enitendum esse diligenter, ut aliis rationibus, quae a diversis proposita fuerant, occurreretur incommodis, quae certum est alicubi in recreationibus inveniri, aut ex eisdem promanare. Eas autem rationes ac remedia deferenda esse ad Patres Deputatos pro spiritus renovatione, ut, quae ab iis probata fuissent, postea Congregationi generali proponerentur.

Inf. d. 88.

7, in Ms. decr. 19.

Ordinationes circa visitationem feminarum a Deputatis recognoscantur. P. 6 c. 3 n. 5.

Postea, cum propositum fuisset videndum: an Ordinationibus a R. P. N. Generali factis, circa visitationem praesertim feminarum, aliquid addendum esset, ad earum fructus certius atque efficacius percipiendos; visum est Congregationi: ut Patres Deputati pro renovatione spiritus diligenter illas percurrerent, tam impressas quam manu scriptas, quibus si quid addi posse iudicassent, ad Congregationem deferrent.

Inf. d. 89 n. 1, 43. C. 7 d. 91.

8, in Ms. decr. 20.

Facultas bona ex Provinciis extrahendi, et ad Seminaria egentia applicandi, denuo Praeposito Gen. conceditur. * C. 4 post d. 67. C. 8 post d. 48. C. 23 d. 24.

Quoniam in IV generali Congregatione * facta fuit potestas R. P. N. Generali, ut pro Seminariis Nostrorum, quae indigerent, dispensaret circa bonorum applicationem extra Provinciam, in qua bona illa essent; propositum est Congregationi: ut haec eadem auctoritas R. P. N. Generali denuo concederetur pro Seminariis Provinciarum, in quibus, qui Societatem ingredi cupiunt, admittuntur. Itaque, post varias rationes a diversis Patribus in utramque partem allatas; et iis, quorum maxime interesse videbatur, prolixe auditis, constitutum fuit: ut potestas illa dispensandi, et bona eiusmodi Seminariis Nostrorum egentibus applicandi, quemadmodum dictum est, huius etiam Congregationis auctoritate concederetur intra regnum Hispaniae; atque idem etiam de aliis quoque regnis intelligeretur.

9, in Ms. decr. 21.

Consuetudo ieiunandi et abstinendi a carnibus in Adventu, in Societate universa non introducenda.

Quia in nonnullis Provinciis ac civitatibus dicitur esse non parva offensio, quod Nostri in Adventu, nec ieiunent, nec abstineant saltem a carnibus; propositum Congregationi fuit considerandum: an, ad evitandam dictam offensionem, concedendum esset iis Provinciis, quae id petunt, ut vel ieiunent vel abstineant; atque, ad omnes scrupulos eximendos, simul declararetur, quomodo intelligenda sint verba illa regulae 32 Praepositi, et 31 Rectoris: *dummodo ordinaria consuetudo ieiunandi, quae iuxta Constitutiones non sit, non introducatur.* Visum tandem est Con-

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

gregationi: nullo modo expedire, ut illa universalis huius rei consuetudo, toti Societati communis, introducatur. Cumque perspicuum sit, reliquo anni tempore, absque inducendae consuetudinis periculo, ieiunia cum delectu ciborum more ecclesiastico et abstinentias petentibus, iuxta discretionis mensuram concedere Superiores posse; monendos Congregatio censuit: eos etiam in Adventu faciles esse oportere, cum ad singularitatem non pertineat, aliis non ieiunantibus, ieiunare. Quare, ut simul, et consuetudo non introducatur, quae obligationem sapere videatur; et aedificationi quoque consulatur, atque offensio vitetur; statutum est: ut, si in aliqua civitate, vel in pluribus, vel etiam in tota Provincia offensio haec timeatur; Provincialis diligenter et perspicue R. P. N. Generalem informet, ut ille pro sua prudentia, omnibus perspectis, statuere possit, quid in quaque Domo vel Provincia concedendum sit vel cavendum; ex eoque sic praxis tota deducatur, ut nec offensioni sit locus, nec obligatione Nostri ad huiusmodi ieiunia obstricti censeantur.

C. 1 d. 96. *C. 5 d. 27.*

Quatenus alicui Domui vel Provinciae concedi possit.

10, in Ms. decr. 22.

Sum. Pontifex, auditis rationibus, quibus Assistentium mutatio Societati valde incommoda foret, * *Hic d. 4.* perstat in proposit o, ut omnes mutentur.

Retulit R. P. Generalis: se, prout die 26 Februarii, act. 5, decreto 16, * statutum fuerat, cum Patribus Ferdinando Albero, Ludovico Richeomo, Iosepho Villega, Antonio Mascarenhas, Paulo Boxa, et Bernardino Castorio pridie Summum adiisse Pontificem; cumque varias rationes attulisset, quibus Assistentium mutationem Societati valde incommodam fore ostenderet, Suam Sanctitatem benigne quidem audivisse, perstitisse tamen in proposito, cum assereret: se praesentium quidem Assistentium ad id personarum ratione non moveri; sed Societatis tamen bonum et Dei obsequium spectare. Quare gratum sibi futurum, si in hoc ei crederemus et ipsius iudicio ac voluntati acquiesceremus. Ac licet, quando id commodius intra Congregationis tempus videretur, a nobis perfici permisisset; cum tamen quamprimum faciendam novorum Assistentium electionem esse omnium suffragiis iudicatum fuisset; indictum est quatriduum pro informationibus iuxta Formulam faciendis, ita ut proximo die Veneris, hoc est 7 Martii, mane, ipsorum fieret electio.

Omnium suffragiis iudicatur novorum electionem quam primum faciendam.

Inf. d. 14.

11, in Ms. decr. 24.

De substantialibus Nostri Instituti in Congregatione non agendum.

Quoniam § 68 Formulae Congregationis generalis de substantialibus nostri Instituti nihil omnino agendum in Congregatione dicitur; de iis vero, quae pertinent ad alias Constitutiones, vel condendas vel immutandas, et de aliis gravioribus semper esse ad plura medietate suffragia decernendum; cum tamen appareat, non solum plures particulares personas, sed nonnullas etiam Congregationes provinciales non ea, qua par est, reverentia erga Constitutiones affici, facileque de illarum mutatione generali Congregationi proponere; quia res novitatis ac periculi plena est, et viam munit, non solum ad contemptum Constitutionum nostrarum, quas, ut sanctas, a B. Patre nostro tot lacrimis et orationibus conditas venerari debemus; sed etiam ad aliam sensim Religionem condendam; cum propositum propterea fuisset statuendum: ut de Constitutionibus immutandis, non solum decerneretur ad plura medietate suf-

C. 4 d. 26.

Quatenus de Constitutionibus immutandis decernere liceat.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

* Hic d. 16.

Hi d. 6, 7.

fragia, ut iam decretum est in prima Congregatione generali, tit. 2, decr. 2*, et in Congregatione generali secunda, decr. 9 et 10, sed nec liceat quidem de iis in Congregatione tractare, si quid umquam proponeretur, nisi ad plura medietate suffragia de eo tractandum statuatur; ipsa vero deliberatio et decretum non fiat, nisi ad duas tertias partes, non obstantibus decretis et paragrapho Formulae Congregationis generalis ante citatis; post multa, quae a diversis fuerunt allata, visum fuit maiore suffragiorum parte: decretum hoc esse a Congregatione faciendum; atque ita factum constitutumque fuit.

12, in Ms. decr. 25.

Poena in eos, qui deinceps agant contra substantialia Instituti, etiamsi, sintne talia, dubitent. C. 2 d. 6.

C. 4 d. 26.

Inf. d. 19 n. 3. C. 7 d. 35.

Cum relatum fuisset: aliquas Congregationes provinciales proposuisse nonnulla contra substantialia Instituti, quamquam eiusmodi esse minime fortasse animadvertissent; ut tamen in posterum sint cautiores, propositum fuit: ut poena statueretur aliqua in eos, qui deinceps hac in re, quae tanti momenti est, peccaverint, et aliquid proposuerint contra ea, quae substantialia Instituti sunt; sive cum certum est, ea, quae proponunt, eiusmodi esse, sive cum, sintne talia, dubitatur. Atque omnium fere consensu decretum est: ut in eos, qui tale quid in posterum tentaverint, poena R. Patris nostri iudicio statuatur.

13, in Ms. decr. 26.

De Constitutionibus et Congregationum generalium decretis tollendis aut mutandis, quatenus

in Congregationibus provincialibus agere liceat et Congregationi gen. proponere. C. 1 d. 15.

Cum vero propositum quoque fuisset: de iis generalium Congregationum decretis quae facta iam sunt, multoque magis de Constitutionibus, propter earum reverentiam, nec tollendis nec immutandis; statuit Congregatio: ut nulla posthac provincialis Congregatio quidquam proponat, quo tollendae aut mutandae sint praedictae Constitutiones vel decreta, nisi communi consensione, et omnibus eorum suffragiis, qui dictis provincialibus Congregationibus intersunt, vel saltem ad duas tertias partes, visum fuerit esse proponendum. Tum vero non petatur, ut eiusmodi Constitutiones vel decreta tollantur aut immutentur, sed solum incommoda proponantur, quae secuta vel sequi posse videntur ex eorum observatione; ad eaque vitanda remedium a Congregatione generali simpliciter petatur.

14, in Ms. decr. 28.

Assistentes quinque per secreta et plura medietate suffragia eliguntur. * Hic d. 10.

Die 7 Martii, cum Patres omnes, qui suffragii ius ad electionem habebant, mane, facto Sacro, convenissent, quemadmodum act. 9, decr. 22 *, constitutum fuerat, praemissa brevi oratione, facta est quinque Assistentium electio per secreta scrutinia, ad plura medietate suffragia. Et primo quidem loco, secundo scrutinio electus est pro Italiae Siciliaeque Provinciis P. Mutius Vitellescus, Provincialis romanae Provinciae. Secundo loco, pro Germania, primo scrutinio P. Ferdinandus Alberus, viennensis Collegii in Austria Rector. Tertio loco, pro Galliis, secundo scrutinio P. Ludovicus Richeomus, Provincialis lugdunensis. Quarto loco, pro Hispania et ad eam pertinentibus Provinciis, primo scrutinio P. Nicolaus de Almazan, Provincialis Baeticae. Denique pro Lusitania et Provinciis ad eam spectantibus, primo etiam scrutinio P. Antonius Mascarenhas, Provincialis Lusitaniae; absolutaque electione, singuli de novo electi Assistentes iuramentum iuxta § 85 Formulae Congregationis gene-

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

ralis in omnium conspectu coram Crucifixo praestiterunt.

15, in Ms. decr. 29.

Litterarum Humaniorum studia commendantur.

Quia Litterarum Humaniorum tanta est necessitas, tantaque ad divinum obsequium et proximorum commodum utilitas, quapropter magni semper in Societate factae sunt, ad earum studia, quae alicubi languere videntur, magis ac magis promovenda, quod summopere ab omnibus Provinciis expetitur; censuit Congregatio: ut, quemadmodum propositum fuerat, cum Nostris, qui mediocrem rerum theologicarum cognitionem habuerint, quae sufficere ad infidelium et haereticorum conversionem possit; quique insignes alioqui in Litteris Humanioribus fuerint, et plures annos in iisdem docendis cum laude strenue laboraverint, si caetera non desint, quae in Constitutionibus requiruntur, dispensari possit, ut ad professionem quatuor votorum promoveantur, R. P. N. Generalis iudicio, iuxta Constitutiones. Quod si praedictam rerum theologicarum cognitionem eos non habere contigerit, et nihilominus caetera, quae dicta sunt, adfuerint; dispensari cum illis poterit, ut ad trium votorum professionem promoveantur. Atque idem fieri posse intelligatur cum Nostris, qui, apud Indos utiliter laborantes, eorum linguis cum fructu addiscendis operam dederunt; dummodo dici intelligatur, ita in hac tota re dispensari posse iudicio R. P. N. Generalis, ut non communiter tamen ac facile cum omnibus usurpetur.

Quandonam insignes in eis et mediocres in Theologia ad professionem 4 votorum; quando vero ad prof. 3 votorum promoveri possunt. *C. 7 d. 33 n. 6. C. 9 d. 32. C. 14 d. 18. P. 5 c. 2.*

Idem dicendum de peritis in linguis indicis. *C. 5 d. 67. C. 7 d. 33 n. 6. C. 8 d. 40. C. 15 d. 11.* Haec dispensatio non communiter cum omnibus usurpetur.

16, in Ms. decr. 30.

Iuniorum nostrorum a caeteris separatio, ex qua spiritus fervor conservatur et augetur, approbatur et magnopere commendatur.

Cum nihil sit, quod desiderare magis Societas debeat, maiorique studio promovere, quam ut, qui se suamque in ea operam ad Dei gloriam et proximorum utilitatem in iis functionibus impendunt, quae suae vocationis atque Instituti propriae sunt, illum spiritus fervorem conservare ac in dies augere studeant, quem initio hauserunt; cumque tantus ex iuniorum nostrorum Fratrum a reliquis separatione fructus constet, ubi ea fieri coepta est, ad eos in bona novitiatus educatione confirmandos, et probe, quales Institutum postulat, effingendos; postulatum fuit: ut huius Congregationis auctoritate eiusmodi separatio approbaretur et confirmaretur; eaque, sicubi forte nondum coepisset, introduceretur. Quamobrem omnium votis, non approbata modo fuit, sed etiam Provincialibus magnopere commendatum, ut pro eo, quo Societatem amore prosequuntur, cupereque propterea debent, ut ii, de quibus agitur, melius in eo spiritu conserventur, quem probationis tempore acquisiverunt; hunc iuniorum seorsum a caeteris habitandi, conversandi, et in omnibus, quoad fieri poterit, segregandi morem invehi et observari curent, tum in Seminariis maxime illisque Collegiis, in quibus numerus eorum maior est; tum vero etiam in aliis, ubi commode fieri posse iudicaverint. Rogatusque fuit R. P. N. Generalis, ut Instructionem aliquam ad huius rei feliciorem facilioremque progressum conficeret.

C. 18 d. 22 n. 6. C. 22 d. 44 n. 2.

Rogatur Praepositus Gen., ut Instructionem hac de re conficiat. *Inf. d. 40. Ord. Gen. c. 13. Instr. 7 et 17.*

17, in Ms. decr. 34.

Quia vero iuxta canonem 32 * primae Congr., et 18 * Congr. quintae, moris est, ut, si quae Congregationis tempore Rectorum vel constituendorum vel mutandorum necessitas occurrat, id nisi Congregatione annuente

Rectores Congr. tempore constituendi vel mutandi * *C. 1 d. 1, can. 32.* ** *C. 5 d. 20, 23, can. 18. Inf. d. 35 n. 20.*

P. Aquaviva Praep. Gen. — 1608

potestas facta Praep. Gen.

non fiat; et quibusdam in locis fieri oportere Provinciales aliquot urgebant; censuit Congregatio, cum id proponeretur: R. P. Generali permittendum, quod pro maiori Societatis bono faciendum in Domino iudicasset.

18, in Ms. decr. 35.

Non solum Seminaria Nostrorum, sed etiam Collegia, in quibus Scholastici nostri non aluntur, sunt consentanea Instituto Societatis. * *Exa. c. 1 n. 4,* B. *C. 1 d. 126. Comp. Privil. n. 91, 185.*

Propositum fuit de Collegiis, quae hactenus multiplicata sunt, ubi Studentium nostrorum Seminaria actu non sunt: an licite retineri possent; et quid remedii esset adhibendum, cum ex Constitutionibus * et litteris apostolicis constare videatur, reditus in Collegiis et Domibus Probationis ad Seminaria nostrorum studentium esse concessos. Et cum, perpensis plurimis locis Constitutionum, verbis litterarum apostolicarum, et decretis primae, secundae et tertiae Congregationis generalis, multa in medium adducta essent, et per quatriduum res diligenter examinata; visum est Congregationi statuendum: nullum in ea re fuisse aut esse debere scrupulum; cum praesertim perpetua praxis et continuata series, ab ipso beati Fundatoris tempore hucusque tradita, quae est optima legum interpres, securos nos reddere possint. Et nihilominus, ad omnes difficultates tollendas, quoniam, non solum per communicationem privilegii a fel. rec. Iulio II Ordini Praedicatorum concessi, sed etiam ex proprio privilegio potest Societas quae dubia sunt in Instituto et Formula eiusdem comprehensa, declarare; declarat Congregatio: non solum Collegia, ubi sunt eiusmodi Seminaria, sed etiam alia, in quibus litterarum studia tractantur, et scholae in proximorum utilitatem apertae sunt, esse consentanea Constitutionibus et Instituto; et Professos atque

Const. EXPOSCIT DEBITUM, *Litt. Apost. pag. 24. Comp. Privil. n. 283, 286, 287.*

Professi et Coadiutores formati quomodo possunt in eis sustentari. *P. 4 c. 2,* F. *P. 6 c. 2,* C.

Coadiutores formatos, de quibus poterat esse maior dubitatio, nam de caeteris nihil scrupuli subesse potest, qui eiusmodi Collegiis, etiam ut Operarii necessarii aut utiles sunt, posse in eis sine ullo scrupulo sustentari. Neque hoc esse, Societatem professam, quod de Domibus Professis prohibitum est, ex Collegiorum reditibus iuvari. Curandum tamen omnino, ut Collegia inchoata perficiantur, quo vel nostri Scholastici aliquot ibi ali, vel, si commodius Societati fuerit, in aliquibus Seminariis ex eorum contributione sustentari, vel alia aliqua ratione prospici possit, prout R. P. Praeposito Generali ad maius Dei obsequium, Societatis utilitatem, et commune Ecclesiae bonum expedire visum fuerit. Si vero ob paucitatem Domorum Professarum, quas hactenus (etsi diligenter a R. P. Praeposito Generali quibusdam locis curatum sit) multiplicare non potuimus, Professorum numerus ita excreverit, (quod tamen ob multitudinem et necessitatem Collegiorum, aliis morientibus ac deficientibus, non tam cito futurum creditur) ut ipsi Professi extra casus Constitutionibus comprehensos in ipsis Collegiis, non tam ob necessitatem atque utilitatem illorum, quam in fraudem, et ut ibi alantur, constituti esse posse videantur; tum Provincialis, in cuius Provincia id contigerit, moneat R. P. Praepositum Generalem, ut ille, sive in Residentias, sive in alias Provincias, sive ad Indos transmittere possit, quos transmittendos iudicaverit. Collegia autem, ubi omnino studia non tractantur, quae nulla, aut paucissima esse Provinciales testati sunt, in meliorem formam arbitrio R. P. N. Generalis reducantur. Ac, licet nonnullis ad maiorem securitatem visum fuisset,

Curandum, ut Collegia inchoata perficiantur: modus innuitur. *C. 9 d. 18. C. 20 d. 14. C. 22 d. 43.*

Quonam transmittendi sint Professi non necessarii Collegiis, cum tam paucae sint Domus Professorum.

Collegia, ubi studia non tractantur, in meliorem formam reducenda sunt. *C. 2 d. 71. C. 3 d. 43.*

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

dispensationem a Christi Vicario, vel declarationem petendam; censuit tamen Congregatio: nihil opus esse, cum praesenti sua declaratiône omnes Nostri tranquillo animo et quieti esse possint et debeant, sicuti praesenti decreto ipsamet Congregatio omnino decernit ac statuit: hortans omnes in Domino, ut perfectioni potius acquirendae, et proximis iuvandis, atque gloriae Dei amplificandae, ut in omnibus regionibus, praesertim vero septemtrionalibus, magno cum fructu Dei benignitate factum est, nervos omnes ipsi, in vinculo pacis arctissime colligati, strenue intendant.

Hortatio ad perfectionem iuxta nostrum Institutum acquirendam.

19, in Ms. decr. 36.

Dubia aliqua circa Congregationum Formulas enodanda:

Cum Patres Deputati pro Formulis Congregationum recognoscendis, etc. coepissent eorum, quae ad ipsos a diversis delata fuerant, iudicium Congregationi proponere; placuit Congregationi, quemadmodum alias factum fuisse referebatur: ea primum omnia in Congregationis loco affigi, quae, tum ab ipsis, tum ab aliis Patribus in singulis eorum Deputationibus discussa et diiudicata deferrentur; ut iis, quae maioris alicuius momenti essent, maturius consideratis, facilius postea suum de eisdem quisque suffragium daret; et Congregatio, auditis omnibus, statuere ac definire posset. In caeteris autem, quae, aut non essent adeo gravia, aut nullum cuipiam circa illa dubium occurreret, nisi, iis coram omnibus perlectis, Congregatio aliquid esse mutandum iudicasset, Deputatorum iudicium approbasse censeretur. Atque huius generis fuerunt haec, quae sequuntur:

In Congregatione prov., solummodo qui ad eam conveniunt habent suffragium activum; reliquis Professis remanet suffr. passivum. * Hic d. 60. Form. n. 7.

1. Eo ipso quod numerus eorum, qui ad Congregationem provincialem convenire possunt, ad numerum quadraginta vel quinquaginta contractus fuit per decretum 76 * et canonem 16 Congregationis generalis quintae; ad hos quoque intelligi debet suffragium activum esse contractum; reliquis autem Professis, si qui in ea Congregatione locum non habent, remanet tamen suffragium passivum. Itaque addendum est Formulae: eos, si eligantur, vocandos esse, si fieri commode possit, ut Congregationi deinceps intersint.

Hi, cum eliguntur, vocandi, si fieri potest, ut Congr. intersint. C. 7 d. 62. Form. n. 7. C. 10 d. 3.

Professi applicati Provinciae post indictam Congr., in ea ultra numerum sunt admittendi. Form. n. 8.

2. Professi, quos certo constiterit post indictam Congregationem applicatos esse Provinciae, in Congregationem admittentur ultra numerum quadraginta vel quinquaginta, sic, ut non excludantur ii, qui sunt de Provincia, et suo iure intra numerum dictum in Congregatione locum habent.

In Congr. prov. non tractandum de aliqua re, quando vel unus Deputatorum censeat eam ad substantialia Instituti pertinere. * Hic d. 12. C. 7 d. 35. Form. n. 45.

3. Quoniam, iuxta decretum 25 * huius Congregationis, de substantialibus Instituti, quando res dubia est, in Congregationibus provincialibus tractari non licet; in favorem substantialium haec constituta regula est: ut tunc res dubia, et de illa tractari non posse intelligatur, si vel unus Deputatorum censeat esse dubiam; multoque minus, si Provincialis ita censeat, cuius est totam Congregationem dirigere, atque omnino efficere, ut decreta serventur; eosque coercere, qui contra Institutum aliquid forte molirentur.

Provincialis est totam Congregationem dirigere. C. 4 d. 26.

Quid faciendum quando Compromissarii non conveniunt. *Form. n. 28, 29.

4. Circa § 20 * Congregationis provincialis, ubi dicitur: post decimum scrutinium, per tres aut quinque Compromissarios eligi unum ex illis debere, qui plura caeteris habent suffragia; iudicatum est: si duo ex quinque Compromissariis unum elegerint, et alii duo alium, quintus vero ad tertium accesserit; aut ex tribus Com-

P. Aquaviva Praep. Gen. — 1608

promissariis singuli acciperent singulos; in priori casu danda deinceps suffragia esse inter eos tantum duos, qui plura suffragia habuerunt, et illum tertium excludendum, qui ab uno solo eligebatur. In posteriori autem casu duos alios addendos esse Compromissarios.

Responsa Generalium in Congr. prov. praelegenda. *Form. n. 47.*

5. Placuit etiam constitui: ut, antequam in Congregatione provinciali quidquam tractandum proponatur; responsa prius R. P. N. Generalis ad proxime praecedentis Congregationis quaesita praelegerentur.

20, in Ms. decr. 37.

Circa suffragia pro fundatoribus Domorum Professorum nihil immutandum. * *Hic d. 41. P. 9 c. 3 n. 17.*

Cum, ex decreto 63 * et canone 18 Congregationis tertiae generalis, pro fundatoribus Domorum Professarum suffragia fiant in ipsa Domo et Provincia, in qua Domus erigitur; quaesitum fuit, an videretur ab hac Congregatione statuendum: ut eadem pro dictis fundatoribus in posterum suffragia exhiberentur, quae iuxta Constitutiones, part. IV, cap. 1, pro fundatoribus Collegiorum in tota Societate praescribuntur; aut saltem addendum aliquid iis, quae iuxta dictum canonem fieri consueverunt; cum plerique Domorum fundatores plus aliquando in ipsarum fundatione expendant, quam nonnullorum fundatores Collegiorum. Censuitque Congregatio: nihil esse immutandum; si quid vero aliud particularis aliquando causa postulaverit, R. P. Praepositus Generalis videbit.

In casibus specialibus Praep. Gen. provideat.

21, in Ms. decr. 38.

Instructio pro Confessariis Principum confirmatur. *C. 2 d. 40. C. 5 d. 48. C. 7 d. 18. Instr. 13 c. 7.*

Cum facile non sit Principibus aliquando quibusdam Confessarios a Societate postulantibus denegare; ut maiore, cum accidit, integritate procedatur, neve ullum, dum alios nostris ministeriis iuvamus, detrimentum paupertatis nostrae puritas patiatur; placuit Congregationi: Instructionem primo pro Confessariis Principum a R. P. N. Generali confectam approbare, suaque auctoritate confirmare, ac praeterea statuere: non licere Nostris, eo maxime titulo, quod cum Principibus et Magnatibus tractant vel eorum Confessarii sunt, ab iis quidquam ad proprium usum et dispositionem accipere, neque ad id Superiores concedere facultatem posse. Et, si quos aliquid eiusmodi procurasse constiterit, esse puniendos. Idem voluit Congregatio intelligi de aliis Confessariis, Concionatoribus, Praeceptoribus et similibus, erga poenitentes, devotos, consanguineos, amicos; et maxime observari debere ab iis, qui in missionibus versantur. Quod si sponte ab aliquo quid offeratur, aut alicui particulari mittatur, id iuxta regulas in communem usum accipiatur et dispensetur. In casibus vero particularibus, et prudentia Superiorum videbit, quid fieri expediat; et, ubi dubium esset, ad R. P. Praepositum Generalem recurratur.

Ord. Gen. c. 11. Instr. 15 c. 1.

Nostris a Principibus vel Magnatibus nihil ad proprium usum et dispositionem accipiendum: ad id Superiores concedere facultatem non possunt.

Id extenditur ad alios Confessarios, Concionatores, Praeceptores, etc., maxime ad Missionarios. *Ord. Gen. c. 4 n. 9. C. 7 d. 80 n. 14. Inf. d. 39 n. 3. C. 20 d. 7 n. 3.* Quomodo stipendium oblatum accipiendum. *Ord. Gen. c. 1 n. 14. Reg. 64 Praep. et 60 Rect. Inf. d. 39 n. 4*

22, in Ms. decr. 39.

In Congregationibus prov. de negotiis per secreta suffragia non agendum. *C. 5 d. 60, 75.*

Cum in Deputatione pro Formulis Congregationum recognoscendis, etc. quaesitum fuisset, quod a plerisque fuerat propositum: essetne in Congregationibus provincialibus secretis suffragiis de negotiis agendum; et res fuisset in Congregatione quoque proposita et agitata; nemine discrepante approbatum fuit Deputatorum iudicium, quibus visum erat omnibus: nullo modo secretis utendum esse suffragiis, sive de negotiis aliis agatur, sive quaeratur: cogendane sit Congregatio generalis; propter multa et gravia incommoda, quae, praeter no-

P. Aquaviva Praep. Gen. 1608

C. 7 d. 11. C. 8 d. 13.

vitatem, inde secutura essent. Quare hoc decreto Congregationis placuit rem penitus definire, ne deinceps contra sensum Societatis huiusmodi petitionibus aut privatis aliquorum sensibus locus esset.

23, in Ms. decr. 40.

Secretum in informationibus graviter praescriptum, sed non sub praecepto. C. 1 d. 6 c. 5 ante elect.

Quaesitum etiam fuerat in eadem Deputatione pro Formulis: imponendumne praeceptum esset, quo vetaretur, ut nihil quidquam, in informationibus de aliquo auditum, illi ipsi manifestaretur, indicata persona, a qua fuisset acceptum. Quod cum esset Congregationi quoque propositum, illa non modo Deputatorum iudicium confirmavit, (qui censuerunt omnes, praeceptum quidem huiusmodi non esse imponendum, sed aliquid tamen gravioribus verbis addi posse, quo sui omnes officii monerentur) verum addendum etiam putavit: non modo non indicandum ulli personam esse, a qua de ipso quidquam quis audivisset; sed neque in universum quidem cuiquam aliquid omnino de ipso in informationibus auditum, esse deferendum.

24, in Ms. decr. 41.

Quae in informationibus servanda sint in Congr. prov., ut charitati et modestiae consulatur.

Quoniam in Congregationibus provincialibus ex informationibus, quae capiuntur, sive de mittendis singulis trienniis Romam Procuratoribus agatur, sive de eligendis iis, qui Provincialem ad Congregationem generalem commitaturi sunt, non mediocriter laedi charitas plerumque posset, dum inquiruntur et dicuntur permulta, quae ad rem circa personas eligendas non faciunt; visa sunt Congregationi haec, quae sequuntur, in huiusmodi informationibus in posterum observanda et commendanda: ut maxima, primum, tam in capiendis, quam in dandis informationibus religiosae charitatis et modestiae retinendae ratio habeatur. Deinde vero, de personis, quae satis iam, vel ex earum actionibus diuque probatis moribus, vel ex administrationibus atque ex officiis, quibus in Societate functae fuerunt, in Provincia notae sunt; nullam esse informationem capiendam; verum de iis tantum capiatur, quae plane notae non sunt; et quidem ab iis, qui eas bene norunt, et sinceram de ipsis informationem dare possunt. Denique, ut, aliis omnibus praetermissis, de iis tantum rebus capiatur ac detur informatio, quae ad id pertinent, cuius maxime causa fieri electio debet, iuxta Formulam Congregationis provincialis, § 14, nimirum: an rerum Societatis notitiam habeat, etc. Quamobrem etiam visa sunt Congregationi expungenda illa verba, quae illo paragrapho extremo leguntur: *et alia huiusmodi.*

Hic n. 30.

25, in Ms. decr. 42.

Circa Formulam Congr. prov., haec approbantur:

Ex allatis a Patribus Deputatis pro Formulis Congregationum recognoscendis, etc. haec fuerunt a tota Congregatione approbata circa Formulam Congregationis provincialis:

Excluduntur a Congr. Rectores Convictorum et Seminariorum. * Hic n. 4. Hic d. 81.

1. Ut ex Formula Congregationis provincialis, § 5, * expungatur, quod habetur de Rectoribus Convictorum et Seminariorum ad Congregationes provinciales admittendis; cum per decretum 103 et can. 16 Congregationis generalis quintae iam sint ab ipsis exclusi.

Quodnam dicendum sit Collegium maximum.

2. Cum maximum Collegium, cuius Procurator in Congregatione provinciali locum habet, iuxta § 5 Formulae Congregationis provincialis, quando nullus sit Provinciae Procurator, Patribus Deputatis visum esset, dicendum

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

caeteris paribus antiquius; habendamque rationem esse, tum numeri personarum, tum redituum et functionum; atque in his tempus indictae Congregationis spectandum; Congregatio tamen censuit, ad tollendas difficultates, addendum: ut R. P. Praepositus Generalis nominet in singulis Provinciis, quod sit maximum Collegium, sicubi aliqua dubitatio fuisset.

Professis, admissis quia Superiores, quis in Congr. locus. * C. 5 d. 38, 60, 81, can. 16.

3. Professi quatuor votorum, qui propter canonem 16 * Congregationis quintae non ingrediuntur Congregationem ratione professionis, sed solum quia Superiores sunt, sedere debent inter Professos, iuxta ordinem antiquitatis.

Suffragium non ferendum sine sufficienti informatione; haec non petenda de cognitis. * Hic n. 20.

4. Si quis sufficientem habet informationem de eligendis, non cogitur eam petere, iuxta § 14 *; nec quidquam addendum est Formulae, nisi forte: ut caveant, ne quis sine sufficienti informatione suffragium ferat.

Infirmi in eodem domicilio pro praesentibus habendi; * Hic n. 80.

utrum in Compromissarios eligendi, videat ipsa Congregatio.

5. Circa § 20 * declaratum fuit: infirmos in eodem domicilio haberi pro praesentibus; quare in omnibus electionibus, etiam Compromissariorum, activum et passivum habere suffragium; fere tamen expedire electionem Compromissariorum ex illis fieri, qui Congregationi praesentes adsunt, et communem Congregationis sensum vident; verum quid in singulis casibus et personis expediat, videat ipsa Congregatio.

Suffragia statim post conventum a Secr. comburenda; sed non necessario in eodem Congr. loco. * n. 18. ** n. 5. Vide tamen C. 7 d. 79.

6. Placuit, ut Congregationis provincialis * et Procuratorum ** Formulis addatur, quod est in § 52 Congregationis generalis: de suffragiis statim comburendis, et quidem a Secretario; necessarium tamen non est visum, comburi in eodem Congregationis loco, sed statim post illam.

* n. 48. Breviter,

et latine loquendum.

7. Addi quoque placuit Formulae Congregationis provincialis * paragraphum 69 Congregationis generalis, de dicendis sententiis breviter, etc.; tum vero etiam visum fuit: in iisdem provincialibus Congregationibus latine loquendum esse.

Pro re nata Provincialis potest imponere praeceptum secreti. * n. 2. C. 7 d. 23.

8. Visum est eidem Formulae * addendum paragraphum, in quo moneantur Provinciales: ut, quando ita expedire iudicaverint et res postulaverit, possint pro suo munere imponere praeceptum secreti.

In Congr. prov. absentes qui et quando eligi possint. * Hic n. 85.

9. Circa § 9 *, si de Procuratoris electione agatur, qui tertio quoque anno Romam mittendus est; potest legitime impeditus, ne interesse Congregationi provinciali possit, absens eligi; modo non sit extra Provinciam, et Provincialem convenire possit, antequam Romam adeat. Si vero agatur de mittendis ad Congregationem generalem, eligi possunt omnes, qui de Provincia sunt, etiam qui eo tempore sunt extra Provinciam.

C. 8 d. 57. C. 12 d. 45. C. 14 d. 16. C. 15 d. 6.

Numerus Romae congregandorum.

10. Iudicatum est, aequum esse, atque ita fieri debere: ut numerus congregandorum quadragesimus vel quinquagesimus Romae conficiatur, primo ex Professis Provinciae; caeteri vero quatuor votorum Professi, qui Romae Societati universae navant operam, ut Revisores, Substituti Secretarii Generalis, et alii huiusmodi, supra illum numerum admittantur, quando alias ratione antiquitatis essent admittendi cum exclusione aliorum.

C. 15 d. 6

Procurator Gen. intra numerum admittendus; Vide tamen C. 8 d. 48. C. 17 d. 5.

11. Procurator Generalis in Congregationem provincialem admittatur, intra numerum tamen, iuxta canonem 16 Congregationis quintae; atque hoc erit in Formula declarandum.

Secretarius Soc. extra numerum, nisi per aetatem admittendus.

12. Secretarius Societatis Professus, qui ratione numeri non haberet locum in Congregatione provinciali, admittendus est ob canonem 15 Congrega-

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

C. 4 d. 11, can. 15. Antequam de reiectis tractetur, agendum: an proponenda. * n. 45. C. 12 d. 56 n. 8.

tionis quartae, absque alterius tamen Professi exclusione, qui intra numerum contineretur.

13. Declarandum est in Formula: * de reiectis, antequam de ipsis tractetur, decernendum prius esse in Congregatione: utrum de illis agendum sit, nec ne.

Quae in Electorum impedimentis servanda.

14. In Provinciis intra Europam, si, durante adhuc Congregatione provinciali, primo loco electus ad Congregationem Procuratorum ire non possit, et eius impedimentum fuerit probatum; succedat electus secundo loco, et eligatur alius, qui substituatur loco secundi. Si vero uterque fuerit impeditus, duo alii eligantur, unus primo, alter secundo loco. Quod si, dissoluta iam Congregatione, impeditus uterque iudicetur, ut est in § 27; aut nullus eo anno mittatur, aut Provincialis cum suis Consultoribus, qui suffragii ius in Congregatione haberent et praesentes sunt, alium poterit mittere ad informandum de statu Provinciae; qui tamen nullum Romae tamquam Procurator ius habeat in Congregatione Procuratorum.

Hic n. 41.

In absentium loco, quando alii et quamdiu sint substituendi. C. 7 d. 61. C. 8 d. 18, 52. C. 9 d. 9, 43. Form. Congr. prov. n. 12.

15. Si quis quacumque ex causa ante electionem a Congregatione abesse cogatur, nec adesse possit electioni; admittatur alius, qui proxime ad Congregationem accederet. Si vero ille postea redeat, suo iure admittatur; neque tamen alter excludatur. Post electionem vero nullus est pro absente subrogandus.

In actis omnia scribantur; Romam sola approbata mittenda.

16. In actis, quae in Provincia manent, scribenda sunt omnia, quae fuerunt in Congregatione transacta, sive probata fuerint, sive reiecta; Romam vero approbata solum mittenda sunt, non reiecta.

* Hic n. 50. Actis subscribat

17. Ad § 34 * Formulae Congregationis provincialis addendum est responsum R. P. N. Generalis, quo statuitur: satis esse, si solus Secretarius cum Provinciali obsignet scripturas post dissolutam Congregationem; et eas postea Provincialis tradat Procuratori, vel sibi servet, si eundum sit ad Congregationem generalem.

Provincialis et Secretarius. C. 18 d. 23. C. 16 d. 22.

26, in Ms. decr. 43.

Approbata circa Formulam Procuratorum:

Proposita quaedam sunt item a Patribus Deputatis pro Formulis, etc. circa Formulam Congregationis Procuratorum, quae Congregatio eo, quo sequitur, modo approbavit:

Quot suffragiis decernendum de cogenda, vel non, Congr. gen. C. 5 d. 60, 75. Vide tamen C. 7 d. 10. C. 14 d. 6. C. 18 d. 13.

1. Procuratores in suffragiis ferendis Romae pro cogenda vel non cogenda Congregatione generali, si dissentire volent, sive affirmando, sive negando, a sensu omnium vel maioris partis Provinciarum; tunc ad aliquid contra statuendum non sufficient suffragia plura medietate, sed duabus suffragiorum tertiis res tota decernatur. Si vero Provinciarum vota sunt aequalia, res terminetur ad plura medietate suffragia.

De seligendis a Secr. rationibus pro cogenda, vel non, Congr. gen.

2. Quemadmodum Secretarii est colligere fideliter omnia, quae in Congregatione, aut dicuntur, aut aguntur; ita etiam ipse collectas rationes, quae pro cogenda vel non cogenda Congregatione generali allatae fuerint, ad provincialem Congregationem referet; eiusque iudicio praecipuas seliget, quaeque ad commune Societatis bonum spectare videbuntur.

Tempus Congregationis gen. cogendae. C. 7 d. 71.

3. Si fuerit in Congregatione Procuratorum decretum: cogendam esse Congregationem generalem; intelligitur intra sesquiannum esse cogendam; mensem autem ac diem R. P. N. Generalis constituet, atque ita scrutinio altero non erit opus, quo, quando cogenda sit, quaeratur.

P. Aquaviva Praep. Gen. — 1608

Non manifestandum qualenam suffragium datum.

4. Non est iudicatum, praeceptum esse necessarium, quo caveatur: ne cuipiam Procuratores manifestent, qualenam suffragium dederint Romae de cogenda vel non cogenda Congregatione generali; monendos tamen esse, ne illud temere manifestent.

Quaenam rationes moveant ad suffragium dandum pro gen. Congr. cogenda.

* Hic n. 7.

P. 8 c. 2 n. 1, 2, B. C. c. 4 n. 2. P. 9 c. 1, C.

5. Cum iudicaretur maior aliqua directio necessaria, qua cognoscerent Procuratores, ac deliberare certius possent: cogendane sit Congregatio generalis; visum fuit addendum § 6 *: Procuratores intelligere debere, cogendam generalem Congregationem non esse, nisi, iuxta Constitutiones part. VIII, cap. 2, § 2, cum deliberandum erit de rebus perpetuis ac magni momenti, vel de rebus gravibus ac difficilibus ad universam Societatem et ad modum in ea procedendi spectantibus, quibus R. P. Praepositus Generalis cum Assistentibus providere non possit; quibusque certum videatur, generalem Congregationem afferre posse remedium.

De Procuratorum expensis.

Hic n. 10.

6. Cum quaesitum esset: an aliquae addi regulae debeant, ne maiorem Procuratores, quam par sit, potestatem sibi usurpent in negotiis tractandis, in emendis rebus, in expensis in itinere faciendis, et similibus; visum fuit hoc ad R. P. Generalem pertinere; addi tamen posse in § 8 Formulae: ut Procuratores pecuniam sibi datam et undequaque acceptam, etiam cum facultate Superiorum, Provinciali consignent, atque ab illo sibi necessariam accipientes, paupertatis sint memores.

27, in Ms. decr. 44.

Approbata circa Formulam Congr. gen.:

Circa Formulam vero Congregationis generalis haec item ab iisdem Deputatis pro Formulis, etc. allata et iudicata fuerunt, Congregationis etiam iudicio approbata:

Quot eligere debeant Vicarium. * P. 8 c. 4 n. 1, A. Form. Congr. ad elig. Vic. n. 1. C. 2 d. 50. C. 4 d. 21. C. 9 d. 34. C. 12 d. 48, 54.

1. Si, vel Praepositus Generalis ante mortem Vicarium Societatis non nominaverit, vel ante novi Generalis electionem moriatur, ad eius electionem omnes Professi, qui eo in loco fuerint, vocandi sic erunt, ut senarium quidem numerum excedant, sed plures tamen quadraginta non sint.

Assistentium et Admonitoris Gen. electio extra Congregationem quomodo facienda. P. 9 c. 5 n. 3. C. 4 d. 24, 25. C. 8 d. 19. Form. Congr. gen. n. 85.

2. Si quando extra tempus Congregationis generalis eligendi sint Assistentes atque Admonitor, placuit servari Constitutionem; et Generalem Praepositum cum approbatione Provincialium unum substituere, et aliquam de illo informationem ad eos mittere, quibus notus non esset is, qui proponitur, quod hactenus factum est. Plures enim nominari, non est Constitutionibus consentaneum, quae R. P. Generali ius tribuunt unum nominandi. Qui vero fuerit electus, iuramentum praestet coram iis, qui ius in Congregatione generali habeant, hoc est, coram R. P. Generali, Assistentibus, Secretario et Procuratore Generali.

A sic electis coram quibus iuramentum praestandum. C. 19 d. 6.

Provinciis Congregationum gen. acta non communicanda, sed decreta. Provinciales possunt haec dare Superioribus. C. 2 d. 27 ante elect. C. 2 d. 46. Form. n. 75.

3. Congregationum generalium acta Provinciis communicari necesse non est. Verum decreta omnia Provincialibus danda sunt, ut in singulis exstent Provinciis; et a Provincialibus communicari possunt Superioribus illis, quibus expedire iudicaverint.

Si Congregationis gen. tempore Praepositus Gen. moriatur, novi Assistentes eligendi, vel antiqui confirmandi.

4. Quod in § 53 Formulae dicitur: *non erit opus eligere novos Assistentes*, sic intelligendum est: ut integrum Congregationi sit, aut novos eligere, aut antiquos confirmare. Ergo addendum est Formulae, ut videat Congregatio per secreta suffragia: an priores confirmandi sint, an alii eligendi.

Declaratio et mitigatio decreti 52 Congr. v, de non admittendis in Soc. iis, qui ex Hebraeorum et Saracenorum genere descendunt. *C. 5 d. 52, 53, can. 3.*

28, in Ms. decr. 45.

Propositum fuerat Congregationi: ut informatio, quae fieri debet ad servandum canonem 3 * Congregationis quintae generalis, illa censeretur sufficiens, in qua testes deponerent de quatuor vel quinque generationibus: in hac vero non haberetur ratio de rumoribus, sed probationes sint certo concludentes, aliquam personam in particulari fuisse ad fidem conversam ex Iudaismo vel Mahumetismo. Cum igitur Congregatio hac de re diligenter et hinc inde allatis rationibus per tres sessiones egisset; tandem decrevit per modum, sive declarationis, sive moderationis: eam in posterum praxim esse adhibendam, ut, exclusis iis, qui Morisci in Hispania vocantur, vel aliis quibuscumque, qui christiani quasi specie tenus haberentur, de his enim non agitur; itemque iis, qui hoc nomine generationis Hebraeorum seu Saracenorum infames habentur, qui etiam iuxta Constitutiones titulo infamiae admitti non possunt; in caeteris, qui alioqui honestae familiae essent, aut vulgo nobiles, vel boni nominis haberentur, informationes fierent usque ad quintum gradum inclusive. In quibus informationibus, quae diligenter, secreto et prudenter faciendae erunt, exacte tamen, sicuti non est habenda ratio cuiuscumque rumoris, aut cuiuspiam asserentis se aliquid inaudisse; ita, si constans fama haberetur, tales hac macula notatos, unde offendiculo et dedecori esse possent, non essent admittendi; sed probationes certae et fide dignae habendae erunt, ut aliquis usque ad eum gradum excludatur. Ultra hos vero gradus, nisi sit talis infamia, quae publice constet, decrevit Congregatio: non esse, aut censendum impedimentum aliquod, aut ulterius inquirendum. De Tartaris autem et Mahumetanis aliis, sive in Polonia, sive alibi, committitur R. P. N. Generali, ut possit dispensare intra praedictos hos gradus, cum cesset in his ratio infamiae et dedecoris. Atque hac occasione ad charitatem et unionem inter Nostros servandam, ne quis incertis rumoribus detur locus, aut spargantur inter Nostros quae etiam Superiores et alios praestantes Operarios laedere et contemptibiles reddere possunt, commendat serio et diligenter Congregatio omnibus Nostris: ne de huiusmodi rebus sermones misceantur; monitis tamen, ubi opus fuerit, Superioribus, si quid irrepserit, quod contra hoc decretum seu moderationem esse possit, ut illi pro suo officio remedium adhibeant, vel R. P. N. Generalem admoneant.

Exa. c. 2 n. 2. c. 3 n. 2.

29, in Ms. decr. 46.

Approbata ad renovationem spiritus: *C. 7 d. 25. C. 8 d. 33. C. 13 d. 22.*

Cum Patres Deputati pro renovatione spiritus duo retulissent in ipsorum Deputatione approbata; eorumdem iudicium plurium suffragiis Congregatio confirmavit. Ea sunt quae sequuntur:

Triduum ante votorum renovationem quomodo transigendum. *Instr. 17 n. 7. C. 7 d. 77. C. 12 d. 16.*

1. Ut ante renovationem votorum instituatur vacatio per triduum, ita ut cessetur ab aliis occupationibus, etiam litterariis, praeterquam a lectionibus ordinariis, ubi eae habentur, sive matutino, sive etiam vespertino tempore; et ideo, ubi commode fieri poterit, eligendum tempus, in quo praecedant aliquae vacationes, sicut vacationes Natalitiae; et per illud triduum, qui vota renovaturi sunt, exerceant se in rebus spiritualibus, iuxta Instructionem.

Instr. 17. Omnes quotannis

2. Ut omnes quotannis vacent

P. Aquaviva Praep. Gen. **1608**

per octo vel decem dies continuos vacent Spiritualibus Exercitiis; magna horum commendatio.

Spiritualibus Exercitiis per octo vel decem dies continuos; atque, ut id efficaciter et omnino fiat, statutus est iste annuus Spiritualium Exercitiorum usus, et omnibus summopere a Congregatione commendatur, praecipue vero Superioribus; ut non modo caeteros suo exemplo excitent, sed tempus quoque singulis commodum ad ea cum fructu peragenda, omnibus difficultatibus superatis, attribuant.

C. 7 d. 25 n. 4. C. 8 d. 38 n. 1, 2. Instr. 18 c. 1.

30, in Ms. decr. 47.

Praeposito Gen. commendatur observatio regulae de brevitate vestium Coad. C. 7 d. 24 n. 1. Reg. 6 Cust. vest. De horum pileis nihil hoc tempore innovandum. C. 1 d. 95. C. 3 d. 22. C. 7 d. 24 n. 2, 27. C. 8 d. 21. C. 9 d. 24. C. 22 d. 44 n. 6.

Cum propositum fuisset de distinctione habitus Coadiutorum temporalium, Congregatio censuit: commendandam esse R. P. N. Praeposito Generali observationem regulae quoad brevitatem vestium. De pileis vero, cum diligenter dictae sententiae fuissent, placuit Congregationi: nihil in alterutram partem definire aut statuere, neque quidquam hoc tempore innovandum esse; iuvandos autem in spiritu diligenter ac paterne, ut in sua vocatione humiliter ac reverenter Domino ac Societati inserviant. Si qui vero se ad spiritum vocationis et gradus sui non accommodaverint, ii puniantur, mortificentur, et pilei etiam usu, ubi esset introductus, ad humiliationem arbitrio Superiorum priventur.

Iuvandi in spiritu FF. Coadiutores; indociles puniendi, et pilei usu privandi.

31, in Ms. decr. 48.

Finis Congregationis ad diem 29 Martii decernitur. Inf. d. 42, 47.

Quia relatum fuit: nihil admodum superesse in Congregatione tractandum, propositum fuit, et omnibus acclamantibus decretum: ut Congregationi die Sabbati proximo, hoc est, 29 Martii, finis imponeretur, nisi quid aliud accideret, quam ob rem aliud ipsi Congregationi videretur.

32, in Ms. decr. 49.

Explicatio Const. de manifestatione delicti. hic apposita, approbatur: Inf. d. 33, 34. Comp. Privil. n. 147-149. Ord. Gen. c. 15 pars 1.a C. 5 d. 58 n. 4, 5.

Lecta sunt, et a Congregatione confirmata sequentia, quae Patres Deputati pro manifestatione delicti Superioribus facienda, sibi visa retulerunt, circa regulam Summarii 9 et 10, desumptam ex capite 4 Examinis, § 8.

Omnibus licet aliorum delicta Superiori, ut Patri, manifestare.

1. Licitum esse omnibus manifestare Superiori, ut Patri, quodcumque delictum alterius, sive grave sit, sive leve; et hunc esse sensum regulae.

Iuri famae omnes cesserunt, quod huic manifestationi obstare possit;

2. Cum illo capite 4 Examinis omnibus proponatur, et interrogentur: an contenti sint futuri, ut omnes defectus et res quaecumque, quae in iis notatae et observatae fuerint, Superiori manifestentur; eo ipso Nostros cedere cuicumque iuri famae, quod huic manifestationi obstare posset; et facultatem concedere omnibus deferendi ad Superiorem quaecumque, etiam gravia, quae de illis notata fuerint; quandoquidem, et ratione maioris humilitatis, et profectus spiritualis, et ut a Superiore magis cognosci et melius dirigi aut iuvari possint, ipsimet expresse concesserint, et iudicaverint sibi magis expedire ad maiorem Dei gloriam et bonum animae.

rationes ad id faciendum. Exa. c. 4 n. 8.

Quaenam manifestari possint.

3. Cum in eodem loco, non solum de defectibus, sed etiam de erroribus et quibuscumque aliis rebus, quae in ipso notatae et observatae fuerint, fiat expressa mentio, non esse dubium, quin de omnibus delictis, etiam gravioribus, sit sermo.

Per quem. C. 5 d. 58, Quarto.

4. Verba illa regulae: *per quemvis, qui extra confessionem acceperit,* intelligi de illis, quae ab aliquo alio in eo notata et observata fuerint; non autem de iis, quae ipsemet se-

P. Aquaviva Praep. Gen. 1608

Quid de secreto acceptis.

creto et consilii petendi gratia, ut dirigatur vel iuvetur, cum alio communicaverit. Si quando autem ob aliquas peculiares vel graves rationes dubitaverit consiliarius, num debeat manifestare Superiori rem eo modo in secreto acceptam; tum consulat diligenter Doctores, ut in re tanti momenti prudenter, atque cautione, qua decet, procedere possit.

Ad manifestationem faciendam non opus est Superioris praescripto.

5. Necesse non esse in hac manifestatione exspectare, ut hoc illi a Superiore iniungatur, vel ab ipso interrogetur, cum verba illa: ***praesertim ubi a Superiore fuerit ita praescriptum***, satis declarent, debere esse paratos ad hanc manifestationem, non exspectato Superioris praescripto.

Quo spiritu et modo facienda sit.

6. Quod vero subiungitur: *debita cum charitate et amore,* sic accipi debere: ut, qui manifestat, non debeat aliquo inordinato affectu duci, ut alius scilicet confundatur, mortificetur, puniatur; sed ex affectu charitatis, ut videlicet ille melius iuvetur in spiritu, periculis a Superiore occuratur, bono communi prospiciatur; atque ita manifestans servet eum modum manifestandi in verbis, narratione, intentione, qui amorem et charitatem prae se ferat.

Quandonam necessario fieri debeat.

7. In delictis, quae vel in detrimentum boni communis, vel in damnum imminens tertiae personae vergunt, (qualia sunt infectiva aliorum, et nociva bono Religionis, ut sunt: lapsus carnis cum tertio, seminatio discordiarum inter Fratres, furtum, impugnatio et machinatio contra Institutum vel Superiores, praesertim vero Generalem, consuetudo detrahendi et sussurrandi, et his similia) non solum potest, sed etiam tenetur quisque immediate uti denuntiatione paterna, manifestando illa Superiori, ut provideat secreto et prudenter, tam bono subditi, quam bono Religionis.

Quandonam denuntiatio iudicialis adhibenda sit.

8. Quando autem prudenter iudicaretur, non posse adhiberi sufficiens remedium, quo provideatur bono communi vel tertiae personae, nisi assumatur in ea re officium Iudicis; tunc tenebitur subditus ad denuntiationem iudicialem Superiori faciendam.

Inf. d. 45. C. 7 d. 94.

33, in Ms. decr. 50.

Qua ratione se debeat gerere Superior post denuntiationem acceptam: *Sup. d. 32. Comp. Privil. n. 147-149. Ord. Gen. c. 15 pars 2.a*

Cum autem quaereretur apud Deputatos circa eamdem regulam: qua ratione in denuntiatione paterna se debeat gerere Superior, ut Pater, tam in servando secreto, quam in aliis, quae ad remedium adhibendum pertinent; haec ab ipsis statuta, et a Congregatione confirmata fuerunt, quae subduntur:

Deferentis indemnitati consulat.

1. Ea ratione secretum servare debet, ut deferentem nulli revelet sine eius consensu, quem interdum dare tenebitur; atque ita, ut semper Superior omnimodae indemnitati dedeferentis consulat.

Delatum non revelet sine urgenti necessitate et cum indicatis hic circumstantiis;

2. Delatum etiam nulli debet revelare, qui non possit prodesse fini, quem denuntiatio paterna intendit, qui est profectus spiritualis subditorum, et bonum commune Religionis, quibus Superior debet paterne providere. Quare sine urgenti necessitate, et magna utilitate in ordine ad dictum finem, et cum eo minore detrimento, quo possit, respectu famae delati, numquam debet manifestare delatum.

et tantum iis, qui prodesse possint ad remedium adhibendum.

3. Quando iudicat ob fines et rationes dictas revelandum, tunc debet illis tantum manifestare, qui prodesse possunt ad remedium adhibendum.

Superior potest aliquando

4. Habita ratione finis denuntiationis paternae, potest ipsum dela-

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

delatum corrigere coram testibus;

tum aliquando monere et corrigere secreto coram duobus testibus, ut ex Evangelio cum S. Thoma docent Doctores. Item et de remedio consulere, imponendo secretum iis, cum quibus communicat.

vel alteri Superiori rem delatam dicere.

5. Potest etiam unus Superior dicere rem sic delatam et notam alteri Superiori eiusdem delati, quando res ita postulaverit ad finem paternae delationis.

Cautiones a Superiore adhibendae, si consultationem de hac re facere debeat.

6. Cum autem possit et sit licitum, de ea re consultare cum iis, cum quibus expedit pro remedio et cum secreto; ut tamen cum maiori cautione procedatur, quando consultatio videretur necessaria, petatur consensus deferentis, quem dare ille debebit; sic tamen, ut in consultatione deferentis nomen taceatur, et res, quoad fieri potest, in universali tractetur. Non debet autem Superior petere a deferente, ut suo nomine subscribat rem delatam, cum ea subscriptio tantum deserviat denuntiationi iudiciali.

Superior quaenam ad remedium delati secreto facere possit;

7. Potest item ob dictum finem facere secreto quaecumque iudicaverit expedire ad remedium profectumque delati, citra eius infamiam, ut: monere privatim, reprehendere, terrere minis, diligentius invigilare circa ipsum, mutare illum loco, praevenire occasiones, cavere a recidivo, non admittere ad aliquod officium, removere ab officio quod habet, si sine violatione secreti sub alia occasione apparenti et probabili id praestare possit.

quaenam item publice.

8. Potest etiam Superior aliqua ex sic delatis publicare in publicis refectorii reprehensionibus, ut sunt defectus leves et communes subditorum, imponendo poenitentias ordinarias secundum praxim communem Societatis, dummodo non afferant ipsi delato infamiam alicuius momenti; et, quoad fieri poterit, consensus habeatur deferentis, et sine ullo eius detrimento fiat.

Quando et quomodo delatus ex sic notis dimitti e Societate possit.

9. Denique potest Superior interdum ex sic notis, et ad se tamquam ad Patrem delatis, venire ad dimissionem delati ex Societate; sic tamen, ut, licet adiuvetur et utatur hac notitia, non tamen eo modo procedat, ut talis defectus possit cognosci ab aliis, vel in specie vel in genere; sed alias alia via cognitas notas opponat, quae ad illum dimittendum sufficientes sint in opinione aliorum; aut certe nihil dicat, nec det occasionem aliquam credendi, quod aliquid tale imponatur in poenam delicti, quod omnino secretum est, nec alia via scitur, quam paternae denuntiationis.

Doctrina praecedens confirmatur.

Ne vero nova ista viderentur, quae de denuntiatione delicti ex Deputatorum iudicio allata et confirmata fuerunt; relatum est, quod Iulius II in statutis Franciscanorum dicit: damnandum esse dogma, quod habet, Religiosum criminis socium non teneri ad denuntiandum illud Superiori. Et quod in Constitutionibus generalibus Farinerii, Ordinis Minorum, cap. 7, refertur, in quodam Capitulo generali, alias a S. Bonaventura statutum, conditum fuisse in haec verba: *Nullus Frater dogmatizet vel teneat, quod, cum aliqui sunt socii in crimine, non teneatur alter alterum revelare Superiori, qui potest ac debet prodesse, et animarum periculis praecavere. Nam ex sententia Bonaventurae, et Magistrorum Ordinis, et totius Capituli generalis definitum est: quod haec doctrina est pestifera, et in destructionem Ordinis et regularis disciplinae; cum Praelati scire debeant subditi excessus, non solum ut puniant, sed ut possint praecavere.*

Comp. Privil. n. 148.

P. Aquaviva Praep. Gen. — 1608

34, in Ms. decr. 51.

Doctrina haec de manifestatione delicti explicetur Novitiis. *Ord. Gen. c. 15, part. 2 n. 9. Sup. d. 32, 33.*

Denique decretum etiam fuit a Congregatione: ut hoc ipsum, quod de manifestatione delicti sancitum ac probatum est, ostendatur Novitiis et declaretur iuxta regulam 15 Magistri Novitiorum, inter alia, quae ipsis explicanda declarandaque paulatim ibidem esse dicuntur.

35, in Ms. decr. 52.

Approbata circa Formulas Congregationum:

Ex his vero, quae Deputati pro Formulis Congregationum recognoscendis, etc. sibi visa fuisse retulerunt, quae sequuntur Congregatio suo quoque iudicio confirmavit:

Censura in ambitiosos incurritur a die indictae Congr. prov. vel gen. usque ad electionem. *C. 4 d. 2 ante elect. Form. Congr. prov. n. 22, 23. Form. Congr. gen. n. 21.*

1. Quod in Formula Congregationis provincialis dicitur de iis, qui ambitiose agunt, et per se vel per alios, directe vel indirecte suadent, ut se vel certum alium eligant aut excludant; visum est extendendum esse, ut intelligatur a die indictae Congregationis usque ad electionem, idque tum in provinciali, tum in generali Congregatione. Ac praeterea eos quoque comprehendi, qui, licet suffragium in Congregatione non habeant, agunt tamen pro illis, vel contra illos, qui habent.

C. 9 d. 24. P. 8 c. 6 n. 2, A.

Professis liberum non est abesse a Congregatione, si iuxta canones interesse debent. *Form. Congr. prov. n. 10.*

2. Professos omnes quatuor votorum adesse Congregationi oportere, si iuxta canones convenire debent, propter Societatis bonum; quare non est hoc liberae illorum voluntati relinquendum; cum Societatis intersit atque expediat illos adesse. Potest enim quisque iuri suo cedere, si venire nolit; at non iuri Societatis, quae illius opera indiget in Congregatione. Caeterum in examinandis impedimentis, posse cum aliquibus minus scrupulose agi.

Provinciali impedito quominus ire possit ad Congr. gen. quis substituendus. * *Form. Congr. prov. n. 32, 33. P. 8 c. 3, B. C. 8 d. 42. C. 9 d. 16. C. 16 d. 23.*

3. Cum, Provinciali impedito, quo minus venire ad Congregationem generalem possit, in § 22 * dicatur: substitui debere unum ex duobus, qui electi fuerint comitaturi Provincialem, et ex tertio post illos primum electo, non autem ex tribus electis post duorum illorum electionem; in Constitutionibus vero simpliciter dicatur: ex tribus, quos elegerit Congregatio; probatum est iudicium Deputatorum, qui dixerunt: per Formulam declarari Constitutionem, et intelligendam eam esse de primo ternario. Quare ad generalem Congregationem is veniet, quem ex illo ternario eliget Provincialis. Quod si Provincialis, nullo nominato Vice Provinciali, moriatur, si Vice Provincialis a R. P. Generali nominatus fuerit unus ex electis alias venturis, aut aliquis ex illis iure suo succedat in Vice Provincialem, ille veniat; alioqui venire oportebit primum electum; hocque impedito, secundum, et deinde tertium.

Nullus, ius habens, impediri debet, ut ad Congr. prov. non veniat. *C. 7 d. 53. Form. Congr. prov. n. 18.*

4. Potest quidem Provincialis cum aliis iuxta Formulam iudicare: an quis impeditus sit, ita ut ad Congregationem venire non debeat; et is, qui sic iudicatur, debebit acquiescere; at nullo modo debet aut potest quemquam impedire, qui ante impeditus non esset, et ius ad Congregationem haberet; neque ex sua et aliorum, quos consulere solet, sententia ordinare: ut aliquis ex illis, qui ius habent ad Congregationem provincialem, non veniat ad illam, sed remaneat Superior alicuius Collegii, loco Rectoris, qui ad Congregationem veniat, vel in aliqua alia re occupetur, ut ipsi videbitur expedire. Potius igitur, nisi alius sit, remaneat Rector in suo Collegio, et alium pro se ad Congregationem mittat.

Interdicitur negotiatio in elect. Secr., et Deputator.

5. Placuit etiam: ut in Formulis Congregationis, tum provincialis, tum

P. Aquaviva Praep. Gen. 1608

Form. Congr. prov. n. 28; gen. n. 33.

generalis, extendatur et prohibeatur negotiatio omnis in electione quoque Secretarii et Deputatorum.

Visitator, mortuo Generali, cui Congr. prov. interesse possit. * *C. 1 d. 91, 92, can. 33. Form. n. 4. C. 7 d. 68, 70. C. 9 d. 28. C. 12 d. 60.*

6. Quoniam, ex canone 33 * Congregationis primae, Visitatoris potestas mortuo Generali exspirat; visum est explicari debere: liberum ipsi esse, aut Congregationem provincialem adire in ea Provincia, in qua tunc fuerit, aut redire ad suam; atque in utravis, tam activum, quam passivum suffragium habebit.

In Congr. prov. agendum de regularum observatione et religiosa disciplina. * *Hic n. 48. C. 9 d. 22.*

7. Placuit § 32 * Congregationis provincialis Formulae, inter ea, quae tractanda sunt in Congregatione posteriore loco, addi: de Constitutionum et regularum observatione, ac de religiosa disciplina tractandum esse.

Provincialis quando duo, quando unum suffragium habeat. * *Hic n. 19, 89. C. 18 d. 14 n. 4.*

8. Placuit quoque declarari ad § 13 *: Provincialem habere duo suffragia, etiam cum agitur de impedimentis in Congregatione; unicum vero ante vel post Congregationem.

Sessionibus praemittenda oratio. *C. 7 d. 79. Form. Congr. prov. n. 16; gen. n. 7, 59.*

9. Quemadmodum in Congregatione generali, iuxta § 59, singulis sessionibus aliqua brevis oratio praemittitur; ita visum est in Formula Congregationis provincialis addendum: in ea quoque fieri debere.

Ante dimissam Congr. electi impedimenta proponenda. * *Hic n. 32, 85. C. 7 d. 49.*

10. Visum est § 22 et 23 * addendum: ut, cum quis electus fuerit, quamprimum proponat, si quae habet impedimenta, saltem antequam dimittatur Congregatio, ut ipsa de illis iudicet.

Suffragia, cui data sint, nulli manifestandum.

11. Placuit etiam significari: ne ulli, suffragia cui data sint, ab ullo manifestetur; nullam tamen iniungi propterea poenam.

Procuratores Ind. in Lusitania et Baetica excluduntur a Congr. prov. *Vide tamen C. 8 d. 53. Form. n. 5.*

12. Visum fuit: Procuratores Indiarum, qui in Provinciis Lusitaniae et Baeticae commorantur, Congregationem provincialem, pro generali futura convocatam, ingredi non debere.

Provinciales extra Europam in Congr. abbreviata duo habent suffragia. * *Hic n. 37, 38.*

13. Provinciales extra Europam in consultatione, quae habetur, iuxta § 24 et 25, * ad eligendum Procuratorem Romam mittendum, habent duo suffragia; quia illa non est ordinaria tantum consultatio, sed quasi abbreviata Congregatio provincialis; atque ita addendum est in Formula: Provincialem habere duo suffragia; et declarandum, ut illa electio fiat per secreta suffragia, sicuti fieri solet in plena Congregatione.

Form. n. 39. Electio fiat per secreta suffragia.

In Congr. Proc. informatio potissimum petenda a Generali. *Form. n. 6.*

14. Circa Formulam Congregationis Procuratorum, censuerunt Patres Deputati, eorumque iudicium Congregatio probavit: ad necessariam capitis et membrorum connexionem, horumque ab illo directionem, curandum: ne illius, cuius providentiae se totam Societas commisit, informatio praetereatur a Procuratoribus. Quare addendum esse in Formula: ut a R. P. Generali omnino informatio petatur, cui magis perspectus est universae Societatis status; tum vero a caeteris, qui ius suffragii in Congregatione habent.

In Congr. gen. Deputati eligendi ex quinque, non *nationibus*, sed *Assistentiis*.

15. Cum in § 15 Formulae Congregationis generalis, quinque dumtaxat nationes nominentur, ex quibus deligi Deputati debeant; peteretur-que, ne excluderetur Polonia, quae aliquot nationes comprehendit: polonicam, lithuanicam, russicam, prussicam, et livonicam; ad huiusmodi difficultates tollendas placuit nomen nationis in dicto paragrapho mutari in nomen Assistentiae, dicique: *ex quinque Assistentiis;* omnes enim nationes ad aliquam Assistentiam pertinent.

Procuratores ex Lusitania et Baetica pro Indiis excluduntur a Congr. gen.

16. Ex Lusitania et Baetica Procuratores pro Indiis Romam ad Congregationem generalem mittendi non sunt, non obstante canone 14 Con-

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

* C. 3 d. 48, can. 14. Quomodo supplendi.

gregationis tertiae *; neque nova ulla electio facienda est; sed unus ex his, qui Romam venturi sunt, a Provinciali destinatus, suppleat. Quapropter ab illarum Provinciarum Procuratore instrui debebit.

Qui postulata offerunt, subscribant nomen, si volunt ordinem antiquitatis in eis proponendis servari. P. 8 c. 7 n. 2, A. C. 7 d. 73.

17. Cum in § 64 Formulae Congregationis generalis dicatur: iuxta cuiuscumque antiquitatem professionis proponenda esse, quae ipsi Congregationi generali proponi debere visum fuerit; ea vero possint Electores, iuxta § 16, dare Deputatis absque subscriptione, atque ita ignoretur, a quonam propositum quid fuerit; visum fuit Deputatis: ut ii, qui ordinem illum antiquitatis servari voluerint, nomen suum subscribant, alioqui suo iuri cedere censeantur.

Electi in Congr. prov. ad gen., censentur electi, tum ad negotia, tum ad electionem Praep. Gen. et Assist. Form. Congr. prov. n. 34.

18. Declaratum quoque est, tum in Formula Congregationis generalis, tum provincialis: ut, quoties et quacumque ex causa generalis cogitur Congregatio, electi a Congregatione provinciali, censeantur semper electi, tum ad negotia tractanda, tum ad Generalis Praepositi et Assistentium electionem, si eos tempore illo mori contingeret, nec esse opus provinciales Congregationes iterum convocare.

Vicar. et Assist. diem et locum Congr. gen. declarent. Offic. Vic. n. 3. C. 1 d. 44. Form. Congr. gen. n. 2.

19. Visum etiam est addi posse in Officio Vicarii Generalis: ad Vicarium cum Assistentibus pertinere declarare, quo die et loco generalis Congregatio cogenda sit.

Superiores, saltem Provinciales, mutari non possunt post inchoatam Congr. gen. Vide tamen C. 7 d. 66.

20. Placuit sic declarari canonem 32 Congregationis primae, et canonem 18 Congregationis quintae: ut Officiales, saltem Provinciales, mutari non possint, tantum post inchoatam Congregationem generalem.

Locus Congregationis gen. videtur esse curia Sum. Pont. * Hic n. 2.

21. Iudicatum, ad § 3 * Formulae Congregationis generalis addenda verba Constitutionum, part. VIII, cap. 5, § 1, nimirum: locum, quo conveniet Societas ad Generalis electionem, videri curiam Summi Pontificis esse debere, ubi, ut plurimum, erit ipsius Generalis residentia, etc.

36, in Ms. decr. 53.

Approbata ad exsecutionem promovendam:

Approbavit etiam eadem actione Congregatio infra scripta capita, quae visa sunt Patribus Deputatis pro exsecutione ad eamdem exsecutionem in Societate promovendam profutura, circa 2 caput Instructionis R. P. N. Generalis pro Superioribus, maxime vero in § 1 et 3 ab ipsis observata:

Instr. de Sp. ad Sup. C. 9 d. 26.

Fiat elenchus eorum, quae a Provincialibus et Superioribus localibus circa hoc praestanda sint. Instr. 18.

1. Ad faciliorem notitiam eorum, quae Superiores scire convenit, ut ea mandare exsecutioni possint, iudicatum est expedire: ut fiat index seu catalogus eorum, quae a Superioribus, tum Provincialibus, tum localibus sunt praestanda; ut omnia, brevi compendio contenta, iuvent memoriam. Colligendus vero est huiusmodi index ex Regulis, Ordinationibus et Instructionibus.

Quaenam in consultationibus legenda.

2. Ad eamdem notitiam proderit, si Superiores cum suis Consultoribus tempore consuetae consultationis simul perlegant aliquid ex Regulis, Ordinationibus, Instructionibus et similibus libris octavo aut decimo quinto quoque die, iuxta Visitatorum Instructionem.

Singulis mensibus legendun in consultatione Memoriale Provincialis vel Visitatoris.

3. Singulis mensibus legatur in consultatione Memoriale exsequendum, a Provinciali vel Visitatore relictum, tum ne memoria excidat, tum ut suis temporibus possit Provincialis de exsecutione a Consultoribus moneri. Ideoque communicandum erit huiusmodi Memorialis exemplum, tum Admonitori, tum Consultoribus, dummodo non sit aliquid, quod ad particulares personas pertineat. Commendandum vero est Visitatoribus et

Memoriale quibus communicandum.

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

Cavenda in Memoriali faciendo.

Provincialibus, ut abstineant a novis ordinationibus absque necessitate multiplicandis; easque relinquant, quae practicabiles sint, et antea ostendant Superiori et aliis, qui iudicium ferre possunt, iuxta regulam Provincialis 134. Expedit enim audire difficultates praesentem potius, quam absentem, et, aut expungere aliquas, aut Superiorem et alios capaces reddere, atque ad exsecutionem animare.

Formanda capita de quibus Superiores et Consultores ad Provincialem scribere debent. *Ord. Gen. c. 10, Appendix.*

4. Formanda videntur aliqua capita, de quibus Superiores et Consultores eorumdem suis temporibus ad Provincialem scribere debeant; ne in scribendo vagentur in incerto, eaque omittant, de quibus Provincialis monendus esset. Poterunt autem huiusmodi capita magna ex parte desumi ex iis, iuxta quae ad Praepositum Generalem scribendum esse praescribitur.

Singulis mensibus habenda consultatio de exsecutione:

5. Praescribendum est Superioribus localibus: ut semel in mense, puta prima hebdomada mensis, loco ordinariae consultationis, habeatur consultatio de exsecutione; scilicet: an domi sit aliquid, quod praetermitti videatur: an vigeat observatio regularum, tam communium, quam Officialium: an notetur aliquarum frequens transgressio: an Superiorum ordinationes exsecutioni sint mandatae, praesertim eae, quae in Memoriali relictae sunt a Provinciali adnotatae; quae eodem tempore essent legendae, si nondum exsecutioni mandatae essent. Porro de hoc capite (quod referendum esset inter ea, de quibus ad mediatos Superiores scribendum est) specialiter et diserte scribi deberet ad R. P. Generalem et ad Provincialem, ab iis, qui ex officio suis temporibus ad eosdem scribere tenentur.

explicatur.

Ad Gen. et ad Prov. scribant Consultores: an Memoriale exsecutioni sit mandatum.

De quibus consultatio a Provinciali habenda principio cuiusque mensis.

6. Similem consultationem principio cuiusque mensis cum suis Consultoribus, ubi diutius residet et praesentes habet Consultores, instituet Provincialis; in qua exquirant: quomodo se habeat communis Provinciae disciplina: quid de ea sciatur vel audiatur: quid etiam ipsi Provinciales a Rectoribus et eorumdem Consultoribus habeant, etc. Qua de re (an scilicet huiusmodi consultationes fiant, et quo fructu ac satisfactione) suis temporibus Consultores Provincialium ad Praepositum Generalem scribant.

An hoc fiat scribant Consultores ad Gen.

Praescribantur capita singulis mensibus a Provincialibus et Sup. localibus examinanda.

7. Ad faciliorem harum consultationum usum, possent, tam pro localibus Superioribus, quam pro Provincialibus praescribi capita nonnulla singulis mensibus examinanda, magis inhaerendo iis, quibus nondum plane satisfactum videtur; praesertim circa abusus, si qui sunt in Provincia.

37, in Ms. decr. 54.

Causae timoris Super. immediatorum, qui exsecutionem impedire solet: *Instr. de Sp. ad Sup.*

Circa § vero 3 cap. 2 Instructionis eiusdem R. Patris nostri, quaedam observata fuerunt de timore, qui exsecutionem impedire solet:

Naturalis Superiorum pusillanimitas.

1. Huiuscemodi timorem aliquando ex naturali pusillanimitate nasci; talesque Superiores parum fore ad gubernandum idoneos.

Delationes male factae et acceptae.

2. Timidos reddi Superiores ob frequentes delationes ad mediatos Superiores, atque in non paucis absque fundamento, ex incertis rumoribus, suspicionibus aut passione; quibus si facile credant Superiores mediati, et inauditos damnent, et severe atque absolute reprehendant, despondent animum Superiores immediati, et vix audent quidquam tentare ad redimendam vexationem.

P. Aquaviva Praep. Gen. 1608

Auctoritas Sup. immediat. non defensa.

3. Quia Superiores mediati non assistunt illis, neque eorum auctoritatem apud subditos defendunt.

Subditi imperfecti et auctoritate gaudentes.

4. Quia subditos habent aliquando nonnullos, quos continere in officio non possunt, ob eorum auctoritatem, ita ut indigeant potentiori brachio Superiorum mediatorum; qui videntur nonnumquam fovere homines imperfectos, quorum exemplo plurimum retardatur exsecutio.

Remedia contra timorem:

Ad quas difficultates superandas haec visa sunt adhibenda:

Amor et sollicitudo Provincialium. *Instr. 18 n. 7.*

1. Provinciales sibi devinciant Superiores locales, et amanter ac confidenter cum illis agant; ostendantque se de illorum bonae gubernationis successu et auctoritate apud subditos tuenda esse sollicitos.

Hi examinent diligenter subditorum querelas,

2. Ut examinentur diligenter querelae subditorum adversus Superioris rigorem, descendendo ad casus particulares, ne forte existiment rigorem esse, exigere a subditis disciplinam et exactam observationem regularum.

et cur hae de aliquibus Sup. non audiantur.

Neque minus examinetur: quid causae sit, cur de multis Superioribus non audiantur subditorum querelae. Utrum quia, salva tamen disciplina, suaves sunt; an vero, quia remissi et indulgentes, quodque nullum contristare, sed pacifice vivere velint.

Audiant Sup. immediatorum excusationes; si hi innocentes sunt, moneantur delatores.

3. Ut mediati Superiores non sint faciles in credendo delationibus, et audiant, quid rationis aut excusationis afferant immediati; et ubi innocentes fuerint deprehensi, moneantur serio a Provinciali qui detulerunt, ut cautiores sint in posterum; faciantque, ut subditi intelligant, probari sibi zelum Superiorum in promovenda exsecutione, iuxta officii obligationem.

Superiores omnes ad exsecutionem urgendam conspirent: explicatur.

4. Plurimum momenti habebit, si Superiores omnes Societatis cum Praeposito Generali, et Superiores locales cum Provinciali ad exsecutionem urgendam conspirent; ita ut omnes intelligant, unum eumdemque in Societate animum esse; neque recursus ad Superiores mediatos in hac parte prodesse, neque ob transitum a re ad modum exsequendi impediri exsecutionem oportere. Eamdemque conspirationem in quolibet Collegio facere deberet Superior cum suis Consultoribus, Admonitore, Patre Spirituali, et aliis Patribus, qui promovere possunt exsecutionem; ita ut idem sentiant et dicant omnes.

Oblocutores monendi et coercendi.

Quod si antiquiores aliqui obloqui de exsecutione videantur, monendi et coercendi sunt, si opus fuerit, etiam publicis poenitentiis, ne alios turbent, et insuavem reddant exsecutionem.

Superiores mediati urgeant ad exsecutionem immediatos; hi autem inferiores.

5. Conducet, si Superiores mediati, sive praesentes, sive absentes sint, nullam omittant occasionem urgendi Superiores immediatos ad exsecutionem, per quos pari ratione inferiores omnes ad eamdem exsecutionem excitentur.

Usus reprehensionum et poenitentiarum, *C. 20 d. 16. C. 21 d. 27.*

6. Promovebit exsecutionem disciplinae vigor, et usus reprehensionum et aliarum poenitentiarum adversus transgressores regularum et non curantes paterna monita, servato ordine regulae 27 Rectoris; ita ut intelligant subditi, veniendum tandem ad extrema remedia dimissionis, si opus fuerit, quando, aliis tentatis, nihil proficitur.

etiam cum antiquioribus et ipsis Superioribus, si officio defuerint.

Atque huiusmodi disciplina communis omnibus esse debet, etiam antiquioribus et senioribus, immo et ipsis Superioribus, si suo officio defuerint, ad aliorum aedificationem et satisfactionem, ut liberius exsecutionem promovere possint. Intelligere autem debent, tum Superiores, tum subditi, etiam antiquiores

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

et bene meriti, non fieri ipsis iniuriam nec infamari, si ob defectus contra regulas imponantur eis publicae poenitentiae.

Executio magis posita est in opere ipso, quam in documentis. Adhibeatur statim, quantum fieri possit, ab ipsis Visitatoribus et Provincialibus.

7. Postremo exsecutio posita potissimum est in opere ipso urgendo potius, quam in documentis. Quare expedit, ut Visitator et Provincialis in suis visitationibus ea, quae remedio indigent, et certa sunt esse contra regulas, neque iustam ob causam dilationem postulant, curent omnino ante suum e Collegio discessum exsecutioni mandari. Ita enim, et suavius et efficacius fient omnia, et Superiores immediati magna molestia liberabuntur. Et discent etiam ipsi exsequi per se quae sunt sui officii, neque ad adventum usque Provincialis inconvenientia tolerare. Reliqua vero, quae statim exsecutioni mandari non poterunt, notent in Memoriali. Quod si in sequenti visitatione deprehenderint Superioris culpa praetermissa, is non maneat impunitus, ne subditi offendantur, existimantes solum fieri quae sunt ad gustum Rectoris; reliqua vero, quantumvis praescripta, praetermitti. Quod si Rectores continenter et notabiliter negligentes et remissi in exsecutione deprehendantur, tali onere liberentur, ne ipsorum conniventia religiosa disciplina relaxetur.

Superiores negligentes, ne maneant impuniti; si opus est, onere liberentur. *C. 9 d. 26.*

38, in Ms. decr. 55.

Ad Praep. Gen. remittuntur faciendae Instructiones pro Concionatoribus et Confessariis instituendis et corrigendis, *Instr. 14 et 15. C. 2 d. 62. C. 7 d. 80 n. 8-10. C. 23 d. 29.*

Allata postea sunt quae a Deputatis pro Concionatoribus et Confessariis observata fuerunt. Verum ea Congregatio censuit R. Patri nostro remittenda; ut ex iis in Instructionem ad eosdem melius instituendos et corrigendos ea conferat, quae cum Patribus Assistentibus opportuniora atque utiliora fore pro sua prudentia iudicabit. Idemque de iis factum est, quae a Deputatis pro renovatione spiritus pro reformanda recreatione, iuxta decretum 18 * allata fuerunt.

et pro reformanda recreatione. *Instr. 18.* * *Hic d. 6.*

39, in Ms. decr. 56.

Circa missiones Nostrorum approbantur sequentia:

Ex iis autem, quae Deputati circa missiones attulerunt, in iis, quae sequuntur, eorum iudicium Congregatio comprobavit:

Interdicta visitatio feminarum; hae non domi, sed in ecclesia audiendae. *Ord. Gen. c. 1 n. 18.*

1. Ut feminarum visitatio, multo magis in missionibus, quam in Domibus et Collegiis, interdicatur; neque patiantur Nostri feminas domum ad se venire cuiuscumque rei causa, sed audiantur in ecclesia.

Externorum ad mensam invitatio, nec facienda, nec, quoad fieri possit, admittenda.

2. Nostri, qui sunt in missionibus, non invitent externos ad suam mensam, nec patiantur se invitari ab aliis, quantum in ipsis erit.

Ne accipiatur pecunia; cautiones adhibendae, si accipienda sit. *Sup. d. 21.*

3. Commendetur serio Provincialibus per R. P. Generalem, ut videant: ne pecunia accipiatur a Nostris in missionibus; aut, si quando accipienda sit, dispensetur ut non laedatur paupertas, aut detur externis offensio; teneanturque Nostri, qui in missionibus fuerint, acceptae pecuniae rationem Superioribus dare; et eam, si quid supersit, eisdem Superioribus Domus vel Collegii statim reddere.

In eleemosynis post conciones accipiendis servetur Instructio hac de re edita. *Sup. d. 21. Ord. Gen. c. 1 n. 14.*

4. De eleemosynis vero, quae Nostris aliquando mittuntur, postquam alicubi concionatum est in Adventu, aut in Quadragesima, aliove tempore, servetur diligenter, quod in Instructione dicitur a R. P. N. Generali hac de re edita.

40, in Ms. decr. 57.

Approbata ad Scholasticos in spiritu iuvandos:

Postremo lecta sunt et a Congregatione approbata quae Patres Deputati pro Scholasticis in spiritu iuvandis attulerunt, atque hic adscripta:

P. Aquaviva Praep. Gen.

1608

Raro vocentur ad ianuam, et tunc cum expressa Rectoris licentia; invigilandum, ne prolixa sint eorum cum externis colloquia. *Instr. 17. Sup. d. 16.*

1. Ut in Instructione pro ipsis iam facta, in qua commendatur, ut non agant cum externis, addatur: ut non vocentur ad ianuam, nisi de Rectoris, et non alterius, expressa licentia; qui rarius debet eam concedere, atque invigilare, ne prolixa sint eorum cum externis colloquia.

Magistrorum colloquia cum Scholasticis externis ne sint diuturna, praesertim cum uno aliquo.

2. De Magistris autem, visum est ad eorum Regulas nihil addi posse, nisi ut videant diligenter Superiores: ne in colloquiis, quae habere necessario debent cum externis suis Scholasticis, diutius morentur, praesertim cum uno aliquo, ac ne tempus terant.

Conferentiae crebriores habendae; peculiares ad Scholasticos non introducendae.

3. De conferentiis, quae loco exhortationis haberi aliquando possunt sexta feria, iuxta regulam Rectoris 24, visum est, nihil addendum, sed commendandum Superioribus: ut eas crebriores habeant, ubi bene succedunt. De aliis autem peculiaribus, ad quas soli Scholastici vocentur, censuerunt Patres: non esse introducendas, ne nimium onerentur.

Utrum rosarium vel officium B. Virginis ab ipsis quotidie recitandum.

4. De rosario vel officio B. Virginis quotidie recitando visum est: id cuiusque devotioni ac Praefecti rerum spiritualium prudentiae relinquendum esse.

Magistros non nisi hora ad id destinata studiorum causa conveniant; vel extra eam sine peculiari facultate. *C. 7 d. 80 n. 18. Reg. 18 Schol.*

5. Cum quaesitum esset: an fieri regula deberet, ne Scholastici ingrediantur cubicula Magistrorum suorum; visum fuit Patribus: universe non posse prohiberi; sed, sicubi mos est, ut studiorum causa Scholastici suos Praeceptores in cubiculo conveniant, declarandum iis est: facere ipsos contra regulam 33 communium, si ob aliam causam, quam studiorum, in eorum cubicula intrent aut morentur. Expedit autem, ut Superior assignet horam unam ipsis, commodam Magistris, qua conveniri possint; extra quam, si necesse sit Scholasticos agere cum ipsis et eorum ingredi cubicula, petant a Superiore licentiam.

Magistri in sua mutuo cubicula non intrent, absque licentia particulari.

6. Visum quoque est valde expedire, ob multa incommoda, quae docet experientia: ut, si alicubi licentia generalis datur, aut mos invaluit, ut Magistri in sua mutuo cubicula intrent absque licentia particulari, ne in posterum fiat; in casibus autem particularibus videant Superiores.

In praedio, in die recreationis, a meridie, una vel altera hora danda partim studio, partim meditationi. *Ord. Gen. c. 14.*

7. Iudicatum est a Patribus ac probatum: ut in die recreationis, cum itur ad praedium seu vineam, ibique coenatur; a meridie per unam vel alteram horam Nostri partim studeant, partim orationem matutinam perficiant; et debere tempus illud esse commune omnibus ita, ut tunc ludere vel confabulari non liceat; elapso autem eo tempore, signum detur ad recreationem.

Fiat Instructio pro omnibus Provinciis, de vacationibus generalibus in praedio religiose transigendis. *Ord. Gen. c. 14.*

8. Placuit praeterea Instructionem in genere fieri pro vacationibus generalibus, quando Nostri morantur in praedio, ne cum religiosae disciplinae detrimento tempus illud traiiciatur. Ea vero Instructio ad omnes Provincias mittatur; quae poterunt addere, si quid praeterea iudicabunt sibi conducere.

Quaenam ratio transigendi diem recreationis, cum non itur ad praedium nec ad deambulandum. *Ord. Gen. c. 14.*

9. Cum, propter coeli iniurias vel alias ob causas, die recreationis, neque itur ad praedium, neque ad ambulationem; mane ad recreationem non pulsetur, sed vacetur studiis. Post meridiem vero, peracta recreatione ordinaria post prandium, et interposita mora aliqua, detur signum ad recreationem per horas tres; sed clamores et ludi strepitosi, qui a vicinis audiri possunt, omnino caveantur.

41, in Ms. decr. 58.

Quaedam P. Generali

Cum relatum esset: ea, quae ad Patres Deputatos pro Formulis, etc.

P. Aquaviva Praep. Gen. — 1608

statuenda relinquuntur. *Instr. 20.*

circa Ordinationes recognoscendas, atque item ea, quae ad Deputatos pro studiis circa eadem studia fuissent allata, vel moram requirere longiorem, vel eiusmodi esse, quibus Congregatione generali opus non esset; placuit Congregationi, quemadmodum de Concionatoribus, et Confessariis, et de recreatione factum fuit decreto 55, illa R. P. N. Generali commendare; qui cum Patribus Assistentibus et aliis, quos iudicabit, de omnibus statuet, quod Societati magis commodum et opportunum fore videbitur.

Hic d. 88.

42, in Ms. decr. 59.

Dies 29 Martii ad Congregationem finiendam constituitur.

Cum R. P. N. Generalis iterum ac tertio monuisset: ut, si quis haberet aliquid ex reiectis, quod proponi Congregationi cuperet, id in sequenti die afferret; cumque nihil esse diceretur, quod Congregationem protrahi longius postularet; et, R. P. N. Generali in eadem Congregatione impedito, atque absentibus a suis Provinciis Provincialibus aliisque Superioribus, non parvum Societatis gubernatio et Collegiorum negotia detrimentum paterentur; petitis singulatim suffragiis, nemine repugnante, iterum dies Sabbati, hoc est 29 Martii, ad Congregationem finiendam constitutus est.

Sup. d. 81, inf. d. 47.

43, in Ms. decr. 60.

Enumerantur Ordinationes ac monitiones circa visitationes feminarum datae, ac confirmantur. * *Hic d. 7.*

Quoniam decreto 19 * Congregationis huius remissum fuerat Deputatis pro renovatione spiritus ut viderent: si quid addi posset aut deberet Instructionibus et Ordinationibus a R. P. N. Generali saepius iteratis circa visitationes feminarum; retulerunt Congregationi Patres Deputati: se perlegisse in sua Deputatione omnia diligenter, quae hac de re a R. P. N. Generali scripta fuerant; nimirum Instructionem tertiam pro Confessariis, et speciatim illa capita, quae spectant ad confessiones, collocutiones et visitationes mulierum. Deinde cap. 12 Ordinationum Praepositorum Generalium circa observationem regulae 18 Sacerdotum, una cum ipsis Sacerdotum Regulis, quae hac de re agunt; ac denique duas litteras communes R. Patris nostri ad omnes Provincias missas, alteras 21 mensis Decembris 1605, quae totae versantur in hac materia; alteras 13 mensis Novembris 1607, circa Nostrorum associationem, in quarum postrema parte maximopere inculcatur observatio dictae regulae 18. Quibus perlectis, cum singulorum Deputatorum sententia exquisita fuisset; si quid pro maiori cautela et custodia Nostrorum addendum videretur, omnibus visum fuisse: Ordinationibus ac Monitionibus supra dictis satis esse prospectum huic negotio, quantum humana prudentia prospici potest; nec quidquam amplius desiderari, praeter exactam exsecutionem eorum, quae ordinata sunt; eorumque iudicium tota Congregatio confirmavit.

Ord. Gen. c. 4 n. 3.

44, in Ms. decr. 61.

Beatorum Aloisii et Stanislai canonizatio Praeposito Gen. commendatur postulanda.

Cum de petenda canonizatione Beatorum Aloisii Gonzagae et Stanislai Kostkae propositum fuisset; Congregatio censuit: rem debere commendari R. Patri nostro; ut, quando videret opportunum, eam a Summo Pontifice sextae huius Congregationis nomine postularet.

45, in Ms. decr. 62.

De iudiciali denuntiatione nihil a Congregatione statuendum; curet Praepositus Gen.

Quia propositum fuerat Patribus Deputatis pro manifestatione delicti scriptum quoddam de iudiciali denuntiatione, ut viderent: quando aut quomodo a paterna Superior ad illam

P. Aquaviva Praep. Gen. 1608

Instructionem circa hoc fieri pro Superioribus. Sup. d. 32 n. 8. C. 7 d. 94.

transire, et qua ratione in eius progressu se gerere deberet; retulerunt dicti Patres: cum regula nostra Summarii 9 et 10 finiatur in denuntiatione paterna, et casus sit rarissimus, in quo oporteat descendere ad iudicialem, visum sibi esse non expedire, ut Congregatio generalis aliquid de ea statuat, sed solum, ut R. P. N. Generalis curet Instructionem fieri pro Superioribus, ut, si quando opus sit, intelligant quem in ea tenere modum debeant; doctrinam porro illam, quae iam dicto scripto continebatur, et ex qua elici posse videtur Instructio, plerosque omnes probasse. Hanc vero Deputatorum sententiam tota Congregatio probavit.

46, in Ms. decr. 64.

Remedia ad aes alienum dissolvendum Praepositi Gen. iudicio applicanda relinquuntur.

Ad aes autem alienum quod spectat, quo pleraque Collegia vehementer premuntur, in Hispania praesertim, cum nullum a Congregatione remedium expectari posse videretur; commendata res item est R. P. N. Generali; qui, re cum idoneis Patribus et aliis quibusdam communicata, remedia iam ex propositis nonnulla exsecutioni mandata esse dixit; et in posterum quidquid fieri posset praestandum, quod ad malum hoc, ne saltem serpat magis, maxime commodum fore iudicabitur.

47, in Ms. decr. 68.

Canones revidendi et evulgandi cura Praeposito Gen. committitur. C. 2 d. 46. C. 3 d. 9, 33. C. 4 d. 51. C. 5 d. 66.

Lectis actionibus omnibus ac decretis, cum canones, a Deputatis extracti, Congregationi legi coepissent, et aliquid desiderari videretur; quia tamen res nimis longa visa est, et Patres omnes cupiebant et urgebant, ut Congregatio hac die absolveretur; visum fuit: ut res tota (quod alias factum fuisse in aliis generalibus Congregationibus referebatur) R. P. N. Generali committeretur; qui canones praedictos revideret et evulgaret, prout Societatis praxi expedire iudicasset. Atque ita, cum nimis iam tarda hora R. P. N. Generalem ad aliud commodius post absolutam Congregationem tempus hortationem, quam tunc erat habiturus, differre cogeret, omnium consensu Congregationi finis impositus est in nomine Domini. Et, recitato ab omnibus alternatim submissa voce *Te Deum laudamus* et aliis orationibus in gratiarum actionem, post mutuos charitatis amplexus, cum maxima singularis charitatis atque animorum coniunctionis significatione discessum est ipso die Martii 29 anni 1608.

Finis Congregationi imponitur. Sup. d. 31, 42.

DECRETA

SEPTIMAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1615-16

Causa Congregationis convocandae.

Cum mors P. Claudii Aquavivae in diem postremam Ianuarii anni 1615 incidisset, ex eius relicto chirographo dictus Vicarius P. Ferdinandus Alberus, Germaniae Assistens, Congregationi septimae initium fecit 5 Novembris eiusdem anni. Deinde P. Mutius Vitellescus 15 eiusdem mensis electus Societatis Praepositus, terminavitque Congregationem 26 Ianuarii 1616.

Decretum 1, in manu scriptis decr. 1.

Secretarius Soc. et Procurator Gen. in Congregationem admittuntur.

Cum ad Patres, qui ius suffragii ad electionem Praepositi Generalis habuerant, P. Bernardus de Angelis, Societatis Secretarius, et P. Laurentius de Paulis, Procurator Generalis, accessissent; proposuit R. P. Generalis: num P. Nicolaus Trigautius, qui a sinensi Missione Procurator delectus fuerat, ad negotiorum in Congregatione tractationem admittendus esset. Admittendum censuerunt Patres; ita tamen, ne gratuitam hanc, ob varias in medium allatas rationes, ad sola negotia tractanda Congregationis admissionem, aliarum Missionum Procuratores traherent aliquando in iuris consequentiam. Vocatus deinde P. Trigautius, ut tractandis in Congregatione in posterum interesset.

Procurator item Missionis sinensis, sed gratuito.

Inf. d. 86.

2, in Ms. decr. 4.

Provinciales emeriti prov. Congregationi intersint extra numerum,

Propositum deinde: consultumne esset, provincialibus Congregationibus interesse eos Patres, qui aliquando Provinciis, in quibus praesentes sunt, praefuissent; ac Provincialium etiam Consultores; idque extra quadragesimum vel quinquagesimum numerum, si forte illo non continerentur. Censuit Congregatio: solos tales Provinciales, si forte numero recensito excluderentur, supra numerum admittendos; Consultores minime.

si illo non continentur;

eorum vero Consultores minime. *C. 5 d. 81.*

3, in Ms. decr. 7.

Proponitur Summi Pont. nomine: an dimissis a Societate Sacerdotibus praestanda sint alimenta. *C. 2 d. 77.*

Cum, ratione Sacerdotis cuiusdam, qui importunis postulationibus dimissionem e Societate impetraverat, Pontificique libellum supplicem ad alimenta a Societate impetranda obtulerat, propositum per Illustrissimum Cardinalem Bellarminum a Sua Sanctitate fuisset, ut prospiceret Societas: quid facto opus esset circa dimissos a Societate Sacerdotes, qui maiorum haereditate, quique Religionis omnique alio titulo carent;

Roganda Sua Sanctitas, ut dignetur iura et consuetudinem Societatis tueri.

Post seriam prolixamque huius rei discussionem censuit Congregatio: omni animi submissione rogandam esse Suam Sanctitatem, dignaretur Societatis iura, receptamque iam inde ab initio sui consuetudinem tueri; maxime cum gravissimae causae sint, quae nihil in hac re mutandum suadeant:

Causae cur nihil immutandum.

1. Ac primo, paucissimos a Societate dimitti, qui alimentis ad vitam necessariis careant; ac vix in singulis Provinciis unum alterumve reperiri posse, qui egeat; immo in universa Societate adeo esse paucos, ut ab omnibus totius Societatis Provinciali-

Pauci sunt eiusmodi, qui necessariis careant,

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

bus, qui Romae nunc sunt, vix decem eius generis homines designari possint.

vel ea sibi parare non possint, si velint.

2. Inter eos, qui dimittuntur, vix quemquam reperiri, qui non iis naturae donis, exercitatione studioque in Societate confirmatis, praeditus sit, ut facili negotio conditionem consequi possit, qua se vitamque suam modeste et honeste tueatur, si modo viri boni officio fungi velit. Sin minus, pergatque in delictis, ob quae, ut plurimum, dimittuntur, poenis potius tales insolentias fraenandas esse, quam praemio remunerandas.

Societas in illis educandis multos sumptus fecit.

3. Accedit, Societatem maximos sumptus, nullo suo emolumento, in alendis talibus novitiatus ac studiorum tempore, atque in reliquo etiam, quo in illa vixerunt, annorum decursu tulisse, ut peracti sumptus longe emolumenta superent, ut merito queri non possint; maxime cum aut ob delicta non levia, aut importuna rogatione dimittantur.

Iudex a se damnatos alere non tenetur;

4. Neque maior videtur inesse Societati obligatio, dimissos ob culpam alendi, quam Iudici eos, quos ob manifestum delictum beneficio aut clericali titulo privavit damnavitque. Neque tamen quisquam damnatorum talium Iudicem super alimentis convenire consuevit.

nec eos alii Ordines Religiosi, quos eiecerunt.

5. Et sane durissimum foret, Societatem ad praestanda alimenta teneri eorum, quos ob non leves culpas dimittit. Neque enim quisquam aliorum Ordinum tenetur ad alendum eos, quos a Religione sua ob delicta praescindit; qui, si res propius considerentur, multo plures in singulis reperientur, quam qui a Societate dimittuntur; maxime si componantur cum iis, qui, a Societate dimissi, mediis vivendi carent; cum tamen plerique eorum, qui a reliquis Religionibus praescinduntur, non raro pluribus egeant; neque tamen quisquam hactenus censuit talibus alimenta a Religionibus suis praestanda esse. Neque quisquam ea inverecundia et audacia fuit, qui, cum ob manifestum crimen ab Ordine reiectus esset, ab eodem alimenta sibi deberi iure contenderet, aut Sedem Apostolicam super iis compellaret.

Alimenta haec viam aperirent ad defectionem,

6. Aperiret deinde haec alimentorum suppeditatio viam ad cogitationes de deserenda Religione suscipiendas; maxime in iis, qui minus ferventes, commodorumque suorum studiosiores, otiique amatores sunt. Spes enim haec alimenti non paucos forte traheret, qui, illa destituti, in Religione detinentur; fieretque paulatim, ut cum emolumento hoc, ac quasi desertae Religionis praemio, plures provocati, vocatione relicta, saeculum repeterent; Collegia, quae aegre admodum Operarios suos sustentant, magnam necessariae suae dotis partem in tales effunderent, non sine gravi fundatorum ac benefactorum suorum offensione, qui dona sua in tales nollent profundi; ac manum etiam retraherent, eleemosynasque negarent, quas ad tales divertendas esse merito vereri possent.

et Collegiis gravia essent, cum benefactorum offensione.

Non deberi iudicavit Parlamentum tolosanum.

7. Exstat et tolosani Parlamenti nobilissima decisio, qua P. Claudium Bernardum, Provinciali P. Ioanne Gentilio, a Societate egressum, petentem alimenta a Societate, iudicavit iniquum postulare.

Clemens VIII aliique Pontifices rem integram reliquerunt.

8. Est denique et illud non levis momenti in hoc negotio; quod, cum anno 1597, Aprilis 21, memoriale quoddam Clementi fel. rec. VIII porrectum fuisset, de Sacerdotibus a Societate dimissis, paupertatis ac Reli-

gionis titulo ordinatis, cum ad egestatem, adeoque et ad mendicitatem devenire possint; Pontifexque Cardinali Matthaeo, ex Congregatione Concilii, memoriale dispiciendum transmisisset; isque a P. Laurentio de Paulis breve sibi tradi petiisset, quo Societas in ordinandis Sacerdotibus suis utitur, quo Constitutioni Pii v super ordinandis derogatur; Summoque postea Pontifici, re prius serio et accurate discussa, retulisset Cardinalis, alias hoc negotium per Summos Pontifices et Congregationem S. Officii fuisse examinatum, et intactum demum relictum; Pontifex, iis auditis, eamdem etiam rem integram Societati reliquerit.

Comp. Privil. n. 163.

4, in Ms. decr. 8.

Qui ad Praepositum Gen. dimissionis causa profugiunt, aut vagantur, graviter puniendi. C. 4 d. 53. Inf. d. 22 n. 4. C. 9 d. 27.

Propositum fuit: censeretne Congregatio iis, qui sine Patentibus Superiorumque suorum facultate ad Generalem profugiunt, vel extra Collegia profugi vagantur, quo facilius hisce viis dimissionem extorqueant, certam aliquam statuendam poenam esse. Censuit: gravi eos poena pro varia delicti qualitate puniendos, neque a Patre nostro facile audiendos, sed ad Provincias remittendos, atque in iis puniendos esse; omnem tamen hanc poenam putavit iudicio Patris nostri relinquendam.

5, in Ms. decr. 9.

Demortuo Generali, quae iusta in singulis Provinciis facienda sint. C. 12 d. 56 n 5. Offic. Vic. n. 2.

Ad aliam quaestionem, qua petebatur: quid demortuo Generali, in singulis Provinciis faciendum esset; censuit Congregatio: ubi primum certi aliquid de morte illius constiterit, officium in templo nostro Societatis more de defunctis dicendum; eodemque die, vel sane pridie aut postridie solemne Sacrum pro consueto loci Collegiique more decantandum aut dicendum; Sacrumque eodem etiam die a reliquis faciendum, super ea Sacra, quae Vicarius facienda praescripserit; pro modestia tamen religiosa, consueto Societatis more cenotaphium reliquaque peragenda esse.

6, in Ms. decr. 11.

Decreta typis mandentur. C. 8 d. 14.

Cum propositum fuisset: placeretne Congregationum generalium decreta typis mandari; censuit Congregatio: mandanda.

7, in Ms. decr. 12.

Privatam Praepositi Gen. mensam sponte ab ipso tolli approbat Congregatio. C. 1 d. 76. C. 3 d. 38.

Cum rogasset R. Pater noster Congregationem: ut decreto suo privatam Generalis mensam (quam ipse, omnium omnino commendatione, ultronea sibi voluntate subtraxerat) tollere dignaretur; probavit Congregatio laudavitque propensam in communem mensam voluntatem Patris nostri; Deum precata, ut eamdem in illo mentem perpetuet, et successoribus largiatur. Nam licet primorum Patrum nostrorum in illis Societatis initiis consuetudo, ob graves, quae eos moverant, causas, non possit non probatissima videri; in praesentiarum tamen non potest non divinae bonitati gratias agere, quae piam hanc mentem Patri nostro iniecerit; eamdemque successoribus quanto potest studio precari, totisque animis commendare; ut pari voluntate et spiritu in eamdem rem ferantur.

8, in Ms. decr. 13.

Assistentes eliguntur,

Praemissa iuxta Formulam oratione, delecti sunt ultimo die quatridui, ante prandium, Assistentes: Italiae, P. Bernardinus Confalonerius; Germaniae, P. Theodorus Busaeus; Galliae, P. Christophorus Baltasar, primo

P. Vitelleschi Praep. Gen. — 1615-16

petendo ab aegroto suffragium.

omnes scrutinio; Hispaniae, P. Alfonsus Carrillius, scrutinio secundo; Lusitaniae, P. Nunius Mascarenhas, scrutinio primo; petitumque Congregationis mandato in singulis suffragium est a P. Petro Antonio Spinello, qui iam tunc morbo (quo paucis post hebdomadis, scilicet die 14 Decembris exstinctus est) lecto detinebatur; praestitumque iuramentum ab Assistentibus est iuxta Formulae praescriptum. Rogata deinde Congregatione: placeretne eadem actione eligi Admonitorem, cum sat temporis superesset; placuit eligi, primoque scrutinio delectus est P. Iacobus Crucius.

Admonitor eadem actione electus.

9, in Ms. decr. 14.

Congregationes generales statis temporibus non cogendae.

AD propositam quaestionem: certumne tempus Congregationibus generalibus indicendis statuendum esset; censuit Congregatio universa, multis gravibusque in hanc rem in medium allatis a variis rationibus: nullum indicendis illis in praesentiarum certum tempus statuendum, magisque hoc conforme menti B. Patris nostri esse, Constitutionibus expressae; prospectumque abunde Societati per provinciales Congregationes, a quibus tertio quoque anno Procurator in Urbem mittitur; perque alia media Constitutionibus ac variarum Congregationum decretis comprehensa.

P. 8 c. 2, B. C. 2 d. 19, 67. C. 4 d. 7. C. 5 d. 80. C. 16 d. 8. C. 21 d. 10. C. 23 d. 18.

10, in Ms. decr. 15.

De cogenda Congregatione gen. ad plura suffragia decernent Procuratores, ** C. 6 d. 26 n. 1. Inf. d. 71.*

ROGATA Congregatio est, dignaretur dispicere: expediretne, derogari sextae Congregationis decreto, * quo statuit: in ferendis suffragiis pro cogenda vel non cogenda Congregatione generali, duabus suffragiorum tertiis rem totam decernendam, cum vel ab omnibus, vel a maiore Provinciarum parte dissentiunt Procuratores; sufficereque in posterum ad generalis Congregationis indictionem, si maior Procuratorum pars, iuxta Formulam Congregationis quartae, iudicet indicendam.

Censuit Congregatio: standum decreto Congregationis quartae, * derogandumque sextae ** Congregationis decreto, quo prius illud decretum mutaverat. Quare in posterum, cum tertio quoque anno Romae de cogenda vel non cogenda Congregatione generali in Procuratorum Congregatione agetur, e maiore suffragiorum parte rem decernendam.

non obstante decreto 26 Congr. sextae. ** C. 4 d. 43. ** C. 6 d. 26 n. 1. C. 5 d. 60, 75. C. 14 d. 6. C. 18 d. 18.*

11, in Ms. decr. 16.

In Congregatione prov. nullo modo per secreta suffragia agendum de cogenda vel non cogenda Congregatione gen.

AD propositam vero quaestionem: num expediret in provincialibus Congregationibus, cum de cogenda vel non cogenda generali Congregatione agitur, per secreta rem hanc suffragia transigi; censuerunt Patres omnes, nullo dissentiente, plurimis gravibusque ducti rationibus: nullo modo concedendum, ut per secreta suffragia, de cogenda vel non cogenda generali Congregatione, res in provincialibus Congregationibus transigatur. Optabatque Congregatio universa, nullo umquam tempore Societatem ab hac sententia discedere; quod per secretorum suffragiorum concessionem gravissima merito damna universae Societati inurenda certo sibi persuaderet, viamque sterni ad eam e veteri loco movendam. Censuit denique Congregationis sextae decretum huic suo attexendum, novoque hoc robore firmandum.

Hic d. 22.

*Decretum 39 * Congregationis VI.*

** Hic d. 22.*

“ CUM in Deputatione pro Formulis Congregationum recognoscendis quaesitum fuisset, quod a pluribus fuerat propositum: essetne in Congregatio-

nibus provincialibus secretis suffragiis de negotiis agendum; et res fuisset in Congregatione quoque proposita et agitata; nemine discrepantè approbatum fuit Deputatorum iudicium, quibus visum erat omnibus: nullo modo secretis utendum esse suffragiis, sive de negotiis aliis agatur, sive quaeratur, cogendane sit Congregatio generalis; propter multa et gravia incommoda, quae, praeter novitatem, inde secutura essent. Quare hoc decreto Congregationis placuit rem penitus definire, ne deinceps contra sensum Societatis huiusmodi petitionibus aut privatis aliquorum sensibus locus esset „.

C. 5 d. 60, 75.

Quam piam propensamque in Societatis tuitionem tantorum Patrum mentem corroborandam sibi ac stabiliendam Congregatio censuit, uti et de facto novo hoc decreto suo firmat corroboratque; quod etiam supplicibus votis Deum rogat, ut perpetuum faciat esse.

12, in Ms. decr. 18.

Falsi delatores et detractores graviter puniendi. *Inf. d. 93. C. 12 d. 18.*

Propositum: qua poena mulctandi viderentur, qui scienter, quive temere, aut e meris suspicionibus alicui apud Superiores falsum crimen, seu verbo seu scripto imponerent: qua etiam illi, qui graves Nostrorum defectus occultos, sive falsos illos sive veros, aliis, quam Superioribus, aperirent.

Censuit Congregatio: illos omnes, qui, seu scripto seu verbo, falsum alteri crimen imponerent, sive id temere et ex inanibus suspicionibus, sive ex alia quapiam minus probata causa facerent; eosque etiam, qui graves Nostrorum defectus occultos aliis, quam Superioribus, aperirent, graviter severeque pro delicti qualitate puniendos. Superiorum vero conscientiam, iuxta Instructionem Congregationis sextae, tamquam in re gravissima et inimica unioni, gravandam in primis hoc decreto eadem Congregatio censuit, ut serio in auctores inquirant, severeque puniant, ac publice etiam in publicis delictis; ut horum exemplo reliqui a simili culpa terreantur, et innocentia unicuique sua apud omnes constet. Quod si qui auctores ipsos manifestare recusaverint, pro ipsis auctoribus habendos, eademque poena mulctandos. Sed neque ipsi Superiores faciles delatoribus aures fidemque praebeant; disquirant singula, nec laboribus parcant, donec in delatae rei cognitionem veniant, ut, aut innocentem ab omni delicti suspicione liberent, aut noxium et falsum delatorem pro rei gravitate puniant. Ipsum etiam R. Patrem nostrum universa Congregatio rogandum censuit: ut exemplum in huius decreti transgressores statuat, digneturque delationibus modum statuere, diligenterque in auctores resque delatas inquirere; ut, si nocentem eum, qui defertur, deprehenderit, pro delicti conditione puniat; sin innocentem, non patiatur delatorem impunitum abire. Optaretque eadem in scriptionibus modum teneri, ut nemo ad mediatos Superiores dicta factaque aliorum deferat, nisi prius Superiores immediatos, iuxta bene ordinatae charitatis et prudentiae leges, per se aliosve monuerit; addatque in iis, quas scribit litteras, monuisse se Superiorem, nec emendationem secutam; nisi graves admodum causae hunc ordinem invertendum suaderent; quod ubi acciderit, causas transgressi ordinis in litteris ad mediatum Superiorem addat.

Superiorum conscientia gravatur. *Instr. 13 c. 4 n. 2.*

Qui auctores manifestare recusaverit, eadem poena mulctandus. Non facile audiendi delatores.

Rogatur Generalis, ut delationibus modum statuat.

Delatio primum fiat ad Superiores immediatos, vel, causa cur non fiat, declaretur.

13, in Ms. decr. 19.

Cum graviter Constitutio * moneat: ut Nostri a saecularibus negotiis abs-

* *P. 6 c. 3 n. 7.* Saecularia externorum

negotia Nostris interdicta: explicatur. C. 2 d. 40. C. 5 d. 48. C. 6 d. 21. C. 8 d. 56. C. 16 d. 81.

tineant, neque ea, ullis precibus adducti, obeunda suscipiant, vel in illis occupari se sinant; censuit Congregatio: severe graviterque interdicendum Nostris, ne ullo praetextu, in propinquorum aut quorumcumque externorum negotiis, tribunalibus se sistant, neve curam ullam administrandi illorum bona, litesve prosequendi aut dirigendi, ex quacumque causa suscipiant; aut illorum quemquam ad ecclesiasticas aut saeculares dignitates promovere studeant, sine expressa R. Patris nostri facultate, quam soli Generali Congregatio voluit reservatam. Quem etiam rogat, ut difficillimum se in eiusmodi concessionibus praebere dignetur. In aliis vero piis propinquorum, benefactorum Societatis, pauperum, aegrotorum, vinculis detentorum, similiumque commendationibus, ad quas, licet quis aut charitatis, aut quasi quibusdam aequitatis ac gratitudinis alicuius magnae legibus teneretur, nulli tamen harum tractationem permittendam censuit, sine expressa Superioris loci, in quo res agitur, facultate. Qui, si rei gravitas moram nullam patiatur, permittere eas, audito in rebus gravioribus Consultorum iudicio, poterit; ita tamen, ut Provinciali in rebus alicuius momenti concessionem causamque huius prima quaque opportunitate indicare teneatur. Quod si moram res patitur, teneantur ad Provincialem pro impetranda facultate recurrere. Qui et ipse, si res moram non patiantur, veniam eas tractandi, si censuerit expedire, largiatur; facultatem tamen a se concessam in rebus gravioribus et momenti maioris, concessionisque causam R. Patri nostro, ubi primum licebit, indicare teneatur. Decreti vero huius transgressores graviter pro transgressionis magnitudine puniendos censuit Congregatio.

Facultas reservatur Generali, qui difficillimum se in ea concedenda praebebit.

Quaenam eiusmodi facultates a Superiore locali concedi possint, et quando ad Provincialem recurrendum.

In rebus gravioribus informandus Praepositus Gen.

Transgressores graviter puniendi.

14, in Ms. decr. 20.

Assistentium et Admonitoris P.Gen. litterae, et Nostrorum ad ipsos, a nullo, nisi a Patre nostro, reserari possunt.

Cum vero propositum fuisset: consultumne Congregationi videretur, Assistentium et Admonitoris Patris nostri litteras, Nostrorumque vicissim ad illos, non reserari a locorum aliisque Superioribus; censuit Congregatio: non obstante regula, ob varias causas omnem harum litterarum reserationem in praesentiarum Superioribus interdicendam; solamque hanc facultatem in Patre nostro voluit residere.

15, in Ms. decr. 21.

An Superiores indicium ferre possint de fide bona malaque transeuntium ad Carthusiam. Br. Dum indefessae, Litt. Apost. pag. 46. Comp. Privil. n. 580.

Rogata Congregatio: censeretne diploma a Pontifice petendum, quo Societatis Superioribus de fide bona malaque eorum, qui Carthusiam petunt, iudicium ferendi potestas fieret; censuit: non petendum, videndumque, an per Pii v indultum non possimus uti privilegio Patribus Carmelitis reformatis concesso.

16, in Ms. decr. 23.

Ieiunium in pervigilio S. Ignatii indicitur.

Cum deinde rogatum foret: videreturne per universam Societatem in pervigilio B. Patris nostri ieiunium indicendum; placuit uuiversae Congregationi, censuitque indicendum.

17, in Ms. decr. 24.

De bonorum abdicatione et administratione confirmantur praescripta a P. Claudio. C. 4 d. 65. Ord. Gen. c. 1 n. 10. C. 17 d. 11.

Rogata Congregatio: ut certi aliquid statuere dignaretur circa abdicationem et administrationem bonorum Nostrorum; quando proprietate, quando illorum administratione exuere se debeant; censuit, insistendo, et hoc suo decreto Ordinationem piae mem. P. N. Claudii confirmando:

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1615-16

Administratio Nostris prohibita. *C. 10 d. 2.*

1. Omni omnino Nostros bonorum suorum administratione, ut primum Novitiatum ingressi fuerint, exuere se debere.

Cui administratio primo quadriennio committenda. *C. 12 d. 36. C. 17 d. 11.*

2. Administrationem vero talium, primo quadriennio currente, pro personarum ac Provinciarum qualitate, iudicio Provincialis illi committendam, qui maiore eam fide tractaturus putatur.

Proventuum dispensatio quomodo facienda quadriennio.

3. Quadriennii tempore, quo dominium bonorum suorum retinent, licet nihil ex annuis proventibus sola voluntate sua in proprios aut Nostrorum usus convertere, aut certo alicui Collegio, multoque minus loco, in quo resident, donare possint; poterunt tamen ex illis, assensu Provincialis accedente, ea iis locis ac piis causis per modum eleemosynae applicare, quae maxime tali subsidio egere Provincialis in Domino iudicaverit.

Bona quo tempore et modo abdicanda. *C. 3 d. 39. C. 12 d. 37. C. 15 d. 8. C. 20 d. 7 n. 4.* Item pensiones ecclesiasticae et alia personalia. *C. 5 d. 19.*

4. Bonorum dominio, si quod habent, etiam pensionum ac censuum, sive realium sive personalium, eorumque sive perpetuorum sive vitalitiorum, ubi primum per aetatem et patrias leges licebit, absoluta inter vivos donatione, quin et iure omni suo, quando id consultum Pater noster iudicaverit et fieri imperaverit, exuere se teneantur. Pensiones tamen ecclesiasticae similiaque generum horum, quae mere personalia sunt, et super Nostrorum personis constituuntur, quibus absolute in solidum abdicare se Nostros non expedit, R. Patris nostri iudicio distribuenda erunt ita, ut nulla talium administratio apud illos maneat.

Quadriennis bonorum possessio permittitur, non proroganda nisi a Gen. ex gravi causa; *C. 20 d. 7 n. 4.*

5. Quadriennem tamen ab ingressu Societatis bonorum possessionem censuit Congregatio iuxta Ordinationes P. N. Claudii illis permittendam. In cuius prorogationem nulli, praeterquam Generali, idque ex gravi causa, dispensare liceat, qua in re praecipue spiritualis boni et possessoris ratio habeatur.

et tunc post Novitiatum annuis proventibus non augenda. *C. 11 d. 15.*

6. Quando vero iudicio Patris nostri ob graves causas ultra quadriennium prorogata possessio fuerit, nullo modo ex annuis post Novitiatum proventibus voluit quidquam possessionibus illorum posse accrescere; sed in causas pias e Provincialis iudicio fructus tales, cum in potestate Nostrorum fuerint, impendendos censuit.

Ante quadriennium abdicare quo pacto liceat. *C. 11 d. 17.*

7. Quod si forte ante quadriennium expletum, perfectionis studio ducti, abdicare se in solidum suis in Nostrorum usum voluerint; solius Patris nostri iudicio committendam hanc abdicationem censuit; qui, habita personarum locorumque ratione, id statuet, quod in Domino expedire iudicaverit. Si tamen quadriennii huius tempore, sive de annuo censu, sive de rerum proprietate, in externos piasque causas disponere vellent, impediendi non essent.

Decretum hoc Novitiis praelegendum

Decretum vero hoc censuit Novitiis iis, quorum quoquo modo intererit, sub initium sui in Societatem ingressus praelegendum, ne quis postea ignorantiam praetexere possit.

18, in Ms. decr. 25.

Magna ubique charitate Nostri hospitio excipiendi. *C. 8 d. 39.*

Ad petitionem Congregationi factam: ut dignaretur statuere modum, quo abusus et excessus tollerentur, qui quibusdam locis non immerito timeri posse videbantur, in petenda et accipienda compensatione a Nostris, per Domos Collegiaque iter facientibus; censuit Congregatio, B. Patris nostri maiorumque vestigiis fortiter insistendo: magna ubique charitate hospitio excipiendos, ut mutui amoris vinculo arctius in dies colli-

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

gemur; maxime cum liberalior in Nostros hospitalitas una e primis validisque inter nos coniunctionis causis merito numerari debeat. Neque permissurum umquam DEUM, ut irremuneratam relinquat benignitatem; sed ingenti foenore compensaturum, ut non una in hanc diem Societatem in variis Provinciis experientia docuit.

A nullo exigenda vel acceptanda hospitalitatis compensatio.

Quare censuit: a nullo omnino hospitum nostrorum quidquam in hospitalitatis compensationem exigendum; ac nec spontaneas quidem oblationes Nostrorum a locorum Superioribus admittendas.

Hospitum, qui negotiorum vel invaletudinis causa diutius morantur, sumptus ab eorum Superioribus compensandi.

Si tamen negotiorum causa ad aliquem a Superiore suo locum destinatus, longiorem ibi moram trahere cogeretur, aut in confirmata invaletudine ad Nostrorum aliquam Domum recuperandae illius causa mitteretur; aequitas postulare videtur, ut sumptus hosce graves pari charitate ac liberalitate compensent Superiores, a quibus mittuntur.

Domus egentes, quae maiorem hospitum concursum habent, a Provincialibus sublevandae.

Quod si quae Domus, ob maiorem hospitum concursum rerumque temporalium tenuitatem, subsidio egere videretur, poterunt Provinciales ex eis, quae libere eorum dispositioni distribuenda relinquuntur, pro onerum varietate ac gravitate, loco illi succurrere. Quam rem Patri nostro commendandam censuit.

19, in Ms. decr. 26.

Praeteritorum annorum litterae annuae imprimantur et Provinciis communicentur; insequentium vero annorum litteris aliquis, totius Societatis sumptibus alendus, praeficiatur. *C. 4 d. 38. C. 21 d. 20.*

PLACUIT deinde Congregationi: annuas praeteritorum annorum litteras per varias Provincias primo quoque tempore imprimendas distribui. Insequentium vero annorum Patri nostro commendandas censuit, ut certum aliquem, totius Societatis sumptibus, si aliter commode fieri non possit, alendum, illi operi praeficere dignetur, ne diutius tanto spiritualium narrationum fructu universa Societas careat.

20, in Ms. decr. 27.

Procuratae a Nostris externorum intercessiones, ut pestis, omni conatu eliminandae. *C. 5 d. 14, 49. Inf. d. 22 n. 2. C. 8 d. 24. C. 9 d. 24. C. 10 d. 18. C. 16 d. 17.*

CUM propositum Congregationi foret: ut de efficaci remedio prospicere dignaretur, ad compescendum illos, qui externorum pro se aut aliis intercessiones in quacumque causa vel munere procurant; censuit Congregatio: procuratas a Nostris externorum in quacumque causa vel munere intercessiones, tamquam omnis bene constitutae Religionis pestem, omni conatu eliminandas. Neque potuit non patrocinia haec, paulatim proserpentia, sine magno animorum sensu intelligere, ut a quibus pedetentim ad gravissima incommoda damnaque prolapsuram Societatem non vanis indiciis rationibusque, nisi obviam primo quoque tempore malis iretur, praesentiebat. Quare, ut in re perniciosissima, omnibus sibi viribus occurrendum putavit.

Serio commendatur Superioribus vigilantia.

Serio proinde Superiores omnes monitos voluit, ut, ad extinguenda minitantia haec universo corpori mala, eam curam sollicitudinemque adhibeant, quam et imminentis morbi magnitudo, et illorum in communem omnium parentem nostram Societatem affectus iure suo postulat;

Auctores fautoresve puniendi.

invigilentque, ne intercessionum harum auctores fautoresve impuniti abeant. Et licet non putaverit in praesentiarum decretum hoc peculiari praecepto sub mortali obligante firmare, gravioribusque censuris Nostros ab his patrociniis arcere;

Sanctio in eos, qui eiusmodi patronos ac intercessores sibi aut alteri parant.

censuit tamen Superioribus iniungendum, ut prima data opportunitate Nostros omnes moneant: ut, si quis externos sibi aut alteri patronos ac intercessores apud Superiores parasse deprehensus fuerit, pro ar-

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1515-16

bitrio Superiorum, ac, in gravioribus causis ex mente Patris nostri, pro delicti qualitate puniendum sciat, ut vel a praetensa re omnino excludatur, vel ad certum tempus ab omni in Societate dignitate obeunda removeatur, vel vocis tam activae, quam passivae, si alias ad illam ius haberet, concessione privetur, vel alia poena pro rei gravitate mulctetur. Si qui vero patronos hosce, inscii omnino intercessionum harum, patiantur; ubi primum molitiones tales intellexerint, teneantur patronorum horum consilia Superioribus aperire, et, quantum in ipsis est, impedire. Quod si neglexerint, sciant se pro rei magnitudine Superiorum arbitrio puniendos. Iisdemque legibus ac poenis iudicavit subiiciendos alios omnes, qui, conscii intercessionum harum, silentio eas premunt, nec Superioribus indicant.

Qui, inscius, patronos hosce patitur, ubi molitiones tales intellexerit, Superioribus aperiat et impedire conetur.

Puniendi etiam qui, conscii intercessionum, eas silentio premunt.

21, in Ms. decr. 28.

De Missionariis per varias Provincias sparsis:

Ad propositas de illustrioribus quibusdam Missionibus quaestiones; primo: essentne talibus, per varias Provincias sparsis, certi ex iisdem nationibus Superiores designandi, qui omnibus praeessent; secundo: essentne Assistentium, Provincialium ac Superiorum localium potestate eximendi, quo certius sub uno nationis suae capite ad finem sibi propositum gubernarentur; tertio: concedendane illis e sola gente sua Novitiatus, Seminaria, Collegia; ac in iisdem Philosophiae, Theologiae et Humaniorum Litterarum Professores ac Superiores, etiam e gente sua, quo commodius ab eiusdem linguae et gentis Superiore instituerentur, magisque concordibus inter se animis agerent;

Censuit, post maturam seriamque duarum actionum deliberationem, primo: non expedire Missionibus, cuiuscumque demum nominis, Superiores, qui omnibus per varias Societatis Provincias sparsis praeessent, concedere; quod haec gubernatio nova in Societate foret, et nationum discrimina induceret, mutuae animorum coniunctioni contraria.

Non expedit, ut communem habeant suae gentis Superiorem.

2. Omnes ubique Missionum harum iis Assistentibus subiiciendos, in quorum Provinciis sedem fixerunt, quibus non difficile erit Missionum illarum res concordibus animis magno Missionum bono tractare. Provincialibus vero, locorumque, apud quos versantur, Superioribus caeterorum per omnia more subiacere debere; idque tam in negotiis tractandis, quam in litterarum scriptionibus et acceptionibus, librorum editionibus, personarum admissionibus, dimissionibus, transmutationibus, officiorum distributionibus, reliquisque denique omnibus, nulla prae reliquis exemptione concessa.

Assistentibus et Provincialibus, in quorum Provinciis resident, subsint in omnibus, ut reliqui.

3. Non permittenda illis e sola gente sua Novitiatus, Collegia, aut Nostrorum Seminaria; consultiusque esse, recepto in Societate omnium gentium more, aliis de Societate permisceri, ne nationum discrimina paulatim magno Societatis totius damno introducantur. Sed neque permittendum, ut in iis urbibus, in quibus Societas Collegia sua habet studiaque, e sola ipsi gente sua Theologiae, Philosophiae, et Humaniorum Litterarum Professores habeant, multoque minus Superiores, quod haec ratio aperte cum Societatis moribus pugnet.

Novitiatus, Collegia aut Nostrorum Seminaria e sola gente sua habere non debent;

neque scholas aut Magistros e sola gente sua.

Quare nullo modo censuit Congregatio permittenda, quae propositis Missionum quaestionibus continentur. Neque enim ea, si proprius considerentur, Societatis integritati, adeoque

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1615-16

Decreti exsecutio Patri nostro serio commendatur.

nec Missionibus ipsis consultum putavit concedere; quin immo Societatis moribus Missionumque felicibus successibus arbitratur adversari. Quae omnia serio Congregatio Patri nostro, pro suo in Societatem universam affectu, totis animis commendavit. Quarum felicioribus in dies progressibus cum impense studeret, tum Societatis universae incolumitati cum primis invigilandum sibi putavit. Quare, si quid forte in supra recensitis postulationibus uspiam tentatum est, aut re ipsa quid opere expletum, id omne Patrem nostrum, pro concessa sibi a Domino prudentia, ubi commodum fore et expedire iudicaverit, ad decreti huius formam et communem vivendi Societatis rationem ut deducere dignetur, rogavit.

22, in Ms. decr. 29.

De iis, qui importune dimitti petunt a Societate:

Cum propositum Congregationi fuisset: ut de remediis dignaretur prospicere, quibus praescindi et praecaveri importuna quorumdam de dimissione a Societate postulatio possit;

Causas omnes proponere tenentur, propria manu subscriptas.

Censuit, primo: eos omnes, qui dimissionem petunt nulla iusta apparente causa, et idonei alioquin ad Societatem iudicantur; si Superiorum monitis non acquiescant, teneri Provinciali suo causas omnes, quas dimissioni obtendunt, cum propriae manus subscriptione proponere; affirmareque nullam aliam sibi rogatae dimissionis causam superesse.

Provincialis cum Consultoribus eas examinet.

Provincialis vero erit causas illas, cum Consultoribus diligenter examinatas, ad Patrem nostrum mittere, scribereque, quid tam ipse quam Consultores sentiant.

Si Pater noster eas sufficientes non indicat, sub obedientiae praecepto,

Quas si Pater noster non iudicaverit ad dimissionem sufficientes et idoneas, sub obedientiae praecepto perpetuum illis Provincialis silentium indicat;

ipsius iudicio acquiescant; aliter puniantur, et sciant se mortali culpae subiacere.

eosque, si non obtemperent, pro delicti qualitate severe puniat, publica etiam animadversione, si publica ad alios culpa promanavit. Sciantque tales se in conscientia tutos non esse, sed mortali culpae subiacere, quamdiu in illa animi obstinatione manent.

Excommunicantur qui hac in re externorum utuntur consilio vel ope. *Sup. d. 20.*

2. Imponitur praeceptum et poena excommunicationis latae sententiae, Provinciali reservatae, tum in illos, qui inconsulto Provinciali externos de dimissione sua in consilium adhibent, tum in illos, qui quocumque modo externorum auxilio vel intercessione ad dimissionem a Superioribus obtinendam utuntur. Praecepti vero huius transgressores, praeter alias poenas arbitrio Provincialis imponendas, longe sibi difficiliorem facturos dimissionem sciant.

Qui sine iusta causa dimissionem extorquent, aliam Religionem ingredi cogantur. *C. 12 d. 12.*

3. Illis, quibus e sola importunitate, cum alia nulla iusta subsit causa, dimissionem concedere Societas cogitur, non nisi cum obligatione aliam intrandi Religionem, in qua regularis observantia vigeat, in posterum concedendam, eamque obligationem Patentibus inserendam; ac non nisi rarissime permittendum, ut liber omnino talium quispiam ab omni votorum obligatione ad saeculum redeat.

Qui fictis causis, vel delictis ea intentione perpetratis, dimittuntur, subiacent apostatarum censuris ac poenis. *C. 4 d. 53. C. 9 d. 27. Comp. Privil. n. 37 et seqq.*

4. Eos, qui e causis non veris fraude ac dolo dimissionem a Societate obtinuerunt; aut ex causis quidem veris et iustis, gravibusque delictis, sed ea intentione perpetratis, quo facilius dimissionem extorquerent; nullo modo tutos in conscientia esse; et eiusmodi facultatem in conscientiae foro irritam ac nullam prorsus esse; eosque in eodem foro omnibus subiacere apostatarum censuris ac poenis. Et si hoc in exteriore foro constiterit, posse Superiores contra eos agere, tamquam contra veros apo-

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

statas, iuxta Societatis privilegia et sacrorum Canonum dispositionem.

Qui secretas causas obtendit, eas iudicio Patris nostri aperire teneatur.

5. Qui ad dimissionem obtinendam secretas obtendunt causas, quibus se ineptos ad religiosam disciplinam votorumque observationem contendunt, teneri eiusmodi causas, si Patri nostro ita videbitur, aperire Provinciali, et immediato suo Superiori, vel alteri; qui, examinatis his causis, sententiam suam ad Generalem perscribent, quo maturius aliquid de concedenda vel deneganda dimissione statui possit. Quod si quis renuat praedictis Patribus, cum Pater noster id expedire iudicaverit, secretas illas causas aperire, spe omni careat dimissionis obtinendae.

Si renuat id facere, spe dimissionis obtinendae careat.

6. Qui ob publicam aliquam culpam gravem e Societate dimitti debent, non prius dimittantur, quam iuxta culpae quantitatem arbitrio Superiorum puniantur, etiam inclusione ad tempus, ubi usus et consuetudo id obtinuit.

Qui ob gravem culpam dimittuntur, prius puniendi.

23, in Ms. decr. 30.

Inquirendi et puniendi evulgantes ea, quae in consultationibus, Congregationibus, examinibus aut informationibus peracta sunt. *C. 6 d. 25 n. 8. C. 10 d. 6.*

Ad propositionem, qua petebatur: ut providere Congregatio dignaretur de efficaci remedio in illos, qui, quae in consultationibus, Congregationibus, tam provincialibus quam generalibus, peracta sunt, quaeque in examinibus ad studia, ad professionem, in informationibus ad gradum aut ad gubernationem evulgant; censuit Congregatio: in re tam gravi, et a qua magna pars bonae gubernationis dependet, serio providendum. Quare monendos sibi duxit Superiores omnes, ut magna diligentia huic tam noxiae rei invigilent; tenerique in evulgationum harum auctores omni studio inquirere; repertosque, pro rei gravitate culpaeque magnitudine, pro arbitrio suo punire, etiam usque ad muneris Consultorum aliorumque non inferiorum privationem, quo reliqui horum exemplo ab hoc vitio terreantur.

24, in Ms. decr. 32.

Vestitus Coadiutorum temporalium a reliquis distinguatur.

Cum propositum Congregationi fuisset: ut dignaretur discrimen aliquod certum in universo Sacerdotum, Scholasticorum, et temporalium Coadiutorum vestitu decreto suo statuere;

Circa sottanam et pallium servetur reg. 6 Cust. vestium, superatis difficultatibus omnibus. *C. 6 d. 30.*

Censuit, primo: servandam regulam 6 Custodis vestium, ut sottana dimidio palmo breviore, pallio vero sottanis breviore uterentur Coadiutores; utque illi rei magna cura et diligentia, superatis difficultatibus omnibus, incumberent Superiores.

Pileus cleric. Coadiutoribus in posterum admittendis, nec ipse Generalis concedere possit; admissis permittitur, ubi consuetudo invaluit. *C. 1 d. 95. C. 3 d. 22. C. 6 d. 30. C. 8 d. 21. C. 9 d. 24. C. 22 d. 44 n. 6.*

2. Circa capitis vero tegumentum iis, qui in posterum ad Societatem Coadiutores venturi sunt, omni omnino clericalis pilei usu, quo Sacerdotes et Scholastici uti consueverunt, interdicendum esse; adempta cuicumque demum Superiori, etiam Generali, dispensandi cum illis facultate. Iis vero, qui iam in Societate sunt, permitti eorumdem usum posse in illis Provinciis, in quibus consuetudo talis invaluit.

Admittitur intercessio. *Inf. d. 27.*

Et cum intercessissent huic decreto aliqui Patres, petiissentque tempus sibi concedi ad intercessionis suae rationes Congregationi proponendas, concessit Congregatio.

25, in Ms. decr. 34.

Circa spiritus augmentum ac promotionem: *C. 6 d. 29. C. 8 d. 38. C. 18 d. 22.*

Circa spiritus augmentum ac promotionem a deputatis Patribus delata haec censuit Congregatio observanda:

Oratio quotidie a viro fido, nec semper eodem tempore visitanda.

Primum, visitationem, cuius meminit Instructio pro spiritus renovatione, intelligendam esse quotidianam. Virum proinde fidum in singulis Do-

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

mibus et Collegiis designandum, qui ei muneri vacet, neque idem semper visitando tempus teneat. Nulli interim concedendum, ut ad libitum dormiat, sed surgendi orandique tempus singulis statuendum. Quod si quis ordinarie longiori tempore indiguerit, Provincialis consulendus erit, in quibus omnibus suus visitator statuendus. Qualem etiam designare oportebit, tempusque meditationi commodum, illis, qui domesticis occupationibus orationis tempore distinentur; quales fere sunt aedituus, ianitor, coquus, quique Sacro tunc temporis deserviunt. Qui vero extraordinariis occupationibus detinentur, Superiorem admoneant, ut hisce incommodis tempori prospiciat, ne qua die ab oratione vacent. Maxima vero ratio habeatur eorum, qui in villis versantur.

Instr. 13 c. 1 n. 1. Surgendi orandique tempus cuique statuendum. Visitandi etiam qui alio tempore, ac consueto, ob aegritudinem vel occupationes orationem faciunt.

2. Neminem orationis et examinis tempore ad portam vel ecclesiam sine expressa Superioris facultate evocandum, nisi solemnioribus diebus, quibus confessionibus excipiendis vacatur. Quod si quis in templo fuerit (nisi audiendis poenitentibus operam daret, aut aliud gravitas negotii aut personae deposceret) audito examinis signo, ad cubiculum se recipiat. Idemque iudicium de iis, qui ad ostium Domus cum externis colloquuntur.

Orationis et examinis tempore ad portam vel ecclesiam ordinarie non eundum.

3. Supersit in posterum ante examen vespertinum quadrans integer, quem singuli, ut praefinitum sibi tempus, lectioni spirituali impendant, simulque ut ad matutinam orationem se praeparent.

Vespere ante examen horae quadrans lectioni spir. et orationis praeparationi impendatur.

4. Detur opera, ut annua Exercitia Spiritualia, 9 canone Congregationes VI praescripta, exacte ab omnibus fiant, omni omnino excusatione et occupatione seposita ac superata; ita, ut neque negotiis neque confessionibus eo tempore distineantur, servata etiam in illis proportione methodoque, quibus integra Exercitia fieri consueverunt, praesertim quod ad recessum ab omnibus.

Annua Exercitia serio et accurate ab omnibus facienda. *C. 6 d. 29 n. 2. C. 8 d. 38 n. 1, 2.*

26, in Ms. decr. 35.

Magistrorum Litterarum Humaniorum studium, quod cum Societate longe lateque magno reipublicae christianae emolumento crevit, tamquam rem unam e maxime optatis, et quae saluti plurimorum commodissima est, quo potest Congregatio Superioribus omnibus affectu censuit commendandum, ut in tam laudabili munere desudantes quanta possunt benevolentia in Domino prosequantur, suosque omnes ad munus illud magna alacritate obeundum ac prosequendum adhortentur, ut, in hoc tam utili eruditionis et cultus animarum genere fortiter insistentes, praemia ab illo expectent, qui suorum labores non patitur irremuneratos.

Magistrorum Litterarum Humaniorum studium maxime commendandum. *Inf. d. 92. C. 6 d. 15. C. 14 d. 10.*

2. Censuit deinde: nullos certos in Societate annos definitumve tempus Humaniorum Litterarum professioni obeundae praescribendum, multoque minus triennio illud concludendum; sed a singulis Superioribus designandum in hac re tempus, quod ad maiorem Dei gloriam futurum iudicabunt.

Definitum tempus Humaniorum Litterarum professioni non praescribendum. *C. 8 d. 8.*

3. Theologos etiam, post absoluta Theologiae studia, sive ante illa Litteras hasce professi fuerint, sive non, pro Superiorum arbitrio illis applicandos. Quam rem Provincialibus omnibus serio commendatam esse voluit, ut in tam gravi tamque utili occupationum genere, non tam propensionis cuiusque, quam communis boni et gloriae maioris Dei rationem habeant, omni reliquo affectu seposito.

Theologis etiam, pro Superiorum arbitrio, imponenda.

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1615-16

27, *in Ms. decr.* 36.

Intercessio circa pileos clericales Coadiutorum. *Sup. d. 24. C. 1 d. 95.*

LECTIS Patrum, qui tam pro indicis quam pro variis Europae Provinciis intercesserant, rationibus, post multa variaque in utramque partem a variis allata, censuit Congregatio:

Permittuntur iam ingressis.

1. Nihil sibi videri in Coadiutorum capitis integumento mutandum in iis, qui, Societatem ingressi, Sacerdotum ac Scholasticorum pileis utuntur.

Ingressuris in Europa decreto indispensabili interdicuntur. *C. 8 d. 21. C. 9 d. 24. C. 22 d. 44 n. 6.*

2. Iis vero, qui in posterum in Europa ad eamdem Societatem accessuri sunt, nullo modo usum pilei clericalis, quo Sacerdotes Scholasticique utuntur, censuit permittendum. Statuitque Congregatio: sententiam hanc suam indispensabilis decreti vim roburque habere et obtinere debere.

Hoc ingressuris in posterum indicandum.

Quod etiam diserte in posterum indicandum voluit omnibus, quotquot in Societatem admitti petierint, nec alia conditione admittendos.

De iis, qui in India versantur, res arbitrio Patris nostri relicta.

3. De iis vero, qui in utraque India, orientali et occidentali, versantur, nihil in praesentiarum statuendum sibi iudicavit, sed rem totam arbitrio Patris nostri relinquendam, qui pro temporum varietate videbit, quid in Domino consultum fuerit, ac fieri poterit.

28, *in Ms. decr.* 37.

Sanctorum reliquiae, Domibus et Collegiis applicatae, a nemine donandae.

CUM vero propositum fuisset, de Sanctorum Reliquiis, quae Domibus et Collegiis applicatae sunt; possentne a Nostris, aut Superioribus etiam, aliis donari; censuit Congregatio: interdicendum in posterum omnibus, uti et de facto decreto hoc suo interdicit, ne Nostrorum quisquam, non Superiorum localium, non Provincialium, ac ne Visitatorum quidem, e quacumque etiam causa, sive Nostris, sive externis quidquam e talibus Sanctorum Reliquiis donet aut largiatur. Quod si quis decreto huic contravenire deprehensus fuerit, eum iudicio Patris nostri pro rei gravitate puniendum.

Qui secus fecerit, iudicio Praepositi Gen. puniatur.

29, *in Ms. decr.* 38.

Socii Coadiutores stabiles nulli permittendi, nisi arbitrio Patris Nostri. *C. 1 d. 103. C. 16 d. 9.*

CUM propositum Congregationi esset, ut dispicere dignaretur: consultumne esset aliquibus Patribus certos Coadiutores assignari, qui peculiarem illorum curam ita haberent, ut a reliquis domesticis muniis obeundis excusarentur; censuit Congregatio: nulli omnino certum aliquem stabilemque quocumque praetextu permittendum aut concedendum esse; sed, si quis ex quacumque causa Coadiutoris opera indigeret, illi Superiores, pro negotiorum, temporum atque occurrentium necessitatum varietate, talem e domesticis aliquem assignent, quem ad id muneris tunc commodissimum iudicaverint; ita ut non semper idem, ne quidem ad egrediendum Domo, attribuatur. Quod si qui magis stabili indigerent, arbitrio id Patris nostri statuendum esse. Visitatoribus tamen et Provincialibus non iudicavit Coadiutorem denegandum.

Excipiuntur Visitatores et Provinciales.

30, *in Ms. decr.* 40.

Regulae Secretarii Soc. et Substit. examinentur, imprimantur. *Inf. d. 101.*

CENSUIT deinde Congregatio: Secretarii Societatis et Substitutorum illius Regulas reliquorum more imprimendas, postquam a Deputatis examinatae fuerint.

31, *in Ms. decr.* 41.

Tertiae Probationis Domus dotari possunt.

CUM vero quaesitum fuisset: liceretne per Constitutiones tertiae Probationis dotatas reditibus annuisque proventibus Domos admittere, ab aliis omnibus Societatis Domibus ac Col-

legiis separatas; censuit: tales admitti posse, neque hanc rem Constitutionibus repugnare, quin magis conformem illis esse.

32, *in Ms. decr.* 42.

Omnes, vi quarti voti, tenentur oblatum gradum suscipere.

AD quaestionem, qua petebatur: quid censendum de iis esset, qui in cuiuscumque impositi a Superioribus gradus susceptione difficiles se praebent, variisque excusationibus illorum voluntatem eludentes, in annos saepe plurimos, atque in totam etiam vitam rem protrahunt; censuit Congregatio: omnes vi quarti voti, in Congregatione v explicati, teneri Superiori, certum gradum imponenti, obedire; ita tamen, ut rationes Provinciali ac Patri nostro consueto Societatis more proponere possint; quas scripto censuit proponendas. Verum Superiori, illis examinatis, in sententia perseveranti, et certum gradum absolute statuenti, licet non addat obedientiae praeceptum, teneri unumquemque obedire, imperatumque gradum suscipere; ut, si non fuerit obsecutus, censendus sit in malo statu esse, atque a sacramentorum usu et administratione excludendus. Sed neque consultum putavit, Patrem nostrum cum talibus facile dispensare, ut toto vitae tempore sine certi gradus susceptione perseverent, ne horum exemplo alii, cum gravi Societatis damno, paria imitentur et audeant. Sed neque ad secundum examen admittendos, nisi rarius, et cum dubium aliquod de aptitudine intercessit. Quam rem universa Congregatio censuit Patri nostro commendandam.

C. 5 d. 5, 7, 50. Inf. d. 39.

Rationes a recusantibus scripto proponantur.

Perseveranti in sententia Superiori sub gravi obediendum.

Non permittatur ipsis, ut sine gradu tota vita maneant; *Inf. d. 39.*

nec aliud examen concedendum. *C. 12 d. 22 n. 8. C. 10 d. 13.*

33, *in Ms. decr.* 44.

De Studiis Superioribus: *C. 11 d. 24.*

CUM varia a variis proposita, Patribus pro Studiis Superioribus examinanda tradita forent, illique iudicium suum ad Congregationem retulissent; censuit ex oblatis haec probanda, uti et decreto suo probat:

Philosophi singulis annis examinandi; quod indicium ferendum. *C. 22 d. 35.*

1. Ut Philosophi sub singulorum annorum finem serio et sigillatim examinentur, sintne idonei Logici ad Physicam, Physici ad Metaphysicam, Metaphysici ad Scholasticam Theologiam audiendam. Nemo vero e primo ad secundum annum, aut e secundo ad tertium admittatur, qui mediocritatem non attigerit, ut nimirum quae audivit bene intelligat, et rationem illorum possit reddere. Ad Theologiam vero Scholasticam audiendam nemo admittatur, qui mediocritatem in Philosophia non superaverit, ut nimirum eam cum satisfactione tueri possit; nisi praeclara ad gubernandum aut concionandum talenta in mediocri quopiam aliud viderentur exigere, nulla Provinciali dispensandi cum quoquam facultate relicta. Simili etiam ratione examinandi, qui vel universam Philosophiam vel partem illius ante suum in Societatem ingressum audierunt, et idem per omnia de illis, quod de supra recensitis, statuatur, iuxta regulam Provincialis 19, § 8.

Ad Theologiam admittantur tantum qui mediocritatem in Philosophia superarint, aut talentum praeclarum habeant gubernandi vel concionandi. *C. 8 d. 37 n. 5.*

Examinentur etiam qui ante ingressum Philosophiae studuerint.

Hic n. 5.

Theologi singulis item annis examinandi; quod iudicium ferendum.

2. Ut, qui Scholasticam Theologiam audiunt, sub singulorum etiam annorum finem pari modo examinentur; nemoque ad insequentem annum audiendum admittatur, qui mediocritatem non superaverit, ut nimirum cum satisfactione tueri possit, quae a Magistris suis audivit; nisi forte praeclara cuiuspiam, alioqui mediocris, ut dictum est, talenta aliud postularent.

Quod examen eorumdem ad professionem. *Inf. d. 96. C. 8 d. 37. C. 12 d. 22. C. 21 d. 17, 18.*

3. Nemo vero ad quatuor votorum professionem admittatur, nisi qui sub finem anni quarti deprehensus fuerit tantum eruditionis habere, quantum necessum foret ad Philosophiam ac

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1615-16

Excipiuntur qui ad gubernandum vel ad concionandum illustria talenta habent.

Theologiam cum satisfactione docendam, nisi forsan ad gubernandum vel ad concionandum illustria talenta haberet, idque iudicio Patris nostri. Examen vero, quod sub anni quarti finem instituitur, sit, ut minimum, horarum in unoquoque duarum, in quo varia e primis Philosophiae et Theologiae capitibus percurrantur.

Examinatores in singulis Seminariis quatuor minimum a Patre nostro designandi; eorum iuramentum et munus. C. 22 d. 37 n. 3.

4. Examinatores, qui in singulis Seminariis, tam philosophicis quam theologicis, a Patre nostro quatuor minimum designati, per secreta suffragia vota ferent, tenebuntur iuramento, tam de non revelandis suffragiis suis, quam de sincero iudicio, et eorum, qui examinati sunt, aptitudine ac eruditione ferendo; idque in examine, quod fieri solet sub finem anni quarti Scholasticae Theologiae, quod instituitur in ordine ad quatuor votorum professionem. In quo Examinatoris dubium suffragium pro nullo habendum erit.

Suffragium dubium est nullum. C. 10 d. 13.

Sint diversi a Magistris examinandorum. Possunt a Provinciali substitui.

5. Examinatores hi, quoad fieri poterit, non sint eorum, qui examinantur, Praeceptores. Quod si vero Examinatorum unum pluresve contingeret, aut vita defungi, aut gravioribus aliis distentos non posse examini interesse; erit Provincialis pro tempore de aliis prospicere, qui iisdem iuramenti legibus tenebuntur.

Perstet privil. in favorem Humanior. Litt. et ling. indic. * Hic d. 15.

6. Nihil tamen universo hoc decreto suo derogatum voluit decreto 29 * Congregationis VI in favorem Humaniorum Litterarum et indicarum linguarum facto.

Biennio saltem audienda Theologia Moralis, C. 20 d. 25. C. 18 d. 16.

7. Duabus Theologiae Scholasticae lectionibus et Sacrae Scripturae adiiciatur, ubi fieri poterit, quarta lectio Moralis Theologiae, qua ex professo et solide, succincte tamen, explicentur materiae morales, quas scholastici Professores praetermittunt, vel non nisi brevissime attingunt. Quam lectionem nostri biennio saltem audiant, alteroque biennio Scripturam Sacram. In qua tamen universa re regionum et Provinciarum variarum ratio habeatur.

et altero S. Scriptura.

Regionum et Provinciarum ratio habeatur.

34, in Ms. decr. 45.

Triduo Hebdomadae Sanctae a recreatione abstinendum.

AD illud, quod quidam proposuerant: placeretne Congregationi in posterum abstineri a recreatione in Hebdomada Sancta, a Feria Quarta post decantatas tenebras, usque ad vesperam Feriae Sextae inclusive; censuit Congregatio: ab omni illis diebus recreatione in honorem ac reverentiam dominicae Passionis abstinendum.

35, in Ms. decr. 46.

Circa Formulam Congr. prov. n. 45.

PROPOSITA deinde quaedam fuerunt, quae a Patribus deputatis ad examinanda dubia circa Constitutiones, Regulas ac Decreta a variis mota et discussa fuerunt:

Quod vel unus Deputatorum affirmat esse substantiale in Instituto, proponi non potest. C. 6 d. 19 n. 3. Hic d. 12.

Ac primo. Ad dubium § 45 Formulae Congregationis provincialis, motum circa illa verba: *si vel unus Deputatorum censet esse dubium, multoque minus si Provincialis ita censeat;* censuit Congregatio: decreto 25 Congregationis VI insistendum.

Audita intercessione explicatur.

Cum deinde intercessum esset ab uno e Patribus, et ad nova suffragia itum; censuit Congregatio: e solo unius e Deputatis aut Provincialis dubio, aliis duobus absolute oppositum sentientibus, non esse propositas Congregationi provinciali quaestiones reiiciendas; sed tunc tantum, quando vel unus absolute affirmaret rem propositam esse de substantialibus Instituti; idque in substantialium favorem.

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1615-16

36, in Ms. decr. 47.

Facultates et privilegia, a Superiore locali, Provinciali, vel Visitatori concessa,

Ad illud vero, quod propositum erat: an facultates et privilegia, cuiuscumque demum generis ea forent, personalia, an alia a locorum Superioribus, Provincialibus, Visitatoribus concessa, morte illorum vel munerum abdicatione cessarent, et a subsequentibus Superioribus nova esset illorum confirmatio petenda, et quando; censuit: consultum sibi videri, eos, qui Superiorum maximeque Provincialium munus ineunt, teneri, ut primum commodum illis fuerit, praesentes et coram monere subditos, ut privilegia et facultates a praedecessoribus concessas aperiant, ut eas ipsi, vel confirment, vel abrogent, prout in Domino expedire iudicaverint. Caeterum concessas eiusmodi facultates usque ad hanc denuntiationem in suo robore permanere; qua facta, si illas subditi non aperiant, de facto ac re ipsa pro abrogatis haberi. Idemque iudicium esse de facultatibus a Visitatoribus concessis, quas etiam subditi, rogati, Provinciali indicare tenebuntur, licet non possint eas Provinciales, nisi Generali admonito, revocare.

novo Provinciali, quando iubet, aperiantur, ut ea confirmet vel abroget; C. 23 d. 39.

interea perstant;

si non aperiantur cessant.

Aperiendae etiam a Visitatori concessa; ea a Prov. revocari non possunt, nisi Praeposito Gen. admonito.

37, in Ms. decr. 48.

Visitatorum Regulae a Praeposito Gen. examinentur.

Cum desiderassent nonnulli: ut Visitatorum Regulae seu Instructiones serio examinarentur, num quid illis addi, num quid demi deberet; censuit Congregatio: rem hanc universam Patris nostri iudicio committendam.

38, in Ms. decr. 49.

Moriente novo Generali post reditum Electorum, Form. Congr. gen. n. 54.

Cum vero rogatum esset: quid faciendum foret, si contingeret Generalem mori, Electoribus a recenti electione in suis Provinciis constitutis, aut cum vicini Provinciis suis sunt, v. g. si post aliquot ab electione menses moreretur; quid vero, si contingeret electum Domo aut Urbe abesse;

Congregationes provinciales iterum cogendae sunt. C. 12 d. 48, 54.

Ad primam propositae quaestionis partem censuit Congregatio: convocandas rursus provinciales Congregationes, et de novo procedendum ad mittendorum electionem, faciendaque reliqua omnia e Formulae praescripto.

Quid facto opus, cum eligitur Generalis absens Domo

vel Urbe.

Ad secundam censuit: si electum contingeret in Urbe esse, non esse e Congregationis loco egrediendum, donec evocato omnia, quae Formula continentur, exhibita essent. Sed neque, dum vocatur, illi aut alteri cuiquam quidquam de electione indicandum. Si vero Urbe abesset, idque octo aut decem dierum itinere, vocandum esse, vacandumque interea temporis Congregationi ab omni rerum tractatione. Sin plures intercederent dies, longiusque abesset, pergendum videri Vicario in negotiorum tractatione, sola Assistentium et Admonitoris electione ad Congregationis finem reservata.

39, in Ms. decr. 50.

Promissio Societatem ingrediendi ad Coadiutores quoque temp. spectat. Sup. d. 32. C. 6 d. 5, 7, 50.

Ad illud, quod propositum fuerat: utrum promissio Societatem ingrediendi, quae simplicium votorum Formula continetur, peculiarisque voti vim habet, etiam ad Coadiutores temporales extendatur; censuit Congregatio: extendi.

40, in Ms. decr. 51.

Non omnia substantialia Instituti enumerari expedit. C. 5 d. 58.

Cum rogatus catalogus esset de substantialibus Instituti, de quibus in provincialibus Congregationibus nostris non licet agere, Patresque Deputati varia huius generis exempla attulissent; censuit Congregatio: praeter ea, quae in Formula exprimuntur, videri consultius a recensendis aliis

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

In dubiis consulatur Generalis.

supersedere; quod omnia brevi compendio comprehendi non possint. Ac, si cui dubium obvenisset, posse illum ad R. Patrem nostrum recurrere, ab eoque intelligere, quid de re tali sentiendum videatur.

41, in Ms. decr. 52.

Deputatio ad seligenda examinet Deputationum particularium placita, num Congregationi proponenda. C. 14 d. 7.

Cum propositum fuisset ab aliquibus: ut dignaretur Congregatio privatarum Deputationum decisiones ad maiorem Deputationem reiicere, quae dispiceret, quaenam ad Congregationem referenda essent, ne in longum Congregatio cum magno Provinciarum incommodo traheretur; placuit Congregationi: rem ad dictos Deputatos Patres remittere, qui examinatas a privatis Deputationibus res dispicerent, talesne essent, quae merito Congregationi proponendae forent.

42, in Ms. decr. 53.

Impedimenta essentialia irritant vota simplicia et professionem. * P. 1 c. 3 n. 2-7. Exa. c. 2 n. 6. C. 5 d. 52. Inf. d. 48.

Ad propositam quaestionem, qua petebatur: an impedimenta Societatis essentialia parte I cap. 3, § 1, 3, * non essent irritantia vota simplicia et quamcumque sequentem professionem; censuit Congregatio: e mente Constitutionum et Congregationis V illa primi generis et ordinis impedimenta quinque irritantia esse, et pro talibus ab omnibus haberi debere; inhabilesque atque incapaces ipso facto ad Societatis ingressum omnes eos ab illa haberi et esse, qui aliquo talium impedimentorum tenentur.

Auditis intercessionibus, decretum confirmatur.

Intercessione dein facta, censuit Congregatio: standum decreto, nec intercessioni deferendum. Et cum intercessionem secundam alius quidam e Patribus interposuisset; concessit Congregatio, ut rationes, quas urgebat, audirentur et expenderentur, quo certius statui posset, an huic intercessioni locus concedi posset. Cumque intercessum rursus alio die fuisset ab uno e Patribus, rogataque Congregatio: ut dignaretur ob diversas causas suum hoc decretum in praesentiarum suspendere; atque ad hanc intercessionem eo sensu acceptam accessisset is Pater, qui secundo loco intercesserat; placuit Congregationi: intercessionem hanc de decreti suspensione, seu iure seu gratia, eatenus admittere, ut, auditis rationibus, certius aliquid statueret. Caeterum, re postea agitata et auditis rationibus, quae adferebantur, censuit: suspensioni locum dandum non esse.

43, in Ms. decr. 54.

De impedimentis essentialibus culpabiliter celatis, a sola Societate cognoscendis, petenda facultas a Sum. Pontifice.

Ad illud vero, quo petebatur: consultumne censeret Congregatio, a Summo Pontifice petere, ut omnis cognitio indagandae veritatis in celatis in Societatis ingressu impedimentis, malitia nimirum an ignorantia id contigisset, penes solam Societatem resideret; utque punitio etiam illorum, qui studio illa celassent, pro delicti huius atque aliorum in Societate commissorum qualitate, ad eamdem solam pertineret; censuit Congregatio: ad tollendas difficultates omnes, quae a variis moveri possint, utrumque a Sua Sanctitate petendum.

44, in Ms. decr. 55.

Praelatura et dignitas in Societate idem est.

Cum quaereretur: an nomen praelaturae et dignitatis, in Constitutionibus votisque nostris expressum, pro eadem, an pro diversa re accipienda forent, Assistentibusque dignitatis nomen tribuendum esset; censuit Congregatio: ex mente P. N. Claudii, dignitates ac praelaturas extra Societatem, ut inter se distinguuntur, accipiendas esse, Professorumque voto

P. Vitelleschi Praep. Gen. **1615-16**

tam dignitates quam praelaturas caveri. In Societate vero praelaturas a dignitate non distingui, nec extra praelaturas dignitates in ea censendas; nec Assistentes Praelatorum nomine censeri, aut dignitatis in ea nomen obtinere.

et neutra convenit Assistentibus,

non obstante intercessione.

Et, cum intercessum deinde fuisset ab uno ex Patribus circa hoc decretum, censuit Congregatio: nihil deferendum intercessioni, sed standum decreto; praelaturamque ac dignitatem in Societate pro synonymis, iuxta declarationem P. N. Claudii, habendam; neque Assistentiam in Societate praelaturam aut dignitatem continere.

45, in Ms. decr. 56.

Est casus reservatus, si quis Fratrum Ministro iubenti dicat: *Nolo facere.*

Ord. Gen. c. 2 n. 18. Instr. de Sp. ad Sup. c. 4 n. 5. P. 4 c. 10 n. 8.

Cum propositum fuisset: standumne esset ordinationi P. N. Claudii dicentis, reservatum casum esse, si quis Fratrum diceret Ministro, aliquid iubenti, licet non praecepto: *Nolo facere;* censuit Congregatio: huic P. N. Claudii ordinationi vel declarationi standum esse; relicta tamen loci huius explicatione prudentiae Patris nostri.

46, in Ms. decr. 57.

Negotia ad Status rationem pertinentia, pridem interdicta, quae sint, explicatur.

* *C. 5 d. 47, 79. C. 16 d. 26.*

Cum vero rogatum esset: quaenam essent illa negotia ad rationem Status pertinentia, quibus miscere se Nostri canone 12 Congregationis quintae * generalis, sub praecepto et poena inhabilitatis ad officia, vocisque tam activae quam passivae privatione, prohibentur; censuit Congregatio, e responsis P. N. Claudii commodam explicationem peti posse, cum ait: *Universe loquendo, ea, quae pertinent ad solam conscientiam directionemve Principum aliorumque, qui petunt consilium, per canonem non prohiberi. Quae vero eo non referuntur, et a spirituali instructione diversa sunt, tamquam a canone aliena vitari debere;* et alibi: *Exemplo posse esse: quae ad Principum inter se foedera, vel ad regnorum iura et successiones pertinent, vel ad bella tam civilia, quam externa; si quis publicis harum rerum et similium consiliis interesset, aut tractandis iis operam re ipsa impenderet.*

47, in Ms. decr. 58.

Ad quaestionem: utrum tertius vel quartus dies, designatus in Formula Congregationis provincialis ad mittendorum electionem, sit a die, qua inchoata Congregatio est, exclusive an inclusive intelligendus; censuit cum P. N. Claudio: intelligendum inclusive.

Tertius vel quartus dies in Formula Congr. prov. inclusive accipiendus.

48, in Ms. decr. 59.

Utrum consultatio de impedimentis se excusantium et aliorum facienda necessario sit a Provinciali in Domo, in qua Congregatio habenda est, an vero in alia institui possit; censuit: fieri posse in loco, in quo Provinciali commodum fuerit.

Impedimenta Congregandorum examinet Provincialis, ubi commodum ipsi sit. *Inf. d. 53.*

49, in Ms. decr. 60.

Quid faciendum, cum in Congregatione provinciali priore loco electus impedimenta proponit; audiendane illa ante Substituti electionem, an post eam? Censuit cum P. Claudio: audienda post Substituti electionem.

Electi impedimenta post Substituti electionem audienda. *C. 6 d. 35 n. 10.*

50, in Ms. decr. 61.

An contra Constitutiones et Instituti rationem videatur esse, admittere annuos perpetuos reditus, Collegio alicui donatos aut legatos, cum onere partem illorum annue Domui Professae dandi et erogandi? Censuit Congregatio: videri cum Instituto et peculiari paupertatis Professorum voto

Collegia reditus perpetuos, cum onere partem illorum annue Domui Professae erogandi, admittere non possunt. *C. 2 d. 33. Exa. c. 1 n. 4.*

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

nostraeque paupertatis puritate pugnare. Quare nullo modo perpetuos eiusmodi relictos Collegiis reditus admittendos, ne paulatim ianua in Societate paupertati laxandae aperiatur.

51, in Ms. decr. 62.

Domus Professa locationis pretio frui quatenus possit.

Possitne Domus Professa emptam sibi contiguam domum, habitationi aliquando aut aedificando templo necessariam, locare, locationisque pretio frui, dum aedificandi se commoditas obtulerit? Censuit Congregatio: ad breve tempus locare, et locationis pretio frui posse. Quod si ratione eiusmodi emptionis onus aliquod contraxisset, posse locationis illius pretio uti, donec se onere aeris alieni exemerit.

52, in Ms. decr. 63.

Admonitor non tenetur scribere litteras, sicut Consultores.

An Admonitor tempore Consultoribus designato scribere teneatur Superioribus? Censuit Congregatio: non teneri, nec quidquam regulae addendum.

53, in Ms. decr. 64.

Provincialis sententiae, de impedimentis absentium, stare Congregatio debet. * *Hic. c. 2. Sup. d. 48. C. 8 d. 52.*

Standumne sententiae P. Claudii, ut de Provincialis decreto circa impedimenta alicuius absentis, servata Formula Congregationis provincialis, cap. 3 *, § 13, nihil a Congregatione statui aut revocari possit? Censuit: P. N. Claudii sententiae standum esse.

54, in Ms. decr. 65.

Dies 27 Sept., anniversarius confirmatae Societatis, quo cultu colendus. *C. Poloc. 4 d. 4. C. 20 d. 26.*

Placeatne diem 27 Septembris peculiari a Nostris veneratione, in gratiarum actionem confirmatae nataeque tunc primum Societatis coli; proque felici eiusdem successu Patres omnes Sacra eo die peragenda Deo offerre, reliquos vero rosaria aliasque preces ac communionem sacram? Placuit Congregationi: diem illum pro tali haberi, reliquaque eo modo peragi.

55, in Ms. decr. 67.

Decretum Vicarii circa n. 21 Formulae Congr. gen. approbatur; nempe: excommunicantur, qui electionem quoquomodo impedire conantur.

Cum denique propositum fuisset: an decretum a P. Vicario nuper factum, excommunicationisque extensio in illos omnes, qui electionis sinceritatem libertatemque quoquo modo, directe vel indirecte impedire conantur, Formulis Societatis conformis fuisset, an cum iisdem pugnaret, aut quidquam rationi contrarium contineret; Patresque, quibus ea res commissa fuerat, respondissent: decretum P. Vicarii, extensionemque illius fieri ab illo et potuisse et debuisse, Formulisque conformem esse, neque ullo modo contrariam aliquam sententiam doctrinamve, de invaliditate huius praecepti disserentem, in Societate ferendam, sed tamquam perniciosam ac scandalosam habendam esse;

Probavit Deputatorum Patrum sententiam Congregatio universa; atque, ad omnem in posterum qualemcumque dubitandi rationem tollendam, censuit e § 21 Formulae Congregationis generalis verba illa omittenda: *alicuius eligendi gratia.* Quod si quae gravior res occurreret, quae remedium posceret, Vicario Societatis tunc Superiori, aut sane Patribus ante electionem pro detrimentis deputatis rem aperiendam esse.

Inf. d. 88.

Res graves Vicario aut Deputatis pro detrimentis aperiantur.

56, in Ms. decr. 68.

Cura mulierum, quae certis inter se legibus vivunt,

Rogata Congregatio: ut de efficaci remedio aliquo provideret, ne Nostros circa mulierum curam, certis locis certisque inter se legibus in una domo conviventium, occupari et distineri paulatim permitteret; censuit: fortiter his initiis occurrendum; cum cura

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

aliena est ab Instituto nostro, et periculis plena.

qualiscumque talium Constitutionibus part. vi, cap. 3, § 5, regulisque 47 Praepositi 68 Rectoris ex professo videatur adversari; periculisque haec res sit non vulgaribus, multorumque oblocutionibus exposita, maxime quod haec cura alienissima semper a Societatis Instituto ministeriisque habita fuerit. Quare serio Superiores omnes monitos voluit: ut ab omni illarum directione ac promotione abstineant; neque suorum quemquam quocumque praetextu patiantur illarum se rebus miscere, aut quamcumque talium curam suscipere, aut peculiari modo fovere aut dirigere; sed circa illas eo se modo habeant, quo circa alias templum nostrum promiscue frequentantes. Rogavitque Congregatio R. Patrem nostrum, ut, si quae necessitas occurrerit, Suam Sanctitatem de Summorum Pontificum Pauli iii et Iulii iii voluntate, deque gravibus ex hac re incommodis damnisque merito timendis, informare dignetur; simulque omni studio invigilare huic malo, eaque remedia adhibere, quae in hanc rem validissima et certissima iudicaverit.

Ab omni illarum directione ac promotione Nostris abstinendum. *C. 8 d. 11.*

Informandus Sum. Pont., si res exigat.

Comp. Privil. n. 216, 416, 417.

C. 20 d. 12 n. 9, 10. C. 23 d. 40.

57, in Ms. decr. 70.

Professi, qui negotiorum causa in alia sunt Provincia, ad eius Congr. admittendi iuxta Formulam. * *Hic n. 8. Vide tamen inf. d. 67, 68, 69.*

Propositum: an Professi, qui in aliena Provincia negotiorum causa versantur, admitti iuxta § 4 * Congregationis provincialis debeant in Provincia, in qua versantur; quod ea res non videretur difficultatibus carere; censuit Congregatio: standum Formulae, nec quidquam ex ea immutandum.

58, in Ms. decr. 71.

Visitatoris Provincia ea dicenda, ex qua assumptus. *Inf. d. 70.*

Propositum: quaenam iudicanda sit Provincia ad quam redire Congregationis causa posse dicitur Visitator; censuit: eam esse, cuius erat, cum ad visitandum assumptus est.

59, in Ms. decr. 72.

Applicatio Provinciae fit voluntate Generalis, vel applicatione ad munus ordinarium Provinciae. *C. 9 d. 33. C. 16 d. 18. C. 18 d. 16.*

Propositum tertio: qua nota cognosci posset applicatum aliquem alicui Provinciae; censuit: fieri aliquem de Provincia voluntate Patris nostri verbo vel scripto expressa, vel applicatione illius ad aliquod Provinciae munus ordinarium; sive res effectum sortiatur, sive non, nisi revocata foret.

60, in Ms. decr. 73.

A Provincialibus applicari, nisi ad tempus, nemo potest, inconsulto Generali. *C. 18 d. 16.*

An Provinciales per regulam 112 mutuo consensu mutuis applicare Provinciis suis personas possint; censuit: in temporariis posse; in perpetuis recurrendum ad Generalem esse.

61, in Ms. decr. 74.

Cum quis in absentis locum admittitur ad Congr., an, priore redeunte, excludendus. * *Hic n. 12.*

Circa § 6 * Congregationis provincialis propositum fuit: cum quis in absentis locum admittitur, si prior, cui ius competebat, ante electionem rediret, an interesse uterque Congregationi deberet. Censuit Congregatio: priore redeunte, substitutum excludendum; verbaque illa Formulae: *si prior postea redierit,* intelligenda, si post electionem peractam.

C. 6 d. 25 n. 15. C. 8 d. 18, 52. C. 9 d. 9, 48.

62, in Ms. decr. 75.

Qui absentes eliguntur, post peractas tantum electiones vocentur. * *Hic n. 7.*

Circa § 9 *: quando ad Congregationem vocandi sint, qui absentes eliguntur, censuit: post electiones peractas, ad solam negotiorum tractationem vocandos; idque Formulae inserendum.

63, in Ms. decr. 76.

* *Hic n. 11.* Impediti loco ille e proximis vocandus,

Circa § 12: * quid faciendum, si paulo ante Congregationem impedimentum alicui e Congregandis su-

P. Vitelleschi Praep. Gen. — 1615-16

qui electioni adesse possit.

perveniret, proximusque illi subrogandus longius abesset, quam ut tempestive adesse possit; censuit: eum e proximis vocandum esse, qui electioni tempori adesse possit.

64, in Ms. decr. 77.

Inclusor per secreta suffragia eligendus; eius socii arbitrio Vicarii.

Circa § 14 Congregationis generalis quaesitum est: expediatne Inclusorem per secreta suffragia eligi; quibusque modis quatuor illius socii designandi sint? Censuit: per secreta suffragia Inclusorem ex Praepositis, vel Rectoribus, vel aliis de Societate eligendum; sociorum vero designationem Vicarii arbitrio relinquendam; remque hanc Formulis inserendam.

65, in Ms. decr. 78.

Iudices ambitus quinque, e singulis Assistentiis singuli, designentur. C. 4 d. 49.

Circa § 21, in quo ambitus Iudices designantur desumendi ex Assistentium nationibus, quaesitum est: an, cum Germaniae et Galliae distinctae nunc sint Assistentiae, Iudices quinque in posterum creari placeret; censuit: quinque in posterum Iudices, e singulis Assistentiarum nationibus singulos, designandos.

66, in Ms. decr. 79.

Provinciales, nec post inchoatam, nec post decretam Congr. mutari possunt. C. 12 d. 81, 82.

Circa § 58, quo statuitur: Generalem mutare posse Provinciales, si id faciat ante Congregationem inchoatam; an non videretur consultum, non licere ille Provinciales mutare post decretam Congregationem, quocumque illa modo decernatur? Censuit: non tantum post inchoatam, sed nec post decretam Congregationem mutare illos posse, licet illud sextae Congregationis decreto contineatur.

C. 6 d. 35 n. 20.

67, in Ms. decr. 80.

Commorantes in aliena Prov. admittendi extra numerum. Sup. d. 57.

Propositum deinde fuit: placeretne eos, qui in altera Provincia negotiorum causa versantur, extra numerum 40 vel 50 admitti; censuit: extra numerum admittendos.

68, in Ms. decr. 81.

Et quando locum alias habituri essent in utraque Provincia. Sup. d. 57.

Propositum etiam: placeretne non admitti, nisi in sua Provincia admittendi essent, et in Provincia, in qua versantur, intra 40 vel 50 numerum ratione professionis suae numerarentur; censuit: non admittendos, nisi utriusque Provinciae conditiones adessent.

69, in Ms. decr. 82.

Admittendi in aliena, si negotia tractant ad Societatem pertinentia; Sup. d. 57.

Propositum rursus de Professis, qui in aliena Provincia negotiorum causa versantur: admittendine viderentur ad provincialem Congregationem, etiam illi, qui privata sua, aut amicorum, aut quorumcumque externorum negotia tractant; simul etiam a quo iudicium huius rei petendum esset; censuit: hos solos admittendos, qui Societatis, Provinciarumque, aut Collegiorum suorum negotia gerunt. Iudicium vero de negotiorum conditione, si per tempus liceat, a Patre nostro petendum esse, aut sane a Provinciali ipsorum proprio.

hoc a Patre nostro vel a Provinciali iudicetur.

70, in Ms. decr. 83.

Plurium Provinciarum Visitator, vel suam deligat, vel eam, in qua moriente Generali versabitur. C. 6 d. 35 n. 6. Sup. d. 58.

Cum propositum fuisset circa variarum Provinciarum Visitatorem: quam e commissis sibi Provinciis deligere posset, si non rediret ad eam, a qua assumptus fuerat; censuit: in ea debere manere, in qua moriente Generali versabitur, nisi in eam, a qua assumptus erat, redire mallet.

71, in Ms. decr. 84.

* Hic n. 9. Congregatio gen., a Procurat decreta, intra

Cum § 6 * Congregationis Procuratorum statutum esset: intra sesquiannum a decreta Congregatione generali,

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

sesquiannum cogatur. C. 6 d. 26 n. 8. Sup. d. 10.

cogendam illam esse; propositum fuit: an non placeret, sesquiannum in annum mutare? Censuit nihil immutandum.

72, in Ms. decr. 85.

A Generali statuta vel concessa, eo mortuo, vim retinent, nisi a successore revocentur. C. 4 d. 8. C. 9 d. 12. C. 17 d. 12.

Cum vero rogatum esset: an demortui Generalis ordinationes, responsa ad Provincias, privilegiorum communicationes, particulares concessiones et id genus alia, etiam cum Assistentibus tractata, sed a generali Congregatione non approbata, vim suam obtineant, mortuo Generali: an vero illarum obligatio aut concessio cum illius morte exspirent; censuit: eamdem vim habere, quam vivo Generali habebant, donec a successore revocentur.

73, in Ms. decr. 86.

Ordo tractandorum in Congr. gen. stabilitur, inserendus Formulae. C. 1 d. 5. C. 6 d. 35 n. 17.

Censuit Congregatio: in Formula Congregationis generalis, § 64, quo tractandorum ordo exponitur, haec ordine hoc ponenda: *Proponantur Congregationi, primo loco, quae P. Praepositus attulerit; deinde, quae Provinciae singulae proponenda miserunt, habita inter eas ratione antiquitatis Provincialium; tum quae Assistentes, Provinciales, Sociique Provincialium,* iuxta part. viii, cap. 7, § 2, littera a. Denique, quae Procuratores et alii de Congregatione, servato inter illos antiquitatis ordine.

74, in Ms. decr. 87.

Vicarius rem gravissimam, ac ideo consultandam ducere debet, quam talem iudicat maior pars Assistentium.

Cum propositum fuisset: an, quamvis Vicarius iudicet rem aliquam non esse gravissimam, neque cum Assistentibus consultandam aut ad eorumdem plura suffragia decernendam, maior tamen Assistentium pars contrarium iudicat; teneatur Vicarius rem talem consultandam, et ad plura ipsorum suffragia decidendam proponere; censuit Congregatio: Vicarium rem talem ex mente plurium Assistentium teneri in consultationem decidendam adducere.

75, in Ms. decr. 88.

In proponendis ad professionem quis ordo servandus,

Petitum deinde fuit: ut remedium aliquod statueretur, ne, qui studia theologica citius peregerunt, eos in professione praecederent, qui serius illa ob Litterarum Humaniorum praelectionem absolverunt, cum aut priores hi, aut pares illis vocatione sunt. Censuit: serio in primis Provincialibus omnibus commendandum, ut, qui pares sunt vocatione, simul ad gradum proponantur, nisi peculiaris aliqua gravisque ratio aliud suaderet, quam Generali aperire teneantur; consultumque omnino esse, ut, quorum ob docendi munus aliasve occupationes dilata fuerunt studia, eorum maxima ratio habeatur, idque, vel tempus illis contrahendo, quo in ministeriis post studia probandi sunt; vel aliis prorogando, ita ut, vel doceant, qui ante non docuerunt, vel diutius in aliis ministeriis occupentur, quo omnes simul, quoad fierit poterit, proponi possint. De iis vero, quos Pater noster simul decrevit, scripsitque promovendos, caveant Provinciales, ne unum alteri praeponant; curentque modis omnibus, ut recentiores antiquioribus postponantur, idque, sive per se, sive per alios vota illorum excepturi sint.

et in excipienda singulorum professione. C. 9 d. 42. C. 11 d. 31. C. 12 d. 11. C. 13 d. 9, 10. C. 14 d. 19. C. 16 d. 20. C. 17 d. 10.

76, in Ms. decr. 89.

Praepositus Gen. Regulas, id est Ordinationes condere potest; * C. 1 d. 143 can. 3. ** C. 4 d. 19 can. 21.

Cum canon 3 * Congregationis primae, in quo dicitur: Generalis esse Regulas condere, videatur pugnare cum canone 21 ** Congregationis quartae, in quo dicitur: Congregationis generalis esse leges condere; rogata

P. Vitelleschi Praep. Gen.

Congregatio, ut dignaretur dubium hoc declaratione sua tollere, censuit: loca haec nullo modo inter se pugnare; cum in canone 3 Congregationis primae agatur de potestate Regulas et Ordinationes condendi, prout illa inter se convertuntur et pro synonymis habentur, ut non uno Constitutionum loco fit; quas condere et abrogare a Generalium voluntate pendet. In canone vero 21 Congregationis quartae agitur de legibus condendis, quae vim habeant Constitutionum et Decretorum generalium, quorum abrogatio a Generali non pendet.

Prooem. declar. P. 4 c. 7 n. 2. non leges, quae vim habeant Constitutionum et Decretorum generalium.

77, in Ms. decr. 90.

Triduana recollectio ab omnibus observanda, qui vota renovant. * *Instr. 17. C. 6 d. 29 n. 1.*

Cum propositum esset circa § 7 Instructionis * pro Scholasticis: an triduana ante votorum renovationem recollectio omnes de Societate, qui renovaturi sunt vota, comprehenderet; censuit: omnes ea comprehendi omnesque illa teneri.

78, in Ms. decr. 91.

Deputatio pro detrimentis in omni deinceps Congregatione generali fiat. *C. 5 d. 2. C. 8 d. 1. C. 12 d. 4, 49.*

Proposuit deinde Pater noster: placeretne Congregationi, in omni deinceps generali Congregatione, ex quacumque causa illa indicta fuerit, Deputationem statui ad detrimenta cognoscenda, si qua forte, aut in eam diem passa Societas foret, aut timeri merito possent. Quam rem, cum, variis in medium allatis rationibus, decernendam Pater noster iudicasset, censuit eam Congregatio decreto suo confirmandam, deputandosque in omni generali Congregatione Patres detrimentis cognoscendis. In quorum cognitione, si quid forte traditum foret, quod quocumque modo ad personam alicuius e Deputatis pertinere videretur; placuit tantisper eam e Deputationis loco secedere; remque hanc universam iuxta Formulae praescriptum quatriduo finiendam esse.

1615-16

79, in Ms. decr. 92.

Sessiones Congr. gen. et prov. brevi oratione claudantur. Suffragia Procuratorum in ipso Congr. loco comburantur.

Censuit deinde Formulae Congregationis generalis § 59 inserendum: *Eodemque modo singulae sessiones brevi aliqua oratione concludendae.* Provincialis vero § 16: *Brevique caeteris diebus in principio et cuiusque sessionis fine facta oratione.* Formulae vero Congregationis Procuratorum censuit inserendum: *suffragia a Secretario in ipso Congregationis loco comburantur, non obstante contrario sextae Congregationis decreto.*

Form. n. 5. C. 6 d. 25 n. 6.

80, in Ms. decr. 93.

Quaedam ex Instructionibus in Regulas vel alio translata. * *Instr. 1.* * *Hic c. 7 Ord. Gen.*

Quaedam e variis Instructionum locis ad alia transferenda visa sunt.

1. Ex § 1 Instructionis * spiritus addendo § 6 Instructionis * de ordinandis, post verbum " exegerit ": *atque in vocatione sua firmus et stabilis sit.*

2. Ex § 2 eiusdem addendum regulae Provincialis 117: *qui in aliquo Collegio male se gerit, non mittatur, si fieri potest, ad aliud, nisi iuvetur, ubi deliquit.*

3. Ex § 5 addatur regulae Custodis vestium, post " inveniret ": *v. g. vestes duplices, instrumenta itineris, et similia.*

4. Ex Instructione sextae Congregationis de renovatione spiritus, cap. 5 § 3, addendum monitis eiusdem § 14, post " pretiosa ": *quae aurei unius valorem excedant.* *Hic Instr. 13.* *Hic Ord. Gen. c. 4 n. 14.*

5. Ex eadem, cap. 9, § 4, addendum Instructioni pro visitatione Provinciae, § 8, post " temporalium ": *Catalogum P. Natalis, quibus de rebus Nostri recreationis tempore colloqui possunt.* *Hic Instr. 21.*

6. Ex Instructione pro Concionatoribus, § 3, mutanda hoc modo re-

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1615-16

gula 54 Rectoris: *quibus ad se parandum, propter varias occupationes, quibus Scholastici distinentur, bidui fere spatium pro Superioris arbitrio dandum erit.*

7. Ex § 5 eiusdem addendum regulae Rectoris 56: *Utilitas maior erit, si quadrante horae circiter praemoneantur, qui tonos facturi sunt, themate illis assignato.*

Reg. 24 Concionatorum.

8. Ex § 10 addendum Regulis Concionatorum. *Qui in loca, etiam remotiora, concionaturi mittuntur, praeter equum suum et socii, tertium pro sarcinis ne addant. Cumque extra Collegia concionantur, victum, potius quam pecuniam pro victu, accipiant, idque apud ecclesiasticum, vel alium honestum civem, vel convenienti aliquo Religiosis loco. Sit vero victus tenuis et parcus, ut Religiosos decet. Viaticum porro non nisi necessarium pro solo itinere admittant.*

Hic n. 10.

9. In § 11 Instructionis pro Concionatoribus, pro: *non ultra triennium,* ponatur: *non diutius, quam par est.*

Hic Instr. 14. C. 2 d. 62. C. 23 d. 29.

10. Ex Instructione 2 Congregationis VI addendum regulae 52 Provincialis: *Iis etiam, qui concionandi talentum habent, duo itidem, vel unus saltem annus concedatur, ut privato studio Sacrae Scripturae, legendisque Patribus, ac sanctae meditationi vacent.*

11. Ex Instructione 3 pro Confessariis, § 1, addendum ad regulam 100 Provincialis: *Confessarii maturi sint aetate, quantum fieri potest, ac multo magis spiritu et moribus.*

12. Ex § 2 eiusdem, addendum ad regulam 15 Sacerdotum: *Mulierum confessiones non audiantur, nisi ad crates, etiamsi sint puellulae.*

13. Ex § 3, ad regulam 17 Sacerdotum, post " alloqui ": *id fiat in loco patenti; nec longum sermonem*, etc.

*Hic Instr. 15. Hic Ord. Gen. c. 4 n. 9.

14. Ex Instructione 3 * pro Confessariis in sexta Congregatione, § 1, addendum monitis § 9, post " deprehenderetur: " *Idemque omnino iudicium esse debet de aliis Confessariis, Concionatoribus, Praeceptoribus et similibus erga poenitentes, devotos, consanguineos et amicos; maxime vero de iis, qui in missionibus versantur.*

Hic Instr. 6.

15. Ex Instructione 8 de Novitiis, ad regulam 60 Magistri Novitiorum: *Et ii quidem per annum;* pro eo quod erat, *per sex menses.*

Hic Instr. 16.

16. Ex Instructione 4 Congregationis sextae ad regulam 15 Magistri Novitiorum, post " defectuum ", addatur: *tum suorum, tum alienorum.*

Hic Instr. 17.

17. Ex Instructione 5 Congregationis VI pro Scholasticis, § 1, addendum regulae 38 Rectoris: *neque permittantur nimis colloqui cum externis aut amicis; ad ianuam vero, nisi de unius Rectoris expressa licentia, non vocentur, quam raro admodum oportebit illis concedere; itemque invigilare, ne prolixa sint eorum cum externis colloquia.*

C. 6 d. 40 n. 5. Reg. 13 Schol.

18. Ex § 2 eiusdem, addatur Regulis Scholasticorum haec nova regula: *Si Magistros studiorum causa convenire debent, horam certam a Superiore destinatam habeant, extra quam illorum cubicula sine peculiari facultate non adeant.*

Hic Instr. 8. C. 1 d. 97. C. 8 d. 38 n. 4.

19. Ex Instructione 14 pro Coadiutoribus, § 1, addendum regulae 7 Praefecti rerum spiritualium: *diligentiam circa Coadiutores temporales, frequenter eos alloquendo, novos praesertim et infirmiores, ut quieti*, etc.; et in fine: *Meditationis etiam capita illis suggerat, modum et fructum orationis exigat, dirigatque, ubi opus fuerit.*

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1615-16

81, in Ms. decr. 94.

Ordinationes et Instructiones approbantur; quam vim habeant.

RELIQUA vero, quae a Patribus ad Ordinationes, Instructiones Formulasque recognoscendas, atque in breviorem commodioremque methodum contrahendas designatis facta fuerant, probavit Congregatio, voluitque eam vim habere, quam reliquae Generalium Ordinationes habere consueverunt. Instructiones vero tantum directionis vim retinere.

82, in Ms. decr. 99.

Remedia sublevandae Collegiorum inopiae.

REMEDIA etiam postulata, ne Collegia supra vires personarum numero vel oneribus graventur. Qua de re haec probavit Congregatio:

Habendi socii quot ali possint. C. 2 d. 27.

1. Ne plures in singulis alantur, quam per facultatem ali possunt; pauciores etiam.

Novitii solum necessarii admittendi.

2. Ne plures in Novitiatum admittantur, quam qui Provinciis necessarii sunt.

Coadiutorum numerus determinatur. C. 1 d. 108. C. 8 d. 60 n. 2.

3. Ne Coadiutores quartam partem in Collegiis, in Domibus vero Professis ne tertiam partem excedant.

Onera, ad quae non tenemur, relinquenda, admonito P. Generali.

4. Ut onera, ad quae e fundationibus aut Constitutionibus Collegia non tenentur, ad tempus saltem, iudicio Provincialis omittantur, admonito tamen prius Generali.

Socii occupandi.

5. Ne Operariis, maximeque Coadiutoribus, desit, in quo occupentur.

Officiales sint prudentes oeconomi.

6. Ut Rectores reliquique Officiales tales adhibeantur, qui prudentes sint oeconomi; Ordinationemque P. N. Claudii de rebus temporalibus commendatissimam habeant. Sed neque permittendum Rectoribus, ut oeconomiae domesticae formam in rebus alicuius momenti, inconsulto Provinciali, immutent.

Oeconomia in rebus alicuius momenti, inconsulto Provinciali, non immutanda.

Vitandae personarum mutationes non necessariae, et res superfluae.

7. Ne personarum sine necessitate mutationes fiant. Superflua domi ne habeantur: non equi, non famuli plures; serveturque Ordinatio P. N. Claudii circa peregrinantes data anno 1611. Caveantque Provinciales, ne imponendis contributionibus Collegia gravent; quin magis ex iis, quae in potestate sua habent, eorum indigentiam sublevent.

Collegia contributionibus non gravanda.

Causae aeris alieni inquirendae. Superiores negligentes puniendi. C. 8 d. 15.

8. Causas aeris alieni contracti in visitationibus diligenter inquirant Provinciales; nec patiantur Superiores, quorum negligentia debita creverunt, sine poenitentiis abire; moneantque Generalem de talibus, si rei gravitas id postulaverit, a munere amovendis.

83, in Ms. decr. 100.

Summae Theologiae et Philosophiae nunc non conficiendae.

CUM propositum fuisset: placeretne Congregationi, aliquibus Societatis Theologis et Philosophis committere, ut certas in utraque scientia Summas conficerent, quae maxime receptas Societatis opiniones, e D. Thomae Patrumque nostrorum scriptis desumptas, solide et paucis complecterentur; ne tanta nostri libertate per varia Theologorum ac Philosophorum placita vagarentur; censuit: nihil hac de re in praesentiarum ob varias gravesque a multis in medium allatas causas statuendum, nec videri nunc idoneum huic rei tempus esse.

84, in Ms. decr. 101.

Negotiationis vetitae Nostris exempla: C. 2 d. 61 can. 25.

CUM postulatum esset: quaenam essent illa, quae negotiationis speciem habent, a quibus Nostri iuxta canonem 25 Congregationis secundae abstinere iubentur; censuit Congregatio: varia illa esse, neque omnia recenseri posse. Inter alia tamen numerari haec posse:

Agrorum ad questum

1. Conducere agros alienos, ut ex iis lucrum et quaestum facias. Non

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

conductio. *C. 21 d. 11.*

tamen habere speciem negotiationis, eos conducere ad praediorum nostrorum administrationem, vel animalium nostrorum sustentationem.

Emptio rei, ut carius vendatur.

2. Emere aliqua, ut nostra postea industria carius vendantur. Emere tamen animalia ad praediorum pascua consumenda, quae postea divendantur, non censuit negotiationis speciem habere; sicut nec emere, quae putantur usibus Nostrorum necessaria, quae superflua postea vendantur.

Typograhiae sumptus suppeditare et libros divendendos accipere. *C. 1 d. 105. C. 16 d. 33.*

3. Typographiae sumptus pro edendis Nostrorum libris suppeditare, exemplaque damno lucroque nostro divendenda accipere. Quae res, licet absolute negotiatio clericis interdicta non sit, Nostris tamen videtur omnino interdicenda, nec nisi gravissimas ob causas a Patre nostro permittenda.

Typographiam habere, in qua libri excusi externis divendantur. In India et partibus septemtrionalibus iudicio Generalis res committitur.

4. Typographiam in Collegiis habere, in qua libri excusi externis divendantur. In utraque tamen India partibusque septentrionalibus, pro libris piis et ad religionem spectantibus scholarumque nostrarum, cum vel typographi desunt, vel catholici desunt, iudicio Patris nostri rem totam committendam censuit.

85, in Ms. decr. 102.

Invigilet Generalis, ut praedia ampla commutentur.

Rogatum deinde, ut Congregatio Patri nostro commendare dignaretur: ut ampla variis locis Societatis praedia constituta, quae et exiguos proventus annuos reddunt, et non sine externorum offensione possidentur, in meliores res magisque utiles commutari curet; censuit Patri nostro commendandum: ut huic rei invigilare dignetur multorum Collegiorum ac Provinciarum bono.

86, in Ms. decr. 103.

An a Rege Sinarum petenda Evangelii promulgandi facultas,

Cum propositum a Procuratore sinensi, Missionis illius nomine, fuisset: ut dispicere Congregatio dignaretur, num consultum arbitraretur, post tot annos excultae Missionis illius, facultatem a Rege Sinarum petere, catholicae religionis libere proseminandae; re prius, iussu R. Patris nostri, Deo ab omnibus per Sacrificia commendata, censuit Congregatio: collaudato in primis ardenti Patrum nobilissimae Missionis illius studio, nihil in tanta terrarum distantia, temporumque sibi succedentium varietate, certo statui posse; sed rem universam Patrum, qui tot iam annos fortiter in illa Missione desudant, experientiae et prudentiae committendam; qui, auditis amicis, virisque litteratis, et in dignitate in illo regno constitutis, id statuent, quod e re christiana consultum esse iudicaverint. Adfuturum indubie tam piis Nostrorum votis Deum, sanguineque iam olim suo rigatum regnum in foecundam aliquando horreo suo inferendam messem excitaturum; neque passurum, ut tam calentia Nostrorum desideria irrito conatu elabantur. Progrederentur tantum, quo coepissent modo, Patres, non laboribus, non sanguini, non vitae parcentes; paratum adstare aeternae mercedis remuneratorem Deum. Cogitarent, sudorem suum semen esse sinensium christianorum, quod centupla brevi foeneratione in foecundas excitaret spicas magnus agrorum suorum rigator et cultor Christus; a quo et tempus discerent explicandae per universum regnum illud operae, et regiae voluntatis inflectendae. Interim commendatissimam tam generosam, lateque patentem Missionem,

Patrum Missionis illius prudentiae committitur.

Hortatio ad Patres Missionis sinensis.

P. Vitelleschi Praep. Gen.

1615-16

universam Societatem precibus Sacrificiisque suis apud DEUM habituram. Tantum pergerent, maiorumque vestigiis fortiter insistendo, bene de divina in Sinenses munificentia, atque explicata dextera sperarent. Fortiter agendo res crescere; et a sola generosa manu triumphos sperari posse coelo inferendos.

87, in Ms. decr. 104.

Intercedere decreto alicui post triduum non licet. *C. 1 d. 9. C. 2 d. 82.*

PROPOSITUM deinde: an placeret Formulis addere, triduum aut quatriduum in posterum concedendum ad intercedendum a decreto rei alicuius facto, ultra quem terminum, nulla interposita intercessio valida esset; censuit: solum in posterum triduum concedendum esse; omnemque intercessionem extra illud tempus interpositam pro nulla habendam.

88, in Ms. decr. 105.

Censura in ambientes extenditur ad perturbatores in electione Assistentium. *Sup. d. 55.*

PROPOSITUM: an placeret in Formula Congregationis generalis, § 82, expungi verba illa: *aut etiam alicuius eligendi gratia,* in quibus de Assistentium electione agitur; uti factum est in eadem Formula, ubi de electione Generalis agebatur; censuit: verba illa expungenda esse.

89, in Ms. decr. 107.

Iudices ambitus habent iurisdictionem toto Congregationis tempore, Praeside Generali; eorum potestas explicatur. *C. 12 d. 47.*

CUM propositum esset: placeretne Congregationi, Iudices, quorum erat de ambitu ante electionem Generalis cognoscere, prorogare etiam in tempus electionis peractae, ita ut potestas illorum extendatur in omne Congregationis tempus in illos, qui ab obitu Generalis usque ad novi Praepositi electionem contra Constitutiones et Formulas deliquissent, inquirendi, repertosque pro delicti modo puniendi, privando non tantum illos iuxta Formulam voce activa aut passiva, idque ad tempus, aut in perpetuum; sed inhabilitando etiam ad munia et officia, aliisque pro arbitrio poenis afficiendo; censuit Congregatio: tempus illud, potestatemque Iudicibus illis, eodem in omnibus modo, quo in quaestione proponitur, concedendam, ac prorogandam esse, praesente semper Generali, cuius erit iudicio huic praesidere, illudque pro prudentia et paterno suo in omnes affectu dirigere. Cuius etiam personam, iuxta Constitutiones et Formulas, ab omni hac disquisitione exemptam esse voluit; nec licere Iudicibus designatis ullam delationem in personam illius aut electionem admittere, aut inquirere.

Praepositus Gen. ab hac disquisitione eximitur. *P. 8 c. 6 n. 8.*

90, in Ms. decr. 108.

Liber consuetudinum approbatarum in singulis Domibus ac Collegiis habeatur,

ROGATUM: placeretne Ordinationum libris, in Domibus ac Societatis Collegiis, consuetudinum librum addere, quo Superiores et Ministri ad manum habeant ea, quibus ordinem domesticum certius dirigant; placuit: librum talem reliquis addi, in quem receptae et a Provincialibus approbatae consuetudines referantur; placuitque hunc etiam Visitatoribus in visitationibus probandum offerri.

qui a Visitatoribus probetur.

91, in Ms. decr. 109.

Cessat obligatio legendae Instructionis pro Confessariis. *C. 6 d. 39, 43.*

PROPOSITUM deinde: an placeret in posterum obligationem tolli, tertio quoque mense Instructionem pro Confessariis legendi circa 18 regulam Sacerdotum mulierumque visitationes; simul etiam illam, qua iubebantur, tam Provincialium, quam localium Superiorum Consultores quater in annos singulos ad Generalem Praepositum scribere; censuit: utramque in posterum obligationem tollendam;

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

Consultores Provincialium bis quotannis; Superiorum vero localium semel ad Gen. scribere iubentur.

scribendique modum tempusque ad veterem normam Formulamque revocandam; qua nimirum Consultores Provincialium mense Ianuario et Iulio, Consultores vero Superiorum localium semel quotannis mense Ianuario ad Generalem scribere iubebantur.

92, in Ms. decr. 111.

Humaniorum Litterarum studia commendantur. *Sup. d. 26. C. 14 d. 10. Instr. 20.*

Rogata Congregatio: ut Humaniorum Litterarum studium quam commendatissimum haberet. Placuit plurimorum hoc desiderium censuitque: monendos Superiores esse, ut eo maioribus animis conatuque in hanc rem incumberent, quo plus fructus, utilitatis gloriaeque Dei ex hoc tam Societati proprio Litterarum studio merito sperari potest. Quam etiam rem censuit Patri nostro commendandam, ut, pro suo in studium hoc singulari affectu, quam commendatissimum habere dignetur.

93, in Ms. decr. 112.

Delatores falsi Iudicum ambitus arbitrio puniantur. ** Hic. d. 55. Sup. d. 12.*

Propositum deinde occasione decreti 67 *: qua poena digni videantur, qui falso aliquem ad Vicarium vel Deputatos Patres detulissent; quique in iis, quae denuntiarent, maligne aut calumniose egisse deprehensi fuissent; censuit: pro qualitate delicti, Iudicum ambitus arbitrio puniendos; neque ullo modo permittendum, ut impunita criminandi ac detrahendi libertas cuiquam maneat.

94, in Ms. decr. 113.

Formula iudiciaria Generalis iudicio relicta. *C. 6 d. 32 n. 8, 45.*

Proposita Formula iudiciaria, a Patribus Deputatis composita, censuit Congregatio: nullo illam decreto suo firmandam, sed Patris nostri prudentiae rem totam committendam, qui eam, quando commodum opportunumque, atque expedire in Domino iudicaverit, Provincialibus communicare dignabitur, maxime cum gravior aliqua necessitas id postulaverit.

95, in Ms. decr. 114.

Theologiae professio annis non definienda.

Propositum etiam: placeretne Scholasticae Theologiae Professorum tempus ad certos, ut plurimum, annos revocare, quo plura in hoc tam utili Societatis studio exerceri ingenia possent, fructusque scientiae illius latius diffunderetur; censuit: universam hanc rem arbitrio Superiorum relinquendam.

96, in Ms. decr. 115.

Theologiae, Legum Canonumque ante ingressum Doctores quandonam ad professionem examinandi. *C. 11 d. 14. C. 12 d. 23. C. 13 d. 16 n. 4. C. 23 d. 19, 20.*

Ad propositam quaestionem: examinandine Theologiae, ac Legum, Canonumque Doctores essent, qui Societatem ingrediuntur; an sine praevio examine ad quatuor votorum professionem admittendi; censuit Congregatio: in Legum, Canonumque Doctoribus id observandum, quod part. v, cap. 2, § 2, littera B continetur. Theologiae vero Doctores, de quorum eximia eruditione nulla dubitatio esset, examinandos non esse; dubios vero examinandos esse, qui, si mediocritatem non excedunt, ad quatuor votorum professionem admittendi non erunt.

97, in Ms. decr. 116.

Suffragia Examinatorum ad professionem, quo pacto ferenda. *Sup. d. 33 n. 4. C. 10 d. 6.*

Cum vero rogata Congregatio esset: ut, circa secreta Examinatorum ad professionem suffragia, certum aliquem modum praescriberet; censuit: singulos Examinatores scribere suffragium suum debere, tam ad Provincialem, quam ad Generalem, subscripto nomine proprio. Sed Provinciali inscribendas litteras, *soli;* qui in librum, non Examinatorum nomina, sed solum suffragiorum numerum referat, ea cau-

Quae cautela in hac re a Provinciali adhibenda.

P. Vitelleschi Praep. Gen. 1615-16

tela, ut nec Socius ipsius in Examinantium suffragiorum cognitionem veniat; ignoretque, quid Examinantium quisque senserit. Litterae vero Examinatorum, ad Provincialem datae, comburantur.

98, in Ms. decr. 117.

Biennium novitiatus a qua die inchoari censeri debeat.

Propositum deinde: a qua die biennium novitiatus inchoari censeri debeat; censuit: a die, qua quis in Societatis Domum a Provinciali, probationem inchoaturus, in Sociorum numerum admittitur, in quacumque demum Domo aut Collegio id fiat. Atque ita 26 regulam Magistri Novitiorum intelligendam esse.

99, in Ms. decr. 118.

Informationes ad gubernandum et ad gradum, qua Formula et modo faciendae sint, Generali commissum. *C. 8 d. 45. C. 9 d. 37.*

Propositum fuerat: placeretne Formulas de aptis ad gubernandum, et gradum, in breviorem commodioremque rationem contrahi; aliumque etiam modum informationes instituendi praescribi; quod prior ratio, qua multis iam annis usi sumus, videretur nonnullis non levia secum incommoda habere; censuit Congregatio: non facile a veteri Formula modoque recedendum; rem tamen universam Patris nostri iudicio committendam.

Ord. Gen. c. 17, 18.

100, in Ms. decr. 119.

Reditus in Venetam Ditionem a Praeposito Generali omni studio procurandus. *C. 11 d. 26.*

Rogata deinde Congregatio est: ut, quo posset affectu, R. Patri nostro Nostrorum in Venetam Ditionem restitutionem commendaret. Probavit hoc multorum studium Congregatio universa; quod eo propensius facit, quo Serenissimae illius Reipublicae in universam Societatem, iam inde ab eius primordio, voluntatem non potest non gratissima memoria recolere, speretque fore, ut, depulsa tandem nube, quae novem iam annos Societatem cum multorum admiratione tenuit, serenior dies elucescat, quo se suaque in Rempublicam illam veteri profundere more possit, sanguinemque vitamque etiam pro illius incolumitate et salute ponere. Quare, quanto conatu potest, unam hanc e florentissimis quondam Societatis Provinciis, nullo suo merito ereptam, Paternitati illius commendat, ut, in omnem bene gerendae rei occasionem intentus, in eo laboret, ut Serenissima Respublica promptissimam illi serviendi et obsequendi Societatis voluntatem intelligat; nec ab alio novennale hoc silentium illius, quam a studio vitandae cuiuscumque offensionis promanasse.

101, in Ms. decr. 121.

Edantur Secretarii Soc. et Substitutorum Regulae examinatae et recognitae; * *Hic d. 30.* et Procuratoris Gen. cum additamentis.

Denique propositae Secretarii Societatis et Substitutorum illius Regulae a Deputatis, ut decreto 40 * statutum fuerat, examinatae et recognitae; quaedam etiam additamenta ad Regulas Procuratoris Generalis; rogataque Congregatio, placeretne eas eo modo edi; censuit: edendas, omniaque haec Patris nostri iudicio committenda.

DECRETA

OCTAVAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Carrafa Praep. Gen.

Causa Congregationis convocandae.

Sublato e vivis die 9 Februarii 1645 P. Mutio Vitellesco, Generali, ex eius dum viveret scripto suffragio renuntiatus est Vicarius P. Carolus Sangrius, Assistens Italiae; isque generalem Congregationem die 21 Novembris eiusdem anni inchoavit. A qua electus est Generalis die 7 Ianuarii 1646 P. Vincentius Carrafa, direxitque Coetum usque ad 14 Aprilis eiusdem anni, terminum Congregationis.

Decretum 1, in manu scriptis sessione 41.

Electio Deputat. pro postulatis. *C. 1 d. 13, 18. C. 2 d. 4. C. 3 d. 3. C. 5 d. 1. C. 7 d. 41. C. 11 d. 9. C. 12 d. 5. C. 14 d. 7, 23.*

Instituti sunt, iuxta Formulam, cap. 7 § 62, Deputatorum ordines duo ex omnibus Assistentiis. Prior, ut cum P. Generali secerneret ex variis, tum Provinciarum, tum privatorum postulatis, quae tractanda in Congregatione, quaeve ad Generalem remittenda, quae demum reiicienda viderentur. In quem electi fuerunt pluribus suffragiis: P. Thomas Reyna, Provincialis Siciliae, P. Florentius de Montmorency, Rector duacensis, P. Stephanus Charlet, Assistens Galliae, P. Petrus Gonzalez de Mendoza, Assistens Hispaniae, P. Ioannes de Mattos, Assistens Lusitaniae.

Electio Deputat. pro detrimentis. *C. 2 d. 92.*

In posteriorem Deputatorum ordinem, pro examinandis detrimentis, quae passa est Societas, lecti sunt: ex Italia P. Franciscus Piccolomineus, Provincialis neapolitanus; ex Gallia P. Bartholomaeus Iaquinotius, Rector divionensis; ex Germania P. Goswinus Nickel, Rector düsseldorpensis; ex Hispania P. Franciscus Pimentel; ex Lusitania P. Nunius da Cunha.

1645-46

C. 3 d. 4 ante elect. C. 5 d. 2, 3. C. 7 d. 78. C. 12 d. 49. C. 14 d. 11. C. 22 d. 1, 7. Form. Congr. gen. n. 15, 62.

2, in Ms. sess. 42, 43 et 44.

Electio Assistentium. *C. 1 d. 80, 88. C. 2 d. 20, 22. C. 6 d. 1. C. 11 d. 9, 28. C. 12 d. 5. C. 14 d. 2, 23. C. 18 d. 10. C. 20 d. 4, 18. C. 22 d. 11.*

Ultimo die quatridui, ad capiendas informationes pro electione novorum Assistentium destinati, electus est ad plura medietate suffragia Assistens Italiae P. Thomas Reyna, Provincialis Siciliae, tertio scrutinio; Germaniae P. Florentius de Montmorency, Rector duacensis, tertio scrutinio; Galliae P. Bartholomaeus Iaquinotius, Rector divionensis, primo scrutinio; Hispaniae P. Petrus de Mendoza, Provincialis Castellae, primo scrutinio; Lusitaniae P. Nunius da Cunha, secundo scrutinio. Tum, vocatis ad Congregationem Secretario Societatis cum Procuratore chilensi, quaesitoque Procuratoris Generalis, morbo impediti, suffragio, electus est, ad plura medietate suffragia, Admonitor P. Ioannes Stephanus Menochius, Provincialis romanus, secundo scrutinio.

Electio Admonitoris. *C. 2 d. 22. C. 3 d. 17. 42. C. 4 d. 15, 17, 24. C. 5 d. 68. C. 7 d. 8, 14. C. 9 d. 2.*

Deputationes undecim instituuntur.

Ut esset facilior breviorque tractandorum in Congregatione decisio, censuit Congregatio: instituendas esse

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

varias Deputationes, ad ea discutienda prius, quae postea forent a Congregatione decidenda, relicta earum distinctione ac Deputandorum electione arbitrio P. N. Generalis; fueruntque huiusmodi Deputationes omnino undecim, scilicet: sex ad recognoscendas Constitutiones, Regulas, Decreta, Formulas et Ordinationes, tum impressas, tum scripto transmissas, ut, si quae dubia occurrerent, explicarentur et defectibus adhiberentur remedia; una ad spiritualem profectum promovendum; una item ad excitandum zelum animarum in missionibus aliisque Societatis ministeriis; duae ad fovenda studia Litterarum, tum Superiorum, tum Humaniorum; ultima ad conformandam rerum temporalium administrationem. In has vero Deputationes, praeter paucos aliis addictos muneribus, Patres omnes congregati distributi sunt.

3, in Ms. sess. 47.

Quatuor votor. Professi, quoad fieri possit, non sint Procuratores.

Visum est Constitutionibus et menti S. Ignatii congruentius: ut quatuor votorum Professi non fungantur ordinarie Procuratoris munere; neque sit in arbitrio Provincialium in eo, prout libuerit, dispensare; quod a quibusdam Provinciis postulatum fuerat. Quia tamen magna est plerisque in locis idoneorum Coadiutorum spiritualium penuria; commendandum putavit Congregatio Patri nostro: ut, quamdiu durabit haec necessitas, Provincialibus hanc dispensationem petentibus facilem se praebeat.

Potest tamen Praepositus Gen. dispensare ut sint.

4, in Ms. sess. 50.

De tribus Provinciae romanae Collegiis dissolvendis deliberatum;

Quod Provincia romana proposuerat de tribus Collegiis, spoletano, sorano, et Montis sancti, dissolvendis; censuit Congregatio: de duobus postremis rem arbitrio Patris nostri committendam; ut, post pleniorem informationem, tentatis remediis, quibus ea Collegia, si fieri potest, ad commodum statum perducantur, auditisque tandem Assistentibus, id statuat, quod e re Societatis fore videbitur; vitata semper Principum et civitatum offensione, et Societatis invidia. Quod maxime curandum erit in Collegio sorano, ob antiqua, et aeterna memoria dignissima, Boncompagnae familiae in Societatem beneficia. Spoletanum vero maior pars retinendum censuit.

pro duobus facta potestas Praeposito Gen. cum aliquibus cautionibus.

5, in Ms. sess. 52.

Item deliberatum de sex Collegiis Prov. neapolitanae: pro quatuor facta eadem potestas cum iisdem cautionibus.

Et cum propositum esset simile postulatum Provinciae neapolitanae, designataque sex Collegia dissolvenda (nimirum: capuanum, salernitanum, amantheanum, adriense, paulense, bibonense, cum Residentia monopolitana in spem futuri Collegii admissa) eamdem potestatem Patri nostro cum iisdem cautionibus Congregatio fecit; nisi, quod maior pars censuit, retinenda esse Collegia capuanum ac salernitanum, nec alia simul dimittenda, sed sensim, captatis occasionibus.

6, in Ms. sess. 54.

Professorum numerus in Congr. prov. non augendus,

Circa numerum Professorum ad Congregationem provincialem vocandorum, quem aliquae Provinciae augeri petierant, ne Rectorum multitudo antiquiores Professos, ut fieri solet, excluderet; censuit Congregatio: nihil innovandum.

7, in Ms. sess. 55.

Domus Professa gratianopolit. in Col. mutanda. *C. 9 d. 38. C. 11 d. 16. C. 19 d. 7. C. 20 d. 20.*

Audita informatione circa postulatum Provinciae lugdunensis, de Domo Professa gratianopolitana in Collegium saltem inchoatum commu-

tanda; censuit Congregatio: eius rei potestatem R. P. Generali faciendam.

8, in Ms. sess. 56.

Munus docendi Grammaticam et Litteras Humanior. est ministerium proprium Societatis, nec certo tempori nec certis personis addictum. *Instr. 20. C. 7 d. 26.*

Quamvis dubium id esse non posset, censuit tamen Congregatio apertius declarandum, aliquibus id petentibus: munus docendi Grammaticam et Litteras Humaniores, eo fine et modo, quo, apertis ad maiorem Dei gloriam et proximorum salutem scholis, eas docendas suscepit Societas, proprium esse ipsius ministerium, nec certo temporis spatio, nec certis personis addictum, sed quamdiu Superioribus in Domino videbitur, etiam a Sacerdotibus, atque etiam Professis exercendum.

9, in Ms. sess. 57.

Admissi, absolutis studiis, tertio non probentur. *Vide tamen C. 20 d. 8.*

Quod petebatur: ut ii, qui, absolutis studiis, Societatem inierunt, et in aliis ministeriis probati sunt, ante quam promoveantur ad gradum, mittantur ad Domum tertiae Probationis, vel in Collegiis secedant ad aliquot menses colligendi animi causa; Congregatio non censuit exigendum; sed satis esse, si, quae iam constituta sunt, et ex usu Societatis promotioni ad gradus praemitti solent, exacte serventur.

10, in Ms. sess. 59.

Congregationes Procuratorum cogendae, non obstante novennali generali. *C. 11. d. 35. C. 16 d. 8. C. 23 d. 13 n. 1.*

Ut satisfaceret aliquorum dubitationi, declaravit Congregatio: constitutionem Summi Pontificis, de Congregatione generali cogenda quolibet novennio, non impedituram, quominus Congregationes provinciales etiam cogantur more solito, quolibet triennio; tum ob alias causas, tum ut videatur: an sit exspectandum novennium ad cogendam generalem. Quod si visum erit exspectandum, tunc Congregatio provincialis, quae tertia erit post ultimam generalem, Deputatos eliget, cum suo Provinciali Romam venturos.

11, in Ms. sess. 64.

Enitendum per Praepositum Gen., ut Nostri in urbe carpensi a Monialium cura removeantur. *P. 6 c. 3 n. 5. C. 7 d. 56.*

Quamvis non sit opus novo decreto, ut Societatis a cura Monialium immunitas, Constitutionibus satis firmata, commendetur Patri nostro; quia tamen munus ordinarii earum Confessarii, Nostri, qui sunt in urbe carpensi, subire coacti sunt a Sacra Congregatione Cardinalium Sanctae Inquisitionis; enixe rogandum censuit Congregatio: ut illud onus, adeo alienum ab Instituto nostro, quam prudentissime ac fortissime poterit, excutere omnino conetur.

12, in Ms. sess. 65.

Ordo Praedicatorum honorificum dat charitatis ac venerationis testimonium erga Societatem.

Cum Reverendissimus P. F. Thomas Turcus, Magister Generalis venerabilis Ordinis Praedicatorum, in generalissimo Capitulo, ad plurima et maxima eius Ordinis in Societatem nostram vetera merita, illud novissimum pro sua in nos benevolentia singulari adiecerit, ut et Societatem universam, et singulas eius personas, non sine honorifico testimonio, omnibus charitatis ac venerationis officiis, suis Religiosis colendam districte praeceperit; decrevit generalis Congregatio: ut, quod iam a P. N. Generali piae memoriae Mutio ordinatum fuit, id nunc totius Societatis sensu et auctoritate districtius praecipiatur, ut scilicet: Nostri omnes ubique gentium de venerabili Ordine universo, de sanctis eius institutis, eximia doctrina, ac praeclare gestis, cum ea commendatione privatim ac publice loqui, cum eisque peramanter agere, et mutuae hospitalitatis caeterisque

A Nostris omnibus certatim idem venerabilis Ordo colendus venerationis et charitatis officiis. *C. 11 d. 19.*

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

omnibus charitatis officiis certare studeant, eo cultu ac veneratione, quae et minimam hanc nostram Societatem decet, et religiosissimae Familiae, natu ac dignitate maiori, maxime debetur.

13, in Ms. sess. 65.

Ordini Patrum Cassinensium Congregationis Italiae vicissim referenda gratia ob eius singulare in Societatem beneficium.

Deinde, cum recitatum esset edictum, ante duos circiter annos a venerabili Congregatione Cassinensi per occasionem Comitiorum vulgatum, et iam tum a P. N. Generali piae memoriae Mutio Societati universae communicatum, ad beneficii memoriam, simulque grati animi, et mutuae in religiosissimos illos Patres charitatis ac venerationis vicem, ad omnes Socios transmittendum; quo edicto Societatis existimationem libello quodam, sub nomine (ut quidem ipsi, et nos pariter opinamur, mentito) D. Constantini Cassinensis Monachi et Abbatis edito, insigniter laesam dolent, simulque, damnata suppositi auctoris levitate et audacia, suum de Societate honestissimum iudicium nobis pariter ac caeteris omnibus contestantur; censuit Congregatio: huiusmodi sensum ac iudicium venerabilis Ordinis, singularis beneficii loco habendum colendumque esse; decrevitque, nomine totius Societatis hanc illi vicissim gratiam cum summa amoris significatione referendam; ut tum ipsis, tum caeteris quibuscumque testaretur, plane ab initio nobis persuasum esse, eiusmodi traductionem Societatis, ab eius Ordinis, qui et religiosissimus est, et optime semper de ipsa meritus, sensu ac pietate omnino alienam fuisse.

Inf. d. 26.

14, in Ms. sess. 68.

Edantur denuo decreta omnia;

Actum est, postulantibus pluribus, de nova decretorum editione, qua, reiectis, quae sunt superflua, vel reformata, aut etiam abrogata, caeteris vero certo materiarum ordine ad normam Constitutionum collocatis, commoditati pariter et doctrinae legentium consuleretur.

sed in fine vel ad marginem cuiusque decreti addantur citationes aliorum, in quibus eadem res mutatur, derogatur, extenditur, etc. *C. 7 d. 6.*

Nihilominus communi consensu probatum est responsum Patrum Deputatorum, scilicet: cum nova illorum editio curabitur, retinenda quidem esse decreta, sicuti nunc edita sunt, propter utilem et gratam notitiam rerum in singulis Congregationibus generalibus gestarum; addendas tamen in fine vel ad marginem cuiusque decreti citationes aliorum decretorum, quae de iisdem rebus in aliis Congregationibus facta sunt, mutando, derogando, extendendo, etc. Immo eiusmodi indiculum quam primum conficiendum esse, unde iuvari interim possint legentes.

15, in Ms. sess. 69 et 70.

Non est statuenda certa poena infligenda Superioribus gravantibus aere alieno Collegia; sed sit in arbitrio Provincialis aut Generalis. *C. 7 d. 82. Inf. d. 60. C. 9 d. 41. C. 14 d. 12.*

Quaesitum et agitatum est diu: an statuenda sit poena Superioribus localibus, qui sine facultate Provincialis, aut probabili causa, notabili summa aeris alieni gravaverint Domum; in qua poena ne Reverendus quidem P. Generalis dispensare possit: et quae tandem esse debeat: et, an similis poena constituenda sit Provincialibus gravantibus Domos et Collegia pluribus personis, quam pro tempore alere possint?

Censuit vero Congregatio: non statuendam quidem de novo certam poenam culpae, quae potest esse admodum varia. Verumtamen Patri nostro summopere voluit commendatum: ut, pro suo in Societatem affectu, eiusmodi Superiores incuriosos et negligentes, vel etiam prodigos rei familiaris Collegiorum ac Domorum,

P. Carrafa Praep. Gen.

quae Christi pauperum est patrimonium, et a qua etiam res spirituales et bonus Societatis status ac progressus tantopere pendet, impunitos esse minime patiatur; sed Provincialium, (vel in gravioribus causis, suo ipsius) iudicio poenam irroget non imparem culpae, iuxta decretum 82, § 8, Congregationis 7.

Id intelligendum etiam de Provincialibus.

Quod ipsum deinde intellectum voluit etiam de Provincialibus, si ipsorum culpa aliquod eiusmodi acciderit rerum temporalium detrimentum.

16, in Ms. sess. 73.

Litterarum graecarum studium magnopere commendatur. *P. 4 c. 12 n. 2. C. 9 d. 32. C. 14 d. 17.*

Diu actum est de ineunda ratione excitandi in nostris Collegiis studium graecarum Litterarum. Et, quamvis enituerit ardens multorum Patrum desiderium, ac prudens zelus sublevandi eiusmodi studia, decretis aliquibus remediis opportunis, cuiusmodi multa a Patribus ad Humaniores Litteras Deputatis aliisque Congregatis solerter excogitata fuerunt, et in medium allata; censuit nihilominus Congregatio: nihil aliud decernendum, quam enixe commendandum Patri nostro, ut hanc curam promovendi Litteras graecas, in quibus tantum est adiumenti ad omnes , quas profitemur, disciplinas capessendas atque tradendas, tantum luminis ad sacrorum voluminum explanationem, tantum praesidii ad haereses expugnandas, tantum nostrae Societatis decoris et ornamenti, simulque gloriae Christi et Ecclesiae Catholicae; non in minimis suae providentiae partibus collocet. Et Superioribus, tum localibus, tum Provincialibus mandet, ut quidquid hac de re in Ratione Studiorum, praesertim pro nostrorum Scholarium institutione praescriptum est, eo curiosius exigant, quo alicubi incuriosius praestari consuevit.

Quae de hac re in Ratione Studiorum praescripta sunt, diligenter exigenda.

1645-46

17, in Ms. sess. 73, 74, 75 et 76.

Approbatur et commendatur, citra novam obligationem, praxis non admittendi ad professionem ante expletum trigesimum tertium aetatis annum. *P. 1 c. 2 n. 12.*

Duo totidem Provinciarum contraria postulata coniunctim proposita sunt: unum, ut praxis a Patribus nostris Claudio et Mutio observata, non admittendi Nostros ad professionem, prius quam annum trigesimum tertium expleverint, Congregationis decreto firmaretur; alterum, ut tolleretur, ac deinceps liceret id tempus professione antevertere. Et, recitatis utriusque postulati rationibus, una cum Patrum pro Ordinationibus non impressis Deputatorum iudicio, Congregatio, eiusmodi iudicium sequuta,

Decrevit: eam praxim deinceps retinendam, ita tamen, ut ea aetas non sit conditio necessaria ad valorem professionis. Et, quamvis fuerit intercessum, et quaestio biduo agitata; iterum tamen Congregatio voluit, eam praxim suo decreto firmandam.

Nihilominus, cum postera die adhuc dubitaretur, cuiusmodi decreto fuisset ab aliquibus suffragatum: num statuenti et ad modum legis perpetuae obliganti; an vero solum approbanti eam consuetudinem, sine nova obligatione veteri Ordinationi adiecta; sententiis per breves clausulas repetitis, placuit maiori parti: eiusmodi decreto solum approbari eam consuetudinem, citra novam obligationem, et Patri nostro commendari.

Inf. d. 33.

18, in Ms. sess. 77.

Sive iure sive ex aequitate admittitur P. Ferdinandus de Mendoza, Elector, non excluso Substituto.

Cum pridie ex Hispania ad Congregationem generalem venisset P. Ferdinandus de Mendoza, Praepositus Domus Professae hispalensis, primus Electorum a Congregatione provinciali Baeticae; in cuius locum,

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

quod tempore opportunae profectionis aegritudine legitime impeditus iudicabatur, subrogatus fuerat Substitutorum primus, P. Ioannes de Armenta, Rector Collegii malacitani, qui Congregationi generali tres iam menses interfuerat; Pater noster, neutro interim admisso, retulit ad Congregationem: suo et PP. Assistentium iudicio videri, utrumque, sive ex iure, sive ex aequitate admittendum. Caeterum videret Congregatio, quid decerneret. Quae, omnium quidem suffragiis, Patris nostri et Patrum Assistentium iudicium approbavit; verumtamen censuit: rem postea a Patribus ad recognoscendas Formulas Deputatis mature examinandam, et tandem a Congregatione certi aliquid statuendum; ne in posterum expensae una cum laboribus et periculis duplicentur. Ambo itaque admissi sunt.

Quaestio iuris a Deputatis examinetur. *Inf. d. 52.*

19, in Ms. sess. 79, 80, 81 et 82.

Consuetudo monendi Assistentes in locum deficientium eligendos, prius quam consulti Provinciales approbaverint electionem, permittitur Praeposito Generali. *C. 4 d. 24. C. 6 d. 27 n. 2.*

Plurium Provinciarum postulatum fuit: ut, iuxta intellectum Constitutionis part. 9, cap. 5, § 3, Assistentes, in locum demortui eligendi a P. Generali, non ante moneantur, quam consulti Provinciales, non modo non repugnaverint, sed omnino approbaverint electionem, vel omnes, vel maior pars; quia, si ante moneantur, vel etiam a suis Provinciis evocentur, non videtur constare libertas approbationis.

Et nihilominus, postquam fuit totis fere tribus sessionibus de intellectu praedictae Constitutionis et decretorum praeclare disceptatum, obtinuit sententia: non esse derogandum consuetudini, a pluribus Generalibus usurpatae, monendi Assistentes in locum deficientium eligendos, prius quam consulti Provinciales approbaverint electionem; sed eamdem consuetudinem Patris nostri arbitrio ac potestati permittendam esse.

20, in Ms. sess. 82, 83 et 84.

Mortuo Rectore vel Praeposito, nec nominato Superiore, succedit ipsi Minister, quamvis Professus non sit. *C. 17 d. 9.*

Ad propositam quaestionem: ad quem pertineat vicaria administratio Collegii vel Domus, quando, mortuo Rectore vel Praeposito, nec nominato Superiore, aditus ad Provincialem facile haberi non potest; Congregatio, sequuta iudicium Patrum ad recognoscendas Constitutiones Deputatorum, statuit: sicut absente, ita etiam moriente Superiore alicuius loci, huius curam ad Ministrum pertinere, etiam in Domibus Professis, quamvis ipse Professus non sit. Licere nihilominus Superiori, cum Domo aut vita excedit, alium nominare, qui eam curam habeat, si Provincialis cito moneri non possit, aut alia gravis causa id suadeat.

Superiori, Domo aut vita excedenti, licet ob gravem causam alium nominare.

21, in Ms. sess. 82.

Secreta suffragatione decernitur observatio et exsecutio decreti 27 Congr. septimae, de pileo clericali FF. Coadiutoribus non concedendo. *C. 1 d. 95. C. 8 d. 22. C. 7 d. 24, 27. C. 9 d. 24. C. 22 d. 44 n. 6.*

Undecim omnino Provinciarum multorumque privatim Patrum Professorum postulatum fuit: ut vii Congregationis generalis decretum 27, de operimento capitis Fratrum Coadiutorum, ab hac Congregatione non tantum omnimodam firmitatem ac robur acciperet, sed etiam ad usum revocaretur. Quod ubi relatum est, in primis recitato aliquot Patrum Deputatorum in utramlibet propositi partem scripto atque iudicio, quaesitum est: num videretur hac de re secretis suffragiis decernendum; an vero, sententiis de more in commune collatis? Et placuit maiori parti iustis de causis decerni secretis suffragiis.

Cum vero, post huiusmodi decretum institissent aliquot Patres, ut, antequam res adeo gravis secreta

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

suffragatione decerneretur, rationes saltem in medium afferrentur, vel certe (ne, quid quisque in hac causa sensisset, ullo umquam tempore constare posset) in scriptis, et sine nomine deferrentur ad Patrem Secretarium, in Congregatione recitandae; constitutum est: scripto intra triduum afferendas.

C. 8 d. 13.

Quo elapso, lectisque utriusque partis rationibus, secretorum suffragiorum plus quam duabus tertiis partibus decreta est observatio et executio eius decreti 27.

22, in Ms. sess. 85.

Renovatio votorum habet vim primae nuncupationis, si forte ob defectus, qui postea cessarunt, prima vota vim suam non obtinuerunt.

Oblata quaestione cuiusdam Provinciae: de vi renovationis votorum ad primam eorumdem nuncupationem confirmandam;

Visum est Congregationi: firmitatem votorum, quae in Societate post biennium novitiatus emittuntur, et veritatem religiosi status nostrorum Scholarium, non esse sub discrimine opinionum, quantumlibet probabilium, relinquendam. Atque adeo, quod olim Patres nostri piae memoriae Claudius et Mutius declararunt: vitia, quae forte contigerint in prima nuncupatione votorum, ob defectus aetatis, biennii, aliosque similes, cessantibus eiusmodi defectibus, qualibet consueta renovatione votorum emendari, praesenti decreto constituit. Declarans quod in Constitutionibus dicitur: *renovare vota, non esse obligatione nova se obstringere, sed eius, qua obstricti sunt, recordari;* intelligendum esse, ut hactenus intellectum est, quando renovatio priori supervenit obligationi; non vero quando nullam invenit obligationem. Et hoc ipsum in Regulis Magistri Novitiorum exprimendum; et ab eodem Magistro aperte explicandum Novitiis, cum vota post biennium debent emittere; ut intelligant: renovationes votorum, a se deinceps de more Societatis faciendas, habere vim primae nuncupationis, si forte, ex praedictis defectibus, prima vota vim suam non obtinuerint.

Inf. d. 35.

C. 12 d. 13. P. 5 c. 4 n. 6.

Hoc Novitiis explicandum. *Reg. 57 Mag. Novit.*

23, in Ms. sess. 87.

Censurarum et praeceptorum catalogus conficiendus. *C. 9 d. 24. C. 17 d. 15.*

Cum rogata esset Congregatio: ut iuberet confici imprimique catalogum eorum, quae in Societate sub gravi culpa vel poena praecipiuntur vel prohibentur, ut, saltem semel in anno, praelegatur in mensa; censuit: utrique postulato annuendum. Statimque iussit a Patribus ad Ordinationes impressas Deputatis eiusmodi catalogum confici, a Congregatione, prius quam dissolvatur, recognoscendum.

24, in Ms. sess. 86, 87 et 90.

Praeceptum P. Mutii, de non procurandis nec admittendis externorum intercessionibus, approbatur quoad primam partem: reliquae duae solius Ordinationis vim obtineant. *C. 5 d. 14, 49. C. 7 d. 20, 22 n. 2. C. 9 d. 24. C. 10 d. 18. C. 16 d. 17.*

Relata petitione cuiusdam Provinciae: ut praeceptum Patris nostri Mutii piae memoriae, de non procurandis nec admittendis externorum intercessionibus, ad aliquas Provincias missum anno 1643, Februarii 7, recognosceretur, eique moderatio aliqua adhiberetur; et audita Patrum ad Ordinationes non impressas Deputatorum sententia, qui censuerant: moderandum esse ita, ut prima eius Ordinationis pars maneret praecepto firmata; reliquae duae, ad praecidendos scrupulos, vim tantum Ordinationis obtinerent;

Visum est Congregationi: eiusmodi praeceptum, non modo moderandum, verum etiam antiquandum. Verumtamen, cum esset intercessum, repetitis sententiis, maiori suffragiorum parte obtinuit intercessio, et in omnibus approbatum fuit iudicium Patrum Deputatorum; ut scilicet: pri-

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

ma illius Ordinationis pars maneret pristino praecepto firmata, cui Congregatio nullum robur conferret; reliquae vero duae, ad praecidendos scrupulos, solius Ordinationis vim obtinerent. Caeterum potestatis R. Patris nostri fore, praeceptum pro sua prudentia, habita boni communis, locorum ac temporum ratione, vel adstringere, vel laxare.

25, in Ms. sess. 88.

De casibus reservatis.

De casibus reservatis relatum est a Patribus ad recognoscendas Ordinationes impressas Deputatis:

In parvis Collegiis et Residentiis absolvatur ab eis poenitens cum onere se praesentandi Provinciali, aut alteri Superiori, si brevi sit in eius Collegium aut Domum discessurus. *C. 12 d. 17 n. 2.*

1. Cum in parvis Collegiis aut Residentiis, in quibus quatuor aut quinque morantur ex Nostris, difficile sit Confessario, salvo sigillo, ad Superiorem recurrere pro obtinenda facultate absolvendi a reservatis, si quando acciderent; videri consultius: ut Confessarius poenitentem absolvat cum onere se praesentandi Provinciali aut alteri Superiori, si brevi sit in eius Collegium aut Domum discessurus. Atque hoc responsum Congregatio sua auctoritate firmavit.

Pro Superioribus designet Provincialis Confessarium, qui possit eos a reservatis absolvere.

2. Quod in Ordinationibus dicitur: Idem esse servandum Confessariis Superiorum localium, si quando (quod Deus avertat) in aliquem casum reservatum inciderent; videri magnum onus, nec satis eiusmodi Superioribus esse provisum, aut sigillo, si Provinciali se sistere teneantur, sive per se sive per alium; et fortasse magis expedire, ut hoc onus differatur in tempus, quo Superior loco movebitur;

His in consultationem adductis, diuque agitatis, magis placuit Congregationi: liberam potestatem absolvendi Superiores locales a reservatis committi a Provinciali uni ex Confessariis Collegii aut Domus, quem ipse designaverit.

Pro Provincialibus haec facultas Socio ipsius conceditur.

3. Id quoque, quod eodem loco dicitur: idem servandum esse Confessariis Provincialium, cum praesens non esset is, qui ad eum finem a Generali esset destinatus; vix videri in praxim reduci posse, sine periculo violandi sigillum, aut sine maximo onere Provincialis, si Generali per se vel per alium sistere se teneatur. Ideoque tutius fore, facultatem absolvendi Provincialem a reservatis, Socio ipsius absolute concedere.

Quod quidem Deputatorum iudicium Congregatio sua auctoritate sancivit.

26, in Ms. sess. 88.

Aguntur gratiae Patribus Cassinensibus Congregationis Lusitaniae pro beneficio in Societatem collato.

Nuper a Patribus Societatis in Lusitania degentibus ad generalem Congregationem transmissum fuit exemplum cuiusdam decreti editi a Reverendissimo Abbate Generali, et admodum Reverendissimis Definitoribus religiosissimae S. Benedicti Congregationis Lusitaniae in Monasterio Tibanensi, die 29 Octobris 1645 ad hoc specialiter congregatis. In quo, postquam summum studium erga Societatem professi sunt ac testati, in historia benedictina, lusitano idiomate nuper vulgata ab admodum Reverendo Magistro Fratre Leone a S. Thoma, eiusdem Congregationis Monacho, quaedam referri ex existimato Constantino quodam Caietano, quae a venerabili Cassinensi Congregatione, ut Societatis existimationi contraria, ita minus probabilia, quam fides historica postulat, publico decreto iudicata sunt; eadem ipsi a primo auctore sine fundamento vulgata aut excogitata, et minus considerate a secundo relata, certe a communi suae Con-

Sup. d. 13.

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

gregationis sensu prorsus aliena declarant. Quibus auditis, censuit Congregatio: in primis, venerabilibus illis Patribus totique religiosissimo coetui quam maximas gratias haberi agique oportere, quod aequitate ac charitate, religiosissimo Ordine plane digna, bonam Societatis existimationem, etiam adversus suos ipsorum alumnos defendendam susceperint. Deinde huius quoque recentis beneficii notitiam publico decreto ad omnes Socios, tum hodiernos, tum posteros transmittendam; ut, et quantum sanctissimo Ordini Societas debeat, intelligant universi, et omnibus charitatis ac venerationis officiis parem illi gratiam referre contendant.

27, in Ms. sess. 89.

Collegia fundanda, saltem viginti alere possint.

Decretum, quod sessione 67 Patri nostro proponenti conficiendum Congregatio commisit, quo removeatur Nostrorum offensio, si quando in acceptandis Collegiis vetus Formula quintae Congregationis, ut neque antea, ita deinceps non observetur; et hac saltem temporum conditione Pater noster utatur ut regula, sessione 70 relatum ad Congregationem, ab eaque adprobatum, huiusmodi fuit:

Decr. 69.

Quandoquidem Collegia minora, ex Formula in v Congregatione decreta, subductis Scholaribus, qui ex Formula secundae Congregationis in iisdem institui iubebantur, ut Praeceptoribus et Operariis succedere possent ad operis perpetuitatem, non plures fere alere posse oportebat, quam viginti; iamque singulae Provinciae habent maiora Collegia, in quorum Seminariis earumdem Scholares simul commodius et utilius instituuntur; visum est Congregationi: non fore contra vetera decreta, neque contra bonum commune, si deinceps admittantur aliqua Collegia, in quibus viginti saltem socii degere commode ac sustentari possint. Excipiuntur indicae et transalpinae regiones, de quibus nihil adhuc praescribendum videtur.

Excipiuntur indicae et transalpinae regiones.

28, in Ms. sess. 91 et 92.

De Vicarii electione, vivente Generali. *C. 1 d. 48. C. 4 d. 21.*

Ex responsis a Patribus Deputatis ad Formulas relatum est de modo eligendi Vicarium, vivente adhuc Generali.

Primum quidem, cum possit accidere, ut Generalis, propter gravem aegritudinem aut senium, factus sit inutilis ad Societatis gubernationem, adeo, ut rebus sui muneris vacare non possit nec aliquando vacaturus speretur; et interim tamen Vicarium sibi substituere aut non possit, aut nolit, cui periculo non satis videtur consultum, si Vicarius possit eligi a Provincialibus cum approbatione duorum Praepositorum localium vel Rectorum uniuscuiusque Provinciae, per litteras, pluribus suffragiis; quod nec Provinciales absentes facile scire statum Generalis, nec, a se invicem dissiti, sine alicuius praerogativa proponendi eligendum, petendi, recipiendique suffragia (quorum nec definitus est numerus) et electum declarandi, eam tractationem inchoare possint, nedum perficere;

An propterea videretur decernendum vel declarandum: spectare ad Assistentes, qui omnium optime nosse possunt statum Generalis, iudicare, utrum sit eligendus Vicarius; et eumdem monere, ut eligat, si possit, nisi id sua sponte faciat. Utque in re tanti momenti consultum sit bono publico, et ne ob defectum capitis totum corpus Societatis detrimentum patiatur;

P. Carrafa Praep. Gen. 1645-46

ad Formulam iuramenti, quo Assistentes se obstringunt, si accidat aliquid ex iis, quae sufficiunt ad Praepositum suo officio privandum, se fideliter Societati denuntiaturos; addendum esse: idem facturos, si ob gravem morbum aut senium Generalis sit eligendus Vicarius;

Assistentes iudicent, quandonam substituendus Vicarius Generali viventi, sed inutili ad gubernandum; ipsumque Gen. moneant, ut eligat, si possit. *C. 12 d. 55. P. 9 c. 5 n. 6.*

Decrevit Congregatio: Assistentium esse iudicare quando sit substituendus Vicarius Generali adhuc viventi, sed inutili ad Societatis gubernationem; ipsumque Generalem monere, ut eligat, si possit; nisi sponte id faciat. Caeterum nihil hac de causa ipsorum iuramento addendum.

29, in Ms. sess. 129.

CAETERA AD ELECTIONEM VICARII PERTINENTIA DEFINITORIBUS, PAULO POST ELECTIS, COMMISSA SUNT.

Vicarii electio, data impotentia Generalis, fiat iuxta Formulam eligendi ipsum mortuo Generali. *C. 1 d. 48. C. 12 d. 55. P. 9 c. 4 n. 6.* Quid a Vicario electo quamprimum faciendum sit.

Definitores porro, approbante Congregatione, censuerunt: in praedicto casu eligendum esse Vicarium, iuxta Formulam eligendi ipsum, mortuo Generali. Quod non obscure significatur Const. part. 8, cap. 4, lit. A. Et quam primum ab eodem Vicario, consultis Assistentibus, debere moneri Societatem de statu Generalis, et exquiri suffragia Provincialium, et duorum Praepositorum localium, vel Rectorum uniuscuiusque Provinciae in Europa quatuor votorum professione antiquorum; ex quibus suffragiis appareat: quid maior pars censeat esse faciendum pro bono Societatis. Litterae vero Provincialium ac duorum illorum Superiorum aperiendae erunt a Vicario coram omnibus Assistentibus et Secretario Societatis. Eodem tempore ipsi Assistentes dabunt sua secreta suffragia; et, omnibus lectis atque inter se collatis suffragiis, fiet, quod maior pars iudicaverit. Interea vero Vicarius iam electus Societatem gubernare debebit, eo prorsus iure, quod in Officio ipsius continetur.

30, in Ms. sess. 92.

Eligantur decem Definitores, bini ex singulis Assistentiis, ut brevius quae supersunt tractanda expediantur.

Ut brevius expedirentur quae tractanda supererant, actum est: de eligendis Definitoribus ad res determinandas, quas eis Congregatio specialiter committendas iudicaret. Et sequenti die, ad plura medietate suffragia, decretum est: eligendos esse Definitores decem numero, binos scilicet ex singulis Assistentiis.

31, in Ms. sess. 93.

Definitores eliguntur.

Et quidem ex Italiae Assistentia electi sunt: primo loco, P. Franciscus Piccolomineus, Provincialis neapolitanae; secundo, P. Valentinus Mangionius: ex Germaniae P. Odoardus Knottus, Provincialis Angliae, et P. Goswinus Nickel, Rector düsseldorpiensis: ex Galliae P. Bartholomaeus Iaquinotius, et P. Stephanus Charlettus; ille novus, hic vetus Assistens: ex Hispaniae P. Franciscus Aguado, et P. Petrus de Avilés, Provincialis Baeticae: ex Lusitaniae P. Nunius da Cunha, novus Assistens, et P. Hieronymus Vogado, Provincialis Lusitaniae; singuli ad plura medietate suffragia, petita etiam ab absentibus, causa aegritudinis, et secundo scrutinio, praeter P. de Avilés, qui electus est primo.

32, in Ms. sess. 96.

Eorum potestas determinatur. *Form. Congr. gen. n. 71, 72. C. 4 d. 29, 30.*

Actum deinde est de potestate illis danda. Et placuit: dari plenam, iuxta Formulam, et decreta quartae Congregationis generalis; ut scilicet omnis quaestio a Congregatione illis commissa, et omnis intercessio (sive una,

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

sive duae fierent) ab illis terminarentur; iis exceptis, quae pertinent ad Constitutiones, et magna Collegia dissolvenda.

33, in Ms. sess. 97.

Professio ante aetatem facta valida declaratur. *Sup. d. 17.*

Rogata Congregatio, ut declararet: quid sentiendum sit de valore professionis alicuius, qui, cum sibi conscius esset, se non implevisse trigesimum tertium annum aetatis, id, vel non interrogatus ultro non aperuit, vel interrogatus dissimulavit; censuit: professionem quidem in utroque eventu fuisse ac fore validam; eiusmodi tamen defectus non debere a Patre nostro impunitos dimitti.

Puniendus tamen qui defectum dissimulavit aut non aperuit.

34, in Ms. sess. 97.

Professio in manibus Praelati externi facta declaratur invalida.

Rogata ulterius, ut declararet: an sit valida professio emissa in manibus alicuius Praelati, cui honoris causa Provincialis id detulit; cum ipse praesens esset, vel praesentes alios Professos haberet;

Iudicavit Congregatio: nullius esse valoris, ob defectum potestatis in admittente; quia facultas Provincialibus delegata, ex Generalium intentione non semel eorumdem responsis expressa, non extenditur ad hunc casum.

35, in Ms. sess. 99 et 103.

Probatio inchoata ante 15, et vota emissa ante 17 annos expletos, minime rata sint. *Comp. Privil. n. 423. P. 1 c. 2 n. 12. c. 3, K. C. 2 d. 14.*

Cum esset postulatum, ut Congregatio declararet: an aetas quindecim annorum ad probationem, et septemdecim ad vota simplicia Societatis, ita sit necessaria, ut, si quis, absque dispensatione Generalis, ante completum decimum quintum ad probationem, et decimum septimum ad vota admittatur, probatio et vota sint irrita. Post quaestionem variis utrimque sententiis sapienter agitatam,

Tandem longe maior Patrum numerus in eam ivit sententiam, ut Congregationis auctoritate definiatur id, quod pluribus iam Generalium responsis declaratum fuit: probationem inchoatam ante decimum quintum, et vota emissa ante decimum septimum annos expletos, minime rata esse; nec sufficere, ut vovens censeatur vere Religiosus.

Audita intercessione constituitur: Provincialis, sine Generalis dispensatione, non possit admittere ad prob. ante 15, nec ad vota ante 17 annos expletos, sub poena invaliditatis. *Vide tamen sup d. 22. C. 12 d. 13.*

Et tamen, cum aliquis Patrum intercessisset, iterumque hac de re diu disceptatum esset; abrogato praecedenti decreto definitivo, constitutum est in posterum: ut Provinciales sine Generalis dispensatione non habeant facultatem admittendi ad probationem ante quindecim; nec ad vota Societatis ante septemdecim expletos annos; ita, ut irritum sit, defectu potestatis, quidquid contra fuerit factum.

36, in Ms. sess. 104.

Indicenda suffragia pro Rege Catholico, eique agendae gratiae ob magnos sumptus in Missionibus indicis factos.

Cum aliqui Patres proposuissent considerandum: num indicenda essent suffragia pro Rege Catholico, eique nomine Congregationis agendae gratiae, ob magnos sumptus, quos fecit facitque in dies in indicis Missionibus; censuit Congregatio: utrumque cumulate praestandum.

37, in Ms. sess. 104 et 128.

Approbata de Studiis Superioribus. *Ord. Gen. c. 18 pars tertia. Instr. 19.*

A Patribus Deputatis pro Studiis Superioribus plura relata sunt; ex quibus, quae proxime sequuntur, Congregatio ipsa constituit:

In suffragio examinis ad prof. explicetur, an mediocritatem saltem attingat, qui doctrina necessaria caret ad prof. 4 votorum. *C. 12 c. 22 n. 2.*

1. Ut Examinatores ad professionem suo in suffragio explicent: an saltem mediocritatem attingant illi, qui non habent tantum doctrinae, quantum necessarium est ad professionem quatuor votorum, ut videant Superiores, num habenda sit ratio aliorum talentorum.

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

In Formula iuramenti, aptitudo ad docendum intelligitur, ubi idonei sint auditores ac disputantes. *C. 12 d. 22. C. 7 d. 38 n. 3,4.*

2. Quod dicitur in Formula iuramenti eorumdem Examinatorum: de doctrina necessaria ad Philosophiam ac Theologiam cum satisfactione docendam; intelligendum esse in iis locis, in quibus est idoneorum auditorum ac disputantium concursus.

Approbetur in examine: in 1.° anno Theol., qui tulit duo suffragia; in 2.° et 3.° et in examine ad professionem, qui tria tulit. *C. 11 d. 14, 24 n. 5.*

3. Ut nemo deinceps censeatur habere doctrinam necessariam ad professionem quatuor votorum, qui non tulerit quatuor Examinatorum tria suffragia clara, et minime dubia; totidemque requirantur, ut auditores Theologiae a secundo ad tertium, et a tertio ad quartum annum pergere possint; nam, ut a primo ad secundum transeant, duo sufficient.

TRIA SEQUENTIA A PP. DEFINITORIBUS DECRETA SUNT, ET A CONGREGATIONE APPROBATA.

Pro examine ad gradum assignentur theses a Superiore cum Praefecto.

4. In examine ad professionem assignandae sunt theses a Superiore cum Praefecto, ex Instructione 19, § 3, et praescribendi quatuor menses, ultra quos examen non differatur, tam iis, qui in quarto Theologiae anno versantur; quam caeteris, qui post absoluta studia ante ingressum, aut post alias in Societate occupationes examen subeunt. Quod si intra praefinitum hoc tempus quatuor mensium non fiat examen, conclusiones mutandae erunt ab eodem Superiore cum Praefecto Studiorum. Singuli autem, licet non necessario a singulis, examinandi sunt, tam in Philosophia quam Theologia, quando de utraque theses habent.

Si intra quatuor menses non fiat examen, ab iisdem mutentur conclusiones.

Singuli examinandi sunt in Philosophia et Theologia.

Provinciales, inconsulto Generali, possunt statuere, ut progrediantur in studio Theologi, qui et mediocritatem attingunt, et praeclara habent talenta ad gubernandum aut concionandum.

5. Ad dubitationem: an Provinciales possint, inconsulto Generali, statuere, ut Theologi in eo studio progrediantur, quando mediocritatem, Examinatorum iudicio, non superarint, modo praeclara in iis ad gubernandum aut concionandum talenta eluceant;

Censuere PP. Definitores: Provinciales id posse cum iis, qui mediocritatem attigerint, et talenta eiusmodi praeclara habuerint. Si autem alterum istorum desit, non posse dispensare, ex decreto 33 Congregationis septimae. Itaque et de mediocritate doctrinae constare debet iudicio Examinatorum, et de excellentia talenti iudicio Consultorum et aliorum gravium virorum, quos in consilium adhibere tenetur, iuxta § 8 * regulae 19 Provincialis in Ratione Studiorum.

Mediocritas doctrinae constet iudicio Examinator.; excellentia talenti iudicio Consultorum et aliorum gravium virorum. * *Hic n. 9.*

Metaphysici, ut admittantur ad Theologiam schol., ex quinque suffragiis tria ferant. *C. 22 d. 35.*

6. Ad servandam per omnes Provincias uniformitatem in examine Metaphysicorum, PP. Definitores iudicarunt: quinque in posterum de eorum doctrina iudicium ferre debere, iuxta Rationem Studiorum; et tria suffragia necessaria fore, ut ad Theologiam Scholasticam admittantur.

38, in Ms. sess. 106, 107, et 112.

Media ad renovationem spiritus promovendam. *C. 6 d. 29. C. 7 d. 25. C. 18 d. 22.*

Ex iis, quae ad profectum in spiritu Deputati Patres proposuerunt, haec censuit Congregatio:

Curent Provinciales, ut Exercitia Spiritualia quotannis recte fiant. *C. 6 d. 29 n. 2.*

1. Commendandum Patri nostro: ut, quomodo iudicaverit in Domino expedire, per Provinciales urgeat executionem eorum, quae de Spiritualibus Exercitiis quotannis per octiduum obeundis constituta sunt.

Superiores locales nullum possint ab iis obeundis eximere.

2. Ne Superiores locales ab iis obeundis immunitatem dare possint; et soli Provinciales rationes audiant, quibus aliquis videatur excusandus.

Lectio spiritualis habeatur, ut est praescripta. * *d. 25 n. 3.* Invigilent in id Superiores.

3. De lectione spirituali nihil quidem communi decreto addendum ad illum quadrantem, quem Congregatio septima * illi pariter ac praeparationi futurae meditationis praefinivit. Caeterum ad Superiorum providentiam

P. Carrafa Praep. Gen. 1645-46

Puncta meditationis Coadiutoribus a Praef. rer. spir. vel ab alio designato proponantur. *C. 1 d. 97. C. 7 d. 80 n. 19.*

spectare eos dirigere, quibus non satis eo decreto consultum videatur.

4. Ut ad fovendum in Fratribus Coadiutoribus spiritum orationis, puncta matutinae meditationis illis omnibus breviter dentur a Praefecto rerum spiritualium, vel ab alio a Superioribus designato.

39, *in Ms. sess. 106.*

Non ferendum, ut aliqui degant in Domibus vel Collegiis hoc solo nomine, quod solvant necessaria ad sustentationem. *C. 7 d. 18.*

Ad quaesitum illud: an sit ferendum, quod alicubi permittitur, ut aliqui degant in aliqua Domo vel Collegio, hoc solo nomine, quod solvunt quantum necesse est ad ipsorum sustentationem; cum interim excludantur alii digniores et utiliores; censuit Congregatio: hunc morem a Patre nostro omnino corrigendum.

40, *in Ms. sess. 113.*

Iudicium de peritia linguarum Indorum sufficienti ad professionem iuramento constet. *C. 6 d. 15. C. 15 d. 11.*

Postulante P. Procuratore goanae Provinciae, Congregationis auctoritate decretum est, quod P. N. Mutius piae mem. eidem Provinciae iam concesserat: ut Examinatores de linguis Indorum iurati ferant iudicium de ipsarum peritia sufficienti ad professionem.

41, *in Ms. sess. 115.*

Legata commutandi facultas Generali reservatur. *Comp. Privil. n. 119, 120, 26; in editione Pragensi § 6.*

Ad postulatum: ut non liceat Superioribus, seu localibus seu Provincialibus, uti facultate commutandi legata, vel etiam a viventibus donata, de qua est mentio in Comp. Privil. verbo *Commutatio,* § 4,

Respondit Congregatio: usum eius facultatis Generali reservandum.

42, *in Ms. sess. 116.*

Impedito Electo, eligatur in Congr. prov. alius, ultimo loco substituendus. *C. 16 d. 23.*

Ad quaestionem: an mortuo, vel legitime impedito et declarato, durante Congregatione provinciali, aliquo ex Electis pro Congregatione generali, eligendus sit alius, praeter tres Substitutos?

Censuit Congregatio: eligendum alium, postremo loco substituendum.

43, *in Ms. sess. 116.*

Superioris officium incipit ab authentica eius renuntiatione in ipsius Collegio vel Domo. *C. 9 d. 10. C. 17 d. 7. C. 19 d. 9.*

De altera quaestione, huic tempori, quo, ex nupero Summi Pontificis brevi, praefecturae certo temporis spatio definitae sunt, sane opportuna: quando incipiat officium Rectoris vel Praepositi? cum hoc iure nostro non sit constitutum; ius vero commune hac parte non facile accommodetur Societatis usui, qui etiam non satis constans hactenus fuit; statuit Congregatio: officium et auctoritatem Superiorum localium, atque adeo triennium praefecturis definitum inchoari a die authenticae renuntiationis ipsorum in Collegio vel Domo, quibus praeficiuntur; sive ipsi praesentes sint, sive absentes.

44, *in Ms. sess. 121.*

Privilegiorum confirmatio a Sede Apost. postulanda. *Inf. d. 50.*

Rogata Congregatio: ut statueret, confirmationem privilegiorum Societatis suo nomine per Patrem nostrum, cum expedire iudicaverit, a Sede Apostolica postulandam, id enixe Patri nostro commendatum voluit.

45, *in Ms. sess. 121.*

Formula informationes instituendi a Patre nostro praescribenda. *C. 9 d. 87. Ord. Gen. c. 17, 18.*

Rogata iterum: ut Patri nostro committeret, quod Congregatio septima, decreto 99, commisit praedecessori, de praescribenda Formula modoque instituendi informationes; hoc similiter voluit Patri nostro commendatum.

46, *in Ms. sess. 125.*

Vicarius ex causis gravissimis.

Rogata ulterius, ut censeret: num praestaret, vacante Generalatu, Vicarium habere potestatem dimittendi e

P. Carrafa Praep. Gen. — 1645-46

ad plura cum Assistentibus suffragia, potest dimittere Professos et Formatos.

Societate Professos et Formatos; censuit: esse e re Societatis, ut Vicarius talem habeat potestatem, qua, ex causis gravissimis, et ad plura cum Assistentibus suffragia, uti possit. Eamque proinde vi praesentis decreti illi communicat.

47, in Ms. sess. 125.

Martyrologium, non vespere, sed mane legatur.

Cum esset postulatum: ut Martyrologium deinceps non vespere sed mane legeretur ad mensam; ut Sacerdotes tempori intelligant, quomodo sit ordinandum officium; statuit Congregatio: ita faciendum.

48, in Ms. sess. 125.

Procurator Gen. in Congr. prov. supra numerum admittendus. *C. 6 d. 25 n. 11. C. 17 d. 5.*

Propositum est Congregationi, ut censeret: num Procurator Generalis in Congregatione provinciali activum suffragium habere debeat supra numerum. Censuit: habere debere tale suffragium, et tali modo.

49, in Ms. sess. 125.

Supplicandum Summo Pont., ut S. Ignatius officio duplici in Ecclesia universa colatur.

Rogata deinde, ut decerneret: supplicandum suo nomine Summo Pontifici, ut iuberet, S. Patrem Ignatium officio duplici coli in Ecclesia universa; decrevit: supplicandum.

50, in Ms. sess. 126.

Agendum cum Summo Pont., ut Nostri in Polonia non impediantur uti privilegiis Societatis.

Exposuit Provincia Poloniae: Nostros, qui in eo regno versantur, in suis ministeriis impediri a quibusdam Episcopis; neque permitti, ut immunitatibus et privilegiis a Sede Apostolica Societati concessis utantur, sicut in aliis regnis. Et subinde postulavit: ut nomine Congregationis liceret Patri nostro agere cum Summo Pontifice, ad haec impedimenta, quantum fieri poterit, amolienda. Censuit Congregatio: annuendum postulato, atque hoc negotium Patri nostro commendandum.

Sup. d. 44.

51, in Ms. sess. 126.

Superiores Residentiarum indicarum primariarum et Missionis hollandicae adsint Congr. prov. supra numerum, si iure antiquitatis carent.

Demum rogata Congregatio, ut, in gratiam Missionum indicarum, ex omnibus Superioribus Residentiarum, quas alicubi vocant Doctrinas, ei, qui primariam, Provincialis iudicio designandam, administrat, liceret adesse Congregationi provinciali; annuendum censuit. Et cum eadem gratia peteretur Superiori totius Missionis hollandicae, eamdem similiter concessit. Ita tamen, ut uterque supernumerarius sit, quando iure antiquitatis interesse non possunt.

QUAE SEQUUNTUR DECRETA A PP. DEFINITORIBUS CONFECTA SUNT, ET A CONGREGATIONE APPROBATA.

52, in Ms. sess. 128.

Qui legitimo modo censentur impediti, omni iure excidant accedendi ad Congr. gen. vel prov. vel Procurator. *Sup. 18.*

Dubitatum fuit: quid censendum de iis, qui, impediti, ne venire possent ad Congregationem generalem, postea, cessante impedimento, veniunt, licet Provincialis cum Substitutis in eorum locum discesserit Romam?

A quibus indicandum, an impedimentum sit legitimum. *C. 7 d. 48, 53. C. 19 d. 8. C. 23 d. 38 n. 1.*

Censuere Patres Definitores: in casu proposito, Provincialem cum suis Consultoribus, qui aderunt, et caeteris omnibus praesentibus, qui in Congregatione provinciali ius suffragii habent, ad plura suffragia iudicare debere: an impedimentum sit legitimum: et an congruum tempus sit ad hoc ipsum iudicium ferendum, ut iter in Urbem tempestive possit institui; excluso semper in hac deliberatione eo, de cuius impedimentis agitur, iuxta Congregationis provincialis Formulam, § 10, et in posterum eo etiam, qui proxime subrogandus est, si prior ille impeditus censeatur. Cui iudicio sic facto ac-

De Provinciali impedito vide. C. 13 d. 22.

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

quiescendum est ita, ut iis, qui ea ratione iudicantur impediti, nihil iuris reliquum sit ad Congregationem generalem aut Procuratorum, ex eadem Formula, § 41 et 13. Quod de Congregatione etiam provinciali intelligendum est; ut scilicet: ii, qui praedicto modo censentur impediti, omni iure excidant ad eam accedendi; et, si re ipsa veniant, admitti non debeant.

53, in Ms. sess. 128.

Procuratores Indiarum, in Lusitania et Baetica commorantes, admittendi ad Congr. prov., si Professi sint, et ratione antiquitatis in illa et in sua Provincia ius haberent. *Form. n. 5, C. 6 d. 35 n. 12.*

Ad dubitationem: utrum Procuratores Indiarum, qui in Provinciis Lusitaniae et Baeticae commorantur, admittendi sint ad Congregationem provincialem pro generali futura convocatam, si Professi sint, et in dictis Provinciis, si ex iis essent, suffragii ius haberent, et in suis itidem, si adessent;

Censuere PP. Definitores: Procuratores Indiarum, eo solum nomine, quod Procuratores sunt, ad Congregationem provincialem, in Provinciis Lusitaniae et Baeticae pro generali futura convocatam, minime admittendos esse, iuxta sensum Formulae Congr. provincialis, § 5. At si contingat, Procuratores eiusmodi Professos esse quatuor votorum, et ratione antiquitatis habere ius suffragii in illis Provinciis, si ex iis essent, et in suis etiam, si adessent; admittendos ad Congregationem provincialem, etiam pro generali futura coactam, ex eiusdem Formulae § 8, qui propterea cum quinto non pugnat.

54, in Ms. sess. 128.

Provincialis potest facere contractus in bonum Provinciae, Collegiorum, aut Residentiarum. *C. 8 d. 28.*

Petitum est, ut declararetur: an et qualem facultatem habeant Provinciales in suis Provinciis, ex vi muneris, faciendi contractus in bonum Provinciae, vel Collegiorum, aut Residentiarum suarum.

Sine urgente necessitate, non faciat inconsulto Superiore locali in hoc casu moneat Generalem.

Censuere PP. Definitores: Provinciales facultatem habere faciendi contractus in bonum Provinciae vel Collegiorum aut Residentiarum in suis Provinciis; et sic intelligendam regulam Provincialis 9. At, quamvis id valide possint, nullo tamen modo facere debere, contradicente aut etiam inconsulto Superiore locali, nisi urgens necessitas contrarium suaderet; in quo casu monere debebunt Generalem, quas ob causas id fecerint.

55, in Ms. sess. 128.

Praepositi Gen. Socius ordinarie non sit Sacerdos.

Ad propositum: ut Pater noster adsciscat, loco Coadiutoris temporalis, Sacerdotem, qui adstet ad eius ianuam pro admittendis iis, qui cum eo agere volunt;

PP. Definitores censuerunt: omnino rem hanc iudicio ac voluntati Patris nostri relinquendam. At, quoniam instituit, ut mentem suam Definitores aperirent; iudicarunt: videri sibi, nullam esse causam, cur fieret ista mutatio, quae secum etiam aliqua afferre posset incommoda. Posse tamen Patrem nostrum, quoties visum fuerit, uti opera Sacerdotis alicuius in iis, quae opportunius tali personae committenda iudicaret.

56, in Ms. sess. 128.

Generalem moneat Provincialis post visitationem, si quem invenerit negotiis saecularibus deditum; et quae remedia adhibita. *C. 7 d. 13.* Is primo tempore removendus.

Ad obtinendum, ut Nostri a negotiis saecularibus, etiam cognatorum et propinquorum, abstineant, Definitores censuerunt: Provinciales, sub cuiusque loci visitationem, monere debere Patrem nostrum, si quemquam huius culpae reum deprehenderint, et quid in remedium poenamve constituerint. Et rogandum: ut primo quoque tempore removean-

P. Carrafa Praep. Gen.

1645-46

tur, quos huiusmodi negotiis implicitos esse constiterit.

57, in Ms. sess. 128.

Revisores gen., Substituti et caeteri, qui Romae toti Societati operam navant, passivam vocem habent in suis Prov. *C. 6 d. 25 n. 9. C. 12 d. 45. C. 14 d. 16. C. 15 d. 6. Form. n. 8.*

Visum est, Revisoribus generalibus concedendum, ut in sua ipsorum Provincia passivam vocem habeant in electione pro mittendis ad Congregationem generalem. Quod idem, a paritate rationis, dicendum est de Substitutis et aliis omnibus, qui Romae toti Societati operam navant, et ex alia Provincia assumpti sunt.

58, in Ms. sess. 128.

Dimissi sine causa, absque novitiatu restituantur.

Is, qui sine culpa, et sine ulla penitus causa, e Societate expulsus est ita, ut invalida sit dimissio, in pristinum statum absque novitiatu restitui debet. Si autem valida dimissio sit, et qui dimittitur solutus est votis; non nisi post expletum biennium ad vota admittendus est, quamvis in probationibus dispensare cum illo possit Provincialis iuxta Ordinationum Generalium cap. 1, § 2.

Dimissi valide, non admittendi ad vota ante biennium. *P. 2 c. 4 n. 8.*

59, in Ms. sess. 128.

Eleemosynae a Collegiis quatenus admitti non possint, explicatur.

Quod habetur Ordinationum Generalium cap. 1, § 14: Collegia, quae possunt alere 12 Scholares, non posse admittere eleemosynas, desumptum est ex Const. part. iv, cap. 2, § 6, ubi solum dicitur: ob populi aedificationem nec petendas eleemosynas, nec illas aut dona ulla admittenda; ad quem finem aedificationis, Congregatio iii decreto 25 declaravit, tam intelligentiam quam praxim Constitutionis exigendam esse. Cui declarationi standum est; nec censendum, per Ordinationem obligationem aliam, quam simplicis Constitutionis, inductam.

60, in Ms. sess. 128.

PRO REMEDIIS SUBLEVANDAE DOMORUM ET COLLEGIORUM INOPIAE, PP. DEFINITORES APPROBARUNT SEQUENTIA.

Admittendorum numerus a Patre nostro determinetur secundum cuiusque Provinciae statum temporalem. *C. 2 d. 27. C. 7 d. 82.*

1. Ut numerus in posterum admittendorum ab Adm. R. Patre nostro determinetur, considerato cuiusque Provinciae statu temporali. Immo, ut nulli in aliquibus Provinciis ad tempus admittantur, si id Sua Paternitas, omnibus perpensis, expediens aut necessarium fore iudicabit.

Potius adhibeantur famuli, quam praescriptus Coadiutorum numerus excedatur. *C. 1 d. 103.* Donec ad hanc regulam veniatur, nulli admittantur.

2. Ut servetur decretum 82 Congregationis vii: ne Coadiutores quartam partem in Collegiis, in Domibus vero Professis ne tertiam partem excedant; et potius adhibeantur famuli, quam praescriptus ille numerus excedatur. Interim vero, donec ad hanc regulam veniatur, nulli Coadiutores admittantur.

Provincialis supernumerarios Socios per Provinciam distribuat.

3. Provincialis habeat numerum Sociorum, qui in sua Provincia reperiuntur supra numerum eorum, qui ex reditibus et ordinariis eleemosynis ali possunt, ut supernumerarios istos per Collegia et Domos distribuere queat, proportione (quantum fieri poterit pro cuiusque loci facultate) servata. In primis autem tentanda sunt omnia, ut ne Seminaria cum irreparabili Provinciarum damno ruant in peius. Iuventur autem, quantum fieri potest, vel iis applicando Nostrorum legitimas et alia Provincialis dispositioni permissa, vel contributione aliorum Collegiorum, vel alia ratione iuxta decretum 18 Congregationis vi. Nominatim vero exonerentur, submovendo personas ad propria eorum ministeria absolute non necessarias.

Curandum, ut Seminaria non ruant in peius; quomodo iuvanda.

P. Carrafa Praep. Gen. — 1645-46

Superiores locales et Procuratores rationem domesticae oeconomiae reddant. *Sup. d. 15.*

4. Superiores locales et Procuratores quando suo singuli defunguntur officio, coram successore et Ministro Domus aut Collegii rationem domesticae oeconomiae reddant, et suo chirographo signent, quantum acceperint, quantam successori rem tradant; atque hanc etiam successor sua manu confirmet, iuxta Ordinationem Mutii bonae mem. ad Provincias transmissam 21 Martii, anno 1640.

Fiat hac de re Instructio. *Instr. ultima, post. 21. C. 9 d. 41. C. 14 d. 12. C. 21 d. 12.*

5. Postremo fiat hac de re Instructio, Adm. R. Patris nostri iudicio comprobanda, et communicanda Provinciis, ut Congregatio haec faciendum censuit.

DECRETA

NONAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Piccolomini Praep. Gen. — 1649-50

Causa Congregationis convocandae.

Absentes exspectentur quatriduo.

Cum P. Vincentius Carrafa Generalis mortalitatem exuisset 8 Iunii 1649, nominassetque sua scheda Vicarium Generalem P. Florentium de Montmorency, Germaniae Assistentem, indicta fuit Congregatio ad 8 Decembris; et, cum necdum Patres Provinciae toletanae, castellanae ac lusitanae constituto die advenissent, sicut nec Vice Provincialis Angliae; habita inter reliquos Patres consultatione, iuxta § 3 Officii Vicarii Generalis, visum est quatuor aliis diebus exspectandum. Quare inchoata est Congregatio die 13 Decembris anni eiusdem. Haec autem P. Franciscum Piccolomineum Generalem dixit, quo eam moderante, 23 Februarii soluta est.

Anno 1650.

Decretum 1, in manu scriptis act. 5.

Praepositus Generalis eligitur.

Die 21 Decembris, quae fuit D. Thomae Apostolo sacra, cum esset plena et legitima Congregatio, quamvis adhuc Patres lusitani et Vice Provincialis Angliae desiderarentur, post expensum rite integrum quatriduum in dandis et accipiendis informationibus, electus est in Praepositum Generalem P. Franciscus Piccolomineus, Provincialis Provinciae venetae, primo scrutinio; ac promulgatum decretum a P. Florentio de Montmorency, Assistente Germaniae et defuncti Generalis Vicario, in forma consueta.

2, in Ms. act. 8.

Dilata Assistentis Lusitaniae electione, quatuor alii eliguntur. *C. 8 d. 2. Inf. d. 44.*

Absentibus Patribus lusitanis, probavit Congregatio, quod P. Generalis proposuerat: ut, dilata Assistentis Lusitaniae electione, procederetur ad electionem aliorum quatuor. Ideoque, constituto ad capiendam informationem quatriduo, quod integrum esse debere iudicatum est, ob intercurrentem Natalis Domini, et ineuntis Anni Sancti celebritatem, Italiae Assistens electus est P. Fabricius Banfus, Provincialis mediolanensis, secundo scrutinio; Germaniae, P. Goswinus

P. Piccolomini Praep. Gen.

1649-50

Nickel, primo scrutinio; Galliae, P. Franciscus Annatus, idem qui proxime officio illo defunctus erat, secundo scrutinio; Hispaniae, P. Franciscus de Montemayor, Provincialis Aragoniae, primo scrutinio; omnes ad plura medietate suffragia. Qui ubi iuramentum de more praestiterunt, ad Congregationem vocati sunt Secretarius Societatis, Procurator Generalis et Procurator Iaponiae; itumque denuo in suffragia pro electione Admonitoris, et electus est ad plura medietate, secundo scrutinio, P. Ioannes Stephanus Menochius, qui iam defuncti Generalis Admonitor fuerat.

Admonitor Gen. eligitur. *C. 8 d. 2. C. 2 d. 22.*

3, in Ms. act. 8 et 9.

Deputationes septem P. Generalis arbitrio eliguntur.

Ut facilior esset ac brevior tractandorum in Congregatione decisio, varias Deputationes institui placuit, relicta P. Generalis arbitrio earum distinctione, ac Deputandorum electione; fueruntque eae Deputationes numero septem. 1. De profectu in spiritu. 2. De Instituto ac Formulis. 3. De Missionibus. 4. De studiis. 5. De paupertate. 6. De detrimentis et executione. Ultimo, de rebus temporalibus. Et in has Deputationes, paucis exceptis, qui aliis muneribus addicti erant, Patres omnes distributi sunt.

4, in Ms. act. 11.

A Summo Pont. petenda moderatio in vacatione Superiorum; ut e Rectoribus ac Praepositis liceat Provinciales ac Visitatores constituere.

Plurium Provinciarum postulatum ac desiderium fuit, nominatim Castellae, Aquitaniae, neapolitanae, Bohemiae, toletanae, Aragoniae, Austriae, et Rheni Inferioris: ut a Sanctissimo Domino nostro Innocentio ea saltem decreti ab ipso de Superiorum vacatione facti moderatio obtineatur: ut, quod necessitas et aliorum Ordinum usus exigit, nobis quoque liceat e Rectoribus ac Praepositis Provinciales constituere. Cui postulato ad unum omnes, nullo prorsus dissentiente, annuendum censuerunt, et Patri nostro enixe commendaverunt: ut, prima data occasione, eam decreti moderationem, non solum pro Provincialibus, sed etiam pro Visitatoribus, a Sua Sanctitate totius Congregationis nomine postularet.

5, in Ms. act. 12, 27 et 38.

Perturbatores censentur ac, ut tales, puniendi, qui auxilio externorum novarum Provinciarum erectiones extorquere conantur,

Rogata est Congregatio: ut fortissimis remediis occurreret paucorum factionibus, qui cum offensione plurimorum, et emendicato externorum auxilio, contra Superiorum voluntatem, novarum Provinciarum erectiones extorquere conantur; censuit autem Congregatio: factiosos eiusmodi, quales in postulato exprimuntur, esse Societatis perturbatores, eosque omnibus perturbatorum poenis subiectos esse voluit; extendendo, in quantum opus esset, ad illos, quaecumque in superioribus Congregationibus adversus Societatis perturbatores constituta fuere.

Inf. d. 25.

C. 5 d. 54. C. 6 d. 2.

vel legitimas Provinciarum divisiones impedire.

Cumque postmodum postulatum etiam fuisset: ut hoc decretum ad eos quoque extenderetur, qui per similes factiones legitimas Provinciarum divisiones impedire conantur; ad ipsos quoque extendendum Congregatio decrevit.

6, in Ms. act. 13.

Professi superent mediocritatem in virtute. *P. 5 c. 2 n. 1, 2.*

Cum postulatum esset a Congregatione decretum, quo intelligerent omnes: desperandum sibi esse de professione quatuor votorum, nisi ad praestantem doctrinam parem virtutem adiunxerint; censuit Congregatio: nullo eiusmodi decreto opus esse, cum Constitutionibus et Pontificum bullis ea de re apertissime cautum

P. 10 n. 7. Litt. Apost. pag. 26, 121.

P. Piccolomini Praep. Gen.

1649-50

Id frequenter Nostris, praesertim informatoribus, Provincialibus et Consultoribus inculcandum.

sit. In ordine tamen ad praxim, frequenter id esse Nostris inculcandum, monendosque serio informatores ad gradum, ut coram Deo in conficiendis informationibus dispiciant: num is, de quo agitur, eius sit virtutis, quae mediocritatem excedat; idem vero etiam iniungendum Provincialibus et Consultoribus, atque ut de hoc capite nominatim privatis litteris ad Patrem nostrum perscribant.

Excessus supra mediocritatem in virtute, unde dignosci possit.

De illo autem excessu, in quo consistat, et unde dignosci possit; probavit Congregatio iudicium Deputatorum pro rebus spiritualibus: qui explicandum censuere per analogiam ad similem excessum in doctrina, iuxta decretum 44 Ms. Congregationis septimae; censendum nimirum: excedere mediocritatem in virtute, qui regulariter et ut plurimum in rebus, quae occurrunt, operantur secundum exigentiam virtutis, speraturque idem facturos in difficilioribus, si quae id exigeret occasio; qui parvos defectus religiose cavent, et, si quando labantur, reprehensiones et poenitentias libenter atque humiliter excipiunt, et culpam emendant; qui in quotidiano virtutum exercitio Superioribus aeque ac domesticis satisfaciunt. Qui tales sunt, eam virtutis mensuram attigisse, quae sufficiat ad professionem quatuor votorum; contrarium vero de iis sentiendum, qui hunc perfectionis modum non attigerint.

Hic d. 33. C. 12 d. 56 n. 6.

7, in Ms. act. 13.

Laudata pia consuetudine recitandi quotidie Sanctorum Litanias, statuitur, ut certae preces in honorem B. M. V. adiungantur. *C. 10 d. 14. C. Poloc. 2 d. 8. C. Poloc. 5 d. 5.*

Quoniam iam pridem a P. Claudio bonae mem. commendatum erat: ut ordinariis Sanctorum Litaniis, quae quotidie ex pia consuetudine recitantur, vel *Ave maris stella,* vel *Salve Regina* subiungeretur; Congregatio, inductum hunc in Societate morem laudans atque approbans, ad inducendam uniformitatem statuit: ut ubique *Ave maris stella*, *Sub tuum praesidium*, et Oratio *Defende quaesumus* quotidianis Sanctorum Litaniis adiungantur.

8, in Ms. act. 14.

Collationibus casuum omnes Sacerdotes intersint; *C. 13 d. 17.*

Quoniam plerisque in locis, et praesertim in Domibus Professis, conferentia casuum conscientiae languere videbatur, propter eorum multitudinem, qui se ab ea exemptos dicunt; petitum est a Congregatione: ut aliquo decreto huic incommodo provideret. Non censuit tamen Congregatio ullum ea de re constituendum esse decretum, sed Patris nostri ordinationem posse abunde sufficere; quae, insistendo regulis 13, 14 et 15 Provincialis in Ratione Studiorum, itemque priorum Generalium responsis declarat: praeter eos, qui Theologiam ac Philosophiam actu profitentur, et eos, quos Provincialis eximendos iudicaverit, nullis aliis Sacerdotibus licere, vi regulae, a casuum conferentiis abesse; in eximendis vero solius invaletudinis vel gravis causae habendam esse rationem.

praeter exemptos a Provinciali et Professores Theologiae ac Philosophiae.

Exemptionis ratio sit invaletudo aut gravis causa.

9, in Ms. act. 15.

In Congr. prov. absentium Substituti non subrogandi post completas electiones. *C. 6 d. 25 n. 15. Inf. d. 43.*

Ad quaestionem: quomodo intelligendum esset, quod in Formula Congregationis provincialis, § 12, dicitur: post electionem, neminem esse pro absente subrogandum; Congregatio respondit: de completa electione, etiam Substitutorum, intelligi debere.

10, in Ms. act. 15.

**Hic etiam d. 43.* In casibus extraordinariis

Decretum 43 * sess. 116 Ms. Congregationis octavae intelligendum est de ordinaria Superiorum renuntia-

P. Piccolomini Praep. Gen.

1649-50

quandonam renuntiatio Superiorum authentica habenda sit. *C. 17 d. 7. C. 19 d. 9.*

tione. In casibus vero extraordinariis, cum res urget, et in loco, ubi praeficiendus est Superior, fieri renuntiatio non potest, ob impedimentum belli, v. g., vel pestilentiae, decrevit Congregatio: satis esse, si fiat in loco, ubi maior pars subditorum fuerit; vel, si id etiam nequeat, in eo, quem Provincialis aptiorem iudicaverit.

11, in Ms. act. 16.

Quid agendum, si Provincialis in Provinciis Europae remotioribus fiat inutilis, et nolit aut non possit Vice Provincialem constituere. *C. 4 d. 56. C. 18 d. 12.*

Cum quaesitum esset, ut Congregatio declararet: quid sit faciendum, quando Provincialis, propter aegritudinem vel alia de causa inutilis ad gubernandum Provinciam redditus, Vice Provincialem constituere aut non vult, aut non potest; censuit: si omnium Consultorum consensu, vel etiam trium (quarto scilicet excluso, qui de iure succedere deberet, si is Consultor sit) certo ac sine dubitatione Provincialis ad munus exercendum factus incapax omnino iudicetur in Provinciis Europae remotioribus, hoc est, extra Italiam et insulas Italiae adiacentes constitutis, Provinciam regendam ab eo, cui, mortuo Provinciali, de iure id competit, donec a Patre nostro responsum habeatur.

Quod si Consultores Provinciae, aut eorum aliqui, forte praesentes non adsint, ubi Provincialis tunc versatur; sinceram ad eos de statu Provincialis informationem mittant Provincialis Socius, et eius loci Superior, in quo tunc Provincialis reperitur, ut ex ea Consultores iudicium ferant.

12, in Ms. act. 17.

Praecepta Superiorum, personis particularibus imposita, durant donec a successore vel Superiore revocentur; *C. 17 d. 12.* sed parce imponenda.

Occasione Ordinationis a P. Mutio bonae mem. ad Provincias missae 11 Iun. 1639, quaesitum est: an praecepta Superiorum personis particularibus imposita, mortuis aut amotis Superioribus, durare deberent, donec a successore vel Superiore relaxentur. Re autem diligenter discussa, censuit Congregatio: plurimum expedire, ut eiusmodi praecepta perseverent; monendos tamen Superiores, ne facile ac sine magna causa talia praecepta imponant.

Decretum denuo confirmatur.

Cum vero unus de Patribus decreto intercessisset, rogatis iterum suffragiis, longe maiore eorum parte confirmatum est.

13, in Ms. act. 17.

Professi, vi voti, tenentur denuntiare etiam non Professos ambientes. *C. 1 d. 102. C. 3 d. 46.*

Visum est Congregationi declarandum: votum Professorum denuntiandi eos, qui ambiunt, obligare ad denuntiandos etiam non Professos ambientes; et ad hoc, in quantum opus esset, praesenti decreto eam obligationem extendendam.

Sed, cum esset intercessum contra huiusmodi extensionem, rogatis iterum suffragiis, intercessioni datum est, ut nulla fieret extensionis expressio.

Cumque iterum intercessum esset adversus totum decretum, longe maior pars censuit illud retinendum, debereque omnes, qui professionem emittunt, intelligere eam obligationem illo voto contineri.

14, in Ms. act. 18.

Vicarius non nominet Vicarium.

Ob varia, quae oriri possent, incommoda, Congregationi propositum fuit: num Vicario Generali praescribendum esset, ut in omnem eventum mortis nominaret etiam ipse alium Vicarium. Sed Patres in ea re nihil innovandum censuerunt.

15, in Ms. act. 20.

Assist. emeriti locum habeant in Congr. prov.

Aequum visum est: ut Assistentes officio perfuncti in Congregationibus

P. Piccolomini Praep. Gen. 1649-50

supra numerum, si per antiquitatem non haberent.

provincialibus suae Assistentiae locum supra numerum habeant, si forte per antiquitatem non haberent; sicut de Provincialibus in Formula dicitur.

16, in Ms. act. 21.

Provincialis absens supplendus in Congr. gen., servato tamen loco ipsi aut de iure succedenti. C. 2 d. 87. C. 6 d. 35 n. 3.

Visum etiam: ut in Congregatione generali, absente ab initio et ante electiones, quacumque ex causa, Provinciali aliquo, in eius locum succedat et inter Provinciales sedeat, qui de iure illi mortuo succederet; servato tamen loco Provinciali, aut etiam alteri, sive nominato ab ipso, sive de iure immediatius succedenti, si postea advenerit.

17, in Ms. act. 24.

Impeditus a Congr. prov. non habendus, qui nonnisi aliena manu scribere potest;

Petitum est: an caecus aut quicumque alius, qui non nisi aliena manu suffragium scribere potest, habendus sit legitime impeditus a Congregatione provinciali. Et censuit Congregatio: hoc solo nomine, quod quis suffragium non nisi aliena manu scribere possit, non debere nolentem excludi; at, si talis se excuset, posse eius excusationem acceptari.

si se excuset, acceptabilis est excusatio.

18, in Ms. act. 24.

Quaenam Domus censeantur Collegia inchoata, quorum Superiores ius habeant ad Congr. prov. C. 6 d. 18. C. 20 d. 14. C. 22 d. 43.

Quaesitum fuit: quaenam Domus censeri debeant inchoata Collegia, quorum Superiores ius habeant ad Congregationem provincialem; declaravitque Congregatio: eas tantum Domos Collegia inchoata censeri, quae a Patre nostro, non tantum in spem futuri Collegii, sed etiam, quamvis ad complementum multa desint, acceptatae sunt in Collegium, et Superiores habent a Patre nostro, aut de expressa eius commissione, constitutos, qui sint et in posterum nominentur Rectores, vel etiam sint horum Vice Rectores; Superiores autem, qui a Provincialibus institui possunt et amoveri, et non sunt Vice Praepositi aut Vice Rectores, nullum habent ius ad Congregationem provincialem.

19, in Ms. act. 26.

In publicis caeremoniis, in Missis, etc, ritus romanus observetur. C. 1 d. 39, 40. C. 2 d. 17.

Ad uniformitatem in omnibus Provinciis observandam statutum est: ut in publicis caeremoniis, in Missis ac vesperis, quando cantantur in nostris ecclesiis, in Sacramentorum administratione, et in aliis officiis ecclesiasticis, ritus ubique romanus observetur; ita ut nihil uspiam, quod ritui romano contrarium sit, usurpetur.

20, in Ms. act. 26.

In iudicio de ambitu in Congr. prov. reus acquiescat sine appellatione.

Cum postulatum esset, ut statueretur: quid agendum, si forte in iudicio de ambitu in Congregatione provinciali reus appellaret ab ordinariis Iudicibus, aut eos tamquam suspectos recusaret; Congregatio, approbans iudicium Deputatorum, censuit: quod de appellatione in Congregatione generali, § 23 Formulae, dicitur, acquiescendum esse sententiae sine appellatione, extendendum ad Congregationem provincialem; ita tamen, ut, si quis factam sibi putet iniuriam, possit postmodum apud P. Generalem expostulare, cum Congregatio provincialis iurisdictionem in eum non habeat.

Si factam sibi putat iniuriam, postmodum apud Generalem expostulet.

De recusatione statutum est: reum audiendum, accitis in recusatorum locum totidem ex proxime antiquioribus Professis; quibus si videatur iustam causam recusandi habuisse, ab iisdem in causa ambitus iudicandum; sin minus, reiecta recusatione, iudicandum a Iudicibus in Formula designatis.

Si recusat Iudices, nominentur alii, qui recusationis causam iudicent.

P. Piccolomini Praep. Gen.

1649-50

Decernuntur suffragia extraordinaria pro Assistentibus emeritis, Secretario Societatis et Provincialibus.

21, in Ms. act. 27.

VISUM est Congregationi, suo decreto firmare, quod iam usu receptum est: ut in obitu eorum, qui officio Assistentis aliquando functi sunt, praeter suffragia ordinaria, tria Sacra et tres coronae in tota eorum Assistentia indicantur; per reliquam vero Societatem Sacrum unum et una corona; similiter pro Secretario Generali per totam Societatem Sacrum unum et una corona recitetur; denique pro Provincialibus in iis Provinciis, quas gubernarunt, unum Sacrum, et una corona adiiciantur.

Quaenam sint negotia in Congr. prov. tractanda, satis ex Formulae n. 48 intelligitur.

22, in Ms. act. 22 et 34.

POSTULATUM fuit: ut Congregatio explicaret, quae et cuiusmodi sint illa negotia, de quibus in Formula Congregationis provincialis, § 48, dicitur, tractari posse in Congregatione provinciali. Sed id satis intelligi ex ipsa Formula, ac proinde nihil ea de re esse addendum Congregatio iudicavit.

Quaerimonia adversus quosdam Philosophiae Professores. *Inf. d. 31.*

23, in Ms. act. 34 et 42.

RELATAE sunt aliquot Provinciarum querimoniae adversus Philosophiae Professores: quod inutilibus quaestionibus tempus terant, perturbato ordine materias tractent, nimiam sibi opinandi licentiam assumant. Congregationis autem, iuxta Deputatorum pro studiis iudicium, sententia fuit: sufficienter incommodis huiusmodi provisum in Ratione Studiorum per Regulas Praefecti Studiorum et Professorum Philosophiae, neque aliud desiderari, praeter Provincialium et Rectorum vigilantiam; remque totam Patri nostro plurimum commendavit; cuius etiam prudentiae remisit pleraque monita, quae iidem Deputati suggesserant, quod nec ipsi iudicassent a Congregatione decernenda.

Invigilent Provinciales et Rectores, ut observent, quae in Ratione Studiorum praescribuntur.

Vide Ord. pro Stud. Sup.

De minuendo praeceptorum numero. *C. 17 d. 15.*

24, in Ms. act. 9, 34 et seqq.

DECEM Provinciarum postulatum fuit: ut numerus praeceptorum et censurarum minueretur. Re autem diligenter a Deputatis pro detrimentis examinata, et eorum iudicio Congregationi exposito, censuerunt Patres: praecepta toti Societati communia, quae nempe ex decreto 23, in Ms. sessione 87 Congregationis VIII typis mandata sunt, abroganda non esse.

Praecepta toti Societati communia, typis mandata, abroganda non sunt.

Nec quatuor alia non impressa, quae hic enumerantur. *C. 17 d. 16. C. 7 d. 27. C. 6 d. 35 n. 1.*

Idem iudicium fuit de quatuor aliis non impressis. Quorum primo, praeceptum P. Claudii, de doctrina circa delectationem veneream deliberate quaesitam, extenditur ad deliberate admissam. Secundo vetatur, ne quis ulla ratione procuret impedire exsecutionem decreti de pileo Coadiutorum. Tertio, ne quis legat aut retineat libros quosdam contra Societatem scriptos, sine licentia. Quarto, ne quis a die indictae Congregationis provincialis per se vel per alium directe vel indirecte procuret, ut in Electorem aut Substitutum pro Congregatione generali, aut in Procuratorem vel Substitutum pro Congregatione Procuratorum ipse vel alius includatur, aut alius excludatur, neque pro se suffragium ferat.

Praeceptum de intercessionibus extern. partim expungitur partim mitigatur. *C. 5 d. 14, 49. C. 7 d. 20, 22 n. 2. C. 8 d. 24. C. 10 d. 18. C. 16 d. 17.*

Denique, in praecepto aliquibus Provinciis imposito, de intercessionibus externorum, quod pertinet ad illas non admittendas, expungendum censuerunt; quod vero pertinet ad illas non procurandas, ita leniri voluerunt, ut omnes intelligant, de intercessionibus tantum iis agi, quae liberam

P. Piccolomini Praep. Gen.

1649-50

Superioribus gubernationem non relinquunt.

Praecepta Provinciarum nullum novum robur accipiant quod abrogata non sint.

Ex aliis praeceptis quarumdam Provinciarum propriis, cum aliqua censuissent abroganda, quaedam ad Patrem nostrum remittenda, quaedam etiam relinquenda; declaravit Congregatio: non esse intentionis suae, ut praeceptis non abrogatis ullum novum robur ex eo accedat, quod ab ipsa abrogata non fuerint.

25, in Ms. act. 37.

Quinam censendi perturbatores Societatis. *C. 5 d. 54. C. 6 d. 2.*

Quoniam variis decretis sancita est poena in perturbatores Societatis, rogata est Congregatio: ut, quinam censendi essent tales, declararet. Et in particulari, an, qui audacter contra Institutum, Constitutiones et Decreta obloquuntur, pro perturbatoribus habendi essent. Qua in re iudicium Deputatorum pro Instituto a Congregatione probatum fuit; videlicet: perturbatores Societatis sine dubio esse, qui in decretis indicantur, praesertim 70 Ms. Congregationis v, et 14 Ms. Congregationis vi, quique a Paulo v describuntur in bulla Quantum Religio; his vero adnumerandos esse, qui libellis scriptis aut impressis Societatem eiusque vivendi aut gubernandi modum, aut Superiores traducunt; quique ita palam ac passim de Instituto obloquuntur, ut censeri possint velle alios in suam sententiam pertrahere.

Hic d. 54. Hic d. 2. Litt. Apost. pag. 131. Sup. d. 5.

Cum autem ulterius quaesitum esset: quaenam forma probationis requireretur ac sufficeret, ut quis damnari posset poenis contra perturbatores impositis; censuit Congregatio: satis esse, si de crimine certo constet iuxta morem Societatis in Constitutionibus et in Pontificum bullis approbatum.

26, in Ms. act. 38.

Remedium efficax ad exsecutionem urgendam. *C. 6 d. 36, 37. C. 11 d. 30. C. 13 d. 17. C. 17 d. 13. C. 18 d. 22 n. 8. C. Poloc. 3 d. 7.* P. Generalis Superiores selectos praeficiat, foveat ac defendat; remissos corrigat.

Cum a Congregatione postulatum esset remedium efficax ad exsecutionem urgendam; iudicium Deputatorum pro detrimentis et exsecutione ab eadem Congregatione approbatum fuit: remedium ex nova ordinatione petendum non esse, ac proinde superesse tantum, ut P. Generalis, quod ab ipso sperant universi, viros selectos et disciplinae studiosos Collegiorum et Provinciarum gubernationi praeficiat, illosque sua auctoritate foveat ac defendat; remissos gravi poenitentia correctos, et ante triennii finem, si opus est, exauctoratos in ordinem redigat. Idque Congregatio Patri nostro commendatissimum esse voluit.

27, in Ms. act. 39.

Fugitivi Societatis ipso facto excommunicantur. *C. 4 d. 53. C. 7 d. 4, 22 n. 4.*

Quorumdam fugitivorum occasione, rogata Congregatio est: ut valido aliquo remedio huic malo occurreret. Re autem mature ac diligenter considerata, fugitivos nostrae Societatis ipso facto excommunicatos esse Congregatio voluit et decrevit.

28, in Ms. act. 39, 40 et 43.

Visitator, ratione officii, nullum ius habet ad Congr. prov. *C. 4 d. 3. C. 12 d. 50.*

Relatum est probatumque iudicium Deputatorum pro Instituto et Formulis, de iure Visitatorum, quorum munus exspiravit per mortem Generalis, ad Congregationem provincialem; videlicet: ratione officii nullum ius ad Congregationem provincialem Visitatori competere, seclusa professionis antiquitate; ac proinde optionem illam, de qua in Formula, § 4, antiquitatem professionis supponere. Et quidem, ut ingrediatur in alienam, quam visitavit, debebit tum in illa, tum in sua antiquitatem habere, ut

Posita professionis antiquitate, ingredietur supra numerum in aliena Provincia, quam visitabat,

P. Piccolomini Praep. Gen. **1649-50**

vel intra numerum in sua. *C. 6 d. 35 n. 6.*

in eadem Formula, § 8, de Professis aliarum Provinciarum dicitur. Posita autem professionis antiquitate, si velit ingredi Congregationem in aliena Provincia, quam visitabat, ingredietur supra numerum; si redeat ad suam, et in ea saltem professionis antiquitatem habuerit, intra numerum ingredietur.

Audita intercessione, decretum confirmatur.

Cum autem adversus hoc decretum aliqui Patres intercessisent; auditis intercessorum rationibus, rogatisque denuo Patrum sententiis, decretum plus quam duabus tertiis suffragiorum partibus confirmatum est.

29, in Ms. act. 41.

An Confessarii Principum ad Congr. prov. admittendi in aliena Provincia.

MOTA de Principum Confessariis quaestione: an, et qua ratione admitti deberent ad Congregationem provincialem in aliena Provincia, in qua tam Principes, quam ipsi ordinarie, aut ad longum tempus degunt; censuit Congregatio: rem hanc totam ex talium Confessariorum ad eam Provinciam, in qua Principes ordinarie degunt, applicatione pendere; ideoque in Formula nihil horum Confessariorum occasione esse immutandum.

30, in Ms. act. 44.

Dimissi e Societate post vota simplicia, non impediendi quominus officia vel beneficia consequi possint. *Comp. Privil. n. 162.*

CUM propositum esset a P. N. Generali: placeretne Congregationi declarare, per Societatem nullo modo stare, quominus ab ipsa dimissi post vota simplicia, ad officia et beneficia quaecumque admittantur; Patres summo consensu omnes statuerunt: nec esse, nec fuisse, nec fore umquam ad mentem Societatis, ut dimissi huiusmodi impediantur, quominus officia vel beneficia consequi possint, si alia quapiam ex causa indigni non sint; id enim a nobis exigere quod Constitutionum parte secunda, capite 3, § 5 et sequentibus circa dimittendos commendatur.

31, in Ms. act. 44.

Querela adversus quosdam Theologiae Professores. *Sup. d. 23.*

DEPUTATORUM pro studiis relatum est responsum ad postulatum, quo remedium petebatur adversus quosdam Theologiae Professores, qui, omissis utilibus et magis necessariis quaestionibus, minus utiles minusque necessarias sectantur; videlicet: remedium, non aliunde accersendum, quam a diligenti eorum observatione, quae Ratio Studiorum praescribit; ac proinde nullum ea de re novum decretum esse statuendum; quaedam tamen in ordine ad exsecutionem commendari posse a N. P. Generali, quorum praecipua capita suggesserunt. Et hoc totum iudicium Congregatio probavit.

Ratio Studiorum diligenter servetur. *Ord. pro Stud. Super.*

32, in Ms. act. 44 et 45.

Insignes in lingua graeca, cum sufficienti notitia hebraicae, quamvis mediocres in Theologia, ad professionem 4 votorum promoveri possunt. *P. 4 c. 12 n. 2. C. 8 d. 16. C. 14 d. 17, 18.*

AD promovenda Humaniorum Litterarum, et linguarum praesertim studia, censuerunt iidem Deputati: praeter ea, quae hactenus in favorem horum studiorum statuta sunt, decerni etiam posse: ut auditores Theologiae, qui sub finem quarti anni mediocriter in Theologia profecisse invenientur, proponi possint P. Generali ad professionem quatuor votorum promovendi, si compertum sit iudicio Provincialis et Consultorum excellere illos in cognitione linguae graecae, cum sufficienti notitia hebraicae; sumpto, ubi minus id constaret, accurato et non perfunctorio ea de re experimento, si illi, quorum interesset, illud subire voluerint. Quod iudicium Congregatio probavit, et decretum 29 Ms. Congregationis VI in favorem Humaniorum Litterarum ad istos extendit.

Hic d. 15.

33, *in Ms. act.* 46 *et* 47.

Applicatio ad Provinciam, quo munere fiat.
* *Hic d.* 59.
C. 14 *d.* 23.
C. 16 *d.* 18.
C. 18 *d.* 16.

Munus ordinarium, quo Congregatio vii decreto 72 * Ms. ait applicationem fieri alicui Provinciae, Congregatio, probans iudicium Deputatorum, censuit esse munus quodcumque fixum et stabile, ad eam Provinciam, de qua agitur, proprie pertinens, et quidem a Patre nostro impositum; sive ad definitum tempus, ut est munus Provincialis, Praepositi, Rectoris; sive indefinitum, quale est Lectorum Theologiae, Sacrae Scripturae, Procuratoris, etc. Caeterum insuper declaravit: absoluto munere, quod de iure vel consuetudine praefixum terminum habet, quale est Provincialis, Rectoris, etc., applicationem cessare; in caeteris, quibus praefixus non est terminus, applicationem durare, donec de personis ea ratione applicatis fuerit aliter a Patre nostro constitutum.

Quandonam cessat applicatio.

34, *in Ms. act.* 47 *et* 48.

A quibus Vicarius Generalis eligendus.
C. 6 *d.* 27 *n.* 1.
C. 12 *d.* 48, 54.

Circa Formulam eligendi Vicarium Generalem, § 1, censuit Congregatio: primo, nomine Professorum, qui apud Generalem fuerint, intelligi eos, qui fuerint in eadem urbe. Secundo, Assistentibus, si praesentes fuerint, ius competere ad electionem Vicarii, etiam seclusa professionis antiquitate. Cum autem unus intercessisset contra secundam partem huius decreti, quatenus supponebat ius illud iam esse acquisitum Assistentibus; rogatis iterum sententiis, decretum confirmatum est, explicatumque intelligendum esse de iure intra numerum praefixum a Formula.

35, *in Ms. act.* 48.

Nec Vice Praepositis, nec Vice Rectoribus ius est succedendi in locum Provincialis demortui.
* *Hic d.* 56.

Quod circa decretum 67 * Ms. Congregationis iv declaraverat P. Vincentius Carrafa, nempe: neque Vice Praepositis neque Vice Rectoribus ius esse succedendi in locum Provincialis demortui; Congregatio, iudicium Deputatorum pro Instituto secuta, sua auctoritate confirmavit.

36, *in Ms. act.* 49 *et* 52.

Procuratores Indiarum quamdiu in hoc munere perseverent.

Rogata fuit Congregatio, ut dispiceret: num Procuratoribus Indiarum praescribendus esset aliquis terminus, quo adveniente, eorum officium exspiret, careantque omni iure spectante ad illud. Censuit autem Congregatio: nullum talem terminum illis esse praescribendum; sed, si ex consensu Patris nostri permittantur subsistere in Europa, quamdiu substiterint, tamdiu eorum officium, et ius, quod habent ad Congregationem generalem, illis concessum permanere, etiam ad plures Congregationes, nisi forte alius eiusdem Provinciae Procurator advenerit; eo enim in casu Congregatio censuit priorem Procuratorem debere locum cedere posteriori. Sed, cum adversus ultimam hanc decreti partem intercessum esset, quatenus per adventum alterius Procuratoris prior, non solum ab officio, sed etiam ab omni alio iure ipsi coniuncto excludi videbatur, obtinuit intercessio, ut statueretur: solum, adveniente alio Procuratore, prioris procurationem cessare, et omne ius, quod illi competit, ut Procurator est, abstrahendo ab omni alio iure, si quod habet.

Quid si alius eiusdem Provinciae Procurator advenerit.
C. 10 *d.* 9.
C. 12 *d.* 46.
C. 14 *d.* 21.

P. Piccolomini Praep. Gen. 1649-50

Informatores ad gradum vel gubernandum sint solum quatuor. *Ord. Gen. c. 17, 18, pars tertia. C. 7 d. 99. C. 8 d. 45.*

37, in Ms. act. 49.

Probavit Congregatio iudicium Deputatorum pro Instituto et Formulis: ut numerus quatuor Informatorum, tam ad gradum quam ad gubernandum, retineatur; et ut ex uno aut altero loco Formulae tollatur, quod de accepta a quinque vel sex Patribus informatione habetur.

Domus Professa toletana dissolvatur. *C. 8 d. 7. C. 11 d. 16. C. 19 d. 7. C. 20 d. 20.*

38, in Ms. act. 53.

Audita ac diligenter examinata informatione circa postulatum Provinciae toletanae, de dissolvenda Domo Professa toletana; censuit Congregatio: postulato esse annuendum, et ut, Patris nostri iudicio, vel Collegio toletano adnectatur, vel in secundum Collegium convertatur.

Explicantur quaedam Examinis et Constitutionum loca de votis Scholasticorum, quibus impugnatores Societatis abutuntur. *Litt. Apost. pag. 90.*

39, in Ms. act. 54.

Retulerunt Deputati pro Instituto iudicium suum de quibusdam Examinis et Constitutionum locis, quibus male intellectis impugnatores Societatis abutuntur, et quae maioris declarationis gratia ad eos remissa fuerant; quorum iudicium in omnibus Congregatio probavit. Illa vero loca sunt, quae sequuntur:

Primus locus est Examinis, cap. 4, § 41, ubi dicitur: *si et ipse, et Societas vel Superior Domus contenti fuerint, in corpus Societatis admitti poterit.* Manifestum est ex contextu, ibi sermonem esse de primis votis, quaecumque illa sint, sive Scholasticorum, sive Coadiutorum formatorum, sive professionis, quae initio Societatis saepe fiebant exactis duobus probationis annis; ut mirum non sit, si ea votorum emissio, tam voventi quam Societati libera esse dicatur.

Secundus locus est ex cap. 6 Examinis, § 8: *Coadiutores, tam spirituales quam temporales, exacto biennio quod experimentis et probationibus datur, et uno adhuc anno, si Scholastici fuerint, ut prius est declaratum, si velint in Societate manere, et ipsa vel Superior eius contentus fuerit, oblationem suam trium votorum facient, etc.* Hic locus ita intelligendus est: ut per illas voces, *si velint*, conditio et dispositio necessaria significetur, quam ab ipsis Societas exigit, ut illos ad ulteriora vota admittat. Non quod ipsis liberum et licitum sit nolle, si iam prima vota post probationem emiserint, sed quod, si nolint aut repugnent, non debeat illos Societas ad ulteriorem gradum promovere, sed, vel exspectare diutius, donec melius dispositi sint, vel, si ita iudicaverit, illos a se dimittere.

Tertius locus est ex cap. 7 Examinis § 1: *Libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad professionem nec in Coadiutores formatos; et tunc ipsi etiam suis votis soluti erunt.* Sensus huius loci non est: istos, sola non admissione ad gradum ulteriorem, suis votis exsolvi, ut satis patet ex pluribus Examinis, Constitutionum et bullarum locis; sed, quia Societas, quos iudicat non esse umquam admittendos ad professionem vel vota Coadiutorum formatorum, dimittit; per dimissionem, non vero per non admissionem illi suis votis soluti dicuntur.

Quartus locus est in eodem cap. § 8, ubi de Scholasticis post absoluta studia dicitur: *examinentur particulatim eisdem interrogationibus et examine, quo, prius quam ad studia mitterentur, interrogati sunt, ut plenius stabilitas vel etiam mutatio, si accidis-*

P. Piccolomini Praep. Gen. set, *cognoscatur*. Putatur autem his verbis alludi ad cap. 3 Examinis, § 14, ubi interrogatur, qui admitti postulat: *Num deliberatum habeat animi propositum vivendi et moriendi in Domino cum hac et in hac Societate Iesu;* quasi perinde liberum sit Scholastico post studia et priora vota recedere, atque ante emissa priora illa vota. Intelligendus est autem eodem plane modo hic locus, quo de secundo dictum est; haec enim interrogatio alio non spectat, nisi ut Societati constet: num hic Scholasticus eam in sua vocatione firmitatem retineat, quae ut conditio necessaria exigitur, ut ad ulteriora vota admittatur.

Quintus locus petitur ex part. 5 Const. cap. 4 § 3, ubi dicitur de votis Scholasticorum: ea in cuiusquam manibus non emitti. Et ibidem, lit. D: ea vota, ut soli Deo offeruntur, ita neminem ea admittere etc. Verum hoc loco ideo dicuntur vota Scholasticorum soli Deo offerri, et non homini, et in nullius manibus emitti, atque a nemine admitti, quia in illorum Formula nulla fit hominis mentio, sed ad solum Deum tota promissio dirigitur. Non tamen inde sequitur, Scholasticos edentes vota illa in Societatem ipsam non admitti, seu non incorporari, nec ei obstringi; uti patet ex titulo eiusdem capitis, qui est: *De admittendis Coadiutoribus formatis, et Scholasticis:* et ex titulo totius illius partis, qui est: *De iis, quae ad admittendum in corpus Societatis pertinent:* et mox ex cap. 1, § 1, ubi dicuntur Scholastici approbati *cooptari in corpus Societatis;* aliisque locis Constitutionum. Praeterea ex bulla Gregorii XIII, quae incipit Ascendente Domino, ubi dicuntur si- Litt. Apost. pag. 90. militer Scholastici *cooptari in corpus Societatis, eique ex parte ipsorum perpetuo obligati esse, etc. Societati per ea ipsa vota se dedicare, atque actu tradere etc. Societatem in eos ex vi votorum ius aquirere*, et similia. 1649-50

40, in Ms. act. 55 et 56.

Quid agendum, si Provincialis vel Visitator in Indiis fiat inutilis.

Propter difficultates, quae ob locorum distantiam oriri possent in Indiis, si contingeret, ut morbo aut alio casu Provincialis aut Visitator ita redditus esset incapax ad officii munus exercendum, ut successorem declarare aut non posset, aut non vellet; Congregatio, Deputatorum pro Missionibus iudicium approbans, quae sequuntur constituit:

1. Ut, si de Provinciali agatur, et ea Provincia Visitatorem habuerit; ille, auditis Consultoribus, de tota re iudicet, et de successore, via in illis partibus ordinaria, provideat.

2. Si nullus esset Visitator, aut si Visitator ipse redditus esset inutilis ad officium exercendum, ad utrumque hunc casum extendatur decretum huius Congregationis in simili casu factum pro Provinciis Europae ab Urbe remotioribus; augendo tamen pro Indiis numerum eorum, qui de impedimento iudicare debebunt, usque ad septenarium; in quo septenario, si de Provinciali agatur, erunt Consultores Provinciae, et ex antiquioribus Professis praesentibus aut vicinioribus tot alii, quot ad explendum septenarium necessarii erunt; quos omnes socius Provincialis, si praesens aderit, aut, eo absente, Professorum praesentium antiquior monere debebit; et ex septem illis quinque saltem Provincialem prorsus esse inutilem iudicare debebunt, antequam de successore cogitent. Sup. d. 11. C. 4 d. 56

P. Piccolomini Praep. Gen.

1649-50

3. Si de Visitatore ageretur, Provincialis eius Provinciae, in qua tunc Visitator fuerit, intra numerum septenarium continebitur (nisi forte longissime abesset, et periculum esset in mora) eritque Provincialis monere caeteros; non habebit tamen in eo iudicio nisi suum suffragium, ut caeteri. Et, si quinque iudicent Visitatorem factum esse prorsus ad suum munus exercendum inutilem, et ille duarum aut plurium Provinciarum Visitator fuerit, tenebuntur huic iudicio Provinciae omnes acquiescere.

4. Si Provincialis aut Visitator quinque minimum suffragiis, ut dictum est, iudicatus fuerit ad munus exercendum factus inutilis, Iudices aperiant litteras sequentis gubernationis, et succedat qui in illis nominatus fuerit; si vero nullae forte tales litterae haberentur, tunc munus Visitatoris, si de illo agitur, cesset omnino; si autem de Provinciali agatur, decretum 67 Ms. Congregationis IV, pro Europa factum, in hoc casu ad Indias extendatur, et succedat qui de iure succedere debebit.

Hic d. 56.

41, in Ms. act. 56.

Instructio pro rerum temporalium administratione probatur. *Instr. ultima, post 21. C. 8 d. 60. C. 14 d. 12. C. 21 d. 12.*

Cum propositum esset Congregationi: placeretne confirmare aut certe probare Instructionem pro rerum temporalium administratione, ex decreto 60, in Ms. sess. 128 Congregationis VIII confectam; placuit, quod etiam Deputatis pro rebus temporalibus visum est, eam, ut meram Instructionem, probare, manentibus tamen in sua vi Decretis, Ordinationibus et Regulis, quae in ea referuntur aut citantur. Placuit tamen etiam maiori parti, ut, quod pro Rectore, § 5, de mutuo dicitur, ex Instructione tollatur.

42, in Ms. act. 57.

Ad professionem ordinarie proponantur anno 10, qui studia ante ingressum perfecerunt; anno 17, qui in ea; inter 10 et 17 qui partim ante, partim post. *C. 7 d. 75. C. 11 d. 31. C. 12 d. 11. C. 13 d. 9, 10. C. 14 d. 19. C. 16 d. 20. C. 17 d. 10.*

Ad inducendum in Assistentiis omnibus uniformitatem, et inter eos, qui ad professionem quatuor votorum proponuntur, quamdam aequalitatem, visum est, ordinaria et communi Assistentiis omnibus lege, servandam a Provincialibus esse hanc regulam: ut eos, qui studia omnia ante ingressum in Societatem absolverunt, ad professionem quatuor votorum, neque ante decimum annum currentem proponant, neque ulterius etiam eos differant; eos autem, qui studia omnia in Societate perfecerunt, neque ante decimum septimum annum currentem proponant, neque ulterius item eos proponere differant; reliquos denique, qui studia Philosophiae aut Theologiae, partim ante ingressum in Societatem, partim in ipsa Societate decurrerint, intra duos praedictos terminos, citius aut tardius proponant, pro ratione annorum integrorum, quibus ante ingressum illis studiis operam dederint.

43, in Ms. act. 59.

Casus in decreto Clementis VIII enumerati reservantur in Societate. * *Hic d. 51.*

Quoniam modus loquendi, quo usa est Congregatio V decreto 67 * Ms., dubium aliquibus iniecisse dicebatur: an casus, qui in decreto Clementis VIII enumerantur, reservati essent in Societate; declaravit Congregatio: tales omnes casus esse et fuisse semper ex illo tempore in Societate reservatos; et, ad tollendam omnis dubitationis occasionem, modum illum loquendi, tum in decreto illo 67 Ms. Congregationis V, tum in titulo: *De casibus in Societate reservatis* usurpatum, immutandum esse, atque emendandum; ut, ubi in decreto 67 Ms. dicitur: *praeter reservatos,* ponatur *reservari*

Hic d. 51.

Hic d. 51.

P. Piccolomini Praep. Gen.

permissos; in titulo vero: *De casibus in Societate reservatis*, ubi dicitur: *omnibus Regularibus reservantur*, ponatur: *reservari permittuntur.*

In locum absentis vocatur Substitutus ad electionem Assistentis.

Cum a Patre nostro propositum fuisset: num in locum P. Nicolai Zucchii, de Congregationis consensu absentis, vocandus esset primus Substitutus Romae exsistens, P. Fabius Albergatus, Rector Collegii romani, eo quod instaret electio Assistentis Lusitaniae, re in deliberationem adducta, maior pars censuit: praedictum Substitutum in locum P. Nicolai Zucchii advocari debere.

1649-50

44, in Ms. act. 62.

Assistens Lusitaniae eligitur. *Sup. d. 2. C. 11 d. 28. C. 18 d. 15.*

Cum ante finem Congregationis Patres lusitani tandem advenissent, indicto capiendis informationibus quatriduo, ultima die illius quatridui, mane, ad plura medietate suffragia, electus est Assistens Lusitaniae P. Ludovicus Brandanus, primo scrutinio, qui statim consuetum in ea re iuramentum ex Formulae praescripto praestitit.

DECRETA

DECIMAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Gottifredi Praep. Gen.

1652

Causa Congregationis convocandae.

Ultimo die anni 1651, in quem indicta fuerat Congregatio ad eligendum novum Praepositum Generalem in locum P. Francisci Piccolominei, 17 Iunii vita functi, cum PP. Electores, qui convenerant, duas tertias longe superarent; consultationem cum iis habuit Vicarius Generalis, P. Goswinus Nickel: an essent exspectandi qui brevi sperabantur affuturi Patres quinque Provinciarum, castellanae, baeticae, toletanae, Poloniae, et Bohemiae (nam de lusitanis nulla spes erat); et visum est pluribus: exspectandum, differendumque Congregationis initium in diem 7 Ianuarii anni 1652, quo dicti Patres, nonnullis exceptis, omnes adfuerunt; prorogatum est tamen tempus electionis in diem 21, propter aliqua, quae prius discutere ac definire necesse fuit in ordine ad electionem. Absoluta est Congregatio 20 Martii 1652.

Exspectantur absentes et Congregationis initium differtur.

Decretum 1, in manu scriptis act. 10.

Praepositus Generalis eligitur.

Die igitur 21 Ianuarii, qui fuit dominicus, et S. Agneti sacer, omnibus, quae Formula praescribit, rite servatis, ad plura medietate suffragia, electus est Praepositus Generalis R. P. Alexander Gottifredus, Provincialis Provinciae romanae, confecto promulgatoque de more super ea re decreto a P. Vicario.

P. Gottifredi Praep. Gen.

1652

2, *in Ms. act.* 13, 14 *et* 15.

Constituta de bonorum renuntiatione exacte observentur. *C. 15 d. 8. C. 23 d. 31.*

Cum expositum fuisset Congregationi: multa committi paupertati nostrae non satis consentanea in administratione bonorum, antequam Nostri se iis abdicent; censuit Congregatio: Patri nostro impense commendandam, prout etiam commendavit, exsecutionem decreti 17 Congregationis VII, circa renuntiationem bonorum a Nostris faciendam post vota Religionis simplicia; maxime vero illud: ne cuiquam permittatur suorum bonorum administratio vel liber usus, etiam eo tempore, quo dominium retinet. Commendavit insuper: ut renuntiationis Formulam recognosci curet, iisque verbis concipi, ut, quantum fieri possit, artificia vel effugia nulla prosint eludere volentibus observationem eorum, quae Societas tam studiose tamque sollicite sibi cordi esse semper demonstravit.

Bonorum suorum administratio nulli permittenda. *C. 12 d. 36. C. 17 d. 11. C. 20 d. 7.* Renuntiationis Formula accurate recognoscenda. *Ord. Gen. c. 1 n. 10. C. 4 d. 65. C. 7 d. 17.*

3, *in Ms. act.* 16.

In Congr. prov., ut electi ex iis, qui locum in ea non habuerunt, sic et eorum substituti vocandi post electiones. *C. 7 d. 62.*

Quod dicitur in Formula Congregationis provincialis, § 7: electos ex iis, qui in Congregatione locum non habuerunt, post electiones peractas vocandos, si commode fieri poterit, ut Congregationi deinceps ad negotiorum tractationem intersint; censuit Congregatio: intelligendum etiam de substitutis.

4, *in Ms. act.* 17 *et* 18.

Tempus Congr. gen. cogendae sufficienter in Const. est determinatum. *C. 1 d. 44.*

Cum ob varia, quae enumerata fuere, incommoda petitum esset: ut Congregatio tempus cogendae ad electionem novi Generalis Congregationi assignatum in VIII part. Const. cap. 5, § 2, prorogaret; censuit haec per Constitutionem sufficienter provisum, cum prorogationem permittat, si forte necessitas eam postulaverit; huius tamen necessitatis examen Vicario et Assistentibus pro tempore futuris ita commendandum esse, ut, in dubio, potius in partem affirmantem inclinent; quod et fecit.

5, *in Ms. act.* 20 *et* 21.

Quatuor Assistentes eliguntur. *C. 8 d. 2.*

Ultimo die quatridui ad electionem Assistentium indicti, qui fuit Februarii primus, electus est, tertio scrutinio, Assistens Italiae P. Ioannes Aloisius Confalonerius, Rector Collegii mediolanensis; Germaniae, primo scrutinio, is qui proxime officio defunctus fuerat, P. Goswinus Nickel; Galliae, secundo scrutinio, P. Petrus Casraeus, Provincialis Campaniae; Hispaniae, primo scrutinio, P. Alphonsus Iannez, Provincialis toletanae; omnes ad plura medietate suffragia. Absentibus Patribus lusitanae Provinciae, electionem proprii Assistentis Congregatio remisit ad Patrem nostrum eo modo faciendam, quo extra Congregationem substituuntur Assistentes in locum demortuorum. Praestito de more ab electis iuramento, vocati sunt Secretarius Societatis et Procuratores, qui ius habent ex Formula ad electionem Admonitoris, et electus est primo scrutinio, ad plura medietate suffragia, P. Valentinus Mangionus.

Assistens Lusitaniae a Praeposito Gen. eligendus eo modo, quo fit extra Congregationem. *C. 16 d. 5. Vide tamen C. 11 d. 28.*

Admonitor Gen. eligitur. *C. 8 d. 2.*

6, *in Ms. act.* 23 *et* 24.

Secretum Examinatoribus graviter iniungitur. *C. 7 d. 33 n. 4.*

Petentibus aliquibus Provinciis, deliberatum est: an, qui suffragium ferunt de Scholasticis nostris sive ad publicos actus admittendis, sive promovendis ad ulteriora studia, sicut et Rectores, qui suffragantium vota excipiunt, adstringi debeant iuramento ad secretum; et quamvis Congregatio censuit non esse adstringendos, de-

P. Gottifredi Praep. Gen.

1652

crevit tamen omnibus significandum: ea de re perquam serio deliberatum esse, commendatumque Patri nostro, ut efficacibus remediis servari curet secretum huiusmodi, et executioni mandari, quod praescribitur decreto 23 Congregationis VII, quo monentur Superiores: ut omni studio inquirant in evulgationum auctores, compertosque pro rei gravitate ac culpae magnitudine puniant, etiam usque ad muneris privationem.

Evulgationum auctores inquirendi, puniendi.

7, in Ms. act. 32.

SERVETUR quod est in Const. part. VIII, cap. 6, lit. D: ut in electione Secretarii Congregationis et Assistentis electionis duo antiquiores Professi, una cum Vicario, suffragia videant; idque addatur Formulae, cum se dabit occasio.

Suffragia in electione Secr. Congr. et Assist. electionis a quibus videnda. C. 18 d. 11 n. 1, 3.

8, in Ms. act. 34.

CONGREGATIO censuit, declarandum id, quod hactenus praxis obtinuerat: Vicarium Generalem habere omnem potestatem et facultates ad gubernandam Societatem, quas habet Praepositus Generalis, exceptis iis, quae in regulis Officii Vicarii excepta sunt, nec a posterioribus deinde Congregationibus sunt concessa; ac nominatim ad illius quoque intentionem dici debere Sacrum, quod dicitur singulis hebdomadis ad intentionem Praepositi Generalis.

Vicarii facultates sunt eaedem quae Praepositi Generalis, C. 1 d. 43.

praeter exceptas in eius Officio.

Sacrum hebdomadis singulis ad eius intentionem dicendum.

9, in Ms. act. 34, 35 et 39.

SI contingat, eos, qui nominati sunt Superiores a Generali defuncto, nondum intellecta ipsius morte, munus iniunctum deprecari; censuit Congregatio: a Vicario et Assistentibus ita audiendos, ut, si probentur eorum rationes, nominati nullo Superiorum privilegio fruantur, sed maneant in statu pristino, donec ab electo Generali vel confirmetur nominatio vel mutetur.

De Superioribus a Generali defuncto nominatis, qui munus deprecantur; C. 18 d. 11.

Quod si Procuratores Indiarum essent nominati ad officium, v. g., Visitatoris vel Provincialis extra Europam, ii non priventur iure, quod habent, veniendi ad Congregationes generales, nisi adeo fuisset expressa voluntas Generalis circa ipsorum discessum ex Europa, ut decretum 36 Congregationis IX locum haberet.

et speciatim de Procuratoribus Indiarum. C. 14 d. 21.

10, in Ms. act. 35.

SI contingat, Vicarium e vivis decedere ante electionem Generalis, quando iam advenere Electores omnes, vel duae tertiae illorum partes, sive inchoata Congregatio, seu nondum sit; antiquissimus Assistentium debebit Congregationi et electioni praeesse, prout in casu fere simili praescribitur in cap. 5, § 53 Formulae Congregationis generalis.

Congregationis generalis praeses, moriente Vicario, est antiquissimus Assistentium.

11, in Ms. act. 35.

OCCASIONE aliquorum, quae proposita sunt ad Censores librorum in Provinciis spectantia, Congregatio probavit iudicium Patrum ad hoc specialiter deputatorum, decrevitque: primo, Regulas Revisorum generalium, quas iterum recognoscendas curavit et approbavit, Provinciis omnibus communicandas; secundo, loco regulae 15, quae est ultima, reponendum et servandum quod sequitur:

Revisorum generalium Regulae approbatae Provinciis communicandae. C. 23 d. 48 n. 2.

Addendum reg. 15.

Qui designabuntur in Provinciis ad censendos libros, qui forte Romam non mittentur, superiores Regulas habeant; seque, perinde ac generales Romae Revisores, teneri sciant, ut, quae in iis continentur, cautiones omnes in libris examinandis obser-

P. Gottifredi Praep. Gen.

1652

vent; sed praecipuo quodam studio servare conentur ea, quae praescribuntur superioribus regulis 6, 7, 8 et 9. Qui vero extra ordinem libros edendos a Provinciali accipient, sic accipere debebunt, ut eorum auctores id nesciant, quo maiori cum libertate ac sinceritate iudicare de iis possint. Omnes autem Revisores suas censuras eidem Provinciali tradent, qui eas Romam ad Generalem mittet; et, cum responsum acceperit, non permittet libros edi, donec illi certo constiterit emendata esse, quae Generalis emendanda iudicaverit. Quod si Provincialis ipse aliquid edere volet; id non faciet, nisi consulto prius Generali, servatoque, quem ille praescripserit, ordine. Porro a Censoribus examinari debebunt, non solum tractatus librorum, sed praeambula etiam, ac praefationes, admonitiones, epistolae liminares, atque ipsi etiam tituli, ne quidquam indiscussum edatur, omnesque offensionum causae, quantum in nobis erit, praecidantur. Iam, si post correctionem contingeret, auctorem aliquid addere vel immutare, insciis Superioribus, quod esset alicuius momenti, Superiores id severe, pro gravitate delicti, punire meminerint.

C. 16 d. 14, 15. C. 22 d. 20.

C. 11 d. 18. C. 15 d. 9. C. 16 d. 15. C. 21 d. 26. C. 22 d. 20.

12, in Ms. act. 36.

Suffragia in Congr. prov. videnda a duobus. *C. 18 d. 14 n. 3.*

In electionibus, quae fiunt in Congregatione provinciali, videantur suffragia a Provinciali et Secretario, eritque hoc exprimendum in Formula, quando recudetur. Et in universum in eiusmodi Congregatione nulla sunt publicanda suffragia, quae a duobus saltem visa non fuerint.

13, in Ms. act. 40.

Quid facto opus, si in publicis disputationibus Theologiae Iudices formare nequeant iudicium certum de sufficientia doctrinae ad prof. 4 votorum. *C. 7 d. 33 n. 4. C. 11 d. 24 n. 6.*

Cum quaereretur: quid facto opus, si Iudices, qui intersunt publicis Theologiae disputationibus, formare nequeant iudicium certum de sufficientia doctrinae ad professionem quatuor votorum, sive id contingat ob frequentes nimis interlocutiones Professorum, sive ob defectum ex parte argumentantium, sive alia simili ex causa; censuit Congregatio: dandam in primis operam, ne similia umquam accidant; nimirum ita instituendo disputationes, et tales designando argumentantes, ut eiusmodi haesitatio timeri nequeat. At, si nihilominus contingat, ut unus aut alter Iudicum non possit formare iudicium, nec ex reliquorum suffragiis res in alterutram partem possit definiri; tum Provincialis substituat pariter unum aut alterum ex iis, qui forte disputationibus interfuerunt (si viri graves sint, et ad iudicandum idonei) ut iurati Iudicum loco suffragium ferant; si vero, vel hi desint, vel nec ex horum sententia de sufficientia doctrinae satis constet; quam primum ad examen recurrat, iuxta responsum alias datum a P. Francisco Piccolomineo piae memoriae.

14, in Ms. act. 49.

Litaniis addatur oratio in honorem SS. Ignatii et F. Xaverii. *C. 9 d. 7. C. Poloc. 2 d. 8. C. Poloc. 5 d. 5.*

Congregatio annuendum censuit pio quorumdam postulato: ut sub finem Litaniarum, post orationem, *Defende* etc. adderetur oratio, *Deus, qui glorificantes te* etc. in honorem SS. Ignatii et Francisci Xaverii.

15, in Ms. act. 54.

Moritur P. Generalis.

Cum die 5 Martii P. Generalis incidisset in morbum, ex quo sequuta est, octava post die, hoc est 12 eiusdem mensis, inexpectata mors, omnibusque luctuosa; post exsequias, iuxta Formulam, praeside veterum Assistentium antiquissimo, P. Fabritio Banfo,

P. Nickel Praep. Gen. — 1652

Iuramentum primo scrutinio praemissum complectitur totam electionem.

quod nullus esset nominatus Vicarius, indictum est biduum ad electionem novi Generalis. Sed cum occasione superioris electionis dubitatum esset a quibusdam: si contingeret plura fieri scrutinia, an non esset ad singula repetendum a singulis iuramentum; Congregatio declarandum censuit, prout praesenti decreto declarat: iuramentum primo scrutinio praemissum complecti totam electionem, ac ligare iurantes etiam pro sequentibus scrutiniis, atque hanc semper fuisse et esse Societatis mentem.

16, in Ms. act. 55.

Novi Generalis electio.

Die 17 Martii, quae fuit Dominica Passionis, omnibus, quae Formula praescribit, rite servatis, electus est ad plura medietate suffragia Praepositus Generalis R. P. Goswinus Nickel, Assistens Germaniae, et decretum electionis a Congregationis Praeside promulgatum de more.

17, in Ms. act. 56 et 57.

Assistentes confirmantur.

Cum esset liberum Congregationi, vel nuper electos Assistentes confirmare, vel novos eligere; secreto scrutinio, paucis admodum dissidentibus, censuit esse confirmandos; et, vocatis dein iis, qui ius habent ad electionem Admonitoris, secreto pariter scrutinio confirmatus est idem, qui prius fuerat electus. Et cum quaereretur: an Assistentes confirmati praestare denuo deberent iuramenta; Congregatio iudicavit: satis esse, si ratum haberent iam antea praestitum, quod et fecerunt. Et quia novus Assistens fuit eligendus pro Germania, uno die ad informationem concesso, electus est primo scrutinio P. Christophorus Schorrer, Provincialis Germaniae Superioris; statimque iuramentum praestitit in Formula expressum.

et Admonitor P. Generalis.

Novus Germaniae Assistens eligitur, uno die ad informationem concesso. C. 18 d. 19.

18, in Ms. act. 56.

Circa praeceptum de non procurandis intercessionibus externorum.

Cum duo fuissent Congregationi proposita, circa praeceptum de non procurandis externorum intercessionibus: primum, ut explicarentur verba illa decreti 24 Congregationis IX: *quae liberam Superioribus gubernationem non relinquunt*; secundum, ut remedium tandem universale et efficax circa huiusmodi pestem pro tota Societate adhiberetur; in primis Congregatio censuit: praedicta verba interpretatione non indigere, cum satis pateat, per illa prohiberi procuratas externorum intercessiones, quae Superiores impediunt, aut saltem difficilem eorum reddunt gubernationem, quo minus pro suo iudicio et voluntate, iuxta Institutum nostrum, de rebus et personis sibi subiectis disponant. Deinde censuit: primam impositi a P. Mutio praecepti partem, de non procurandis externorum intercessionibus, aliquibus tantum Provinciis impositam, ad omnes Provincias extendi debere suo decreto, prout de facto extendit et confirmavit; cum iis tamen cautionibus, quas adhibuerunt Congregationes VIII * et IX **.

Eae prohibentur, quae Superiores impediunt quominus libere de rebus et personis disponant.

*Praeceptum P. Mutii ad omnes Provincias extenditur. C. 5 d. 14, 49. C. 7 d. 20, 22 n. 2. * C. 8 d. 24. ** C. 9 d. 24. C. 16 d. 17.*

DECRETA

UNDECIMAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Oliva Vic. Gen. perp.

1661

Causa Congregationis convocandae. *Nempe die 21 Martii.*

CUM ex decreto Innocentii X, Pontificis Maximi, de habendis Congregationibus generalibus singulo quoque novennio, haberi Congregatio huiusmodi deberet ante exeuntem Martium currentis anni 1661, impetratum est a S. D. N. Alexandro VII, ut, pro maiore eorum, qui ad illam conventuri essent, commoditate, illius cogendae tempus usque ad insequentem Maium eiusdem anni prorogaretur.

Congregationis cogendae tempus prorogatur.

Quinam initio Congregationis desiderati.

Ad diem itaque 8 Maii, in quem indicta a R. P. N. Generali, Goswino Nickel, erat Congregatio, cum adessent Patres omnes, quibus ius erat conveniendi, exceptis Patribus lusitanis et sardis, ac P. Ioanne Baptista Vivet, Rectore barcinonensi, qui tamen eo die exspectabatur, nullaque affulgeret iusta spes adventus, neque Substitutorum e Sardinia pro Vice Provinciali et Sociis luctuosum ad ostia Tiberina naufragium passis, neque lusitanorum Patrum; visum fuit inchoari oportere Congregationem sine dilatione, adeoque inchoandam esse postridie eius diei.

Absentes non exspectantur.

DECRETUM 1, in manu scriptis act. 5.

Electio Vicarii extraordinaria a Praep. Gen. proponitur. C. 23 d. 1.

CUM R. P. N. Generalis ostendisset Congregationi: se ob senii gravitatem et corporis impedimenta non posse amplius tot ac tantis officii sui laboribus parem esse, et eo animi vigore, quo oporteret, Societatis gubernationem administrare, ideoque ultro rogaret: ut Vicarius sibi daretur, vel ad tempus vel perpetuus, et cum iure vel sine iure successionis, prout ipsi Congregationi videretur praesenti statui rebusque Societatis magis conducere; Congregatio obsequendum duxit voluntati charissimi optimeque meriti Parentis sui. Quo tamen certum opportunumque consilium in tanta re commodius caperet, indixit biduanam deliberationem et cessationem interim a consessibus; adiecit Pater noster, Congregatione probante, praecepti obligationem de re, dum geritur, nemini vulganda.

Biduum indicitur ad deliberandum, adiecto interim praecepto de re non vulganda.

2, in Ms. act. 6.

Secretis suffragiis decernitur: eligendum Vicarium perpetuum cum iure succedendi. C. 8 d. 18. C. 23 d. 8.

EXACTO biduo ad deliberationem indicto, convenerunt Patres ad decernendum secretis suffragiis (nam id petierat P. N. Generalis, et Congregatio approbaverat) cuiusmodi Vicarius eligendus in praesens videretur? Omniumque, solis quinque exceptis, concors sententia fuit: eligendum Vicarium perpetuum cum iure succedendi. Electio autem visa est differenda tantisper, dum conveniri super ea opportunius posset Summus Pon-

Summus Pont. hac de re conveniendus.

P. Oliva Vic. Gen. perp.

1661

tifex, ad Urbem, unde tunc aberat, rediturus propediem.

3, in Ms. act. 7, 8, etc.

Pater noster, absens ob invaletudinem, alium sui loco substituit. *C. 14 d. 9.*

Pater noster Generalis a dirigendae Congregationis officio, ob invaletudinem revocatus, vices suas P. Dominico Langa, Assistenti Hispaniae et Assistentium antiquissimo commisit, nec amplius ulli conventui interfuit. Cum autem ageretur de postulato duarum Provinciarum: ut iurati ferant iudicium, qui iudicaturi sunt de excellentia talenti, quod supplere potest defectum doctrinae requisitae ad professionem; post longam et accuratam disceptationem, iudicatum tandem est, magno suffragiorum concursu, duas tertias non parum superante: non esse iuramentum eiusmodi exigendum, et sufficere ad postulati finem, si praescriptae in Congregationum Decretis pro subiecta materia cautiones adhibeantur. Et cum postridie Patrum unus intercessisset, auditaeque essent illius rationes, censuit Congregatio: non esse intercessioni deferendum.

Iuramentum non exigendum de excellentia talenti, quod supplere potest defectum doctrinae ad professionem.

Vide tamen C. 12 d. 24. C. 7 d. 33 n. 3.

4, in Ms. atc. 16.

Petenda facultas eligendi Vicarium perpetuum cum iure successionis. *C. 28 d. 1.*

Habita declaratione mentis Patris nostri Generalis de potestate, quam habiturus esset Vicarius mox eligendus, statuit Congregatio: ut libellus supplex offerretur Summo Pontifici, quo communi nomine Congregationis et Patris nostri Generalis postularetur apostolica benedictio, et facultas, quatenus opus esset, ad eligendum Vicarium perpetuum cum iure successionis, et cum universali ac libero exercitio potestatis. Designatio autem Patrum, qui libellum offerrent, permissa fuit P. Generali.

5, in Ms. act. 17, 18, 19 et 20.

Procurator Sardiniae admittendus, ad negotia tantum, post electionem Vicarii. *C. 13 d. 4.*

Oblatis Congregationi patentibus litteris Provincialis Sardiniae, quibus P. Iacobum Cartam, eius Provinciae subditum, Romae agentem, Procuratorem constituit ad negotia cum approbatione Patris nostri Generalis; rogata est Congregatio: placeretne illum admitti? Censuit illa admittendum, et quidem de iure, sed ad negotia tantum, post electionem Vicarii.

6, in Ms. act. 20.

Electio Vicarii perpetui, praelecto de ea brevi pontificio, indicitur. *Litt. Apost. pag. 181.*

Publice lectum est breve pontificium, quo ample et plene tribuitur Congregationi petita facultas eligendi Vicarium Generalem perpetuum cum futura successione, ac cum universali et libero exercitio potestatis. Cumque omnia iam essent satis expedita, placuit inchoari die proxime sequenti quatriduum ante electionem, proponique interrogatorium, et fieri caetera, quaecumque ad negotium transigendum requirebantur.

7, in Ms. act. 17 et 20.

Formulae iuramenti et decreti electionis nonnihil immutantur.

De Formula iuramenti praestandi in electione Vicarii, statuit Congregatio: ut eadem esset, quae in Generalium electionibus usurpatur, sola vocis *Generalis* in voces *Vicarii Generalis cum iure succedendi* mutatione.

Similiter retinendam censuit Formulam decreti, quae in Generalium electionibus enuntiatur, sola mutatione vocis *Generalem* in voces *Vicarium Generalem cum iure succedendi, et potestate, iuxta breve apostolicum datum 1 Iunii 1661.*

Litt. Apost. pag. 181. C. 23 d. 5.

8, in Ms. act. 22.

Vicarius Generalis eligitur. *C. 23 d. 6.*

Die 7 Iunii, qui felicibus auspiciis incidit in tertium die festum delapsi

P. Oliva Vic. Gen. perp. C. 1 d. 8. C. 18 d. 8.

in coetum Apostolorum et Discipulorum Spiritus Sancti, omnibus rite servatis, acceptisque a P. N. Generali, ob invaletudinem absente, suffragiis, electus est primo scrutinio Vicarius Generalis perpetuus cum iure succedendi, et potestate, iuxta breve apostolicum, R. P. Ioannes Paulus Oliva, Elector Provinciae romanae, et confectum promulgatumque de more super ea re decretum est a P. Dominico Langa, Praeside Congregationis.

9, in Ms. act. 23.

Nationis nomen in ordine ad eligendos Assistentes pro hac vice explicatur. C. 12 d. 5.

AD instantem Assistentium electionem, visum est statuere pro hac vice, et nullo ad futuras Congregationes praeiudicio: ut nomen *nationis,* ex qua eligi deberent iuxta Formulam, § 78, sumeretur, non ut synonymum Assistentiae, sed pro sola ea complexione nationum ex quibus una Assistentia componitur.

10, in Ms. act. 24.

Dilata Assistentis Lusitaniae electione, quatuor alii eliguntur. C. 8 d. 2. C. 14 d. 3. C. 18 d. 4. C. 20 d. 4. C. 23 d. 8.

DIE 12 Iunii, qui erat ultimus quatridui indicti ad Assistentium electionem, electi sunt Assistentes: Italiae, P. Alexander Fliscus, Praepositus Domus Professae mediolanensis, primo scrutinio; Germaniae, P. Carolus de Noyelle, Substitutus Secretarii Societatis pro Assistentia Germaniae, tertio scrutinio; Galliae, P. Claudius Boucher, Provincialis Franciae, primo scrutinio; Hispaniae, P. Sebastianus Izquierdo, Rector Collegii complutensis, secundo scrutinio. Electione Assistentis Lusitaniae iudicatum est ea die supersedendum, ob absentiam Patrum lusitanorum. Electi autem praestiterunt de more iuramentum, vocato, post electiones omnes peractas, ad hoc ipsum praestandum, P. Carolo de Noyelle, qui coetui non intererat.

Unus ex eis, absens, post omnium electionem vocatur.

1661

11, in Ms. act. 25 et 26.

Abdicante Admonitore P. Gen., novus eligitur. C. 8 d. 2.

PATRE Dominico Langa, P. N. Generalis iam ab annis aliquot Admonitore, ultroneam officii illius abdicationem non semel apud Congregationem et apud Patrem nostrum proponente atque urgente, ac tandem inpetrante, electus est in Admonitorem tum Generalis, tum Vicarii, P. Nicolaus Zucchius, secundo scrutinio.

12, in Ms. act. 25, 26 et 27.

Abrogatio brevis Innocentii x petenda, Litt. Apost. pag. 177.

AUDITO postulato plurium Provinciarum, de petenda a Pontifice abrogatione brevis Innocentii x, PROSPERO FELICIQUE STATUI etc., censuit Congregatio consensu plane unanimi: tentandam esse brevis totius abrogandi postulationem; qua minime succedente, sigillatim pro partibus supplicaretur; factaque deinde de singulis, post allatas et discussas prius in partem utramque rationes, propria suffragatione, confirmatum est, primo, nullo prorsus dissentiente: petendam abrogationem triennii praefixi gubernationi Superiorum, et imperatae post triennium exactum quietis. Secundo, de Congregationum novennalium abrogatione concors similiter fuit omnium, duobus solis exceptis, consensio.

de triennio Superiorum,

et novennali Congregatione.

13, in Ms. act. 27 et 28.

Congregationibus gen. cogendis nullus terminus praefigatur.

PROPOSITA est quaestio: an, impetrata abrogatione Congregationum novennalium, non videretur nihilominus fore ex re Societatis, si ab hac ipsa Congregatione terminus aliquis seu negativus, seu positivus Congregationibus habendis praefigeretur? Responsum est concordibus senten-

P. Oliva Vic. Gen. perp.

tiis: non fore; adeoque nec tunc terminum ullum praefigendum, etiam non obstante decreto a Congregatione octava facto ante electionem, ut habetur in actis Ms.

Sess. 35.

14, in Ms. act. 29.

Doctores Theologiae ante ingressum, etsi mediocres in doctrina, ad professionem 4 vot. idonei. *C. 23 d. 19.*

Postulatum fuit, ut Congregatio decerneret: satisne sit ad professionem quatuor votorum obtinendam, si, in praevio ad eam examine, mediocritatem excedant in doctrina, qui fuerunt in celebri aliqua Universitate donati gradu Doctoris in Theologia, cum hoc illis asserere videatur Congregationis VII decretum 96, et favere regula 19 Provincialis, § 14, in Ratione Studiorum.

Hic § 15.

Decrevit Congregatio: satis esse, idque statutum videri in laudato decreto, cui nullatenus derogatum sit per § 3 decreti 37 Congregationis VIII.

15, in Ms. act. 29 et 30.

Libera Provinciali relinquitur dispositio de fructibus bonorum, quorum possessionem Nostri retinent. *C. 5 d. 59.*

Rogata Congregatio, ut declararet: cuiusmodi sit obligatio ex § 6 decreti 17 Congregationis VII, expendendi in causas pias fructus bonorum, quorum possessionem Nostri retinent; declaravit: relicta in suo vigore paupertatis obligatione, intuitu subditi bona possidentis, nullum Provinciali per laudatum decretum in materia votove paupertatis gravamen imponi, neque valorem actuum elidi, quibus ipse de fructibus illis aliter disponat, aut disponi permittat.

16, in Ms. act. 31, 43 et 62.

Vicario Gen. ampla fit potestas Collegia male constituta dissolvendi; *Confirmatur et approbatur Litt. Apost. pag. 185.*

Cum postularetur dissolutio duorum Collegiorum male omnino constitutorum; Congregatio fecit P. Vicario amplam potestatem dissolvendi, non solum dicta duo Collegiola, sed et alia quaecumque eiusdem notae ac rationis, non tantum in Provincia romana aut neapolitana, ubi maior huius rei urget necessitas, sed universim in tota Societate; et occasione hinc accepta eidem commendavit: ut se in admittendis novis Collegiis exhiberet plane difficilem.

1661

C. 17 d. 14.
C. 20 d. 20.
C. 21 d. 9.
C. 22 d. 18.
C. 23 d. 41.
sed in novis admittendis plane difficilem se exhibeat;

item transferendi et commutandi quasdam Domos. *C. 8 d. 7. C. 9 d. 38. C. 19 d. 7. C. 20 d. 20.*

Posuit etiam in ipsius potestate et arbitrio postulatam translationem Domus Probationis moguntinae in Provincia Rheni Superioris Aschaffenburgum; et salinensis in Provincia lugdunensi Vesuntionem; commutationem item Domus Professae Villaviçosae in Provincia transtagana in Collegium.

17, in Ms. act. 31.

Donatio potest rata haberi post donantis mortem vel professionem. *C. 7 d. 17.*

Delato ad Congregationem iudicio Patrum pro paupertate Deputatorum, de potestate Praepositi Generalis ad admittendam et ratam habendam, post donantis mortem vel professionem, donationem a Scholastico Societatis ante factam certo alicui Collegio; probavit iudicium Congregatio, suoque decreto firmatum voluit: esse in potestate Generalis admittere et ratas habere donationes huiusmodi, non obstantibus contrariis rescriptis Praepositorum Generalium.

18, in Ms. act. 32.

Contra eos qui edunt *libros* sine facultate. *C. 1 d. 105.*

Propositum est Congregationi ab ipso P. Vicario: de quaerendo parandoque efficaci remedio ad fortiter comprimendam perniciosam libertatem edendorum librorum sine facultate, seu proprio, seu alieno, aut etiam suppresso nomine. In quo, cum multa a multis essent solerter excogitata et inter opinandum adducta, convenit Congregatio communiore consensu in ea, quae sequuntur:

Puniatur auctor,

1. Ut in auctores animadvertatur

P. Oliva Vic. Gen. perp.

1661

gravibus certisque poenis incurrendis; puta, privatione officii, vocis item activae et passivae, inhabilitate etiam ad dignitates et praelaturas Societatis, poenis etiam corporalibus, pro delicti gravitate Superioris arbitrio decernendis.

complices, conscii et Superiores consilia auctoris promoventes, non revelantes nec impedientes.

2. Ut haec ipsa poenarum capita ad complices et conscios, etiam Superiores, ea proportione extendantur, qua ipsi magis minusve, vel scriptoris consilia promovendo, vel eadem non revelando, vel ex officio non impediendo, in praesentem Societatis perniciem dedecusque peccaverint.

Idem statuitur de *libellis* et *foliis*. *C. 10 d. 11. C. 15 d. 9. C. 16 d. 15. C. 21 d. 26. C. 22 d. 20.*

3. Ut librorum nomine intelligi etiam debeant libelli et folia, ut vocant, volantia, ac demum quidquid praelo ad publicam lucem committitur.

Praesumptio est contra tradentes scripta.

4. Ut praesumptio fraudis contra illos stare censeatur, a quibus accepta scripta externi vulgaverint.

19, in Ms. act. 34, 35 et 40.

Decreta Ordinis Praedicatorum in honorem commendationemque Societatis.

Cum pervenissent ad Congregationem per unum aliquem e PP. Electoribus notitia epistolae ab Reverendissimo P. F. Ioanne Baptista de Marinis, Magistro Generali venerabilis Ordinis Praedicatorum, ad dilectos sibi in Dei Filio universos et singulos eiusdem venerabilis Ordinis Fratres directae, eiusque manu subscriptae, ac sigillo munitae, et ab Ordinis Secretario traditae, in qua decreta aliquot continentur in honorem commendationemque Societatis in Comitiis generalibus Ordinis condita; censuit Congregatio, nulla etiam maiori exspectata huius rei notitia, huic provocationi honorariae respondendum: in primis, honorifica gratiarum actione, nomine suo, eidem Reverendissimo P. Magistro Generali deferenda; tum deinde gravi ad Nostros omnes commendatione, quam ex Congregationis VIII sensibus voluit renovatam, nimirum: ut illustrissimum, natuque maiorem in Ecclesia Ordinem, sanctitate, doctrina rebusque praeclare gestis de illa optime meritum, peculiari benevolentia complectantur, de illo magnifice sentiant et loquantur, aliisque venerationis significationibus et charitatis officiis prosequantur.

Honorifica gratiarum actio tam praeclaro Ordini a Societate deferatur. *Decr. 12.*

et peculiaria obsequii et amoris officia eidem a Nostris exhibeantur.

20, in Ms. decr. act. 35, 37 et 44.

Collegia gravari possunt ad solvendam annuam pensionem Domibus Professis, durante fabrica.

Ex occasione fabricae templi et Domus Professae neapolitanae adductum est in quaestionem: an possint Collegia aut Domus Probationis Societatis, salva paupertate propria nostrarum Domorum Professarum, gravari a testatore seu fundatore ad exaedificandum Domui Professae templum vel domum, collatis in eam rem certis reditibus annuis, quamdiu fabrica duraverit, etiamsi contingeret eam ad triginta vel quadraginta et amplius annos durare. Super qua quaestione, multum ac diligenter discussa, approbavit tandem Congregatio, uno fere consensu, iudicium Patrum pro paupertate Deputatorum, nimirum: nequaquam esse contra paupertatem Domorum Professarum, quod in quaesito proponitur, si nempe res transigatur ad eumdem modum, quo facta et transacta Neapoli proponebatur.

Ne diutius, quam necessitas tulerit, Domus Professae talibus reditibus fruantur.

Caeterum pertinere ad providentiam Superiorum, ne diutius, quam iusta necessitas tulerit, Domus Professae talibus reditibus fruantur. Et cum nihilominus aliquis contra intercessisset, auditae sunt illius rationes; dictisque iterum sententiis, probatum firmatumque est decretum iam sancitum unanimi plane consensu.

P. Oliva Vic. Gen. perp.

1661

Menda in duobus Congregationum decretis corriguntur.

21, in Ms. act. 36 et 37.

Retulerunt ad Congregationem Deputati pro Constitutionibus et Decretis: in editione Decretorum tum romana anni 1616, tum antuerpiensi anni 1635, vere mendosum esse textum decreti 23 Congregationis secundae, ubi, in adiuncto Definitorum decreto, leguntur haec verba: Quod si aliquis, imperfectionem secutus, particulari alicui Societatis nostrae loco *intra Provinciam;* cum legi debeat *extra Provinciam,* ut habent originalia manu scripta, et colligitur manifeste ex adversiva particula paulo post adiuncta: si vero alicui Collegio *intra Provinciam.*

Item mendum irrepsisse in decretum 51 Congregationis v, et in cap. 5 Ordinationum Generalium. Ubi enim in decreto legitur: Placuisse Congregationi, ut postularetur dispensatio super illa parte decreti Clementis viii, quae iubet deputari Confessarios, qui *a reservatis absolvant;* et in Ordinatione: impetratam esse dispensationem, ne teneantur Superiores deputare Confessarios, qui a *reservatis absolvant;* legendum esse *a non reservatis,* ut constat ex textu decreti pontificii; adeoque inserendam esse in utroque loco particulam negativam *non* ante vocem *reservatis.*

Agnovit Congregatio ita plane, ut Deputati retulerant, rem se habere, ac proinde etiam decrevit: emendandos dictos mendosos textus ad eum modum, quem iidem Deputati proposuerunt.

22, in Ms. act. 37.

Contra laxas opiniones in moralibus. C. 12 d. 28.

Complurium Provinciarum postulatio fuit: ut, cum Societas ita nunc passim male audiat et traducatur, quasi nimis laxas in moralibus opiniones doceat et in praxi sequatur; aliquod adhibeatur efficax tanto malo remedium. Congregatio, amplexa iudicium Deputatorum pro studiis, statuit: primo, monendos serio Professores Theologiae Moralis, caute omnino ut doceant, neque, quod aliquid probabile reputent, illico sibi licere arbitrentur illud in publicum scripto verbove protrudere; sed ad id attendant maxime, quod monet Congregatio v decreto 41: an communi scholarum sensui congruat, ac praeterea scandalum vel offensionem aliquam uspiam parere possit. Superiores autem, si quos novitatum amantes aut parum cautos in docendo compererint, a munere docendi submoveant, speque omni illius privent, poenis etiam aliis, si forte opus iis esse senserint, coerceant.

C. 14 d. 5. C. 20 d. 10. C. 21 d. 14.

Professores caute omnino doceant.

Novitatum amatores amovendi, coercendi. C. 16 d. 36 n. 3.

2. In librorum editione, onerandam Censorum fidem et conscientiam, severos ut se potius, quam molles exhibeant, neque aliquid etiam dubii ad Societatis famam periculi sine gravi censura abire patiantur; et, si quid tale occurrerit, Patri nostro sincere et fideliter prodant.

Censores librorum severos se, potius quam molles, exhibeant. C. 10 d. 11.

3. In privatis congressibus et responsis diligenter cavendum Nostris, ne aliquid promant, quod vulgari minime vellent; numquam autem scripto respondeant, in rebus praesertim gravioribus, nisi consulto et probante Superiore.

Cautio in congressibus et responsis, praesertim scripto datis, habenda.

4. Texendum elenchum sententiarum in morali periculosarum, exquisito primum Provinciarum sensu de sententiis quae apud singulas scandalum aut offensionem aliquam habent adiunctam, eumque mittendum ad singulas, et in singulis examinatum, iterumque Romae recognitum ac probatum, rite communicandum omnibus.

Elenchus sententiarum in morali periculosarum texendus et Provinciis communicandus. C. 12 d. 28, 56, n. 3. C. 14 d. 5. C. 16 d. 36 n. 4. C. 18 d. 20. C. 20 d. 10. C. 23 d. 16, a.

P. Oliva Vic. Gen. perp.

1661

23, in Ms. act. 39, 40 et 41.

Remediorum ad paupertatem conservandam et restituendam electio P. Vicario commissa. *C. 18 d. 22 n. 2. C. 20 d. 7 n. 5.*

Cum permulta essent in medium allata ad paupertatem nostram conservandam in sua puritate, et restituendam etiam, sicubi labefactata videretur, eaque in primis, quae a Patribus Deputatis pro paupertate fuerant solerter excogitata; censuit tandem Congregatio communi consensu: committendum P. Vicario, ut ipse pro sua prudentia ex iis illa eligeret, quae magis apta et opportuna esse iudicaverit.

24, in Ms. act. 42, 45, 47 et 48.

De examinibus in studiis. *C. 7 d. 33. C. 12 d. 22. C. 22 d. 35.*

Audito iudicio Patrum Deputatorum pro studiis, probavit Congregatio suoque decreto sancivit:

Examinentur unius horae spatio Metaphysici et Theologi tertii anni;

1. Ut Metaphysici iuxta regulam 23 Praefecti Studiorum, et a tertio ad quartum Theologiae annum gradum facturi, unius horae spatio examinentur.

reliqui Philosophi ac Theologi media minimum hora.

2. Ut in reliquis tum Philosophiae tum Theologiae annis, media minimum hora subeatur examen. Provinciae, quae ex longo iam usu plus ei temporis tribuunt, consuetudinem suam retineant.

Examinentur de materia a Magistris ante examen tradita.

3. Ut examinis annui materia sit ea omnis, quae a Magistris toto anni currentis spatio tradita fuerit; iis exceptis, quae sub ipsum examinis tempus decurruntur, Praefecti Studiorum iudicio designandis; sive de caetero theses ad examen adhibeantur, sive non.

Qui ante ingressum aliquid Philosophiae aut Theologiae audiverint, examinentur vel studia repetant.

4. Ut, qui ante ingressum in Societatem Philosophiae aliquid aut Theologiae audiverint, examinentur, ut praescribit regula 19 Provincialis, § 5, in Ratione Studiorum, nisi mallent, quod emensi sunt, illorum studiorum iter remetiri; quod quidem, nisi Superior iustas ob causas negandum censuerit, poterit illis ultro concedi.

Ad actum theologicum habendum tria clara requiruntur de aptitudine suffragia.

5. Ut ad habendum actum theologicum, seu parvum seu magnum, possit aliquis admoveri, requirantur Examinatorum suffragia tria, clara et minime dubia, quae illius ad actum cum satisfactione habendum capacitatem speciatim enuntient.

Quod si quis ante actum magnum conclusionem impugnandam vel argumentum proponendum inquisiverit, examen more aliorum subeat; si in actu parvo id fecisset, excidat spe actus magni:

6. Si quis, habiturus actum magnum, ab argumentaturis conclusionem impugnandam vel argumentum proponendum inquisiverit, is, nulla habita ratione iudicii ex actus successu consecuti, ad examen more aliorum pro professione subeundum omnino revocetur. Qui vero in actu parvo id fecisset, excidet spe omni actus magni, et complices aut administri huius dedecoris, si qui fuerint, pro ratione culpae a Superioribus puniantur. Demum Iudices oneratam sciant conscientiam suam, si, cum aliquid fraudis intervenisse cognoverint, quo de doctrina defendentis iudicium debeat non mediocriter variari, ex solis praecise responsis et actus successu ferant iudicium.

si aliquid fraudis intervenerit, non de solo actus successu Iudices iudicium ferant. *C. 10 d. 18.*

Theologicorum actuum numerus contrahatur; nimiae Magistrorum locutiones vitentur.

Ad haec Congregatio praecipua ratione commendatum voluit P. Vicario: ut de theologicorum actuum numero contrahendo, nec non de nimiis inter eos Magistrorum locutionibus compescendis, quoad prudenter poterit, satagat.

Cum autem interposita esset intercessio contra eam partem huius decreti, quae horam unam integram examini a tertio ad quartum Theologiae annum subeundo praefigit, auditis intercessoris rationibus, confirmavit Congregatio quod iam sanciverat.

P. Oliva Vic. Gen. perp.

1661

25, *in Ms. act. 43.*

Gaudentis Maioratu in Hispania admissio sine facultate Generalis non est invalida.

De Maioratibus Hispaniae quaesitum est: an decretum 18 Congregationis v, vetans admissionem in Societatem sine facultate Generalis personae Maioratus iure gaudentis, illam etiam irritam et nullam reddat? Congregatio, expensis variis ea de re Generalium rescriptis, et audito iudicio PP. Deputatorum pro Constitutionibus, censuit: nequaquam invalidam aut irritam esse huiusmodi admissionem.

26, *in Ms. act. 43 et 44.*

Ob reditum Societatis in Reipublicae venetae ditionem agendae gratiae Alexandro vii, *C. 7 d. 100.*

Quoniam a tempore, quo Societas nostra reversa est in serenissimae Reipublicae venetae ditionem, nunc primum convenit in unum corpus, totum Ordinem repraesentans; censuit Congregatio: ad contestandum universae Societatis gratum animum ob tam singulare et immortale beneficium, quo vindicata est fama integritatis nostrae, et ablatum opprobrium, quod passim iactabant in nos haeretici, summas quam humillime gratias nomine totius Ordinis agendas esse Sanctissimo D. N. Alexandro vii, cuius auspiciis, pastorali providentia et sapientissimo ductu perfectum felicissime suspeximus negotium, quod complures antea, magno quidem animi affectu, sed eventu irrito saepius tentaverunt.

et conscribendae litterae eucharisticae, tum ipsi Reipublicae,

Deinde placuit: ut nomine pariter Congregationis conscriberentur litterae ad serenissimam Rempublicam venetam, ad contestandam gratam beneficii adhuc recentis in Nostrorum receptione memoriam, et ad testificandum summum omnium Nostrorum pro viribus inserviendi Reipublicae desiderium.

tum Nuntio Sanctae Sedis.

Denique, quia praecipuus huius tam exoptati reditus, secundum illius auctorem Sanctissimum Dominum nostrum, administer extitit Illustrissimus et Reverendissimus D. Carolus Carrafa, tunc Sedis Apostolicae apud serenissimam Rempublicam, nunc apud Sacram Caesaream Maiestatem Nuntius, erga illum quoque simili litterarum eucharisticarum officio fungendum esse Congregatio consensu unanimi decrevit.

27, *in Ms. act. 43.*

Litterae ad Electos ad Congregationem generalem vel Procuratorum, et ad illas responsa nec aperiendae, nec retinendae a Superioribus Generali inferioribus.

Rogata est Congregatio prohibere: ne deinceps litterae, quae ad Deputatos ad Congregationem generalem scribentur, a Superioribus Generali inferioribus aperiri aut retineri possint, sicut nec ad illas responsa; quod hae saepe litterae negotia contineant soli Congregationi aut Generali communicanda; censuit Congregatio: omnino concedendum litteris ac responsis huiusmodi hoc privilegium, illudque idem ad electos in Congregatione provinciali Procuratores extendendum.

28, *in Ms. act. 27, 45 et 47.*

Lusitaniae Assistens eligitur, dispensando in informationibus,

Cum spes nulla superesset adventus Patrum ex Lusitania, visum fuit Congregationi: non differre diutius Assistentis electionem (quam a se faciendam, et non remittendam exemplo Congregationis decimae ad P. Vicarium, iam ante decreverat) designavitque ex speciali dispensatione quatuor Patres lusitanos Romae degentes, sed ad Congregationem non pertinentes, a quibus peti possent informationes, sub iisdem tamen cautionibus, quibus obstringuntur ii, qui ad Congregationem pertinent; ac tandem, ultimo die quatridui ad eam indicti,

C. 10 d. 5.
C. 16 d. 5.

C. 9 d. 44.
C. 18 d. 15.

P. Oliva Vic. Gen. perp.

adstantibus Secretario Soc. et Procuratoribus Gen. et Sardiniae. C. 3 d. 1, 44. C. 18 d. 15.

servatis omnibus, quae Formula praescribit, electus est primo scrutinio in Assistentem Lusitaniae P. Gaspar de Govea. Electioni interfuerunt, Congregatione permittente, sed suffragium non tulerunt, P. Secretarius Generalis, Procurator Generalis, et Sardiniae.

29, in Ms. act. 46, 49, 50, 59, 60 et 61.

Vicarii perpetui potestas declaratur.

Ob casus novitatem, electi scilicet Vicarii cum universali ac libera potestate, et cum iure succedendi, placuit Congregationi illius potestatem magis explicate et expresse declarare.

Exercitium universale potestatis privative in solo Vicario subsistat.

1. Declaravit: exercitium universale potestatis collatum fuisse Vicario, non cumulative, ita ut in duobus, Generali nempe et Vicario, aequo iure residere deberet; sed privative, id est: ita ut penes solum Vicarium deberet subsistere, atque adeo non posset Generalis ullam illius sibi partem assumere; ita ut, si secus aliquid ab eo fieret, illicite et invalide fieret; illudque exercitium sic explicatum, quatenus opus esset, eidem Vicario de novo contulit suffragatione secreta; quae dum institueretur, parantem excedere P. Vicarium, Congregatio retinuit, voluitque praesentem adesse. Permissum tamen quod petebat: abstinere, uti a ferendo suo, sic ab inspiciendis aliorum suffragiis, quorum proinde inspectio demandata est Professorum antiquissimo.

Nominatio vel substitutio Assistentium a Vicario fiat, audito Generalis consilio, et requisito de more ad nominati confirmationem suffragio.

2. In casu obitus vel mutationis alicuius ex Assistentibus, declaravit Congregatio, et, quatenus opus esset, decrevit: nominationem novi Assistentis pertinere ad P. Vicarium, et quidem unice, audito tamen super hac re P. Generalis consilio, et requisito ad nominati confirmationem suffragio.

1661

In casu gravis infirmitatis, possit sibi Vicarium substituere.

3. Declaravit, et, quatenus opus esset, decrevit: in casu gravis infirmitatis ipsius Vicarii, posse ipsum substituere sibi alium Vicarium ad regendam per id temporis Societatem.

In casu mortis Vicarii, a Generali novus Vicarius nominandus.

4. An vero in casu mortis, si forte contingeret Vicarium mori ante Generalem, possit Vicarius nominare ante mortem Vicarium, a quo, post illam, Societas regatur? vel certe: ad quemnam pertineat tunc providere Societati de Vicario? post agitatam in aliquot sessionibus quaestionem, cum P. Vicarius semetipsum spontanea iuris cessione exclusisset, eamque exclusionem ipsius rogatu Congregatio admisisset; eadem censuit: nominationem Vicarii, in casu proposito, deferendam esse P. Generali superstiti. Simul autem decrevit: ut casu, de quo agitur, eveniente, statim fiat ea nominatio; nomineturque aliquis ex iis, qui Vicario viventi adesse solebant, ut Formula praescribit, vel ex iis, qui proxime degunt; tum novus ille Vicarius Congregationem generalem ad electionem novi capitis statim indicat, atque interea Societatem gubernet potestate libera et independente, sed ea dumtaxat, quam habet ex communi iure Societatis Vicarius Generalis demortui.

Ex quibus tunc nominari debeat, et qua ornatus facultate.

30, in Ms. act. 51 et 52.

Ad promovendum augendumque in Societate spiritum,

Actum fuit in Congregatione per plures sessiones, de promovendo augendoque in Societate spiritu seu studio rerum spiritualium. Et cum multa in eam rem a multis praeclare dicta essent, totaque Congregatio magnum omnino zelum prae se ferret eius rei solide instaurandae; iudicavit nihilominus: abstinendum sibi a novis eo super oneribus decernendis; sed impense tamen voluit P. Vicario,

non nova decernenda,

P. Oliva Vic. Gen. perp.

1661

sed praescriptorum urgenda exsecutio a Superioribus. C. 18 d. 22. C. 19 d. 11. C. 21 d. 27.

ac per eum Provincialibus et Superioribus aliis commendatum, ut hanc rem, utpote rerum omnium nostrarum animam, praecipua ac perpetua cura versent, exsecutionem urgendo eorum, quae ad eam promovendam habet Societas satis copiose praescripta.

31, in Ms. act. 54.

In promovendis ad professionem non servandus ordo, attenta solum antiquitate in Religione. C. 7 d. 75. C. 9 d. 42. C. 12 d. 11. C. 13 d. 9, 10. C. 14 d. 19. C. 16 d. 20. C. 17 d. 10.

Postulavit Procurator malabaricae: an, qui ex Europa in Indiam veniunt virtute, doctrina aliisque de iure nostro requisitis ad Professionem quatuor votorum instructi, exspectare nihilominus ad eam emittendam illic debeant alios, qui vocatione antiquiores sunt, sed studia nondum absolverunt?

Censuit autem Congregatio: eos nequaquam debere exspectare; et universe declaravit, nusquam antiquiores a minus antiquis debere exspectari, quando minus antiqui habent omnia expedita, et antiquiores, vel quia studia non absolverunt, vel defectu aetatis legitimae, vel alterius requisiti, ex parte ipsorum non sunt adhuc ad profitendum expediti.

32, in Ms. act. 54.

Diversantes in aliena Provincia extra nostras Domos subsint propinquiori Rectori et huius Provinciali.

Cum quaereretur: ad quem Superiorem, Rectorem scilicet et Provincialem, pertinere censendi sint, qui in aliena Provincia iisque urbibus diversantur, in quibus non est Societatis domicilium? Respondit, et statuit Congregatio: ad propinquiorem utique Rectorem censendos esse pertinere, et Provincialem, cui huiusmodi Rector subest.

33, in Ms. act. 57.

Sacrum et corona indicuntur in Societate pro Alexandro VII, in grati animi specimen pro ipsius beneficiis in Congregationem.

Proponente P. Vicario, et probante Congregatione, decretum est: indicendum in Societate universa Sacrum unum et coronam itidem unam pro SS. D. N. Alexandro VII in aliquale gratitudinis nostrae specimen pro tot illustribus beneficiis et apostolicis benedictionibus, quibus Congregationem hanc est impertitus.

34, in Ms. act. 54.

Petenda confirmatio pontificia decretorum Congregationis de Vicario.

Etsi videbatur non posse dubium esse ullum, quin omnia, quae ad electionem P. Vicarii collatamque in eum potestatem pertinent, rite acta essent in Congregatione, cui scilicet ad ea omnia sufficiens potestas adfuerat, tum ex nostris Constitutionibus, tum ex brevi pontificio, tum denique ex consensu et approbatione ipsius P. Generalis, qui propria syngrapha contestatus fuerat Congregationi, se omni meliori modo, quoniam videbat ita expedire Societati nostrae, illa omnia rata habere; tamen ad rerum gestarum complementum iudicavit et decrevit Congregatio: supplicandum Pontifici, ut eadem omnia pontificio diplomate confirmare dignaretur, quo perennis atque immobilis firmitatis robur accipiant.

Habetur Litt. Apost. pag. 188.

35, in Ms. act. 61.

Si renuat Pontifex abrogare decretum Innocentii X de Congregationibus novennalibus, pro hac vice duae tantum Congregationes prov. intra decursum novennii habeantur. C. 8 d. 10. C. 16 d. 8. C. 21 d. 10. C. 23 d. 13 n. 1.

Suscepta est deliberatio: an, si Pontifex renueret abrogare decretum Innocentii X de Congregationibus novennalibus, videretur pergendum in usu Congregationum provincialium triennalium? In qua deliberatione, quia agendum erat de mutandis abrogandisve aliqua sui parte Constitutionibus et Congregationum generalium decretis, quaesitum est, primo: Placeretne de proposita quaestione tractari? et cum placuisset, dictae sunt sententiae, fueruntque non pauci, qui censerent omittendas omnino

P. Oliva Vic. Gen. perp.

1661

Congregationes provinciales omnes intermedias, quae scilicet fiunt ad electionem Procuratoris. Sancitum tamen est: ut, pro hac vice, duae intra decursum novennii haberentur: in medio una, ad eligendum Procuratorem; in fine altera ad electionem mittendorum ad Congregationem generalem.

36, in Ms. act. 62.

Decretorum et canonum ex actis

EXEMPLO nonnullarum aliarum Congregationum commissa est P. Vicario decretorum et canonum ex actis extractio, et cum Provinciis communicatio. Quo facto, negotiis omnibus iam expeditis, habuit P. Vicarius insignem, et loco et tempori aptissimam ad Patres Congregatos paraenesim; tum deinde, actis DEO gratiis ex praescripto Formulae, inter mutuos amplexus, cum maxima charitatis significatione, finis impositus est huic Congregationi XI, die 27 Iulii 1661.

extractio et cum Provinciis communicatio P. Vicario committitur. *C. 14 d. 28. C. 17 d. 17. C. 18 d. 23. C. 19 d. 12. C. 22 d. 45. C. 23 d. 43 n. 6.*

Hortatio P. Vicarii. Solvitur Congregatio.

DECRETA

DUODECIMAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

Causa Congregationis convocandae.

CUM, vix absoluta Congregatione Procuratorum, diem extremum obiisset R. P. N. Ioannes Paulus Oliva die 26 Novembris 1681, renuntiatus est Vicarius Generalis, quem ipse iam tum ab anno 1664 scripto a se relicto nominaverat, R. P. Carolus de Noyelle, Assistens Germaniae. Hic, de PP. Assistentium consilio, Congregationem indixit in diem 21 Iunii 1682. Qua die, B. Aloisio Gonzagae sacra, adfuere ex Provinciis Provinciales seu Vice Provinciales, ac Deputati plane omnes; fuitque consequenti die Congregatio inchoata.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1 et 2.

Ex decreto Clementis IX, per secreta suffragia disquiratur: an Societati expediat, nec ne, breve

QUIA vero, ex decreto fel. rec. Clementis XI, ante electionem Praepositi Generalis, praevia matura rei discussione, agendum id primum erat, et per secreta suffragia disquirendum: an bono Societatis expediret, terminum novennalem ad celebrandas Congregationes generales ab Innocentio X statutum abrogari, vel observari? Idcirco, post electum Secretarium, P. Paulum Casatum, Provinciae venetae Electorem, ad pleniorem deliberationem decrevit Congregatio: ut, quae in utramque partem collectae fuerant rationes, palam legerentur. Quibus perlectis, moniti omnes, si quid addendum videretur, liberum cuique fore seu voce seu scripto id proferre, aut tacito etiam nomine alicui e tribus Patribus, Martino scilicet de Esparza, Danieli Bartolo, et Secretario, ad hoc deputatis tradere. Utque maturius fieret, censuit insuper Congregatio: sumendum sibi aliquot dierum spatium, quo a qualibet alia re vacaret.

Innocentii X de Congr. novennali abrogari. *Litt. Apost. pag. 195.*

Secretarius electionis eligitur.

Rationes in utramque partem collectae leguntur, et novae, si quae sint, expetuntur.

Ad hanc autem deliberationem,

Admittitur ad deliberationem

P. de Noyelle Praep. Gen. 1682

Vice Procurator Generalis.

cum in ea nec de electione, nec de rebus ad electionem pertinentibus tractandum esset, vocatus est et admissus Vice Procurator Generalis, P. Paulus Ottolinus; vocandus vero non fuit Secretarius Societatis, P. Dominicus Maria de Marinis, quia iam ipse inter Electores, Provinciae romanae Elector aderat.

2, in Ms. act. 4.

Post quatriduanam discussionem, secretis suffragiis abrogatio petenda decernitur.

Postquam quatriduum tenuit discussio, lecta sunt a Secretario quae supra memoratis Patribus a variis tradita fuerunt, expensaeque diligenter hinc et inde rationes adductae; ac tum, praemissa ad divinam opem lucemque coelestem implorandam per aliquod tempus oratione, itum est in
C. 8 d. 13.
secreta suffragia: quibus lectis et numeratis, plane constitit, ex octoginta quinque suffragiis, duo et octoginta pro petenda Congregationis novennalis abrogatione stetisse, triaque dumtaxat in alteram partem abiisse.

Libellus supplex super ea re Summo Pont. offertur.

Cumque, iuxta Clementis IX praescriptum, ad Sedem Apostolicam quamprimum ac distincte referendus esset suffragiorum numerus; confecto super ea re supplici libello, eum R. P. Vicarius Generalis quarto post die, ad Summi Pontificis pedes cum Secretario benigne admissus, Suae Sanctitati obtulit, ac totius Societatis nomine Congregationis novennalis abrogationem, qua par fuit humilitate,
Litt. Apost. pag. 262.
postulavit, nostraeque postulationi, mira erga nos animi propensione, Sua Sanctitas annuere visa est.

3, in Ms. act. 7.

Eligitur Praepositus Generalis.

Die 5 Iulii, quae eo anno in Dominicam septimam post Pentecostem incurrit, quatriduo item interiecto, servatisque rite omnibus, quae a Constitutionibus et Formula praescribuntur, in Praepositum Generalem electus est primo scrutinio, ac summo, qui umquam fuit, aut esse possit, suffragiorum concursu, nullo videlicet excepto, praeterquam suo, R. P. Carolus de Noyelle, Vicarius Generalis. Formatum mox iuxta Formulam super ea re decretum, subscriptumque a Secretario ac promulgatum.

4, in Ms. act. 5, 7 et 8.

Deputati ad detrimenta.

Ante electionem Praepositi Generalis deputati, more solito, ad detrimenta Societatis recognoscenda iam fuerant: ex Italia, P. Octavius Rubeus, Provincialis romanus; ex Gallia, P. Stephanus de Champs, Rector parisiensis; ex Germania, P. Ladislaus Vid, Provincialis Austriae; ex Hispania, P. Martinus de Esparza, Elector Provinciae castellanae; ex Lusitania, P. Iosephus de Seyxas, Provincialis Lusitaniae. Ad includendos
Inclusor.
vero Electores quo die fit electio, P. Iosephus Fotius; ut iam ante fuerat ad concionem habendam P. Nicolaus Avancinus, Elector Austriae.
Orator.

Secretarius Congr. idem qui electionis.

Post electionem autem, electo iterum in Secretarium Congregationis illo eodem, qui electionis fuerat, deputati, tum ad postulata seligenda, tum ad detrimenta simul examinanda (reiecta in aliud tempus quaestione, idemne, an diversi esse debeant), fuere: P. Octavius Rubeus; P. Paulus Fontanus, Vice Provincialis Aquitaniae; P. Ladislaus Vid; P. Ioannes Marinus, qui ante erat Assistens Hispaniae; et P. Iosephus de Seyxas; ac tum hi, tum illi singulis scrutiniis, pluribusque suffragiis.

Deputatio, tum ad postulata, tum ad detrimenta.

Inf. d. 49.

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

5, in Ms. act. 9.

Ut quis ad aliquam Assistentiam pertinere dicatur, attendendum est ad Provinciam in qua admissus in Soc., vel cui a Praeposito Gen. absolute addictus. *C. 1 d. 80. C. 2 d. 20. C. 14 d. 23.*

INDICTO pariter ad Assistentium electionem quatriduo, haec fuit praemittenda quaestio, alias quidem excitata, sed nondum plane definita: an scilicet in iure nostro accipiendae sint voces illae, ut synonymae, *Natio et Assistentia?* Fuitque Patrum plusquam ad duas tertias partes iudicio definitum: ut quis ad aliquam assistentiam dicatur, vel non dicatur pertinere, non ad illius natale solum aut originem attendendum esse, sed ad Provinciam ex qua est; adeo ut ad hanc Assistentiam quisque pertineat, et in eis proinde Assistentem eligi possit, ad quam ipsa, ex qua tunc ille est, Provincia pertinet.

Censendus autem quisque est, ut dicatur ad aliquam Assistentiam pertinere, ex ea Provincia esse, in qua ad Societatem admissus fuit; nisi forte tum, aut post, absolute et non solum ad certum aliquod tempus, a Praeposito Generali addictus alteri Provinciae fuerit; ex hac enim tunc erit, etiamsi non in ea, sed in alia admissus fuerit.

6, in Ms. act. 10.

Eliguntur Assistentes, *C. 8 d. 2.*

OCTAVA post electionem Generalis die, Iulii 12, indictique ad Assistentium electionem quatridui ultima, in Assistentes, ad plura medietate suffragia, electi sunt: Italiae, P. Dominicus Maria de Marinis, Secretarius Societatis, tertio scrutinio; Germaniae, P. Nicolaus Avancinus, Praepositus Domus Professae viennensis, primo scrutinio; Galliae, P. Paulus Fontanus, Vice Provincialis Aquitaniae, Rectorque pictaviensis, primo scrutinio; Hispaniae, P. Paschasius de Casanueva, Provincialis Castellae, secundo scrutinio; Lusitaniae, idem qui proxime officio illo defunctus erat, P. Franciscus de Almeida, primo scrutinio; qui omnes de more iuramentum praestiterunt. Ac tum etiam creatus Admonitor fuit, ad plura item medietate suffragia, secundo scrutinio, P. Ioannes Marinus, qui Hispaniae Assistens proxime ante fuerat.

et Admonitor P. Generalis. *C. 8 d. 2.*

7, in Ms. act. 11, 12 et 13.

Providentia Assistentium erga Generalem, ipso petente, stabilitur. *C. 1 d. 82.*

HIS ita peractis, scriptum a se postulatum R. P. Generalis Congregationi obtulit, quo exposcebat: ut, cum Societas suam erga Praepositum Generalem providentiam exercere per PP. Assistentes debeat, vellet Congregatio statuere rationem, quam tenere in posterum illi debent in exsecutione huius primariae praecipuaeque partis sui muneris; multaque ipse in eum finem media proponebat, quae in actis Congregationis continentur.

Non potuit quidem Congregatio non laudare tam ardentem eius zelum, sibique in primis gratulari, quod eum haberet Generalem, qui ita ipse exsecutioni tum in se, tum suo exemplo in caeteris, urgendae promovendaeque insisteret. Eius autem postulato, prout iacet, annuere, tamque arctis Praepositum suum Generalem ac ipsos etiam Assistentes vinculis constringere, minus aequum atque consentaneum visum fuit, gravissimis in medium allatis rationibus.

Ut tamen aliqua ex parte postulato satisfaceret, statutum voluit: ut deinceps PP. Assistentes tertio quoque mense, convocante reliquos eorumdem professione antiquissimo, conveniant, ac inter se discutiant: num aliquid sit, de quo monendus videatur Generalis, aut quod illi repraesentari debeat, tum quoad ea, quae propriam

P. de Noyelle Praep. Gen.

ipsius personam attingunt, tum quoad administrationem et gubernationem Societatis; illumque, si quid sit, de eo quam primum, sive ore tenus, sive scripto pro sua prudentia moneant, aut illi repraesentent. Ad quod tamen, nec ipsi tenebuntur, quin illorum pars maior consenserit, si impar illorum fuerit numerus; aut media, si par fuerit.

8, in Ms. act. 9.

Missae, quae singulis hebdomadis ad intentionem Generalis dicuntur, non possunt ab eo applicari ad satisfaciendum obligationi ab aliquo susceptae recipiendo eleemosynas pro Missis celebrandis.

Postulatum ab ipso item fuit, ut Congregatio definiret: sitne Societatis menti consentaneum, Missas, quas singuli singulis hebdomadis iubentur ad intentionem Generalis celebrare, posse ita ab eo applicari, ut per illas satisfiat obligationi, quam alii quicumque susceperint, aut suscepturi sint, recipiendo eleemosynas pro Missis celebrandis? Unanimi consensu responsum est: id non censendum deinceps Societati nostrae consentaneum, nec debere ulla ratione Praepositum Generalem Sacra, quae a nobis celebrantur, ita applicare, ut, quicumque tandem illi sint, quidquam inde sibi aut aliis lucrentur, seque aut alios ab onere, quod, accepto stipendio aut eleemosyna, nunc aut alias vel ipsi vel alii contraxerint, liberos praestent.

9, in Ms. act. 13.

Constituti promotionibus ad gradum dies retinendi, sed non ad professionis valorem.

Superiorum Congregationum exemplo, variis pro rerum tractandarum diversitate Deputationibus institutis, propositum hoc primum fuit: an, cum constituti promotionibus ad gradum iam fuerint et in morem inducti dies Purificatae et Assumptae in coelum Deiparae sacri, placeret Congregationi hos eosdem dies retineri? Placuit omnino; sic tamen, ut neque praefixum illud tempus ad professionis valorem conditio necessaria sit; nec etiam ita praxi illi insistendum Congregatio velit, ut, si forte promovendus aliquis citra culpam gravemque ob causam non potuerit statutis illis diebus promoveri, non possit cum facultate Provincialis, si ita, causa cognita, iudicaverit, primo quoque opportuno tempore, nec exspectato insequenti termino, promoveri.

1682

Ob gravem causam, cum Provincialis facultate, potest aliquis die ab statutis diverso promoveri. C. 13 d. 20.

10, in Ms. act. 28, 29 et 30.

Ut Praepositus Gen., sic et Vicarius potest ad gradus promovere.

Propositum item fuit: an non expediat, Vicario Generali facultatem dari promovendi ad professionem et ad gradum eos, qui, quo tempore Vicarius est, habent omnia ad id requisita, etiamsi de illis a defuncto Generali statutum nihil aut significatum fuerit? Censuit Congregatio: hanc illi facultatem esse tribuendam, et re ipsa tribuit, eoque omni modo, quo illam habet Praepositus Generalis dum vivit, non obstante decreto 3 Congregationis quartae. Nec, cum unus e Patribus intercessisset, eius intercessioni deferendum prorsus voluit.

11, in Ms. act. 19.

Serventur praescripta de tempore et ordine promotionis ad gradum, nec exspectentur absentes.

Nomine vero Provinciae Lusitaniae propositum est: an non aequum videatur, ut Nostri, qui in Lusitania sunt, habentque omnia ad professionem seu gradum requisita, alios se antiquiores aut aeque antiquos pariterque ad professionem seu gradum expeditos, exspectent, donec ex insulis aliisve remotioribus locis, ubi versantur, redierint; vel saltem, ut illi alii, licet tardius promoti, in locum suae antiquitatis tum deinde restituantur? Sed fere omnium sententia fuit, iuxta id, quod habet decretum 31 Congregationis xi: illos nul-

C. 7 d. 75. C. 9 d. 42. C. 13 d. 9, 10. C. 14 d. 19. C. 16 d. 20. C. 17 d. 10.

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

latenus exspectandos, servandumque praeterea promotionis tempus et ordinem.

12, in Ms. act. 18 et 19.

Circa urgentes sola importunitate dimissionem, servetur quod decretum est.

Ad coercendam pravam illorum voluntatem, qui, nullam iustam ob causam, sed sola importunitate, suam e Societate dimissionem vel urgent vel extorquent, censuit Congregatio: retinendum observandumque decretum 22 Congregationis vii, nec aliud praeterea statuendum in praesenti.

13, in Ms. act. 42.

Biennium novitiatus solum valide inchoatur post expletum aetatis 15 annum; prima vero renovatio votorum, post annum 17 expletum facta, habet vim primae nuncupationis. C. 8 d. 22, 35.

Ut omnis dubitatio tollatur, quae ex decretis 22 et 35 Congregationis viii subnasci potest circa eum, qui, absque dispensatione Praepositi Generalis, fuisset, sive bona fide, sive defectum aetatis dissimulans, ante decimum quintum annum ad probationem admissus, aut ante decimum septimum expletum annum vota emisisset; Congregatio, declarando decretum Congregationis viii, definitum voluit: biennium novitiatus fuisse tunc solum quidem valide inchoatum, quando ille annum aetatis suae decimum quintum explevit; primam vero renovationem votorum, post annum decimum septimum expletum factam, habere vim primae nuncupationis, ac supplere quoscumque praedictos eiusmodi defectus.

Decr. 35.

14, in Ms. Act. 51.

Nemo ad gradum Coadiutorum spiritualium promoveatur ante annum 30 aetatis expletum, et ingressus in Soc. 10; sed hoc citra necessitatem ad valorem votorum servandum.

Cum ex Ordinationibus Generalium cap. 18, part. 1 de promovendis ad gradum, § 5, praescriptum habeatur: debere eos, qui ad gradum Coadiutorum spiritualium promovendi sunt, si caetera ad id requisita habuerint, statim post septennium a suo in Societatem ingressu promoveri; rogata Congregatio: an in posterum retinenda nihilominus videretur praxis, iam tum a R. P. Mutio introducta observataque, neminem ad huiusmodi gradum promovendi ante trigesimum annum aetatis expletum, et ingressus in Societatem decimum; retinendam esse declaravit, Patrique nostro, quamvis citra novam obligationem aut ad valorem votorum necessitatem, maxime commendavit.

15, in Ms. act. 29.

Superiores ea, quae in reddenda ratione conscientiae ipsis aperta sunt, nulli omnino, nec Generali, revelare aut innuere possunt, nisi subdito expresse consentiente. C. 6 d. 33. C. 23 d. 34. Instr. 11, 18 c. 2.

Cum propositum esset: quo secreti vinculo tenerentur Superiores ad ea, quae subditi in reddenda ratione conscientiae ipsis aperuerint? censuit et declaravit Congregatio: secretum adeo religiose servandum esse, ut non liceat Superiori, cui reddita ratio conscientiae fuerit, quidquam eorum, quae illi de se ipso quis manifestat, ulli omnino, nec Generali, nec Provinciali umquam revelare, vel etiam innuere; nisi forte illo eodem, qui conscientiam suam manifestavit, expresse consentiente.

16, in Ms. act. 40.

Confessarii pro tempore renovationis, ex quo designati sunt usque ad diem renovationis inclusive, possunt omnium omnino Nostrorum, quoties his placuerit, confessiones generales et particulares audire.

Circa id, quod quaesitum est: de Confessariis, qui aliquo ante votorum renovationem tempore debent in Collegiis seu Domibus nostris assignari, placuit Congregationi declarare simul ac decernere: eos, ex quo a Superiore Domus designati sunt, posse ab eo tempore usque ad diem renovationis inclusive confessiones Nostrorum, qui ibi sunt, tum generales tum particulares, ac tam eorum, qui vota non renovant, quam qui renovant, audire, quoties eis placuerit per totum illud tempus ad illos accedere.

P. de Noyelle Praep. Gen. — 1682

17, in Ms. act. 20 et 47.

De casibus reservatis.

Ad tollenda duo circa facultatem absolvendi Nostros a casibus reservatis proposita dubia, sic definiendum censuit:

Absente Superiore, ille qui constitutus sit Vice Rector aut Vice Praepositus facultatem habet absolvendi et delegandi.

1. Si Superior, absens ex urbe, Vice Rectorem aut Vice Praepositum constituerit; eum, qui Vice Rector est, aut Vice Praepositus, habere, tum per se facultatem absolvendi a reservatis, tum eam cuivis alteri subdito Sacerdoti delegandi. Si autem nec constituto Vice Rectore aut Vice Praeposito, nec ulla facta mentione reservationis abierit, eoque loco sit, ut consuli nequeat, etiamsi per unam tantum diem integram futurus sit absens, eum, qui Minister est, seu Domui tunc praeest, facultatem habere tum absolvendi, tum delegandi potestatem absolvendi a reservatis.

Si nullus constitutus est Vice Rector aut Vice Praepositus, eamdem facultatem habet Minister, seu qui Domui praeest. *C. 8 d. 20. C. 17 d. 9.*

Eadem facultas in Residentiis, Missionibusque, ubi pauci ex Nostris morantur, illarum Superioribus conceditur. Confirmatur decr. 25 Congr. VIII.

2. In Residentiis pariter Missionibusve fixis, in quibus e Nostris pauci morantur, ius idem illarum Superioribus concedi, quod alii seu Rectores seu Superiores habent, quoad facultatem absolvendi per se seu delegandi. Nec tamen propterea, qui ibi degunt, privari concessione sibi facta decreto 25 Congregationis VIII, § 1, si ea uti voluerint.

18, in Ms. act. 15.

Circa delatores falsos aut temerarios serventur decreta.

Ad praecavenda mala, quae oriri possunt ex delatoribus, tum falsis aut temere credulis, tum iis, qui absque iusta causa aliorum defectus, sive veros sive praesumptos, ad Superiores mediatos, priusquam ad immediatos deferrent; nullo quidem novo decreto opus esse Congregatio iudicavit; enixe tamen Patri nostro commendatum voluit, ut decretum 12 Congregationis VII, quo satis provisum est, curet urgeatque acriter tum a Provincialibus tum ab aliis Superioribus exsecutioni mandari.

19, in Ms. act. 37.

De iis, qui lingua vel calamo alios, maxime Religiosos aut viros primarios, offendunt. *C. 22 d. 14.*

Censuit pariter Congregatio, ipso etiam Patre nostro postulante: si contigerit umquam quemquam e Nostris alios, etiam quoscumque externos, maxime vero Religiosos aut viros primarios, vel lingua, vel calamo aut quacumque alia ratione offendere, aut iustam illis offensionis causam dare:

Culpabiles inquirendi, puniendi.

1. Ut in illum Superiores diligenter inquirant, quaque par est severitate animadvertant, nihilque huiusmodi impunitum relinquant.

Laesis debita exhibeatur satisfactio. Libri, si recudantur, expurgentur.

2. Ut curent iis, qui se laesos existimare merito potuerint, debitam satisfactionem quamprimum exhiberi; ac, si quando libri illi, in quibus aliquid sit, unde quis offendi potuerit, recudantur, illud penitus expungi.

Consultores moneant Superiores mediatos, si quid peccatum sit, quales iniunctae fuerint poenitentiae.

3. Ne ipsi etiam Superiores, ad quos spectat, se hac in parte molliores praebeant, probavit Congregatio iudicium Patrum Deputatorum: ut Consultores, tum locales tum provinciales, teneantur monere Superiores mediatos, si quid ab aliquo peccatum sit; et an poenitentiae, nec ne, et quales iniunctae illi fuerint.

20, in Ms. act. 16.

In Congr. gen. eodem quo Procurator Provinciarum extra Europam iure, gaudet etiam Substitutus.

Facultatem a R. P. N. Ioanne Paulo Oliva quibusdam extra Europam Provinciis iustas ob causas concessam, Romam una cum Procuratore mittendi etiam Substitutum, Congregatio, non modo confirmat, sed etiam ad quascumque extra Europam Provincias extendit. Immo (admisso iam ante ex gratia ad Congregationem, post electionem, et ad negotia P. Barnaba Gutierrez, Provinciae mexica-

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

nae Substituto) visum insuper aequitati consentaneum fuit, et statutum: ut in Congregatione generali eodem in posterum, quo Procurator ipse, iure, tum ad negotia tum ad electionem Generalis gaudeat etiam Substitutus, modo conditionibus aliis in ipso Procuratore requisitis non careat. His enim si careat, erit ad negotia tantum admittendus. Ad Congregationem autem Procuratorum, ubi Procurator adfuerit, ius plane nullum Substitutus habet.

Ad Congr. Proc., ubi Procurator adsit, ius non habet Substitutus.

21, in Ms. act. 18.

Rectores et Professi Provinciarum Europae, commorantes extra Europam, nullum ius habent ad Congr. prov.

Cum vero aliqua sint extra Europam Collegia ad aliquam Europae Provinciam spectantia, dubitatum est: an Collegiorum illorum Rectores aut Professi ibi degentes ad Congregationem provincialem veniendi ius habeant? Re diu satis agitata, statutum tandem fuit: huiusmodi, seu Rectores seu Professos, ius nullum habere, vel ut vocentur vel ut veniant; adeoque nec Rectoribus ipsis ius ullum competere mittendi quemquam ex suis subditis.

Procurator tamen quebecensis, in Gallia degens, admittatur supra numerum, etiam ad electiones. *C. 22 d. 28.*

Instante tamen Provinciali Franciae, ut, nomine Rectoris quebecensis, cui subsunt Residentiae omnes regionis canadensis, eius Procurator, in Gallia degens, possit supra numerum Congregationi suae Provinciae interesse; longe maiori parti Congregationis, auditis eius rationibus, placuit: hoc illi (quod aliis tamen, vel extra Europam vel in ipsa Europa, remotioribus Collegiis propterea non datur) speciatim, ac specialem ob causam, nec ad negotia solum, sed ad ipsas etiam electiones concedi.

22, in Ms. act. 22, 37 et 52.

Ad excitandum doctrinae studium, et vitandum, ne ultra modum Professorum numerus excrescat: *C. 7 d. 33. C. 8 d. 37. C. 11 d. 24. C. 21 d. 17, 18. C. 22 d. 35-37. Ord. Gen. c. 18, Pars tertia.*

Ad excitandum magis semper ac magis in Nostris doctrinae studium, quod in Societate adeo hactenus viguit; vitandumque, ne in ea tandem ultra modum mentemque S. P. N. Ignatii Professorum quatuor votorum numerus excrescat; Congregationi, auditis super ea re Patribus Deputatis pro studiis, visum est decernere, quae sequuntur:

Ad professionem 4 votorum exigitur doctrina praesens, absolute qualem decreta requirunt.

1. Per sufficientem ad quatuor votorum professionem doctrinam, non eam intelligendam esse, quae talis solum relative sit, seu comparative ad alios ante ad eum gradum promotos; sed absolute, et qualem decreta Congregationum requirunt; nec habita solum ingenii aut aptitudinis ratione, sed doctrinae praesentis, quam re ipsa habet in Theologia is, qui examinatur.

Examinatores ad professionem quaenam decreta legere et quod iuramentum emittere debeant.

2. Neminem deinceps ad Examinatoris pro illo gradu munus admittendum esse, quin prius, postquam decretum 33 Congregationis VII, § 3, et 37 Congregationis VIII, § 2, ac praesentis huius decreti § 1 attente legerit, iuramentum super ea re coram Superiore genuflexus emiserit in haec verba:

Formula iuramenti.

Ergo N. testem invoco Deum, cuius oculis nuda sunt omnia, me in examine praestiturum esse fideliter quae praescribuntur in decretis a me praelectis, iuxta proprium eorum sensum. Proindeque me, nec laturum esse suffragium comparative ad alios quosdam ante promotos, sed absolute iuxta decreta eadem; nec habita solum ingenii ratione, sed doctrinae simul praesentis, quam quis actu habet, ac vi cuius possit, adhibitis praeparationibus ordinariis, docere

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

Philosophiam et Theologiam cum satisfactione; meque insuper nemini revelaturum esse meum suffragium, praeterquam iis, ad quos pertinet ex officio. Ac ita iuratus promitto.

Formula ferendi ab eis iudicii.

Ferendi autem ab iisdem Examinatoribus iudicii Formula haec est:

Ego N. examinavi de more (vel audivi defendentem theses de universa Theologia) N., et iuratus censeo illum habere (vel non habere) tantum doctrinae, quantum VII, VIII et XII Congregatio Formulaque iuramenti praescripta ab eadem Congregatione XII ad docendam cum satisfactione Philosophiam et Theologiam et ad professionem quatuor votorum requirunt.

Si tantam doctrinam non habeat examinatus, declarent, an mediocritatem attingat.

Meminisse tamen Examinatores debent, cum quis, tantam doctrinam non habens, mediocritatem attingit, suo id etiam suffragio distincte declarandum esse, ex decreto 37 Congregationis VIII, § 1.

Exclusis defectu doctrinae tertium ad prof. 4 votorum examen numquam concedendum; secundum raro, et non nisi a P. Generali, ei qui in primo duo retulerit suffragia. Quales tunc esse debeant Examinatores.

3. Tertium ad professionem quatuor votorum examen, quando quis defectu doctrinae ab ea per superius examen exclusus est, numquam esse concedendum; secundum vero non nisi a R. P. Generali, idque raro, gravibusque de causis; aut vix umquam, nisi is, cui hoc concederetur, retulerit in primo examine duo pro se suffragia; ac, si forte distinctos a prioribus Examinatores esse necesse fuerit, sint etiam illi omni exceptione maiores, et iurati, et ab ipso Praeposito Generali designati.

In examinibus omnibus iudicium Examinatorum non sit comparativum, sed absolutum de requisito progressu et capacitate.

4. Quod huius decreti § 1 dicitur, debere, licet absque iuramento, extendi suo modo ad ea examina, tum Theologorum tum Philosophorum, quae singulis annis fiunt, ut nempe: Examinatores de eorum doctrina et capacitate iudicium ferant, non comparative solum ad alios, qui forte ulterius progressi sunt in studiis, sed absolute pro eo, qui a decretis in singulos annos requiritur, progressu et capacitate.

23, in Ms. act. 21.

Iuris Canonici doctrina, ut quis ratione illius ad professionem admittatur, requisita: *C. 7 d. 96. C. 13 d. 16 n. 4.*

Dubitatum vero fuit: quaenam in Iure Canonico doctrina requiratur, ut quis iuxta Const. part. V cap. 2, lit. B, possit ratione illius ad trium quatuorve votorum professionem admitti. Iudicium Congregationis, auditis Patribus deputatis pro studiis, fuit: ad trium votorum professionem requiri, ut mediocritatem in ea superet; ad quatuor vero, ut, non quomodocumque, sed cum eo, proportione servata, excessu, qui in Theologia scholastica requiritur; ac debere de eo in illa Facultate excessu constare, eo modo quo de Theologia in Facultate Theologiae; per Examinatores scilicet pariter iuratos, illiusque scientiae cum primis peritos; nisi forte iam ante ingressum in Societatem Doctor foret, ac de eius eximia eruditione nulla dubitatio esse posset.

Ad prof. 3 votorum mediocritas in ea superanda; ad 4 vero, cum eo excessu, qui in Theologia requiritur; et hoc constet per Examinatores peritos et iuratos; nisi Doctor ante ingressum foret, ac de eius eximia eruditione certo constet. *C. 11 d. 14. C. 23 d. 19.*

24, in Ms. act. 41 et 42.

Iuramentum de excellentia talenti, quod supplere potest defectum doctrinae requisitae ad prof. 4 vot., ab Examinatoribus exigatur. *C. 7 d. 33 n. 3. C. 11 d. 8. C. 13 d. 19.*

Praeterea, etsi Congregatio XI Decreto 3 censuerit: non esse iuramentum exigendum ab his, qui iudicaturi sunt de excellentia talenti, quod supplere potest defectum doctrinae requisitae ad professionem quatuor votorum; postulatum tamen hic fuit, ac de novo examinatum quid hoc in casu fieri expediat. Reque diu in utramque partem disceptata, maiori tandem parti placuit: hoc ab illis etiam exigendum esse iuramentum; cum nec aequum videatur, ut melior illorum hac in parte conditio sit, quam aliorum pro quibus exigitur; nec iu-

P. de Noyelle Praep. Gen. 1682

ramentum huiusmodi iis, qui iurare debent, videri difficile possit et grave; quandoquidem eiusmodi talentorum excellentia patere omnibus, ac esse conspicua debet.

Adversus hoc decretum intercessum quidem postridie fuit; sed maior iterum pars standum decreto voluit.

Eiusmodi tamen promotiones neque communiter neque facile a Patre nostro concedantur. *C. 6 d. 15.*

Cum vero super ea re a Patre nostro quaesitum fuisset: an Congregationis sensus esset, eos omnes, in quorum favorem de huiusmodi excellentia talenti testimonium Examinatores tulerint, esse vel eo nomine ad quatuor votorum professionem promovendos; declaratum fuit: hunc illius nullo modo sensum esse; sed hac in re standum omnino menti S. P. N. Ignatii Const. part. v, cap. 2, lit. B, nec non decreto 15 Congr. VI. Ex quibus habetur: totum de his promovendis vel non promovendis negotium P. N. Generali committendum esse; idque etiam ita intelligendum, ut eiusmodi promotiones neque communiter neque facile ab ipso concedantur.

25, in Ms. act. 26.

Nec Seminariis Episcoporum, nec Collegiis convictorum et nobilium Magistri peculiares concedantur. *C. 1 d. 126. C. 3 d. 24. C. 4 d. 13.*

Quarumdam Provinciarum nomine postulatum fuit: ut decretum 18 Congregationis II, quo prohibetur, ne Episcoporum Seminariis, quorum curam Societas susceperit, Praeceptores dentur separati ab iis, qui in scholis nostris docent; ad alia etiam quaecumque Collegia convictorum et nobilium extendatur; ne scilicet distinctas a Nostris scholas habeant,

Congregatio, expensis attente ac serio incommodis, quae illis Provinciis ex illa necessitate multiplicandi tot Praeceptores nascuntur, ac oneribus, quibus inde supra suas vires et reditus gravantur illarum Collegia et Domus, R. P. Generali impense commendavit: ut curam omnem ac diligentiam adhibeat, tum in revocandis ad scholas nostras huiusmodi convictoribus, quantum citra virorum principum offensionem licuerit, tum in praecludendo aditu, ne quid in posterum eiusmodi fiat.

26, in Ms. act. 27.

Seminaria clericorum in Gallia iis conditionibus possunt a Nostris admitti, quas P. Generalis probaverit. *C. 2 d. 18. C. 4 d. 13.*

Cum ab Illustrissimis ac Reverendissimis Ecclesiae Gallicanae Antistitibus provido sane piissimoque consilio Seminaria instituta iam fuerint ac instituantur in dies, in quibus per exercitia spiritualia et rerum ecclesiasticarum notitiam clerici proxime erudiuntur ad vitam ecclesiasticam; et ex iis aliqui pro sua erga Societatem studio ac benevolentia singulari e divina gloria futurum existiment, si clerici huiusmodi nobis instituendi tradantur; postularunt Provinciae Galliae: ut Nostris in Gallia liceret haec Episcoporum Seminaria admittere, ac eorum curam suscipere. Cumque audissent Patres, quantae utilitati catholicae religioni esse id possit; admittenda esse eiusmodi Seminaria censuerunt iis conditionibus, quas a nostro Instituto non alienas iudicaverit R. P. N. Generalis, cuius prudenti arbitrio res tota permissa est.

27, in Ms. act. 13, 30 et 43.

Principi et Episcopo monasteriensi ob fundatas quindecim Missiones in Germania et apud Sinas et Iapones aguntur gratiae.

Cum autem lectae fuissent datae ad Congregationem a celsissimo Principe, paderbonensi monasteriensique Episcopo, Ferdinando Fürstenbergio litterae, quibus nobis honorifice in primis ac peramanter significat: se quindecim Missiones propria liberalitate, tum in Germania totoque septemtrione, tum in oriente apud Sinas et Iapones fundasse, easque omnes Societati nostrae iuxta eiusdem leges

P. de Noyelle Praep. Gen. 1682

et Institutum commissas traditasque voluisse; Congregationi deliberandum quidem non fuit, gratias an deberet, sed quas agere posset; adeo visa nobis fuit rei magnitudo nostrum omne meritum viresque excedere. Ne tamen nostrae ullae partes gratique animi sensus et significatio desiderarentur, decretae a Congregatione dataeque ad illum in gratiarum actionem litterae sunt; indicta insuper per Societatem universam Sacra et preces, ac denique eius ad nos nostraeque ad ipsum insertae servataeque in actis Congregationis litterae, ad perpetuum videlicet tum singularis illius erga nos munificentiae, tum nostrae erga ipsum gratissimae voluntatis ac memoriae, futurum apud nos aeque ac posteros pignus et monumentum.

Pro eo indicta per Societatem universam Sacra et preces.

28, in Ms. act. 40.

Decreta et statuta contra novitatem laxitatemque opinionum renovantur et confirmantur. *P. 4 c. 5 n. 4. C. 11 d. 22. Inf. d. 56 n. 8. C. 14 d. 5. C. 16 d. 36 n. 4. C. 18 d. 20. C. 20 d. 10. C. 21 d. 14. C. 23 d. 16, a.*

Quamvis contra novitatem laxitatemque opinionum, praesertim in rebus moralibus, abunde provisum sit, et Praepositorum Generalium Ordinationibus, et superiorum Congregationum decretis, et Constitutionibus ipsis, quibus iubemur sequi in quavis facultate securiorem magisque approbatam doctrinam; in re tamen tanti momenti, postulante pro suo zelo Patre nostro, omniumque conspirantibus votis, nihil praetermittendum rata Congregatio praesens, decretorum, quibus novae illae laxioresque opiniones doceri, typisque mandari prohibentur, vim totam renovat, roborat et confirmat. Commendat praeterea in primis Patri nostro: ut, non tantum transgressores loco et cathedra moveat, aliisve gravibus, pro modo culpae, poenis subiiciat; sed ipsos etiam Superiores, si quando in cohibenda liberiori illa opinandi licentia negligentiores fuerint, severe puniat.

Severe puniendi transgressores et ipsi Superiores, si negligentiores in hoc fuerint.

29, in Ms. act. 22.

Dispensatur pro hac vice, ut Professus 4 vot. sit Procurator Gen. *P. 9 c. 6 n. 12. C. 17 d. 16. C. 18 d. 21. C. 19 d. 5. C. 21 d. 7. C. 23 d. 43 n. 1.*

Congregationi a Patre nostro propositum fuit: an iudicaret in praesenti, manentibus in suo vigore Constitutionibus, per dispensationem constituendum Procuratorem Generalem Professum aliquem quatuor votorum, cum modo non habeatur, qualem Constitutiones requirunt, non Professus, vel ad id aptus vel non aliunde legitime impeditus? Necessitati serviendum ad tempus, ac donec alicuius idonei non Professi opportunitas fuerit, Patres omnes censuerunt; maxime vero cum huiusmodi exemplis Societatis historia non careat.

30, in Ms. act. 25 et 26.

Provinciales ac Superiores locales, nominati a defuncto Generali, an et quando a Vicario renuntiari possint. *Vide tamen C. 13 d. 11.* Si ante Generalis obitum non elapsum fuerat praecedentis triennium, non possunt; *C. 4 d. 3.* utique, si elapsum fuerat.

Quaesitum hic fuit: an nominati a defuncto Generali Provinciales ac Superiores locales in locum eorum, qui suum, moriente Generali, triennium nondum expleverunt, quosque constat ipsum non voluisse ante tempus exauctorare, debeant vel possint a Vicario Generali renuntiari, illisque statim post triennium suum substitui, nec ne; siquidem videntur varia super ea re quarumdam Congregationum decreta pugnare inter se. Plusquam duabus tertiis partibus visum est: in illo casu non posse, cum nec Praepositus ipse Generalis vivens possit, post indictam Congregationem generalem, Provinciales vi praecedentis suae nominationis mutare; secus vero, si ante Generalis obitum fuerat elapsum triennium eorum, quibus successores fuerant destinati.

Si, antequam mors Generalis aut indicta

Si tamen contigerit ante obitum Generalis missas iam fuisse patentes

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

Congregatio innotuerit, novus Superior constitutus est, valida sit mutatio; C. 19 d. 10.

litteras pro successore eius, qui suum triennium paulo post obitum Generalis solum expleverit; fuisseque iam successorem illi substitutum, antequam quidquam de morte Generalis seu de indicta Congregatione innotuerit; censuit Congregatio: legitimam tunc mutationem fuisse, illique standum, ob varia, quae alioquin sequerentur, incommoda.

si innotuerat, invalida. C. 14 d. 21 n. 3.

Contra autem, si, priusquam mutatio fieret, de morte Generalis aut indicta Congregatione notitia habeatur, sive a Provinciali, sive a Rectore, aut eius futuro successore, et quacumque tandem via, sive ex litteris Vicarii Generalis, sive aliunde; nullam in eo casu faciendam esse mutationem; ac, si fiat, nullam esse.

31, in Ms. act. 48.

Rectores aliique Superiores, qui sui regiminis tempus absolverunt, etiam post indictam Congr. Gen. a Generali mutari possunt. C. 16 d. 7.

Quandoquidem ex decreto 66 Congregationis VII constat: nec ipsum Praepositum Generalem posse, non tantum post inchoatam, sed neque post decretam Congregationem, mutare Provinciales; quaesitum est: an pariter nec Rectores aliosve Superiores locales, qui sui regiminis tempus absolverunt, mutare possit? Maiori parti placuit: posse illos ab eo, etiamsi decreta iam sit aut indicta Congregatio generalis, neque solum post, sed etiam ante Congregationem provincialem mutari.

32, in Ms. act. 48, 49 et 50.

Provinciales a die indictae per Generalem Congr. gen. mutari non possunt, nisi in casibus exceptis in reg. 7 Offic. Vicarii. C. 16 d. 7.

Dubitatum insuper fuit: an, quando in Congregatione Procuratorum iudicatur statuiturque cogenda Congregatio generalis, eo ipso die decreta dici et censeri debeat? an eo tantum, quo a Generali Praeposito certum aliquod tempus illi celebrandae indicitur? Priori parti plures quidem adhaeserunt; sed, cum postera die contra intercessum fuisset, obtinuit intercessio: a die tantum indictionis factae a Generali non posse illum mutare Provinciales, nisi in certis casibus, in quibus potest et ipse Vicarius ex septima sua regula.

33, in Ms. act. 49 et 50.

Si ante indictam Congr. gen. missae sunt Generalis litterae pro novo Provinciali designando, fiat mutatio, etiamsi sciatur indicta Congregatio. *Vide tamen* C. 18 d. 21.

Sed quia contingere potest, ut, quae a P. Generali, antequam ab illo indicta esset Congregatio, missae fuerant litterae, quibus novum Provincialem designabat, non tamen ante, sed solum post factam indictionem Congregationis generalis pervenerint in Provinciam; sensus Congregationis fuit: in eo etiam casu Provinciali antiquo novum illum esse substituendum; hancque mutationem esse legitimam, etiamsi, antequam fieret, sciretur indicta Congregatio generalis.

34, in Ms. act. 29.

Socius Provincialis ratione officii non admittendus ad Congr. prov.

Provinciae cuiusdam postulatum fuit: ut Socius Provincialis ratione officii sui ad Congregationem provincialem supra numerum; et, si non ad electiones, ad negotia saltem admitteretur. Sed nihil innovandum Congregatio censuit.

35, in Ms. act. 31 et 32.

Rector absens potest alium a Vice Rectore distinctum sui loco mittere ad Congr. prov.

Dubitatum est: an, quando Rector abest a suo Collegio, in quo Vice Rector ex ordinatione vel cum approbatione Provincialis aut Generalis constitutus est, possit alium a Vice Rectore distinctum nominare, qui sui loco Congregationi provinciali intersit? Plusquam duae tertiae partes censuerunt: quando in potestate Rectoris non est (ut in isto casu) mutare Vice Rectorem, non posse tunc ab illo alium suo nomine mitti; adeoque,

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

si Congregationi provinciali interesse ipse nequeat, debere interesse Vice Rectorem.

Sed, cum huic decreto intercessisset R. P. Generalis, examinata iterum fuit sequenti die quaestio, expensaque in primis verba illa Formulae, § 4, quibus constat: ius illud iis solum, sive Vice Rectoribus seu Vice Praeposito (eadem enim est ratio de utrisque) competere, qui toto principalium Superiorum officio funguntur; Congregationi visum fuit: eiusmodi Vice Rectorem, quamdiu Rector vivit, nec est sua iurisdictione destitutus, non pleno Superioris principalis officio fungi; ac proinde posse tamdiu Rectorem ex suis subditis, quemcumque idoneum voluerit, ad Congregationem provincialem mittere, sive Rector intra Provinciam sit, sive extra; modo facta ab eo designatio haberi tempore convenienti possit.

36, in Ms. act. 33.

Bonorum suorum administratio denuo Nostris severe prohibetur. *C. 17 d. 11.*

Etsi ad removendam a Nostris rerum temporalium administrationem novo decreto opus minime sit; ut tamen omnes intelligant, quo studio foveri apud nos paupertatis puritas debeat, confirmatum Congregatio voluit decretum 17 Congregationis VII, et decretum 2 Congregationis X: ne cuiquam permittatur suorum bonorum administratio vel liber usus, eo etiam tempore, quo dominium illorum retinet; horumque decretorum omnimodam exsecutionem Patri nostro impense commendavit.

37, in Ms. act. 34.

De pensionibus annuis Nostrorum.

Quia vero consequenter dubium fuit: statuendum quid videretur circa pensiones pecuniarum annuas, quae Nostris aliquando assignatae sunt aut assignari possunt, tum ex parentum seu consanguineorum destinatione, tum ex testamento per modum legati, seu titulo eleemosynae, aut quas sibi quis in bonorum suorum renuntiatione, ante suum in Societatem ingressum facta, reservaverit, aut quacumque tandem alia ratione; sic statutum a Congregatione fuit:

Liber pecuniarum usus nemini concedendus.

1. Liberum huiusmodi pecuniarum usum nemini prorsus esse concedendum.

Pensiones, si fieri potest, certo alicui Societatis domicilio applicentur; *C. 14 d. 14. C. 20 d. 7 n. 1.* si fieri nequit, summa integra pecuniarum in Superioris manus veniat.

2. Pensiones huiusmodi esse, quoad eius fieri poterit, certo alicui Societatis domicilio applicandas, ad cuius Superiorem plena de pecuniis inde provenientibus dispositio pertineat.

3. Denique, si haec ex aliquo casu fieri applicatio non possit, id certe fixum semper ratumque: debere summam integram pecuniarum illarum sive pensionum venire in manus potestatemque Superioris, vel localis vel Provincialis, pro arbitrio Generalis.

38, in Ms. act. 34 et 35.

Legata confidentialia a Nostris non acceptanda.

Dubitatum praeterea: Nostrisne liceat acceptare legata, quae confidentialia vocant; cum quis testator decedens iubet certam alicui a Nostris pecuniae summam aut rem a suis haeredibus dari, quam ille, iuxta testatoris mentem sibi secreto communicatam, impendat? Maior quidem pars cum Patribus Deputatis iudicavit: satis, et paupertatis observationi, et Societatis existimationi consultum videri, si ea tantum legata confidentialia respuantur, ex quibus videatur utilitas aliqua, aut in Societatem ipsam, aut in particulares personas redundare.

Sed cum huic decreto intercessum fuisset; re diu multumque agitata,

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

Congregatio omnibus interdictum voluit legatorum huiusmodi exsecutionem acceptare; eaque plane ratione, qua Const. part. vi, cap. 3, § 7, testamentorum exsecutio prohibetur.

39, in Ms. act. 35 et 36.

Compensationem acceptare pro ministeriis nec ipse Generalis permittere potest. *C. 1. d. 37, 74, 118. C. 2 d. 24. C. 6 d. 39 n. 4. Inf. d. 40. C. 14 d. 25. C. 16 d. 21. C. Poloc. 3 d. 6.*

Fuit item a Congregatione postulatum, ut declararet: an accipere aliquid tamquam stipendium vel eleemosynam in compensationem pro Missis, concionibus aliisque id genus Societatis nostrae ministeriis, ita sit contra paupertatis nostrae votum, ut non tantum id re ipsa non liceat, sed neque ex ulla Superiorum licentia fieri licitum possit. Censuit Congregatio: ex decreto 29 Congregationis v, videri satis clarum, ex nulla Superiorum licentia id fieri licitum posse. Ne tamen in ea re ullus supersit dubitandi locus, declarat insuper: nullius Superioris, ac ne Generalis quidem, posse super ea vel licentiam vel dispensationem seu licitam seu validam esse.

40, in Ms. act. 35.

De Eleemosynis Concionatoribus oblatis.

Quoniam Concionatoribus nostris extra templa nostra concionantibus, quemadmodum et aliis Religiosis, offerri interdum stipendium aliquod solet; ideo declarandum Congregatio iudicavit, qua ratione hac in parte gerere se Nostri debeant:

Offerentem ad Collegii vel Domus Superiorem remittant.

1. Ne quid oblatae pecuniae Concionator accipiat; sed, si quis offerat, eum ad Collegii vel Domus loci, ubi concionatus est, Superiorem remittat.

Superior solum accipiat quod ad Concionatoris sustentationem et viaticum expensum fuerit. *C. 14 d. 25.*

2. Superior offerenti declaret: nihil, praeter id, quod ad Concionatoris sustentationem et viaticum fuerit expensum aut necessarium, accipi a nobis posse; adeoque, quidquid ultra reliquum fuerit, reddat.

Si offerens urgeat, et titulo purae eleemosynae det, potest acceptari.

3. Si tamen urgeat ille velitque ultro et sponte ac titulo purae et liberalis eleemosynae dare, poterit in eo casu Superior in utilitatem Domus seu Collegii, cui praeest, accipere. Si vero Concionator alibi, quam ubi Societatis domicilium est, concionatus fuerit: 1. Nihil pariter supra id, quod ad sustentationem et viaticum expensum necessariumve fuerit, admittet. 2. Si tamen urgeatur, nec illud etiam alio quovis modo vel nomine accipiet, quam quo dictum iam fuit. 3. Quidquid illi reliquum ultra sustentationem et viaticum fuerit, id totum, cum ad locum, ubi ex Superiorum mandato degere debet, venerit, loci illius Superiori, et in eiusdem Domus utilitatem tradet.

Pari ratione fiat, si concio facta sit ubi Societatis domicilium non est.

41, in Ms. act. 36.

Pecuniarum deposita apud alios vel apud se habere Nostris denuo prohibetur. *C. 16 d. 32, 35. C. 20 d. 7 n. 2. C. 22 d. 26 n. 1.*

Etsi et Praepositorum Generalium litteris statutum satis iam videtur: Nostrorum neminem posse pecuniam habere depositam, vel apud alium, penes quem eius dominium remaneat, vel apud se, ita ut dominium spectet ad alium, ac ea tum deinde, obtenta Superioris facultate, uti; hancque facultatem nullam ac irritam esse declaravit R. P. N. Vincentius Carrafa, sive huiusmodi depositi conscius Superior fuerit, sive non; hoc tamen iterum, ac magis, praesenti decreto Congregatio declarat atque confirmat.

42, in Ms. act. 36 et 37.

De iis, quibus Superior permittit habere pecuniam.

Id raro fiat, praesertim iunioribus et Coadiutoribus;

Ut prohibere universim non expedit: ne quis umquam possit cum Superioris facultate quidquam habere pecuniae in honestos usus destinatae; ita id raro tantum, iustasque ob causas, iunioribus praesertim et Coadiutoribus, permittendum Congregatio censuit. Si tamen concedendum ali-

et pecuniae apud ipsum Superiorem deponantur. Inf. d. 48.

quando visum fuerit, voluit insuper eadem Congregatio, ut in eo etiam casu religiosae disciplinae magis consulatur, eiusmodi pecunias apud ipsum totius Domus Superiorem deponi, a quo deinde id quisque accipiet, quo ipsi uti necessarium fuerit, cum eiusdem aut mediati Superioris facultate.

Huic decreto, quoad illam partem, in qua statuitur, debere eiusmodi deposita penes ipsum totius Domus Superiorem esse, intercessum quidem fuit; sed, auditis attenteque perspectis rationibus, maiori parti placuit standum plane decreto.

43, in Ms. act. 37.

De vita communi illibata conservanda. In rebus vitae communi necessariis uniformitas omnium retineatur,

et ea inferioribus, qua par est charitate, Superiores suppeditent. C. 16 d. 27. C. 18 d. 22 n. 2. C. 20 d. 7 n. 3. C. 22 d. 25, 26 n. 2. nulli permittatur ea sibi alia via procurare.

Ut vita communis, quae hactenus Dei beneficio in Societate semper floruit, incolumis etiam ac illibata conservetur in posterum, decrevit Congregatio: ut in his, quae pertinent ad victum, vestitum, cubiculique supellectilem, et alia vitae communi necessaria, uniformitas, tam Superiorum cum inferioribus, quam inferiorum inter se, omnino retineatur, eaque omnia teneantur Superiores inferioribus suis, qua par est charitate, suppeditare. Ideoque etiam voluit: nulli licitum esse ea sibi alia quacumque via quaerere, aut per alios procurare; nec penes ipsos Superiores, ac etiam Provinciales, vel quoscumque alios esse hanc illis facultatem dare.

44, in Ms. act. 40.

Si cui de Congregatione dentur epistolae caecae, ille eas supprimat, nec cuiquam manifestet,

nisi, pro rei gravitate,

Vicario vel Generali vel Provinciali, vel, sub sigillo secreti, uni vel alteri, consilii capiendi gratia.

Si cui de Congregatione, sive illa sit generalis, sive provincialis, sive ad eligendum Vicarium, darentur epistolae, quas caecas vocant, sine subscriptione ac nomine, ad aliquem excludendum aut includendum, has ille quamprimum supprimat, nec cuiquam manifestet, nisi forte, pro rerum scriptarum gravitate, rem ad Vicarium, vel ad Praepositum Generalem, aut ad Provincialem deferendam esse, vel, sub sigillo secreti, uni vel alteri ex Congregatis, consilii capiendi gratia, communicandam iudicaret; visumque id fuit addendum Formulis.

45, in Ms. act. 41.

Poenitentiarii Vaticani et Lauretani retineant in Congr. romana vocem activam, et in suis Provinciis passivam ad Congr. gen. C. 6 d. 25 n. 9. C. 8 d. 57. C. 14 d. 16. C. 15 d. 6.

Rogata Congregatio: ut PP. Poenitentiarii, qui vel hic Romae in Basilica Vaticana, vel in sacra Aede Lauretana confessiones audiunt, possint a suis Provinciis ad Congregationem generalem eligi; hanc illis gratiam, habita ratione assidui ipsorum laboris, concedi voluit; utque in Congregatione romana vocem activam retineant.

46, in Ms. act. 42.

Missi ex Indiis Procuratores, ac, finita Congr. Proc., novo muneri addicti a Generali, desinunt esse Procuratores Indiarum. C. 9. d 36.

Declaravit Congregatio: si quis ad Congregationem Procuratorum ex Indiis in Europam venerit, ac tum deinde, finita Congregatione, in Europa ad aliquod aliud munus sibi a Generali traditum substiterit; per illud novum munus exspirare illud aliud Procuratoris munus, quod a sua Provincia acceperat; adeoque nec in illo amplius ad Congregationem generalem ius ullum esse.

47, in Ms. act. 43.

Novus Praepositus Gen. sit Iudex de ambitu, si fuerat ante electionem: sin minus, solum iudicium dirigat. C. 7 d. 39.

Dubitatum fuit: an debeat novus Praepositus Generalis de his, quae ab obitu decessoris sui usque ad suam electionem per ambitum commissa sunt, ac de quibus Formula, § 24, tamquam Iudex cognoscere? Congregationis pars maior censuit: si ex Iudicibus fuerit ante electionem ille idem, qui electus est Generalis, debere ipsum de iisdem quoque causis cognoscere; sin minus, debere solum praesidere,

In electione Assistentium est Iudex de ambitu.

ac iudicium dirigere. Si autem de ambitu in Assistentium electione agatur, illum haud dubie Iudicem esse ex Formula, § 82.

48, in Ms. act. 43.

Electio Vicarii, moriente Generali post Congregationem, fiat iuxta Formulam. *C. 7 d. 38. Inf. d. 54.*

Si Praepositum Generalem e vivis decedere contigerit postquam ex Electoribus aliqui ex eo iam loco abierunt, in quo habita fuit Congregatio. nec ille moriens Vicarium Generalem nominaverit, nec possint illi intra breve tempus revocari; quaesitum est: an sit in eo casu Vicarius novus eligendus, et an ab iis, qui necdum post Congregationem dissolutam abierunt? Unanimis omnium consensus fuit: novam tunc Vicarii electionem esse faciendam iuxta Formulam Congregationis ad eligendum Vicarium Generalem. Neque eo nomine, quod in Congregatione generali fuerunt Electores, qui adhuc supersunt, ius illis ad Vicarium eligendum superesse; sed ad hanc electionem admittendos solum esse iuxta professionis antiquitatem.

49, in Ms. act. 43 et 44.

Unica eademque Deputatio ad detrimenta, tum ante tum post electionem sufficit. *C. 11 in Ms. d. 3.*

Ut quae ex huius Congregationis decreto 4 reiecta in alium locum quaestio fuerat, nunc tandem definiatur; quaesitum fuit: cum ex Formula Congregationis generalis, § 15, dicatur: ante electionem Generalis facienda Deputatio ad detrimenta cognoscenda; ac tum deinde post electionem, § 62, dicatur iterum: postquam electi fuerint quinque Deputati ad secernenda postulata, esse alios quinque eligendos ac deputandos ad detrimenta pariter cognoscenda; an debeant hi postremi quinque Deputati ad detrimenta esse distincti ab iis, qui ante Praepositi Generalis electionem constituti pariter ad detrimenta iam fuerant?

Congregationis iudicium fuit: unicam omnino eamdemque ad detrimenta Deputationem, tum ante tum post electionem sufficere; illosque eosdem, qui prius de iis una cum Vicario Generali cognoverant, posse post de iis una cum Praeposito Generali cognoscere; adeoque nec nova, nec duplici Deputatione opus esse. Censuit insuper: videri Formulae congruum magis esse, ut quinque illi, qui ad detrimenta deputati sunt, ab aliis quinque, ad seligenda postulata deputatis, diversi omnino sint.

Deputati ad detrimenta diversi sint a Deputatis ad postulata.

50, in Ms. act. 44.

Visitator, superstite Generali, non habet ius ad Congr. Provinciae, quam visitat. *C. 9 d. 28.*

Dubitatum quoque hic fuit: utrum Congregationi provinciali, quando haec, vivente Praeposito Generali, cogitur ad eligendos eos, qui una cum Provinciali ad Congregationem generalem mittendi sunt, debeat illius eiusdem Provinciae Visitator interesse, quo tempore illi, visitatione nondum perfecta, in suam Provinciam redire non licet? Maiori Congregationis parti visum est: ex ipsa Congregationis provincialis Formula, § 4, per se satis constare, ius illi tunc, cum suo Visitatoris munere fungitur, ad Congregationem Provincialem nullum esse.

51, in Ms. act. 44.

Quamvis Congregatio prov. non fiat, ius habet Provincialis veniendi ad Congr. gen., vel, si impeditus fuerit, alium suo loco mittendi.

Quaesitum praeterea: an, si iustam ob causam cogi Congregatio provincialis non potuerit, ius nihilominus Provincialis habeat veniendi ad Congregationem generalem? Item, si habeat, nec ob impedimentum aliquod venire possit: an alium suo loco substituere possit, ac mittere? Censuit Congregatio: illum ius ha-

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

bere veniendi, posseque iure suo uti, quandoquidem illud ex officio habet. Censuit insuper ac decrevit: posse illum, ubi impeditus fuerit, alium ex sua Provincia idoneum, quemcumque voluerit, suo loco mittere, suis ad summum auditis Consultoribus, si adsint, aliisque praesentibus, qui in Congregatione suffragii ius haberent.

52, in Ms. act. 44 et 45.

Provincialis potest, habita consultatione secundum n. 10 Formulae, ad plura suffragia mutare locum et tempus Congr. prov.

Quia item contingere potest, ut ipsa die indictae Congregationis provincialis, etiamsi adsint duae tertiae partes congregandorum, aliquot tamen adhuc absint legitime impediti, propediem adfuturi, aut aliqua iusta causa interveniat differendi initium Congregationis ultra indictam diem; quaesitum est: an possit Provincialis Congregationem in eo casu differre? Item: an possit iustam pariter ob causam locum Congregationi destinatum mutare? Responsum est: posse tunc, ac in utroque casu Provincialem ea de re, habita prius consultatione cum iis, ad quos ex ipsa Congregationis provincialis Formula, § 10, pertinet, ad plura suffragia iudicare atque decernere.

53, in Ms. act. 45 et 46.

Quaenam sint Vice Provincialium, Vice Praepositorum ac Vice Rectorum facultates, absente Provinciali etc. *Sup. d. 17. C. 17 d. 9.*

Rogata Congregatio ut declararet: quaenam sit facultas Vice Provincialium, Vice Praepositorum, ac Vice Rectorum, quando Provinciales ipsi aliique Superiores Romam aliove abeunt, suntque aliquamdiu a suis Provinciis, seu Collegiis aut Domibus abfuturi? Declaravit, statutumque voluit:

Semper sunt dependentes ab illis, quorum vices gerunt;

1. Provinciales, Praepositos, atque Rectores, suam eamdemque iurisdictionem, quam praesentes habent, etiam cum absentes sunt, retinere; ac ita ab iis semper esse dependentes qui vices illorum gerunt.

ideo Provinciam vel Domum sibi commissam gubernent eo modo, quem illi tenuerunt;

2. Ipsorum quidem Vice Provincialium, Vice Praepositorum, ac Vice Rectorum officium esse, Provincias et Domos sibi commissas interim gubernare; sic tamen, ut meminisse tunc etiam debeant, se nec Provinciales, nec Praepositos esse, aut Rectores; sed illorum tantum vicem gerere, eumque in illis gubernandis tenere modum quem illi tenuerunt et ab iis acceperunt.

nihil proinde in ratione gubernandi innovent, vel novum inducant; res graves ad illorum reditum differant; vel per litteras consulant; si differri nequeunt, Consultores audiant, et postea facti rationem reddant.

3. Nihil proinde debere ipsos in ratione gubernandi vel innovare, vel immutare, vel novam aliquam consuetudinem inducere, aut inductam tollere; sed ad illorum spiritum et sensum se componere, quorum vices gerunt, eosque quasi praesentes, illorumque gubernationem repraesentare; ac, si quid alicuius momenti se offerat, illud, quoad fieri poterit, usque ad illorum reditum differre; si res urgeat, illos, si possint, per litteras monere, consulere, ac responsum exspectare. Si vero nec moneri nec consuli possint, nihil, nisi prius auditis Consultoribus, suscipere aut exsequi; ac, ubi primum redierint, illis quidquid factum fuerit referre, factique rationem reddere.

54, in Ms. act. 47.

Electio Vicarii, si extra Romam obierit Generalis, ubinam facienda. *Sup. d. 48.*

Fuit hic instituta quaestio: ubinam, si Praepositum Generalem, nullo Vicario nominato, extra Romam (sive in agro Provinciaque romana, sive in alia) mori contigerit, facienda sit in illo casu Vicarii Generalis electio? et an huic electioni interesse Assistentes debeant?

Si sedem suam Romae habuerit, et intra Provinciam

Re bene examinata, visum fere omnibus fuit: si suam sedem Romae habuerit Praepositus Generalis, quo-

romanam obierit, Romae celebretur electio; si extra Prov. rom. decesserit, servetur Formula n. 3. Electioni intererunt Assistentes, si praesentes fuerint.

cumque tandem intra Provinciam romanam loco obierit, Romae celebrandam esse Vicarii electionem; sin autem extra Provinciam romanam decesserit, servandam esse Formulam Congregationis ad Vicarium eligendum, § 3. Quod vero ad Assistentes spectat, standum esse decreto 34 Congregationis IX, ubi declaratur: ius illis competere, si praesentes fuerint, seclusa etiam professionis antiquitate; non videri autem ipsos praesentes esse, si, cum extra Provinciam romanam obierit Generalis, ipsi Romae tunc fuerint.

55, in Ms. act. 48.

Vicarii electio fiet, Generali adhuc vivente, si Assistentes maiori suffragiorum parte iudicant hunc ad gubernandum inutilem.

Tunc Vicarius eligatur iuxta Formulam. *C. 8 d. 29.*

QUONIAM Congregatio VIII decreto 28 declaravit: Assistentium esse iudicare, quandonam sit substituendus Vicarius Generali adhuc viventi, sed ad Societatis gubernationem inutili; dubitatum fuit: an in hoc iudicio consentire Assistentes prorsus omnes debeant? Censuerunt plusquam duae tertiae partes: satis esse, si pars illorum maior iudicaverit. Sed cum praeterea quaereretur: ad quem tunc temporis spectaret Congregationem cogere ad Vicarium eligendum? Responsum fuit: non esse tunc recedendum a Formula Congregationis ad eligendum Vicarium, § 2 et 3.

56, in Ms. act. 15, 16, 22, 30, 31 et 49.

VARIARUM Provinciarum postulata haec fuere:

Ius Societatis in Epitomen redigatur.

1. Ut ius Societatis in Epitomen redigatur, eiusque variae ac dispersae leges ad faciliorem earumdem notitiam et praxim in unum, eo, quo par fuerit ordine, colligantur.

Novae quorumdam Regulae conficiantur.

2. Ut Procuratorum, tum Assistentiarum tum Provinciarum; Superiorum item Residentiarum, Instructoris Patrum tertii anni Probationis, Socii Provincialis, et Socii Magistri Novitiorum conficiantur Regulae.

C. 16 d. 29. C. 18 d. 18.

Quaestionum tradendarum et omittendarum novus index fiat. *Sup. d. 28.*

3. Ut quaestionum, tum tradendarum tum omittendarum in Theologia et Philosophia, novus et accuratior index fiat.

C. 23 d. 16, n. Inserendum catalogo Missarum: Sacrum faciendum ad intentionem Vicarii, mortuo Generali. * *Hic n. 27.*

4. Ut cum ex decreto 8 Congregationis X debeat, mortuo Generali, Sacrum, quod ad illius intentionem fiebat, fieri ad intentionem Vicarii Generalis, haec in catalogo Missarum ad § 20, * verba addantur: *vel Vicarii Generalis.*

In die exsequiarum Generalis, corona a non Sacerdotibus recitetur. *C. 7 d. 5.*

5. Ut, quo die defuncto Generali solemnes exsequiae fiunt, quedmadmodum indicitur singulis Sacerdotibus Sacrum pro illo faciendum, indicatur et aliis, qui Sacerdotes non sunt, corona recitanda.

Virtutis Professorum norma inserenda in Formula informationis.

6. Ut, cum nova fiet impressio Formularum, addatur § 3 Informationis de promovendis ad gradum id quod addi voluerat R. P. N. Oliva: *Profecit,* vel *non profecit in virtutibus, quantum requirit decretum 6 Congregationis IX.*

Formula professionis et votorum quomodo sub Vicario adhibenda.

7. Ut in posterum, cum post obitum Generalis sub Vicario Generali professio sive vota ad gradum emittentur, haec Formulae verba sint; ut nempe: si Vicarius ipse Generalis professionem seu vota excipiat, dicatur: *et tibi R. P.* (N.) *Vicario Generali Societatis IESU, locum DEI tenenti, et successoribus tuis:* si vero aliquis alius excipiat, dicatur: *et tibi R. P.* (N.) *Rectori*, si Rector est, vel *Praeposito, vel Provinciali*, et sic de aliis, *vice R. Patris Vicarii Generalis Societatis IESU et successorum eius, locum DEI tenenti.*

In Cong. prov. et gen., ubi aliquis proposuerit unum reiectum,

8. Ut, quod § 45 Formulae Congregationis provincialis additum fuit: decernendum esse singillatim de singulis reiectis, utrum de illis agendum

P. de Noyelle Praep. Gen.

1682

sit, necne? addatur pariter § 64 Formulae Congregationis generalis. Ac praeterea, maioris claritatis causa, addantur utrobique illis verbis haec alia, ita ut non proponatur in genere, an sit agendum de reiectis? sed, ubi expositum fuerit unum reiectum, decernatur: an de illo agendum sit; tum de alio, et sic de caeteris. Ad illa iterum verba § 48 Formulae Congregationis provincialis: *Meminerint omnes, nihil de illis proponi posse Congregationi, quod non sit prius approbatum a Deputatis;* addantur et ista: *nisi prout de reiectis,* § 45 *dictum est.* His plane omnibus annuendum Congregatio censuit; eaque Patri nostro curanda commendavit.

decernatur, an de illo agendum sit; et sic singillatim de singulis. *C. 6 d. 25 n. 13.*

In Congr. prov. de nulla re agendum, a Deputatis non approbata, nisi prout de reiectis.

57, in Ms. act. 49 et 56.

Formulae a Deputatis recognitae

Quaesitum denique a R. P. Generali: an Congregationi placeret Formulas a Patribus Deputatis recognitas et approbatas confirmare, easque ad usum Congregationum typis mandari cum illis additionibus iam tum a P. N. Oliva atque a PP. Assistentibus approbatis, una cum iis, quas faciendas praesens Congregatio decrevit? Una vox omnium fuit, *placere.*

et approbatae confirmantur; typis mandentur.

Hortatio P. Generalis.

Ac tum demum, habita gravi et solida a Patre nostro hortatione, qualem initio Congregationis habuerat, actisque pro more Deo gratiis, finita est, inter mutuos charitatis amplexus et officia, sub Societatis Iesu Praeposito Generali duodecimo, eiusdem Societatis Congregatio generalis duodecima, die sexta Septembris, anno 1682. Omnesque tum deinde salvi et incolumes Roma, ut venerant, discessere.

Finis Congregationis.

DECRETA

DECIMAE TERTIAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Gonzalez Praep. Gen.

1687

Causa Congregationis convocandae.

Cum R. P. N. Carolus de Noyelle die 12 Decembris 1686, administratae Societatis anno quinto, excessisset e vivis, ex eiusdem nominatione renuntiatus est Vicarius Generalis R. P. Dominicus Maria de Marinis, Assistens Italiae. Hic vero de PP. Assistentium consilio Congregationem generalem indixit in diem 21 Iunii 1687, B. Aloisio Gonzagae sacrum; quo ipso ex Provinciis Romae adfuerunt omnes Europae Provinciales, aut pro his Vice Provinciales caeterique Electores omnes, datumque est postridie principium Congregationi, quae soluta est 7 Septembris 1687.

Decretum 1, in manu scriptis act. 4.

Electio P. Praepositi Generalis.

Die 6 Iulii, quae fuit Dominica septima a Pentecoste, observatis rite omnibus, quae Constitutionibus et

P. Gonzalez Praep. Gen.

1687

Formula Congregationis generalis praescribuntur, plus quam dimidia parte omnium suffragiorum, tertio scrutinio, electus est in Praepositum Generalem R. P. Thyrsus Gonzalez, Elector Provinciae castellanae; moxque confectum ac promulgatum est a P. Vicario super ea re decretum ex praescripto Formulae.

2, *in Ms. act.* 5.

Procurator Generalis et Secretarius Soc. admittuntur ante elect. Secretarii Congr. et Deputatorum. *C. 3 d. 44. C. 4 d. 11.*

Cum quaesivisset Praepositus Generalis: num essent illico ad Congregationem vocandi P. Ioannes Andreas Serra, Procurator Generalis, et P. Iacobus Massius, Secretarius Societatis; et quibusdam placuisset illico vocandos esse, si illico de negotiis esset tractandum; secus vero, si ad electiones Secretarii Congregationis et Deputatorum illico esset procedendum; multo plures censuerunt: et Formulae Congregationis generalis et decreto 11 Congregationis iv conformius esse, eos ad omnia, adeoque etiam ad electiones admitti, praeterquam ad electionem Assistentium.

3, *in Ms. act.* 8.

Electio Assistentium, *C. 8 d. 2.*

Die 13 Iulii, qui erat postremus quatridui indicti accipiendis informationibus ad electionem Assistentium et Admonitoris, plus quam dimidia parte suffragiorum secretorum electi sunt Assistentes: pro Italia P. Iulius Balbus, Elector Provinciae mediolanensis, secundo scrutinio; pro Germania P. Eusebius Truchses, Rector monachiensis, secundo itidem scrutinio; at vero primo scrutinio reliqui, simulque in Assistentium munere confirmati: P. Paulus Fontanus pro Gallia, P. Paschasius de Casanueva pro Hispania, P. Antonius de Rego pro Lusitania; qui mox omnes ex praescripto Formulae iuramentum praestiterunt.

et Admonitoris Gen. *C. 8 d. 2.*

Simili forma deinde plus quam dimidiae partis suffragiis secretis electus est Admonitor P. Iosephus Fotius, Vice Praepositus Domus Professae romanae, secundo scrutinio.

4, *in. Ms. act.* 5, 33 *et* 34.

Procuratores Provinciarum, praecipue ex Prov. extra Europam, admittendi ad Congr. gen. ad omnia, praeterquam ad elect. Generalis et Assistentium, *C. 8 d. 1.*

Cum P. Alexander Ciceri, Procurator Provinciae iaponicae, etsi haud missus a Congregatione Provinciae plena aut abbreviata, admissus esset in Congregationem ad omnia, ad quae admissi erant P. Procurator Generalis et P. Secretarius Societatis, idque saltem ex quadam aequitate; commendata Patribus Deputatis ad Formulas quaestione de iure, horum iudicium secuta Congregatio, statuit: eiusmodi Procuratores Provinciarum pari iure gaudere, ac gaudent P. Procurator Generalis et P. Secretarius Societatis, si vel vocati essent a Praeposito Generali ad tractanda negotia, vel missi a Provincialibus cum approbatione Generalis saltem subsecuta missionem ipsorum; praecipue, si ex Provinciis extra Europam sitis missi essent.

si sint vocati vel approbati a Generali. *C. 11 d. 5.*

vel a Vicario, accedente suffragatione Assistentium.

Cumque esset quaesitum: an et sufficeret intervenire autoritatem Vicarii Generalis; censuit Congregatio: id sufficere cum restrictione ad Procuratores Provinciarum extra Europam, accedente etiam, iuxta regulam Vicarii 12, iudicio et suffragatione Patrum Assistentium.

5, *in Ms. act.* 25, 26 *et* 32.

Procuratores Generalis et Provinciarum et Secretarius Soc. non habent suffragium

Dubitatum fuit: an Procuratores Generalis et Provinciarum, et Secretarius Societatis, de quibus § 60 Formulae Congregationis generalis, ius haberent suffragii passivi in electione

P. Gonzalez Praep. Gen. — 1687

passivum in electione Secretarii Congr. et Sociorum atque Deputatorum.

Secretarii Congregationis et Sociorum atque etiam Deputatorum. Plurium Patrum sententia fuit: non habere. Cumque postridie intercessum esset, resque mandata examini Patrum Deputatorum ad Constitutiones et Decreta, horum responso audito, Congregationis pars multo maior censuit: standum esse decreto.

6, in Ms. act. 22.

Procurator electus in Vice Provincia a Vice Provinciali et Consultoribus ac Professis 4 vot., qui ibi fuerint, admittendus ad omnia, praeterquam ad elect. Generalis et Assistentium.

Quaesitum fuit: an Vice Provinciae ius habeant eligendi et mittendi Procuratorem, qui iure suo admitti debeat ad negotia in Congregatione generali; et quomodo is sit eligendus. Hic vero Patribus praeluxit canon 14 Congregationis III, quo statuitur, ut Procurator Sardiniae, quamdiu haec erit Vice Provincia, sine Congregatione provinciali possit venire ad Congregationem generalem, et ad alia ius habere, praeterquam ad electionem Generalis et Assistentium; eumdem autem Procuratorem eligendum a Vice Provinciali et Consultoribus, ac Professis 4 votorum, qui eo in loco, ubi aderit Vice Provincialis, fuerint. Placuit vero Patribus communiter omnibus, ius idem aut concessum declarari, aut, ampliatione facta, concedi omnibus Vice Provinciis.

7, in Ms. act. 9 et 13.

FF. Cappellani Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani in Societatem non admittendi.

Postulata fuit declaratio decreti 129 Congregationis primae: an eo prohiberentur FF. Cappellani Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani in Societatem admitti.

Congregatio, secuta iudicium PP. Deputatorum ad huius rei examen, censuit: illos vere esse clericos religiosos, in Hispania quidem aliisque locis, etiam regulari disciplina utentes et viventes communiter; in melitensi vero insula et alibi, etsi non viverent communiter, vere tamen esse eiusdem Ordinis, iisdem clericalis habitus insignibus utentes; quare ad hos quoque pertinere impedimentum tertium Examinis cap. 2.

8, in Ms. act. 13, 15 et 17.

Quotannis commemoratio omnium in Societate defunctorum celebretur prima die non impedita post commemorationem omnium fidelium defunctorum; Patres Sacrum Fratres coronam offerant.

Cum postulatum esset: ut Congregatio generalis Societati universae diem constitueret infra octavam omnium Sanctorum, quo memoria celebraretur specialis defunctorum in Societate, ac primum quidem minus id placuisset; facta dein intercessione argumentis perquam piis, maior pars Congregationis decernendum iudicavit: ut per Societatem universam quotannis commemoratio celebraretur omnium in Societate defunctorum; adeoque eo die, qui a commemoratione omnium fidelium defunctorum primus occurreret non impeditus, Sacerdotes omnes Sacrum facerent paratu nigro, caeteri vero coronam seu tertiam rosarii partem recitarent pro iisdem defunctis in Societate.

Sacrum et corona hebdomadaria pro defunctis omnibus Soc. extra Provinciam offerantur. *C. 15 d. 10. C. 18 d. 9.*

Hac occasione mota est quaestio: an Sacrum hebdomadarium et corona Mariana nostris indicta a Congregatione III, decreto 40, pro iis qui in Societate moriuntur extra Provinciam, persolvenda essent pro omnibus extra Provinciam in Societate defunctis; an pro iis solis, qui quaque hebdomade proxime elapsa defuncti essent. Placuit prope omnibus, decretum verbis non restrictum accipere indefinite, et suffragia illa destinanda esse ad levamen omnium penitus extra Provinciam defunctorum in Societate.

9, in Ms. act. 36, 37 et 38.

Qui ante ingressum biennio

Cum dubitatum esset: quo anno ad professionem quatuor votorum

P. Gonzalez Praep. Gen. 1687

Philosophiae studuerunt cum satisfactione, et in Societate quadriennio Theologiae, non ante 15 annum proponendi ad professionem; qui vero ante ingressum Philosophiae ac Theologiae studia cum satisfactione, sed non septennio, absolverunt, proponantur anno 11 aut 12 currente.
C. 7 d. 75. C. 11 d. 81. C. 12 d. 11. Inf. d. 10. C. 14 d. 19. C. 16 d. 20. C. 17 d. 10.

proponendi essent, qui ante ingressum Societatis solo biennio Philosophiae studuissent cum satisfactione, in ipsa vero Societate quadriennium Theologiae impendissent; item: quo anno, qui ante ingressum Societatis Philosophiae ac Theologiae studia cum satisfactione absolvissent, sed minori tempore quam septennii; censuit Congregatio: priores quidem non nisi anno 15 currente proponendos esse, et eatenus presse inhaerendum esse decreto 42 Congregationis IX. At vero posteriores, non nisi anno 11 aut 12 currente, pro ratione annorum, qui triennio Philosophiae, aut quadriennio Theologiae defuissent; neque enim alioqui satis salvari aequalitatem inter Nostros ad professionem quatuor votorum proponendos, quam Congregatio IX decreto 42 praefata est se cupere inductam; etsi alioqui annum designaverit 10 currentem, quo, ut plurimum, contingit eos proponi debere.

10, in Ms. act. 13 et 17.

Inter Professos eadem die, cuinam deferenda sit praerogativa, explicatur. *Sup. d. 9.*

Postulata fuit generalis regula deferendae ordinis praerogativae in Comitiis nostris uni ex duobus, qui professionem 4 votorum fecissent eodem die; auditisque super ea re Patribus Deputatis ad Constitutiones et Decreta, placuit Congregationi dare hanc regulam ad similes eventus offerendos in futurum dumtaxat:

Ex duobus, qui professionem 4 votorum fecerunt eodem die, ei deferenda est praerogativa, qui prius explevit annos Religionis ad professionem 4 votorum requisitos. Si ambo eos expleverint eodem die, praeferatur ille, qui diutius in Societate vixit. Si ambo ad Societatem seu tirocinium venerint eodem die, praeferatur maior natu. Si demum, quod vix continget, ambo etiam sint nati eodem die, sorti res committatur a Provinciali eiusque Consultoribus.

Vide tamen C. 14 d. 19.

11, in Ms. act. 14.

Nominationes Superiorum in casu decreti 30 Congr. XII sunt irritae.

Quaesitum fuit: an in casu decreti 30 Congregationis XII nominationes Superiorum a defuncto Generali factae, et litterae patentes ad mutationem expeditae, ita amiserint robur suum, ut neque post Congregationem Provinciae, neque post Congregationem generalem possint mandari exsecutioni. Facile convenit: non posse mandari exsecutioni ante finem Congregationis generalis, nisi ex huius consensu.

Sed et plurium Patrum fuit sententia: ne finita quidem Congregatione generali eas robur habere, sed implorandam esse auctoritatem novi Generalis, qui sine dubio hoc libenter esset daturus decessori suo, ut eos, quos ille nominasset, non facile respueret, ac ne informationes quidem novas requireret, nisi has requirendi causae occurrissent novae.

12, in Ms. act. 22.

Vice Provinciales debent esse Professi 4 votorum.

Dubitatum fuit: an Vice Provinciales omnes esse oporteret Professos 4 votorum. Constabat ex decreto 56 Congregationis IV Vice Provinciales in Europa, Provincialium demortuorum munere fungentes, donec a Generali provideretur, debere esse Professos 4 votorum. Idem praesens Congregatio declarandum censuit de omnibus omnino Vice Provincialibus, atque eis in primis, qui Vice Provinciarum stabiles Praesides essent.

P. Gonzalez Praep. Gen. 1687

13, in Ms. act. 24 et 25.

Gratiarum actio prorsus singularis decernitur Augustissimo Imperatori et Regibus, ob eximiam illorum benevolentiam et beneficentiam in Societatem.

Cum essent generali Congregationi commemorata, et Augustissimi Imperatoris, et Serenissimorum Regum immortalia merita de Societate; omnium Patrum, nemine discrepante, sententia fuit: Societati universae, in praesenti Coetu congregatae, incumbere gratiarum actionem prorsus singularem, scripta ad singulos epistola generalis Congregationis nomine, ea significatione grati animi, quam postularet tam eximia summi fastigii Principum erga Societatem clementia, benevolentia et beneficentia, eiusque observantiae demonstratione, quae deberetur eorumdem Principum maiestati, religioni ac pietati, quibus Societati ipsi tanto essent praesidio ad propagationem gloriae divinae.

14, in Ms. act. 24.

Agendae gratiae amplissimae Episcopo malacitano, singulari Societatis patrono.

Postulabatur quoque: ut quam inchoaverant variarum Provinciarum Praesides gratiarum actionem Illustrissimo ac Reverendissimo D. Antistiti malacitano, Fr. Ildefonso a S. Thoma, Ordinis S. Dominici, eam denique Societas universa in generali Congregatione compleret; hoc enim prorsus esse meritum Societatis patronum tam singularem, qui in sua ad Summum Pontificem *Querimonia Catholica* causam suam cum causa Societatis tam praeclare coniunxisset, ut adversus eiusdem obtrectatores nihil scribi posset efficacius. Ad haec nemo Patrum dubitavit, quin Illustrissimo Antistiti essent agendae gratiae amplissimae, scripta ad ipsum epistola Congregationis ipsius nomine.

15, in Ms. act. 28.

Studium Sacrae Scripturae luculentius promovendum, pro cuiusque Provinciae moribus.

Postulatum fuit a Provinciis duabus: ut Congregatio dispicere dignaretur de modis etiam luculentius inflammandi Nostrorum animos ad studia Scripturae Sacrae. Re diligenter excussa a Patribus ad studia Deputatis, horum iudicium secuta Congregatio censuit: nunc quidem non esse maturum, ut una quaedam et generalis ratio, in qua momentum singulare esse possit, praescribatur toti Societati; sed Praeposito Generali enixe commendandum, ut cum otio dispiciat, quid cuiusque Provinciae mores afferant ad rem utile; tum vero, et cum Provincialibus deliberet, quid his addi conveniat, curetque in primis, ut S. Scripturae explanandae tales Magistri adhibeantur, quales describuntur regula 5 Provincialis in Ratione Studiorum, utque Nostrorum exercitationes scholasticae in Sacris Litteris iusta capiant incrementa; denique ut eruditio haec sacra, quae Societati semper summo in pretio fuit, eo apud omnes esse loco pergat, quem meretur, ut anima ipsa verae Theologiae, summeque necessaria ad ministeria propria Societatis.

Selecti Magistri praeficiantur.

Exercitationes scholasticae in Sacris Litteris foveantur.

16, in Ms. act. 26, 27, 31 et 47.

De doctrina ad Sacerdotium requisita. *C. 7 d. 33 n. 7.*

Congregatio, declarans et confirmans Ordinationem P. N. Everardi Mercuriani, Ord. Gen. cap. 7, § 4, censuit observanda ubique esse sequentia:

Qui unum tantum annum Theologiae schol. studuerint, biennio saltem in Theologia Morali exercitentur.

1. Illi nostri Scholastici, quibus, vel ob defectum examinis, vel ob alias causas non licet inchoare, vel ultra primum annum prosequi cursum Theologiae Scholasticae, non promoveantur ad Sacerdotium, nisi in schola quapiam Theologiae Moralis

P. Gonzalez Praep. Gen.

tamdiu exercitati, donec saltem biennio (etiam longiori tempore, ubi id mos Provinciae tulerit) Theologiae ex professo studuerint.

Promovendi ad Sacerdotium mediae saltem horae spatio a quatuor Examinatoribus examinentur de Theologia Morali, et a tribus saltem approbentur. *C. 20 d. 25 n. 1.*

2. Sed neque hi, neque alii Nostri ad Sacerdotium promoveantur, nisi saltem mediae horae spatio singuli fuerint examinati; idque a quatuor Examinatoribus, quoad fieri poterit, Theologiae Moralis bene peritis, et Examinatorum saltem trium iudicio, quod scripto exhiberi oportebit, tantam habeant doctrinam, ut confessiones fructuose audire possint; in quo graviter oneratur Examinatorum conscientia, ut in re magni momenti ad praecipuam functionem Societatis et salutem animarum.

Qui, immaturus tribunali poenitentiae, ad Sacerdotium promoveatur, non audiat confessiones ante quam studio vacet et probetur, ut supra.

3. Si quem contigerit, ex gravi causa probata Praeposito Generali, ad Sacerdotium promoveri adhuc immaturum tribunali poenitentiae, is ad audiendas confessiones non exponatur, nisi expleto tempore ordinario in schola et studiis theologicis, ac dein examinatus et probatus, ut supra.

Qui ad Soc. admittuntur Sacerdotes, idem examen subeant; iis exceptis, qui sine examine ad prof. 4 votorum admittuntur.

4. Qui vero ad Societatem admittuntur Sacerdotes, hi, priusquam exponantur ad audiendas confessiones, examen idem subire teneantur; iis solis exceptis, quos Congregatio VII decreto 96 statuit sine examine admittendos esse ad professionem 4 votorum.

17, in Ms. act. 26, 27, 31 et 47.

Collationes casuum conscientiae instituantur secundum reg. 13 Prov. in Rat. Stud.

Multorum in Congregatione Patrum fuit votum, ut collationes casuum conscientiae in nostris Collegiis et Domibus quam utilissime instituerentur. Compertum vero est ipsa regula Provincialis 13 in Ratione Studiorum omnia contineri, quae ad plenum vigorem illarum collationum facere possunt; seu frequentiam collationum spectemus, seu collationum Praesidem, seu modum ab ipso in iisdem tenendum (illum scilicet ipsum, qui Professori casuum conscientiae suis regulis 7, 8, 9 et 10 praescribitur), seu denique personas, quas intervenire oportet; qua parte regulam declaravit Congregatio IX, decreto 8, ita, ut nihil merito desiderari possit praeter efficacem exsecutionem. De hac igitur locorum Superiores Provincialibus tempore visitationum, atque hi Praeposito Generali rationem reddere teneantur, quoties de suis visitationibus ex officio scribent; sed et Consultoribus incumbat de hac ipsa exsecutione informationes mittere statis scribendi temporibus, non solum ad Provinciales, sed etiam ad Generalem. 1687

De eius exsecutione informentur P. Generalis et Provincialis a Superioribus inferioribus et Consultoribus.

18, in Ms. act. 45, 46, 47 et 48.

Societas non prohibet sententiam huic contrariam tueri: in agendo licitum est sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, relicta probabiliore stante pro praecepto.

Cum relatum fuisset ad Congregationem, aliquos in ea esse persuasione, quod Societas communibus quasi studiis tuendam sibi sumpsisset eorum Doctorum sententiam, qui censent: in agendo licitum esse sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, relicta probabiliore stante pro praecepto; declarandum censuit Congregatio: Societatem, nec prohibuisse nec prohibere, quo minus contrariam sententiam tueri possent, quibus ea magis probaretur.

19, in Ms. act. 16, 19, 20 et 43.

Formula iuramenti de excellentia concionandi, quod supplere posset defectum doctrinae requisitae ad prof. 4 vot. *C. 14 d. 15.*

Cum rogata esset Congregatio: ut Formulas scribi iuberet iuramenti, quod Congregatio XII decreto 24 praestare eos iussit, qui iudicaturi essent de excellentia talenti gubernandi, concionandi etc., quod supplere posset defectum doctrinae requisitae ad professionem 4 votorum; re commen-

P. Gonzalez Praep. Gen.

data Patribus ad studia Deputatis, multo maiori parti Congregationis placuit gemina Formula ab illis concepta:

Prima quidem, de talento concionandi, haec ipsa.

Ego NN., testem invocans DEUM, censeo Patrem NN. adeo excellens in concionando talentum habere, ut in quibuscumque praecipuis ecclesiis, communi harum regionum idiomate utentibus, videatur posse multa cum laude et fructu concionari.

Altera, de talento gubernandi.

Altera, de talento gubernandi, his verbis.

Ego NN., testem invocans DEUM, censeo Patrem NN. tam insigni gubernandi talento praeditum esse, ut cum plena satisfactione possit regere maiora Collegia, atque etiam aliquando universam Provinciam.

Talentum sit non vulgare, et experimento non modici temporis probatum. C. 14 d. 15.

Porro, et censuit maior Congregationis pars: probationes illorum talentorum oportere esse experimenta ipsa et specimina concionandi et gubernandi, eaque non vulgaria, neque modici temporis; dilata etiam ad eum finem professione, si id opus esset.

20, in Ms. act. 14.

Dies promotionis ad gradum, ob allatas serius litteras Generalis, a Provinciali mutari potest.

QUAESITUM fuit: an, si litterae admissionis ad gradum serius afferantur in Provinciam, quam ut designato communiter die promoveri possit qui admittitur, liceat Provinciali, ex decreto 9 Congregationis XII, alium designare diem, quem iudicaverit proxime opportunum. Ita censuit Congregatio; cum nulla intervenerit culpa promovendi, etsi forte intervenerit oblivio aut incuria aliorum; neque praeter haec alia gravi causa censuit esse opus.

1687

21, in Ms. act. 31.

Si ante indictam Congr. gen. missae sunt Generalis litterae pro novo Provinciali designando, fiat mutatio, etiam si sciatur indicta Congregatio; nisi ante eam indictam antiquus Prov. triennium non explevisset.

QUONIAM decreto 33 Congregationis XII statutum est: ut designatus a Praeposito Generali novus Provincialis succedat antiquo, si litterae, quibus designatus est, missae sint ante indictam Congregationem generalem, etsi non nisi post indictionem illam pervenerint in Provinciam; postulatum fuit, ut declararet Congregatio: decretum esse accipiendum subintellecta conditione, quae adiecta est decreto 30 eiusdem Congregationis; nisi ante indictam Congregationem antiquus Provincialis triennium non explevisset, et constaret Generalem non voluisse illum ante tempus exauctorare. Hoc ipsum Congregatio, maioris claritatis gratia, declarandum censuit ac declarat praesenti decreto.

22, in Ms. act. 31 et 32.

Declarationes addendae Formulis Congregationum.

De Definitoribus.

CUM obscurior quibusdam videretur § 71 Formulae Congregationis generalis, permisit Congregatio, ut in proxima editione locus hic: *Definitores vero, ad celeriorem negotiorum expeditionem, ad plura medietate suffragia*, sic augeretur: *Definitores vero, ad celeriorem negotiorum expeditionem, an eligendi sint, ad plura medietate suffragia statuatur.*

De sexto caeterisque scrutiniis ad electionem in Congr. prov.

Ad § 28 Formulae Congregationis provincialis, ubi sexto caeterisque scrutiniis iubetur electio fieri ex iis tribus solis, qui plura aliis suffragia habuerunt, quaesitum fuit: an eo casu esset habenda ratio solius scrutinii proximi. Congregatio, secuta iudicium PP. Deputatorum ad Formulas, censuit: habendam rationem solius scrutinii proximi; idque pari ratione, ac in electione Assistentium,

P. Gonzalez Praep. Gen. 1687

C. 15 d. 5. C. 16 d. 24.

Provinciali se excusante ad Congr. gen., ab ea deliberatione in Congr. prov. excludendus ipse cum primo loco Substituto.

§ 84 Formulae Congregationis generalis. Adeoque dicto § 28, ad haec verba: *qui plura aliis suffragia habuerunt,* addendum esse: *in proximo scrutinio.*

Ad § 41 Formulae Congregationis provincialis, cum dubitatum esset: an, Provinciali se excusante, ne ad Congregationem generalem proficisceretur, ab ea deliberatione abesse deberet, non solum Provincialis et primus Substitutus, sed etiam duo priori loco electi, sive ille ternarius, ex quo Provincialis sibi substituere debet Vice Provincialem; plurium sententia obtinuit: § 41 Formulae, seu decreto 52 Congregationis VIII esse conformius, ut cum Provinciali solum excludatur primo loco Substitutus.

23, in Ms. act. 31.

In Congr. prov. partes Secretarii impediti suscipiat qui adiunctus ipsi est.

Cum rogata esset Congregatio, ut declararet: in Congregatione provinciali partes Secretarii impediti suscipiendas esse ab eo, qui per electionem ipsi est adiunctus; tum vero, ut definiret: a quo subscribendum esset actis Congregationis eo eventu; nullum fuit dubium, quin partes Secretarii impediti suscipere deberet adiunctus. Censuit vero Congregatio: pertinere ad Secretarium actis subscribere, si ad Congregationem redierit in tempore, ut postremae relectioni et approbationi omnium actorum interfuerit; quod si secus acciderit, actis subscribere debere Secretario adiunctum, ad nomen proprium addito nomine officii: *Prosecretarius.*

Actis subscribat Secretarius, si postremae approbationi interfuerit; aliter adiunctus, addito nomine: *Prosecretarius.*

C. 6 d. 25 n. 17. C. 16 d. 22.

DECRETA

DECIMAE QUARTAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Gonzalez Praep. Gen. 1696-97

Causa Congregationis convocandae et prorogandae.

Cum elapsum esset novennium a postrema Congregatione generali XIII, adeoque ex decreto Innocentii X cogenda esset iterum Congregatio; hanc indixerat admodum R. P. N. Praepositus Generalis, Thyrsus Gonzalez, in diem octavam Septembris anni 1696, qui terminus erat anteacti novennii. Sed quia insalubris esse solet ea tempestate in Urbem ingressus, postulantibus multis Provinciis, et Summo Pontifice Innocentio XII annuente, dilata est ab eodem admodum R. Patre nostro in diem 15 Novembris eiusdem anni; qua die aderant ex omnibus fere Europae Provinciis qui ius habebant suffragii, et ex Paraquaria P. Ignatius Frias, ex Brasilia P. Dominicus Ramos, Procuratores, absentibus P. Thoma Muniesa, Provinciali Aragoniae, qui Parmae graviter aegrotabat, atque ibidem non multo post obiit; et insuper P. Francisco Holgado de Herrera, Provinciali toletano, cum duobus eiusdem Provinciae Electori-

bus, P. Didaco de Heredia, Rectore matritensi, et P. Antonio Portillo. Cum autem spes esset hos quam primum adfuturos, R. P. Generalis a reliquis Patribus, in consultationem vocatis, quaesivit: an viderentur exspectandi aliquandiu, ex gratia tamen, cum sine illis legitima esset Congregatio. Placuit omnibus: ut exspectarentur, dilato Conventu in diem 19 Novembris.

Absentes exspectantur.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1 et 2.

Electio Secretarii Congregationis et sociorum.

Die itaque constituta, iis, qui supra, frustra exspectatis, post electum Secretarium Congregationis P. Michaelem Angelum Tamburinum, Electorem Provinciae venetae, Rectorem Collegii mantuani, et additos ei socios P. Ioannem Angelum Tolam, Electorem Sardiniae, et P. Dominicum Ramos, Procuratorem Brasiliae, ad plura eaque secreta suffragia, ventum est ad electionem Deputatorum ad examinanda postulata, electique eodem ritu de more: ex Italia, P. Aloisius Albertinus, Provincialis neapolitanus; ex Germania, P. Iacobus Willi, Visitator et Vice Provincialis Bohemiae; ex Gallia, P. Petrus Dozenne, Provincialis Franciae; ex Hispania, P. Didacus Prosper Parascoso, Provincialis Sardiniae; ex Lusitania, P. Emmanuel Correa, Provincialis Lusitaniae. Mox eadem electionis forma deputati sunt ad detrimenta Societatis recognoscenda: ex Italia, P. Alexander Zampius, Provincialis venetus; ex Germania, P. Ignatius Diertins, Provincialis flandrobelgicae; ex Gallia, P. Ignatius Tartas, Provincialis Aquitaniae; ex Hispania, P. Petrus Zapata, Provincialis baeticae; ex Lusitania, P. Antonius de Rego, Assistens Lusitaniae.

Electio Deputatorum ad postulata, *C. 8 d. 1.*

et ad detrimenta. *C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.*

2, in Ms. act. 2 et 3.

Assistentium electio maiori suffragiorum parte peragenda. *C. 1 d. 80. C. 2 d. 22. C. 3 d. 17. C. 4 d. 16.*

Cum electioni Assistentium duxerit Congregatio praemittendam esse deliberationem: quid agendum in huiusmodi electione, quae fit ad plura medietate suffragia, cum numerus suffragiorum est impar, et aliquis uno tantum calculo superat totam summam reliquorum suffragiorum; post accuratum rei examen, probarunt omnes: ut de hac electione statueretur idem, quod statuit Societas de electione Praepositi Generalis; ita ut in posterum in electione Assistentium, si numerus suffragiorum omnium fuerit impar, is censeatur habere plus quam mediam partem, cui ex duabus partibus maior obtigerit.

3, in Ms. act. 4.

Assistentes eliguntur omnes primo scrutinio.

Die 23 Novembris, ultima scilicet quatridui dati capiendis informationibus, quod inchoatum erat die 20, omnibus ex praescripto Formulae rite servatis, (euntibus ad singula scrutinia duobus Patribus Secretarii sociis ad accipiendum in urnam obsignatam suffragium P. Vincentii Grimaldi, Provincialis Siciliae, decumbentis), electi sunt in Assistentes ad plura medietate suffragia eaque secreta: pro Italia, P. Franciscus Guarinus, Secretarius Societatis; pro Germania, P. Ignatius Diertins, Provincialis flandrobelgicae; pro Gallia, P. Petrus Dozenne, Provincialis Franciae; pro Hispania, P. Gregorius Sarmiento, Provincialis Castellae; pro Lusitania, P. Emmanuel Correa, Provincialis Lusitaniae; et quidem ad primum omnes scrutinium, insueto, et omnium approbatione excepto consensionis exemplo. Dubitatum est: an P. Secretarius, Franciscus Guari-

Unus ex eis, absens,

P. Gonzalez Praep. Gen.

1696-97

non vocandus, nisi post caeterorum electionem. C. 18 d. 4. C. 20 d. 4.

nus, statim ac est electus, vocandus esset et admittendus in Congregationem; sed observato quid actum sit in casu non absimili in Congregatione xi, decreto 10, constare visum est: admittendum solum post omnium Assistentium electionem. Ea itaque peracta, advocatus est, ac tum ipse tum caeteri electi, singillatim accedentes ad mensam, ad quam R. Pater noster sedebat, flexis genibus ante imaginem Crucifixi, praestitere iuramentum conceptis verbis ex Formula.

4, in Ms. act. 7, 8 et 51.

Secretis suffragiis decernitur: petendam abrogationem decreti de Congregatione novennali.

Primum omnium oblatum est a R. P. Generali postulatum de instauranda supplicatione, quam, post tam maturam et exactam rei meditationem, exhibendam censuit Summo Pontifici Innocentio xi Congregatio xii, ut est in decreto eius 2, quod ante etiam praestiterat Congregatio xi * apud Clementem ix, scilicet: ut dignaretur Sanctitas Sua abrogare decretum Innocentii x, quo iubetur Societas nono quoque anno cogere Congregationem generalem; placuit autem, ut ageretur per secreta suffragia, sicut olim iussa est Congregatio xii; licet enim iam non urgeret ea lex, visum est tamen aequum ei se conformare, cum idem prorsus negotium agitaretur. Collectis ergo suffragiis, constitit sententiam Patrum Congregatorum, paucis exceptis, esse, ut peteretur iterum abrogatio. Decretum est itaque: ut libellus supplex, offerendus Summo Pontifici, conficeretur ab iis Patribus, quibus hanc curam demandandam censuisset R. P. Generalis, examinandus deinde a Congregatione, et Sanctitati Suae opportune porrigendus.

* Decr. 12.

C. 3 d. 13.

C. 16 d. 6.

5, in Ms. act. 9, 10, 11 et 51.

Maxime abhorret Societas ab omni opinionum novitate et in moralibus laxitate. Ad exsecutionem urgendam elenchus opinionum proscribendarum in Philosophia et Theologia conficiendus. * Decr. 22. ** Decr. 28, 56 n. 3. C. 16 d. 36 n. 4. C. 18 d. 20. C. 20 d. 10. C. 21 d. 14. C. 23 d. 16, a.

Probato a Congregatione postulato plurium Provinciarum, de conficiendo quam primum elencho opinionum, quas Nostri docere non debeant, tum in Philosophia, tum in Theologia Speculativa et Morali; R. P. Generalis rogavit Congregationem: placeretne, inhaerendo vestigiis superiorum Congregationum, praesertim xi * et xiii, ** declarare quantum Societas universa abhorreat et semper abhorruerit ab omni opinionum tam novitate in omnibus, quam praesertim laxitate in moralibus. Gratum habuit Congregatio tam sanctum Patris nostri zelum; et quamvis compertum illi sit, nostris professoribus et scriptoribus tam religiose sancita cordi esse, commendavit tamen impense eidem Praeposito Generali: ut eorum exsecutioni invigilet, curetque confici praedictum elenchum, communicandum Provinciis, priusquam ultima ei manus apponatur.

6, in Ms. act. 15, 16, 21, 22, 24 et 25.

In Congr. Proc. ut decidatur de cogenda vel non cogenda Congr. gen., pars maior suffragiorum in numero impari superet oppositam tribus saltem suffragiis. C. 5 d. 60, 75. C. 6 d. 26 n. 1. C. 7 d. 10, 71. C. 18 d. 13.

Cum, post diligentissimum examen, iudicatum esset a pluribus, et tandem legitima auctoritate decisum: non constare de valore decreti postremae Congregationis Procuratorum anni 1693, de cogenda Congregatione generali, quod pars statuens esse cogendam, quamvis oppositam partem superaret uno suffragio, non tamen videretur revera constare pluribus medietate suffragiis, prout ius nostrum praescribit in Formulis; plurium Provinciarum postulatum fuit, ut Congregatio decerneret: quid ad valorem huiusmodi decreti in posterum necessario requiri vellet. Con-

P. Gonzalez Praep. Gen.

1696-97

gregatio autem, post novam et accuratam rei discussionem, statuit: ut in numero impari suffragiorum ad decretum cogendae Congregationis non sufficiat praecise maior pars ex duabus; sed quod debeat superare partem oppositam tribus saltem suffragiis, ut sic constet continere plura medietate suffragia, ac valorem obtinere; ideoque decrevit: id addendum esse Formulae Congregationis Procuratorum.

Huic quidem decreto intercessum fuit ab aliquibus; sed, auditis eorum rationibus, Congregatio quoad duas saltem tertias partes censuit: standum esse in decretis.

7, in Ms. decr. 26.

Ad negotia expeditius peragenda, committat Praepositus Gen. Deputationibus postulata. *C. 7 d. 41.*

Cum statim ab electione Assistentium R. P. Generalis, cuius arbitrio id commiserat Congregatio, constituisset more solito varias Patrum Deputationes pro rerum diversitate; quaesivit: ad negotia expeditius peragenda, placeretne ut committeret ipse huiusmodi Deputationibus ea postulata, quae ad singulas pertinerent, et simul ediceret Patribus, ut convenirent conferrentque inter sese de rebus ad suas quique Deputationes spectantibus, relaturi subinde ad Congregationem de iis, quae relatu digna iudicaverint: annuit petitioni Congregatio.

8, in Ms. act. 28 et 41.

Nova et exactissima impressio Instituti, oblata a Provincia Bohemiae, grato animo conceditur facienda. Cavendum, ne alibi permittatur impressio Instituti, quoad distrahantur exemplaria bohemica. *C. 17 act. 22 Ms. C. 20 d. 9.*

Significavit R. P. Praepositus Generalis: Provinciam bohemicam paratam esse curare suis sumptibus novam impressionem Instituti Societatis, et dare operam, ut exactissime fieret; quaesivit itaque: an placeret oblatio; insuper: an cavendum, ne permittatur alibi impressio Instituti, quoad distrahantur exemplaria bohemica, a Nostris sponte emenda, nec caro. Responsum omnium fuit: placere haec omnia; et simul communi consensu actae illi Provinciae gratiae pro tam opportuno beneficio Societati oblato.

Rogandus P. Generalis, ut curet omnia apte componi quod ad numerum et molem tomorum, ordinem rerum etc.

Cumque postmodum PP. Deputati ad Institutum et ad Formulas plura observassent, et ad Congregationem retulissent, sive ad ordinem, quo singulae partes collocandae sint in nova impressione, sive ad numerum et molem tomorum, sive ad aliud, quod ad id oportebit, spectantia; censuerunt Patres: rogandum esse Patrem nostrum, ut curet omnia haec apte componi, adhibitis in consilium PP. Assistentibus, ac P. Curtio Sestio, Electore Provinciae romanae, quem ante Sua Paternitas Congregationi ad id proposuerat, atque aliis Patribus Instituti peritis, quos iudicaverit.

9, in Ms. act. 29.

P. Generalis, leviter aegrotans, alium sui loco substituit. *C. 11 d. 3.*

Die 20 Decembris, Patribus de more congregatis, exposuit Secretarius Congregationis: R. Patrem nostrum ex praescripto medicorum decumbere ex levi aegritudine, cui opportunum ac praesens remedium fore quietem medici ipsi iudicaverant. Cum itaque ex § 58 Formulae Congregationis generalis possit in simili eventu Praepositus Generalis alium sibi substituere; declaravit idem Secretarius: R. Patrem nostrum substitutum sibi velle P. Franciscum Guarinum, Assistentem Italiae, ut Congregationem in omnibus vice sui dirigeret. Occupavit ergo idem P. Assistens locum et vices R. P. Praepositi Generalis.

P. Gonzalez Praep. Gen.

1696-97

10, in Ms. act. 30 et 31.

Magna studii Litterarum Humaniorum commendatio. *C. 7 d. 26, 92. C. 8 d. 8. Instr. 20.*

Postulatum fuerat, ut Congregatio consuleret: ne umquam apud nos langueret studium Litterarum Humaniorum, quod tanta cum laude hucusque coluit Societas; cuique debet tum Collegia quam plurima, tum non exiguam nominis aestimationem, tum fructum animarum; dum huius disciplinae tradendae occasione pietate ac bonis moribus iuventus instituitur. Cumque varii varia in hanc rem saluberrima in medium protulissent, illud Congregatio approbandum ac sanciendum censuit: ut Magistri Litterarum Humaniorum, praeter Regulas, quibus diriguntur ad docendum, haberent Instructionem ac methodum recte discendi, ad quam privata sua studia exigerent, etiam tunc cum aliis edocendis dant operam. Designandum itaque huius litteraturae apprime peritum, qui, tum his, quae ad hoc aptissima exstant passim in Instituto, tum quae apud probatos auctores huc faciunt, Instructionem componat absolutam, atque usui maxime accommodatam; eamque R. P. Generalis, a se ac PP. Assistentibus approbatam, transmittat in Provincias, atque, tum sua, tum etiam Congregationis auctoritate imponat iis, qui Litteras Humaniores discunt, aut externos docent, ut ab eius praescripto in studiis suis ne discedant; nec minus, ut eam prae oculis habeant ii, qui Nostris Rhetoricam praelegunt, eosque doceant ei methodo assuescere; rogatusque est R. Pater noster, ut commendet simul omnibus enixe ea omnia, quae ad fovenda haec studia Patres proposuerant.

Conficienda Instructio pro iis, qui eas discunt, aut externos docent.

11, in Ms. act. 31 et 42.

Praeceptum silentii, impositum Deputatis ad detrimenta, extenditur ad omnes, qui quovis modo notitiam delatoris habebunt. *C. 5 d. 3.*

Cum a Congregatione v, decreto 3, imponatur praeceptum obedientiae Patribus Deputatis ad detrimenta cum P. Praeposito Generali, ne cui revelent delatorem; cumque ibi nulla fiat mentio de Secretario eiusdem Deputationis, postulatum est: an placeret, ut ad Secretarium ipsum extenderetur praeceptum, cum par militet ratio. Additum est: dubitationem hanc pertinere posse ad Vicarium etiam Generalem et Assistentes, qui ante electionem Praepositi Generalis iure suo intersunt ei Deputationi; ad Assistentes item, tam officio functos, quam recens electos, qui ex Formula post electionem Generalis admitti possunt consilii causa. Censuit Congregatio et statuit: extendendum esse praeceptum ad Secretarium et ad omnes, qui, sive iure suo, sive consilii causa, vel ante vel post electionem ad eam Deputationem admissi habebunt quovis modo notitiam delatoris; et praecepti huiusmodi mentionem addendam Formulae.

12, in Ms. act. 33 et 35.

Querelae de mala rerum temporalium administratione.

Expositae sunt a nonnullis communes querelae: quod male, alicubi saltem, procedat administratio rerum temporalium; cum tamen sine his spiritualia ipsa Societatis ministeria consistere nequeant. Et, cum postulata quorumdam, insueta remedia excogitantium, reiecisset Congregatio, censuit: non opus esse novis decretis, cum abunde consultum sit per Instructionem, quam, pro huiusmodi administratione confectam iussu Congregationis viii, confirmavit Congregatio ix. Eam itaque praesens quoque Congregatio confirmat, commendans

Instructio pro huiusmodi administratione confecta confirmatur. *Instr. ultima, post 21. C. 8 d. 60. C. 9 d. 41. C. 21 d. 12.*

P. Gonzalez Praep. Gen. 1696-97

Ad eius exsecutionem urgendam legatur a Rectore in consultatione et a Provinciali in visitatione.

R. Patri nostro: ut eam communicet iterum Provinciis omnibus, urgeatque pro viribus eius exsecutionem; ad quam efficacius obtinendam imperet, ut legatur quotannis a Rectore bis, aut semel saltem, in consultatione coram Ministro ac Procuratore, atque a Provinciali in visitatione coram iisdem.

13, in Ms. act. 33 et 35.

Secretarii Soc. litterae, et aliorum ad ipsum, a nullo Superiorum Praeposito inferiorum aperiantur aut detineantur.

Cum videretur esse ex mente Societatis usus, qui iam obtinuit, ut litterae a Secretario Societatis, et aliorum ad ipsum datae, a nullo Superiorum, Praeposito Generali inferiorum, aperiantur aut detineantur, rogata est Congregatio declarare et, quoad opus sit, decernere: hanc immunitatem deberi praedictis litteris; cum Secretarii munus ferat, ut multa pertractet soli Praeposito Generali communicanda. Annuit Congregatio, et privilegium iam more inductum praesenti decreto firmatum voluit.

14, in Ms. act. 34 et 37.

Pensiones annuae tenuiores comprehenduntur decr. 37 Congr. XII. *C. 12 d. 37 n. 2. C. 20 d. 7 n. 1.*

Proposita est dubitatio: an decreto 37 Congregationis XII, de annuis pensionibus certo alicui Societatis domicilio applicandis, ad cuius Superiorem libera earum dispositio pertineat, comprehendantur tenuiores etiam pensiones. Congregatio, probans iudicium PP. Deputatorum pro paupertate, censuit: omnino comprehendi, et accipiendum esse universim decretum illud, ut verba sonant.

15, in Ms. act. 39 et 40.

De proponendis ad professionem titulo excellentiae in concionando.

Postulaverat Provincia tolosana decerni: in quo sita censeri debeat excellentia in concionando, quam requirit Formula iuramenti in decreto 19 Congregationis XIII, ut eo nomine quis proponi possit ad professionem quatuor votorum; et praeterea: quinam gradus scientiae theologicae requiratur in eo, qui titulo talenti in concionando proponendus sit. Sententia PP. Deputatorum, quam amplexa est tota Congregatio, fuit: satis clare explicari in praeallegata Formula excellentiam ad id necessariam; quique ibi statutam attigerit, superaturum utique mediocritatem, non utcumque, sed notabili excessu. Neque, dum petitur, ut multa cum laude et fructu dicere possit in quibuscumque praecipuis ecclesiis, capiendas esse eas tantum, quae sunt Summi Pontificis aut summorum Principum; sufficere, quae communi iudicio praecipuae habentur in unaquaque regione ac Provincia. Ad notitiam Theologiae quod attinet, facile convenit oportere, ut mediocritatem attingat; cum, eum saltem gradum non assecutus, nec omnino tuto concionari quis possit, nec absolutus concionator evadere. Quibus vero documentis constare oporteret de huiusmodi scientia, cum in varias sententias abiissent Patres, tandem statuit Congregatio: committendum id arbitrio Praepositi Generalis.

Multa cum laude dicere possint in praecipuis ecclesiis regionis ac Provinciae.

et mediocritatem in Theologia attingant. *C. 7 d. 33 n. 3. C. 11 d. 2. C. 12 d. 24.*

16, in Ms. act. 42 et 43.

In electione mittendorum ad Congr. gen. habeant in sua Provincia vocem passivam Patres Provinciae Angliae, in Collegio Anglorum in Urbe detenti,

Petierat P. Ioannes Persall, Vice Provincialis Angliae, ut, quod olim concesserat Congregatio VIII decreto 57 Revisoribus generalibus, Substitutis et omnibus, qui, ex alia Provincia assumpti, toti Societati Romae navant operam; et Congregatio XII decreto 45 Poenitentiariis, tam in Vaticana Basilica, quam in sacra Aede Lauretana; scilicet: in electione mittendorum ad Congregationem generalem habeant in sua eorum Pro-

P. Gonzalez Praep. Gen. — 1696-97

vincia vocem passivam, loco eius, qua gauderent in Provincia romana; placeretne praesenti Congregationi idem concedere Rectori Collegii Anglorum in Urbe, quoties erit ex anglicana Provincia assumptus, aliisque ex eadem Provincia Patribus in Collegio eodem detentis, cum saepe sint ex praecipuis Provinciae, et non raro obstet iniquitas temporum, ne Romam mitti possint ad Comitia generalia praestantissimi eius Provinciae Patres. Addidit P. Franciscus Guarinus, Assistens Italiae, Congregationis Praeses: videri posse id iure peti pro Secretario etiam Societatis, quoties tamen non est ex Provincia romana, cum et ille utique toti Societati navet operam, et videatur habenda ratio muneris, quod exercet. Censuit Congregatio: dandum id esse, tum Secretario Societatis, tum Rectori ac caeteris Patribus Provinciae Angliae superius indicatis, ob praeclara etiam illius Provinciae merita in Ecclesiam ac Societatem. Propter alicuius tamen intercessionem placuit explicari: datum id iis tantum, qui Provinciae romanae sunt applicati; caeteri enim iure suo gaudent ea voce passiva in Provinciis propriis.

et Secretarius Soc. ex alia Provincia assumptus. C. 4 d. 11. C. 6 d. 25 n. 9, 10. C. 15 d. 6.

17, in Ms. act. 43.

Excellentia in Litteris Humanioribus, vel in cognitione linguae graecae simul cum sufficienti notitia hebraicae, ut quis hoc titulo ad prof. 4 vot. proponatur, iuramento constet.

Quaesitum est: an, cum proponitur aliquis ad professionem quatuor votorum titulo excellentiae in Litteris Humanioribus, et quod plures annos in iis tradendis strenue laboraverit, esto mediocriter tantum in Theologia profecerit, uti proponi posse permittit Congregatio VI decreto 15, et Congregatio VII decreto 33, tunc iudicium, quod de huiusmodi scientia fertur, oporteat esse iuramento firmatum, nec ne. Similis dubitatio erat de iudicio ferendo de iis, qui excellunt in cognitione linguae graecae cum sufficienti notitia hebraicae, ad finem eumdem professionis quatuor votorum, ut est in decreto 32 Congregationis IX.

Iudicium Patrum Deputatorum ad Institutum stetit pro iuramento addendo votis ferendis in utroque eventu, sicut de excellentia in gubernando et concionando statuit Congregatio XII decreto 24; aequum enim est, ut in hac parte par sit utrorumque conditio. Huic iudicio Deputatorum accessit sententia et decretum Congregationis, quae insuper iussit: ut conciperetur Formula huiusmodi iuramenti, prout factum in simili iussu Congregationis XIII, decreto 19.

Formula huiusmodi iuramenti concipienda.

Cumque dubitatum esset: an sufficiat ad finem praedictum peritia alterutrius linguae, an vero requiratur utriusque; votum PP. Deputatorum requisivit utriusque peritiam, iuxta mensuram statam in praeallegato decreto 32 Congregationis IX, nempe: ut proponendus excellat in graeca cum sufficienti notitia hebraicae. Iudicium hoc comprobavit communis omnium sententia.

18, in Ms. act. 43.

Formula iuramenti, de praestantia in Litteris Humanioribus.

Sicut iusserat Congregatio decreto praecedenti, concepta est et approbata haec Formula iuramenti, praestandi ab iis, qui laturi sunt iudicium de excellentia in Litteris Humanioribus in ordine ad professionem, ut ibi.

Ego NN., testem invocans Deum, censeo Patrem NN. habere praestantiam in Litteris Humanioribus, qualem requirit Congregatio VI decreto 15, ut quis eo titulo promoveri possit ad professionem quatuor votorum.

P. Gonzalez Praep. Gen.

1696-97

Formula de peritia linguarum graecae atque hebraicae.

Altera, de peritia linguarum graecae atque hebraicae, pariter approbata fuit.

Ego NN. testem invocans Deum, censeo Patrem NN. excellere in cognitione linguae graecae cum sufficienti notitia hebraicae; ita ut ex hoc capite habeat requisita a Congregatione ix decreto 32, ut titulo huius peritiae promoveri possit ad professionem quatuor votorum.

19, in Ms. act. 44.

Ex iis, qui eodem die emiserunt 4 votorum professionem, ei deferatur ordinis praerogativa, qui prius aliis assecutus est omnia ex parte sui requisita ad professionem. *C. 7 d. 75. C. 9 d. 42. C. 11 d. 31. C. 12 d. 11. C. 16 d. 20. C. 17 d. 10.*

Super decreto 10 Congregationis xiii, ubi dicitur: ex duobus, qui professionem quatuor votorum fecerunt eodem die, ei deferenda est praerogativa, qui prius explevit annos Religionis ad professionem quatuor votorum requisitos; orta est dubitatio, quomodo capiendum id esset: an ita, ut, qui prius praedictum tempus expleverit, praeferendus sit alteri, licet hic prius adeptus fuerit omnia requisita ad professionem. Post multa in hanc rem disceptata, sensit pars maior: Congregationem xiii praeferre illum, qui prius explevit annos Religionis requisitos ad professionem, caeteris paribus. Alioqui statuit Congregatio firmandam esse hanc regulam, valituram tamen tantum in posterum: ut ex iis, qui eodem die emiserunt professionem, ei deferatur ordinis praerogativa, qui prius aliis assecutus est omnia ex parte sui requisita ad professionem; ita ut, si in Societate non essent fixi ad profitendum dies Purificatae et Assumptae Virginis, prius aliis fuisset professus.

Et, licet postridie intercesserit aliquis huic decreto, Congregatio tamen, auditis eius argumentis, perstitit in sententia.

20, in Ms. act. 47.

Iuris Canonici lectio in Collegiis, ubi non est instituta, instituatur. **P. 4 c. 5 n. 1, B. c. 12 n. 1. c. 14 n. 1, C. C. 16 d. 30.*

Cum nostrae Constitutiones, * non solum Theologiam Scholasticam, sed etiam Positivam, quae sacris Canonibus maxime constat, nobis non uno in loco commendent; censuit Congregatio: exhortandos esse Patres Provinciales, ut Iuris Canonici lectionem, in pluribus iam Collegiis cum non modico rei litterariae incremento institutam, in caeteris quoque praecipuis Provinciarum suarum Collegiis opportune instituant; ita tamen, ut abstineatur ab iis Titulis praelegendis, quos R. Pater noster, servata earumdem Constitutionum mente, designaverit.

21, in Ms. act. 48 et 49.

De Provinciis, quae sunt extra Europam.

Postulatum fuit: ut in gratiam Provinciarum, quae sunt extra Europam, definirentur nonnulla, quorum incertitudo non levia parere possit incommoda. Placuit Congregationi statuere, quae sequuntur:

Si Procurator toto triennio subsistat in sua Provincia, potest Congr. Prov. iterum cogi et novus Procurator eligi.

1. Cum accidit, ut Procurator, qui eligitur in Conventu provinciali Romam iturus, toto triennio subsistat in Provincia defectu opportunitatis navigandi in Europam, tunc, elapso triennio, integrum sit Provinciae Congregationem iterum cogere, ac novum in ea Procuratorem eligere, quo electo, cadit a iure veniendi Romam et ab officio ille, qui prius electus fuerat.

Procuratores Indiarum ius non habent nisi ad unam Congr. Proc.

2. Licet Congregatio ix decreto 36 censuerit: Procuratores Indiarum, quamdiu de consensu Praepositi Generalis substiterint in Europa, ius habere ad Congregationem generalem, unam vel plures, quas eo tempore celebrari contigerit; non ideo tamen eis conceditur, ut, postquam

P. Gonzalez Praep. Gen.

1696-97

uni coetui Procuratorum interfuerint, aliis quoque interesse possint; cum diversa sint iura ac fines Congregationum generalis ac Procuratorum.

Provinciae extra Europam non comprehenduntur decr. 30 Congr. XII et 11 Cong. XIII.

3. Dum decreto 30 Congregationis XII cavetur: si notitia de morte Praepositi Generalis aut de indicta Congregatione generali veniat in Provinciam, antequam eo deferantur litterae patentes Superiorum a Generali ante obitum expeditae, ut nulla tunc fiat mutatio; et, si fiat, irrita sit; ea lege non comprehenduntur Provinciae extra Europam sitae; quem fuisse etiam sensum Congregationis XII constat ex actis eius manu scriptis. Provincias easdem exceptas declaravit Congregatio a statuto Congregationis XIII decreto 11, quo deciditur litteras patentes, ante obitum Generalis expeditas, amittere suum robur.

22, in Ms. act. 49.

Iudicium de impedimentis Procuratorum Indiarum, in Europa degentium, reservatur P. Generali vel Vicario.

Dubitabatur: cuius esset cognoscere de impedimentis, quae, ne conveniant ad Congregationem, tum Procuratorum tum generalem, allegant aliquando Procuratores Indiarum degentes iam in Europa; hi enim ad id consulere nequeunt suas Provincias, ad quas ex decreto 52 Congregationis VIII, et § 41 Formulae Congregationis provincialis pertineret huius causae cognitio; cumque alii alio eos remitterent, neque certus aut satis competens proponeretur quaestionis iudex; sensere tandem plerique omnes servandum id, quod in more positum esse ferebatur: ut scilicet hoc iudicium esset unice penes Praepositum Generalem vel Vicarium.

23, in Ms. act. 4 et 48.

Ut quis dicatur applicatus Provinciae, sufficit munus impositum ad definitum tempus; sed hoc non sufficit ut applicetur Assistentiae.

Allati sunt nonnulli iuris nostri textus, qui aliquibus videbantur ambigui, nisi apta explicatio aut conciliatio adhiberetur.

1. Ex decreto 33 Congregationis IX, ut quis dicatur applicatus Provinciae, sufficit munus impositum ad definitum tempus, ut Provincialis, Rectoris; ex decreto 5 Congregationis XII, ad eligendum aliquem in Assistentem attenditur Provincia, non in qua natus est et admissus, sed in qua tunc est; excipitur tamen, nisi forte ad certum aliquod tempus tantummodo a Praeposito Generali addictus alteri Provinciae fuerit; per primum, sufficit ad eam applicationem officium ad certum tempus, per secundum non sufficit.

Non dubitavit Congregatio agi in primo de applicatione ad Provinciam, in secundo de applicatione ad Assistentiam, ad quam, prout maioris momenti, plus etiam requiritur; quia tamen XII Congregatio nihil ponit, quo explicetur haec diversitas applicationum, placuit omnibus, ex voto etiam PP. Deputatorum pro Instituto, ut decreto illius Congregationis, post illa verba: *censendus autem quisque est,* addatur: *ut dicatur ad aliquam Assistentiam pertinere, ex ea Provincia esse etc.* Cumque observasset aliquis: esse eamdem rationem de electione Deputatorum pro detrimentis et postulatis, Definitorum et huiusmodi personarum, quae ex unaquaque Assistentia eligendae sint in Congregatione generali; statuit Congregatio: ut de his omnibus intelligeretur additio.

24, in Ms. act. 48.

Provincialis non potest impedire, ne quis veniat ad Congr. prov.; sed potest

2. Provincialis vi Regulae suae 113 potest mittere extra Provinciam eum, qui ius habet ad Congregationem provincialem, causa urgente, et

P. Gonzalez Praep. Gen. 1696-97

indicare de impedimentis aliunde exortis.

approbata a maiori parte suorum Consultorum. Vi Formulae Congregationis provincialis, § 13, non potest impedire, ne veniat ad Congregationem, quempiam eorum, qui ius illud habent; et id, neque sua, neque eorum sententia, quos consulere solet; quae duo non videbantur cohaerere. Sed approbarunt omnes iudicium Patrum eorumdem Deputatorum, quod erat: Formula prohiberi Provincialem, ne ponat ipse impedimentum, a suo arbitrio pendens, ut satis constat ex verbis Formulae; Regula vero permitti, ut cum suis Consultoribus mere iudicet de impedimentis aliunde exortis.

25, in Ms. act. 49.

Decretum 40 Congr. XII emendatur.

3. In Congregatione XII, decreto 40, dicitur: *nihil, praeter id, quod ad Concionatoris sustentationem aut viaticum fuerit expensum aut necessarium, accipi a nobis posse tamquam stipendium aut eleemosynam in compensationem pro ministerio.* Licet certa esset mens illius Congregationis, tam severe in decreto immediate antecedenti praecipientis, ne quid accipiatur stipendii aut eleemosynae in compensationem, nominatim etiam pro concionibus; tamen, quia in decreto hoc 40 solitarie accepto videri posset, reiici quidem stipendia reliqua, sed admitti stipendium, quod necessarium sit ad iter et sustentationem; quae vis est particulae illius excipientis *praeter*, permisit Congregatio, ut in nova impressione decreti omittantur illa verba: *tamquam stipendium aut eleemosynam in compensationem pro ministerio.* Quibus ablatis, stat integra sententia, tolliturque species omnis permissi stipendii.

26, in Ms. act. 50.

Decernitur gratiarum actio Cosmo III, Magno Etruriae Duci, ob singularia aestimationis et amoris argumenta Societati ab ipso exhibita.

Cum non semel neque a paucis commemorata essent iterata et singularia aestimationis et amoris argumenta, quae Serenissimus Cosmus III, Magnus Etruriae Dux, in dies exhibet Societati; et recens illud opus impense laudaretur, quod regio sumptu ac pretiosis marmoribus arte eximia elaboratum Goam ab ipso destinatur in fulcrum urnae S. Francisci Xaverii; cumque tanti Principis munificentiae atque humanitatis testes idonei adessent quotquot ad haec Comitia adventantes Florentiam attigerant, quos omni, ut solet, liberalitatis ac benevolentiae genere exceperat; itum est summo omnium consensu in hanc sententiam et decretum: ut, quod in nobis est, Principi, tot nominibus de Societate optime merito, darentur litterae nomine Congregationis, grati animi atque obsequii nostri testes; praesertim cum tot repetitis eius beneficiis nondum antea Societas rependerit hoc genus gratiarum actionis, quod aliae retro Congregationes decreverant aliis Summis Principibus, qui singulari benevolentia Ordinem nostrum sibi devinxissent.

27, in Ms. act. 51 et 52.

Hac vice supersedeatur repetitione omnium actorum in Congregatione. C. 2 d. 79. C. 23 d. 43 n. 4.

Absoluto iam omnium postulatorum examine, cum gravissimae urgerent causae moram omnem abrumpendi, placuit Congregationi indulgere: ut hac vice supersederetur repetitione omnium actorum, cum praesertim ad singulas actiones sedulo examinata essent ac probata; et re ipsa, omissa ea lectione, itum est ad ulteriora.

Cumque postridie huic decreto quidam intercedere tentasset; non

P. Gonzalez Praep. Gen. — 1696-97

duxit Congregatio audiendam esse intercessionem, cum ageretur de decreto, quod transierat in rem iudicatam, et exsecutioni mandatum fuerat. nec apparebat operae pretium, cum decreta omnia quoad rem ipsam singillatim proposita iam fuissent Congregationi et approbata.

28, in Ms. act. 52.

Provincia examinandi et probandi decreta P. Generali ac Assistentibus committitur. *C. 11 d. 36. C. 17 d. 17. C. 18 d. 23. C. 19 d. 12. C. 21 d. 28. C. 22 d. 45. C. 23 d. 43 n. 6.*

Die 16 Ianuarii R. Pater noster Praepositus Generalis, restitutus valetudini ac coetui, quaesivit: an vellet Congregatio exspectare, quoad extraherentur decreta typis vulganda: an exemplo aliquot praeteritarum Congregationum placeret, ut, soluto Conventu, extraherentur per otium, examinanda et approbanda a se atque a PP. Assistentibus nomine Congregationis, priusquam evulgarentur. Obtinuit communior Patrum sententia: ut committeretur haec provincia examinandi et probandi decreta R. Patri nostro ac PP. Assistentibus, soluta Congregatione, cum non leves hanc dispensationem suaderent causae; hoc enim non paucorum dierum opere protracta Congregatione, pluribus, quibus iter erat in remotissimas Provincias, appetente vere, imminebant pericula viarum ac bellorum,

29, in Ms. act. 52.

Congregationi finis imponendus.

Ad haec quaesivit R. P. Generalis: an, quando iam omnia videbantur absoluta, placeret, ut haec eadem actio finem imponeret Congregationi? Una fuit omnium vox: placere. Tum idem amantissime affatus Patres, gratulatus est eis ac Societati, Congregationem peractam ab eis, solutam tanta sapientia, zelo atque animorum consensione; apprecatus est incolumem in suam cuique Provinciam reditum, oblatis ad id non paucis Sacrorum millibus. Ipso demum praeeunte, actae sunt Deo de more gratiae. Dein post mutuas gratulationes ac charitatis officia solutus est coetus, quo finem habuit Congregatio xiv, habita Romae a die 15 Novembris 1696 ad diem 16 Ianuarii 1697; ipsam, ac Societatem regente admodum R. P. N. Praeposito Generali, Thyrso Gonzalez.

Hortatio P. Generalis.

Finis Congregationis.

DECRETA

DECIMAE QUINTAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Tamburini Praep. Gen. — 1706

Causa Congregationis convocandae.

Congregationem hanc ex decreto Innocentii x, Summi Pontificis, et voluntate R. P. Thyrsi Gonzalez, Praepositi Generalis, R. P. Michaël Angelus Tamburinus, iam antea rite constitutus Vicarius Generalis, indixit ad diem 17 Iannarii 1706, sub finem nempe novennii elapsi a Congregatione generali xiv.

Iam in plerisque Provinciis delecti

P. Tamburini Praep. Gen.

Exspectantur absentes.

erant ex more futuri Electores, cum ipse R. P. Thyrsus vivere desiit Romae 27 Octobris 1705.

Praestituta Conventui die aderat quidem numerus Patrum sufficiens ad legitimam Congregationem; sed quia nonnulli, adhuc absentes, sperabantur propediem appulsuri, R. Patri Vicario caeterisque praesentibus visum est, esse illos exspectandos usque in in diem 20 Ianuarii.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1, 2 et 3.

Non exspectandi amplius.

Dicta die solum adhuc desiderabantur Patres poloni et lithuani. Quoniam vero illi, omni spe obtinendi commeatus praecisa, domum reverti nuntiabantur, lithuani autem longo adhuc intervallo aberant Roma, censuere Patres, non obstante illorum absentia, legitimam esse Congregationem, ideoque ad praescriptas electiones processerunt.

Eliguntur Secretarius electionis, Concionator, Inclusor, Deputatio pro detrimentis, *C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.*

Primo electus est Secretarius electionis P. Michaël le Tellier, Rector Collegii parisiensis. Dein P. Ioannes de Gamis, Elector Provinciae baeticae, qui orationem ad PP. Congregatos habeat, ipso eligendi Generalis die. Patri Annibali Marchetti vero, Domus Professae romanae Vice Praeposito, cura includendi Electores commissa fuit. Similiter pro detrimentis recognoscendis, ex quinque Assistentiis, deputati fuerunt: ex italica, P. Curtius Sestius, Provinciae romanae Praepositus; ex gallica, P. Ioannes Dez, Rector Collegii argentinensis; ex germanica, P. Albertus Mechtl, Praepositus Domus Professae viennensis; ex hispanica, P. Salvator Rivadeo, Rector Collegii salmanticensis; ex lusitanica, P. Michaël Diaz, Praepositus Domus Professae ulyssiponensis.

et Assistens electionis.

Post haec, aliis nonnullis, quae ad futuram electionem P. Generalis necessaria videbantur, expeditis, ex more quoque delectus fuit Assistens electionis P. Fridericus Lamberti, Provinciae Rheni inferioris Elector.

2, in Ms. act. 4.

Electio P. Praepositi Generalis.

Die 31 Ianuarii, iam ante huic actui praefinita, servatis rite omnibus, quae in Formula ex Constitutionibus ac decretis nostris praescribuntur, secundo scrutinio, duobus supra sexaginta suffragiis in Praepositum Generalem electus est R. P. Michaël Angelus Tamburinus, deque hoc e vestigio conscriptum a P. Secretario decretum ac promulgatum.

3, in Ms. act. 5 et 6.

Electio Secretarii Congregationis et sociorum, *C. 8 d. 1.* et Deputationis ad postulata secernenda.

Constituto Secretario Congregationis P. Andrea Waibl, Collegii monacensis Rectore, additisque illi sociis, P. Mauritio ab Antonellis, Rectore Collegii neapolitani, et P. Ignatio Aleman, Procuratore chilensi, ad secernenda postulata delecti sunt: ex Italia, P. Ioannes Vincentius Imperialis, Praepositus Provinciae mediolanensis; ex Gallia, P. Guilielmus Daubenton, Elector Provinciae Campaniae; ex Germania, P. Valentinus Queck, Assistens Germaniae; ex Hispania, P. Ludovicus Montesdoca, Provinciae baeticae Praepositus; ex Lusitania, P. Emmanuel Correa, eiusdem Assistens.

4, in Ms. act. 9.

Electio Assistentium. *C. 8 d. 2.*

Dilata in adventum Patrum lithuanorum electione Assistentium, iis interim die 8 Februarii appulsis, postridie Assistentes sunt electi: pro Italia, P. Ioannes Vincentius Imperialis, pro Germania, P. Andreas Waibl,

P. Tamburini Praep. Gen. 1706

Vocatis Secretario Soc. et Proc. Brasiliae et Gen., eligitur Admonitor.

pro Gallia, P. Guilielmus Daubenton, pro Hispania, P. Ludovicus de Montesdoca, pro Lusitania, P. Michaël Diaz, omnes primo scrutinio. Tum, vocatis etiam P. Secretario Societatis et P. Procuratore Brasiliae, itemque P. Procuratore Generali, primo quoque scrutinio in Admonitorem electus fuit P. Curtius Sestius.

5, in Ms. act. 20.

In Congr. prov., si post quintum scrutinium non sint tres, qui plura caeteris habeant suffragia, suffragatio communis continuanda. *C. 13 d. 22. C. 16 d. 24.*

Contigerat in quadam Congregatione provinciali, ut post quintum scrutinium non essent tres, qui plura caeteris haberent suffragia, sed solum duo; reliqui vero singuli dumtaxat unum. Dubitatum igitur fuit: quomodo in tali casu intelligenda sint verba illa Formulae § 28: *Deinceps sumantur tres, qui plura aliis suffragia habuerint.*

Censuit Congregatio: in huiusmodi eventu continuandam esse suffragationem communem; nil tamen propterea innovandum in Formula, sed formandum decretum, quo dubium hoc declaretur, simulque moneantur PP. Congregationis provincialis, quod in similibus, iuxta § 17 Formulae, ipsa Congregatio possit *ad praesentem praxim dubia omnia terminare etc.*

6, in Ms. act. 25.

In electione mittendorum ad Congr. gen. habeant in sua Provincia vocem passivam omnes Professi ad tempus applicati Provinciae romanae. *C. 6 d. 25 n. 9.*

Quod Congregatio generalis viii, decreto 57, Revisoribus generalibus ac caeteris, qui, assumpti ex alia Provincia, Romae toti Societati operam navant; quod item Congregatio xii, decreto 45, Poenitentiariis, tam in Basilica Vaticana, quam in sacra Aede Lauretana; ac demum Congregatio xiv, decreto 16, tum P. Secretario Societatis, tum P. Rectori Anglorum in Urbe, caeterisque Patribus ex anglicana Provincia in illo Collegio degentibus concesserat; ut in electione mittendorum ad Congregationem generalem habeant in sua ipsorum Provincia vocem passivam; id praesenti Congregationi placuit extendere ad omnes, qui ex quibuscumque aliis Provinciis ad tempus applicati sunt Provinciae romanae; cum illis Provinciis percommodum aliquando accidere possit, si Romae aut in vicinia quidam sint, quos absque impensis itinerum destinare possint ad Congregationem generalem.

7, in Ms. act. 28.

Conciliatio n. 6 et 17 Formulae Congregationis provincialis.

Ut invicem concilientur quae in Formula Congregationis provincialis, § 6, adversari videntur § 17, dum in illo praescribitur, ut, si quamcumque ob causam non possint convenire quadraginta vel quinquaginta, accedant quotquot possunt, *etiamsi duas tertias non attingant;* in § 17 autem dicitur: a Patribus Congregatis decidi posse dubia, *modo excedant duas tertias partes eorum, qui convenire deberent et possent.*

Patres Deputati pro Formulis responderunt: in priore textu agi de duabus tertiis partibus eorum, qui convenire deberent, sed, legitime impediti, *non possent;* in posteriore vero de iis, qui convenire *deberent et possent.* Quam explicationem Congregatio generalis ratam habuit.

8, in Ms. act. 34.

Bonorum renuntiatio fiat ordinarie secundum patrias leges; sed est valida, si ex voluntate Superior. fiat ante vel post quadriennium. *C. 7 d. 17. C. 20 d. 7 n. 4.*

In Congregatione vii, decreto 17, statuitur: Nostros teneri ad renuntiandum suis bonis, *ubi primum per aetatem et patrias leges licebit.* Quae verba, uti ex contextu patet, sunt praecipue intelligenda de aetate ad valide renuntiandum requisita. Circa haec tamen praesens Congregatio de-

P. Tamburini Praep. Gen.

Comp. Pricil. n. 482.

clarat: se quidem velle, ut Nostri ordinarie in hoc negotio se patriis legibus accommodent; nolle tamen propterea praeiudicare iuribus a Sede Apostolica sibi concessis et a S. Tridentina Synodo approbatis, vi quorum valida esse potest renuntiatio, si, ex voluntate Superiorum, etiam ante finitum quadriennium fiat, aut post illud quoque differatur.

9, in Ms. act. 34.

Stili acerbitas Nostris omnino prohibetur.

Relatum fuit ad Congregationem: quosdam e scriptoribus nostris, adversariorum calumniis provocatos, nonnunquam uti stilo acerbiore, quam viros religiosos decere videatur. Quapropter unanimi consensu declaratum fuit: omnino contra mentem Societatis esse huiusmodi stilum, omnemque talem lucubrationem Nostrorum, qua lectores iure offendi possint. Ad cavendam proin omnem offensionem, Congregatio decreta omnia et Ordinationes, quae aliquando sunt factae pro Revisoribus librorum, confirmat et extendit, quoad praesens punctum, etiam ad theses et folia quaecumque; ne quid omnino typis vulgetur a Nostris, nisi a Revisoribus ad id constitutis approbatum.

Decreta et Ordinationes pro Revisoribus librorum confirmantur et extenduntur ad theses et folia quaecumque. *C. 10 d. 11. C. 11 d. 18. C. 16 d. 14, 15. C. 21 d. 26. C. 22 d. 20.*

10, in Ms. act. 40 et 42.

De suffragiis pro defunctis extra suam Provinciam. *C. 8 d. 40. C. 18 d. 9.*

Qui obeunt in mari censeantur esse de Provincia, cui primo mors innotuit.

Qui ex Indiis venere, nec applicati sunt alicui Prov., fruantur suffragiis illius in qua moriuntur.

Ne Nostri, qui vel in itinere maritimo, vel missi ex Indiis, alicubi moriantur in Europa, nimis diu carere debeant ope suffragiorum Societatis, placuit Congregationi statuere: ut ii, qui obeunt in mari, censeantur esse de illa Provincia, cui primo illorum obitus innotuerit; qui vero ex Indiis iam appulere in Europam, fruantur suffragiis Provinciae, in qua migrant ex hac vita, nisi certae alicui Provinciae in Europa iam fuerint applicati, servata in reliquis Ordinatione R. P. Claudii Aquavivae, cap. 2, § 3. 1706

Idem dicendum de Confessariis Principum.

Cum porro dubitaretur de Confessariis Principum, etiam longius nonnumquam a sua Provincia remotis, responsum est: illos in tali casu, quoad suffragia pro defunctis, pariter praesenti decreto comprehendi.

11, in Ms. act. 41 et 47.

Formula iuramenti pro Examinatoribus peritiae linguae indicae.

Posteaquam Congregationis vi decreto 15 peritiae linguarum indicarum concessum fuit: ut possit supplere defectum doctrinae theologicae (dummodo haec sit saltem mediocris) requisitae ad professionem quatuor votorum, et Congregatio viii, decreto 40, statuit, ut Examinatores talis peritiae iudicium suum ferant iurati; aequum videtur, ut, exemplo Congregationum xiii, decreto 19, et xiv, decreto 18, Formula iuramenti praescribatur; quae proinde in formam sequentem concepta fuit et approbata:

Ego NN., testem invocans Deum, censeo Patrem NN. ita eminere peritia linguae indicae NN. (cui addiscendae, apud Indos laborans, operam dedit), ut ea expedite in familiari sermone uti possit, atque ideo ex hoc capite habeat quae a Congregatione vi, decreto 15, et Congregatione xv, decreto 11, ad professionem quatuor votorum requiruntur.

Sufficit peritia unius linguae indicae, quae non ut nativa a puero hausta sit.

Addi autem his voluit Congregatio: sufficere peritiam linguae unius indicae ex pluribus, quae fortasse usui sunt in diversis missionibus, dummodo eam, non ut nativam a puero hauserint, sed, apud Indos utiliter laborando, sedulo studio in eadem addiscenda sibi comparaverint, uti monetur in memorato decreto 15 Congregationis vi.

Post haec aliaque plura ordinata,

P. Tamburini Praep. Gen. — 1706

Finis Congregationis decernitur: cum nil porro superesset necessario deliberandum, R. P. Generalis quaesivit ex Patribus: quandonam placeret finem imponere Congregationi? Omnium consensu decretum fuit: ultimam actionem die 3 Aprilis esse celebrandam.

Hortatio P. Generalis. In hac igitur, expeditis omnibus, Pater noster cunctos paterne hortatus est ad strenuam exsecutionem eorum, quae magna prudentia, zelo et singulari animorum consensione in his Comitiis pro communi bono contulissent, ac demum omnibus bene precatus in Domino, solvit praesentem Congregationem generalem xv die 3 Aprilis, anno 1706. Solvitur Congregatio.

DECRETA

DECIMAE SEXTAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Retz Praep. Gen. — 1730-31

Causa Congregationis convocandae. CUM R. P. N. Michael Angelus Tamburinus 28 Februarii 1730 diem extremum obiisset, nullo nominato Vicario; coacta fuit Romae Congregatio Professorum, in qua, servatis rite omnibus, die 7 Martii electus est, primo scrutinio, Vicarius Generalis R. P. Franciscus Retz, Germaniae Assistens.

Is de consilio PP. Assistentium Congregationem generalem indixit in diem 15 Novembris eiusdem anni 1730. Congregatio differtur. Illa ipsa die visum est R. P. Vicario et Patribus, qui aderant, primam sessionem iustis ex causis differendam esse in diem 19 Novembris.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1, 2 et 3.

Non exspectati absentes. DESIDERABANTUR Patres omnes Sardiniae, et ex Lusitania aderat solum P. Franciscus Fonseca, cui P. Provincialis vices suas demandaverat. Cumque nulla spes esset illorum adventus, eo quod in illis Provinciis habitae non fuissent Congregationes provinciales, pronuntiarunt Patres: Congregationem nihilominus esse legitimam, et procedendum ad solitas electiones.

Electio Secretarii electionis, Concionatoris, Electus est in primis Secretarius electionis P. Carolus Dubois, Collegii avenionensis Rector. Tum P. Hieronymus Santi, Provinciae venetae Praepositus, qui die electionis Praepositi Generalis orationem haberet. Inclusoris, Cura vero includendi Electores demandata fuit P. Iosepho Gentili, qui loco P. Vice Praepositi aegrotantis praeerat Domui Professae romanae. Deputatorum ad detrimenta, C. 7 d. 78. C. 8 d. 1. Deinde ad detrimenta examinanda deputati fuerunt: ex Italia, P. Antonius Casati, Rector Domus Probationis mediolanensis; ex Gallia, P. Ludovicus Laguille, Vice Provincialis Campaniae; ex Germania, P. Iosephus Preiss, Rector Collegii augustani; ex Hispania, P. Emmanuel Sancius Granado, Provincialis toletanus;

P. Retz Praep. Gen. 1730-31

et Assistentis electionis.

ex Lusitania, P. Franciscus Fonseca, Vice Provincialis. Demum delectus fuit Assistens electionis P. Carolus Storanus, Provincialis romanus.

2, in Ms. act. 2.

Nonnisi post electionem excutiendum postulatum de non petenda abrogatione Congregationis novennalis. *Inf. d. 6.*

Cum rogata fuisset Congregatio, ut ante electionem Generalis ageret de quodam postulato, quo petebatur, ne deinceps procuraretur dispensatio a Constitutione Innocentii x, de Congregatione generali nono quoque anno celebranda; censuit Congregatio, pluribus gravibus de causis: nonnisi post electionem postulatum illud excutiendum.

3, in Ms. act. 4.

Electio Praepositi Generalis primo scrutinio peragitur.

Die 30 Novembris, S. Andreae Apostolo sacra, omnibus, quae in Constitutionibus, Decretis et Formula praescribuntur, rite servatis, mira et numquam satis laudanda animorum consensione, primo scrutinio, et omnium suffragiis (unico, praeter suum, excepto) electus est in Praepositum Generalem R. P. Franciscus Retz. Moxque electionis decretum pro more confectum, subscriptumque a Secretario et promulgatum fuit.

4, in Ms. act. 5.

Electio Secretarii Congr. et sociorum,

Electo in Congregationis Secretarium P. Carolo Dubois, eodem, qui fuerat electionis; additi sunt illi socii P. Martinus Trampczinsky, Rector Collegii S. Ioannis Iaroslaviae, et P. Ioannes Scotti, Collegii bononiensis Rector.

et Deputatorum ad postulata.

Electi quoque sunt ad postulata secernenda: P. Hieronymus Phebei, Elector Provinciae romanae, pro Assistentia italica; P. Franciscus Xavesius de la Grandville, Aquitaniae Provincialis, pro gallica; P. Robertus Philippe, Provincialis gallobelgicae, pro germanica; P. Ioannes de Villafañe, Provincialis castellanae, pro hispanica; P. Franciscus Sierra, Hispaniae Assistens, pro Assistentia Lusitaniae; ex qua, cum solus adesset P. Franciscus Fonseca, isque iam esset inter Deputatos pro detrimentis, alius, iuxta decretum 49 Congregationis xii, deputandus fuit pro postulatis.

5, in Ms. act. 6 et 7.

Assistentes quatuor eliguntur primo scrutinio. *C. 8 d. 2.*

Die 7 Decembris electi sunt Assistentes omnes primo scrutinio: pro Italia, P. Antonius Casati; pro Germania, P. Xaverius Hallauer, Rector Collegii monachiensis; pro Gallia, P. Franciscus de Lacorrée, Provincialis tolosanus; pro Hispania, P. Franciscus Sierra, idem, qui proxime ante hoc officio functus fuerat.

Assistens Lusitaniae a Patre Nostro eo modo eligatur, quo subrogatio fit extra Congr. *C. 9 d. 44. C. 10 d. 5. C. 11 d. 28. C. 18 d. 15.*

Ob absentiam vero Patrum lusitanorum, exemplo Congregationis x, electio Assistentis Lusitaniae remissa fuit ad Patrem nostrum, eo modo facienda, quo extra Congregationem generalem Assistenti mortuo novus subrogatur.

Electio Admonitoris. *C. 8 d. 2.*

Post haec, vocato ad Congregationem P. Secretario Societatis (nam P. Procurator Generalis iam inter Electores aderat), primo etiam scrutinio electus est Admonitor P. Horatius Olivieri, antea Italiae Assistens.

6, in Ms. act. 8, 9 et 10.

Reiicitur postulatum de non petenda deinceps dispensatione a decreto Innoc. x de Congregatione novennali;

Visum est Patribus agendum esse ante alia, et quidem secretis suffragiis, de postulato illo ante electionem proposito, quo rogabatur Congregatio: ut viam aliquam iniret, ne deinceps petatur dispensatio a Congregatione novennali ab Innocentio x praescripta. Congregatio, re diligen-

tissime examinata, postulatum illud omnino reiiciendum esse decrevit.

Cum deinde aliquis huic decreto intercessisset; non esse deferendum intercessioni, sed standum decreto, tanto suffragiorum consensu Patres censuerunt, ut nemo, ne ipse quidem, qui intercesserat, dissentiret.

immo petenda eius abrogatio. *Litt. Apost. pag. 265. C. 11 d. 12. C. 12 d. 1, 2. C. 14 d. 4.*

Quin et sancitum fuit exemplo Congregationum XI, XII et XIV, ut peteretur potius a Summo Pontifice abrogatio decreti Innocentii X, cum primum illius petendae opportuna fuerit occasio.

7, in Ms. act. 8.

Rectores Seminariorum, Instructores tertii anni Prob., et Magistri Novitiorum, qui ius non habent ad Congr. prov., mutari possunt a Vicario post indictam Congr. gen., et a Generali etiam ea durante. *C. 12 d. 31.*

Cum quaesitum fuisset: utrum nomine Rectorum et Praefectorum Probationum, quos non licet mutare Vicario Generali iuxta § 7 illius Officii, intelligi debeant etiam Rectores Seminariorum externorum, Magistri Novitiorum, et Instructores Patrum tertii anni Probationis, qui simul Rectores non sunt, adeoque ius non habent ad Congregationem provincialem; censuit Congregatio: eiusmodi Rectores, Instructores et Magistros Novitiorum, qui ius non habent ad Congregationem provincialem, a Vicario etiam post indictam generalem Congregationem mutari posse, ac potiori iure a Praeposito Generali etiam durante Congregatione generali.

8, in Ms. act. 10.

Congregationes prov. sine causa gravissima non omittendae. *C. 2 d. 19, 67. C. 4 d. 7. C. 5 d. 30. C. 7 d. 9. C. 21 d. 10. C. 23 d. 18. Inf. d. 19.*

Proposito cuiusdam Provinciae postulato: ne Congregationes provinciales nisi gravissimis ex causis intermittantur; decrevit Congregatio: permittendum non esse, ut provinciales Congregationes statis temporibus omittantur, nisi causae adessent gravissimae, quales indicantur in Formula § 2, inter quas tamen regulariter censeri non debeat Provinciae egestas.

9, in Ms. act. 11.

Socii Coadiutores stabiles non permittendi, et concessa aliquibus facultas revocanda. *C. 1 d. 103. C. 7 d. 29.*

Ut varia nec levia avertantur incommoda, Congregatio enixe rogandum censuit Patrem nostrum: ut quam primum revocet facultatem concessam aliquibus habendi socios Coadiutores sibi peculiariter assignatos, curetque circa hoc exacte observari canonem 14 Congregationis VII, quem praesenti decreto Congregatio instaurat et renovat.

10, in Ms. act. 11.

De iis, qui ad Missiones transmarinas aspirant, diligenter inquiratur, et Praepositus Generalis informetur.

Quo melius constare possit, utrum illi, qui ad Missiones transmarinas destinantur, necessariis animi ac corporis viribus praediti sint; statuit Congregatio: ut Provinciales de iis, qui ad huiusmodi Missiones aspirant, diligenter inquirant, curentque de iisdem inquiri a viris prudentibus, quibus sint probe noti; ac tam suum, quam horum iudicium ad Patrem nostrum transmittant, ut statuat quod sibi in Domino videbitur.

11, in Ms. act. 12.

Iure ad Congregationem prov. non excidunt excusati ratione loci, si, mutato eius loco, cesset impedimentum.

Dubitatum fuit: an ii, qui se excusarunt, quod non possint accedere locum Congregationi provinciali destinatum, ius habeant illam adeundi, si contingat Congregationem transferri in alium locum, quo sine incommodo se conferre possunt. Congregatio censuit: tales in hoc casu non excidisse iure suo, sed vocandos ad Congregationem, etiamsi iam scriptum fuisset ad alios, qui illis erant subrogandi.

P. Retz Praep. Gen.

1730-31

12, *in Ms. act. 12.*

Incarceratis et gravem poenam subeuntibus cum infamiae nota coniunctam nullum ius ad Congregationem prov.

Cum quaesitum fuisset: utrum, si contingeret, ut aliquis carceri mancipetur, vel gravem poenitentiam a Superioribus Societatis impositam adimpleat, ius ad Congregationem habeat? Patres censuerunt: nullum ad illam ius esse, sive. incarceratis, sive iis, qui (quod Deus avertat) ob culpam gravem subeunt poenam gravem, et cum infamiae nota coniunctam. De huiusmodi autem gravitate atque infamia iudicabit Provincialis cum iis, ad quos pertinet ferre iudicium de impedimentis prohibentibus accessum ad Congregationem.

De huiusmodi gravitate iudicandum a Provinciali et aliis de iure. *C. 17 d. 6.*

13, *in Ms. act. 13.*

Ad Bibliothecam auctorum Societatis, quaenam afferenda sint Romam a Procuratoribus ad Congr. Proc. venientibus. *C. 21 d. 21.*

Ut Bibliothecae auctorum Societatis, quando edenda videbitur, in promptu sit materia, statutum fuit: ut, quotiescumque cogetur Congregatio Procuratorum, isti Romam afferant librorum in sua Provincia ab ultima Congregatione editorum titulos, locum editionis, nomen typographi et auctorum defunctorum elogia; titulos item librorum manu scriptorum, quos Nostri vita functi relinquunt.

14, *in Ms. act. 14.*

A quo recognoscendae theses propugnandae in Collegiis. *C. 11 d. 18. C. 15 d. 9.*

Quaesitum fuit: a quo recognoscendae sint theses propugnandae in Collegiis, in quibus nullus est Studiorum Praefectus. Censuerunt Patres: eas recognoscendas a Praefecto generali Studiorum Collegii vicinioris, si tamen aliter non fuerit a Provinciali provisum.

15, *in Ms. act. 15.*

Librorum auctores et censores mutuo sint ignoti.

Ad coercendam nimiam librorum in lucem edendorum facilitatem, PP. Deputati, quorum iudicium Congregatio ratum habuit, censuerunt observanda esse sequentia: designati a Superioribus Censores ignoti sint auctoribus, et auctores Censoribus. Legant isti, antequam censuram aggrediantur, Regulas Revisorum generalium, et quae ibi praescribuntur in libris examinandis diligenter observent; ferantque iudicium, omni seposito humano respectu, solam Dei gloriam ac Societatis bonum prae oculis habentes. Curent denique Superiores, atque in primis ipse Provincialis, ut iudicium Censorum executioni mandetur, et liber non prodeat, nisi ad censuram latam exactus.

Censores diligenter legant et observent Regulas Revisorum gen. *Sup. d. 14. C. 10 d. 11. C. 11 d. 18. C. 15 d. 9. C. 21 d. 26. C. 22 d. 20. C. 23 d. 48 n. 2.*

Liber non prodeat, nisi ad censuram latam exactus.

16, *in Ms. act. 15.*

Pecunia ad lucrum non collocanda. *Inf. d. 28.*

Quo melius sanctae paupertati consulatur, Congregatio severe prohibet: ne quis quocumque praetextu, nomine proprio aut alieno pecuniam collocet ad lucrum ex ea percipiendum. Sed quidquid obtingit alicui pecuniae, permittatur arbitrio Superiorum, qui pro sua prudentia de illa statuent.

17, *in Ms. act. 16.*

Transgressio praecepti, de non procurandis externorum patrociniis, reservatur Superiori. *C. 5 d. 14, 49. C. 7 d. 20 22 n. 2. C. 8 d. 24. C. 9 d. 24. C. 10 d. 18.*

Ut omnes Nostri a procurandis externorum patrociniis, quae religiosae disciplinae et obedientiae pestis est, magis absterreantur, statuit Congregatio: ut peccatum, quo violaretur praeceptum, de non procurandis externorum intercessionibus, Nostris impositum, in posterum Superiori reservetur; atque ita inter casus reservatos recenseri iussit.

18, *in Ms. act. 17.*

Patres Missionis scoticae et hibernicae censentur esse illius Prov.

Cum quaesitum fuisset: ad quam Provinciam spectent Patres Missionis scoticae et hibernicae, quos nonnumquam contingit, post peractum in una

P. Retz Praep. Gen. — 1730-31

Provincia tirocinium, in alia deinde vitam agere et variis officiis fungi; Congregatio decrevit: Patres illarum Missionum censendos esse a R. P. Generali illi Provinciae adscriptos, in qua morantur et nostris vacant ministeriis; ac proinde, ubi antiquitatem adepti fuerint requisitam, in illius Provinciae Congregationem cum voce activa et passiva admittendos esse.

in qua morantur et laborant.

19, in Ms. act. 17.

Nec petenda nec concedenda dispensatio, ne Procurator in Congr. electus Romam veniat, nisi ob causas gravissimas a Provinciali et aliis iudicandas.

Quaesitum fuit: an licitum sit Provinciali dispensationem petere, ne Procurator in Congregatione electus Romam proficisci debeat; censuit Congregatio: huiusmodi dispensationem, nec petendam, nec concedendam esse, nisi forte, tum ipsius Provincialis, tum aliorum testimonio constaret, causas supervenisse gravissimas, et quae iuxta decretum VIII sufficerent ad omittendam Congregationem provincialem.

20, in Ms. act. 18.

Anni ante ingressum in Soc. studiis impensi non computandi in ordine ad tempus professionis. C. 7 d. 75. C. 11 d. 31. C. 12 d. 11. C. 13 d. 9, 10. C. 14 d. 19. C. 17 d. 10.

Super decreto 42 Congregationis IX orta dubitatio: utrum in ordine ad tempus professionis computandi sint anni, quibus aliquis ante ingressum in Societatem Philosophiae aut Theologiae studuit, si iterum eadem studia in Societate conficiat. Respondit Congregatio: annos ante ingressum studiis illis impensos tali casu computandos non esse. Qua occasione iussit diligenter observari id, quod in aliis Congregationibus statutum iam fuerat: ut nemo ad Theologiam admittatur, nisi prius, sive ante, sive post suum in Societatem ingressum, examen de universa Philosophia rite subierit.

Admittendi ad Theologiam examen de universa Philosophia subeant.

21, in Ms. act. 18.

Contra paupertatem peccat eleemosynam pro Missa accipiens, ut de illa ipse disponat. C. 12 d. 39, 40. C. Poloc. 3 d. 6.

Postulatum fuit a Congregatione, ut declararet: an contra regulam et paupertatem peccet is, qui oblatam pro Missa eleemosynam non accipit pro se, sed ut eam pauperibus largiatur. Censuit Congregatio: eum utique peccaturum, si oblatam eleemosynam non omnino relinquat offerentis arbitrio, sed de illa etiam ad pios usus quacumque ratione disponat.

22, in Ms. act. 19.

Acta Congr. prov. a Provinciali et Secretario subscribantur. C. 6 d. 25 n. 17. C. 18 d. 23.

Proposito dubio: an acta Congregationum provincialium debeant subscribi a solo Secretario, an vero etiam a Provinciali, prout videtur insinuari in Formula; censuit Congregatio: deinceps acta illa et a Provinciali et a Secretario Congregationis subscribenda esse.

23, in Ms. act. 22 et 23.

Provinciali impedito, novum Substitutum ad Congr. gen. eligi non debet. C. 6 d. 35 n. 3. C. 8 d. 42. C. 9 d. 16. P. 8 c. 3, B. Form. Congr. prov., n. 32, 33.

Quaesitum praeterea fuerat: an, si Provincialis ob impedimentum aliquod excuset se ab adeunda Congregatione generali, eiusque excusatio admissa fuerit a Congregatione provinciali, eligendus sit novus Substitutus; quemadmodum fieri debet, si aliquis ex electis impeditus iudicetur. Congregatio censuit: Provinciali impedito, novum propterea Substitutum eligi non debere.

Cui decreto cum semel atque iterum intercessum fuisset, non esse deferendum intercessioni statuit Congregatio.

24, in Ms. act. 19.

Si, in Congr. prov., in 5.º scrutinio duo habent

Postulatum quoque fuerat, ut declaretur: quid agendum, si in Congregatione provinciali, duobus in quinto

P. Retz Praep. Gen.

1730-31

plura suffragia et duo alii paria, et in 6.° cessat disparitas, suffragatio fiat inter tres, qui plura habuerint. *C. 13 d. 22. C. 15 d. 5.*

scrutinio plura suffragia adeptis, duo alii paria consecuti sint, et ex istis alteruter in sexto scrutinio pauciora obtineat, atque ita paritate excidat?

PP. Deputati censuerunt: cessante paritate in sexto scrutinio, inter tres solos, qui plura habuerint suffragia, locum deinceps habere suffragationem; idque Formulae et eius scopo conformius esse. Atque hanc Deputatorum sententiam probavit Congregatio.

25, in Ms. act. 21.

Facultas rusticandi apud externos, et excurrendi extra Domos, non nisi rarissime, gravibus de causis, ad breve tempus, nec sine socio concedatur. *C. 18 d. 7.*

Cum petitum fuisset remedium adversus frequentiores Nostrorum, praesertim iuvenum, excursiones et rusticationes apud externos; statuit Congregatio: facultatem rusticandi apud externos et excurrendi extra Domos nostras non nisi rarissime, gravibusque de causis, atque ad breve tempus, nec umquam sine socio concedendam esse.

26, in Ms. act. 22.

Si quando Principes Nostrorum operam ad politica negotia expetant, moneantur id nobis prohiberi. *C. 5 d. 47, 79. C. 7 d. 46. Litt. Apost. pag. 133.*

Quamvis per leges nostras abunde cautum sit, ne Nostri publicis et saecularibus Principum negotiis, quae ad rationem Status pertinent, ulla ratione se immisceant; neque novo circa hoc opus esse decreto videretur; tamen, pro sua in re tam gravi sollicitudine, declarandum censuit Congregatio: Nostros, si quando accidat Principem eorum operam ad eiusmodi politica negotia expetere, cum religiosa modestia et libertate monere debere sibi per Societatis leges fas non esse talibus se negotiis ullatenus immiscere.

27, in Ms. act. 23.

De vita communi. *C. 18 d. 22 n. 2.*

C. 20 d. 7 n. 3. C. 22 d. 25, 26 n. 2.

Provincialis in visitatione resecet quae vitae communi nocent. Superiores, dissimulantes subditorum defectus vel necessaria non dantes paterna charitate, graviter admonendi.

Ut vita communis, quae ad religiosam disciplinam tantopere confert, illibata servetur, statuit Congregatio: ut Provinciales in visitatione omnia, quae vitae communi adversantur, omnino resecent; et Superiores, qui vel dissimulant hac in re subditorum defectus, vel iis necessaria non suppeditant, officii sui graviter admoneant; ipsos etiam edoceant, quod, sicut iuxta decretum 43 Congregationis xii facultatem dare non possunt, ut subditi quae vitae communi necessaria sunt alia quacumque via sibi quaerant aut procurent; ita ea omnia a Superioribus paterna charitate debeant suppeditari. Et, si forte peculiare quid alicui ob infirmam valetudinem necessarium iudicetur, censendum non esse id vitae communi repugnare.

Dare peculiare quid infirmis, vitae communi non repugnat.

28, in Ms. act. 23 et 24.

Praecipitur, ne quis sine Superioris facultate mutuam accipiat pecuniam. *Sup. d. 16. C. 17 act. 33.*

Ut variis periculis et incommodis occurratur, prohibet Congregatio omnibus Nostris in virtute sanctae obedientiae: ne quis, sine expressa Superioris facultate, pro se vel pro aliis ab ullo externo mutuam accipiat pecuniam, etiam in pios usus expendendam.

Et, cum fuisset intercessum, standum esse decreto censuit Congregatio.

29, in Ms. act. 21, 24 et 25.

Procuratores Assistentiarum accepti et expensi rationem reddant Assistenti, vel alteri a P. Generali designato. *Vide tamen C. 18 d. 18.* Eorum Regulae conficiantur. *C. 12 d. 56 n. 2.*

Cum quaesitum fuisset, cui Procuratores Assistentiarum rationes accepti et expensi reddere debeant; censuit Congregatio: illos rationes reddere debere proprio Assistenti, vel alteri, quem R. Pater noster designarit; idque inserendum illorum Regulis, quas confici quam primum voluit.

P. Retz Praep. Gen.

1730-31

30, *in Ms. act.* 25.

Nostri possunt, P. Generalis iudicio, omnes Iuris Canonici titulos in Universitatibus publicis legere.

AD tollendum omne dubium, quod circa hoc oriri posset, declarat Congregatio: non esse contra mentem Constitutionum nec Congregationum generalium, ut Nostri, cum Praepositus Generalis in Domino expedire iudicaverit, suscipiant munus docendi sacros Canones in Universitatibus publicis, etiamsi omnes Iuris Canonici materias seu titulos praelegere ac tractare oporteat.

C. 14 d. 20.

31, *in Ms. act.* 25.

Litibus forensibus si quis se immisceat, pro culpae gravitate severe puniendus. *P. 6 c. 2 n. 12. C. 2 d. 56.*

CUM negotia saecularia, quae a nostro Instituto adeo sunt aliena, Nostris omnino fugienda sint atque aversanda; Congregatio, inhaerendo iis, quae tum in Constitutionibus, tum in Congregatione VII, decreto 13, sapienter sancita sunt, statuit: ut, si quis forensibus externorum litibus se immiscere, et tamquam Advocatus aut Procurator, scriptis praecipue et consiliis in iudicio communicatis, alterutram partem tueri ausus fuerit, debitis poenis arbitrio Praepositi Generalis, et, si necessitas urgeat, aliorum Superiorum, decernendis, pro culpae gravitate severe castigetur.

32, *in Ms. act.* 25.

Rector, cum expressa Provincialis facultate, ob causas gravissimas pecuniae depositum admittere potest.

** Reg. 12. C. 12 d. 41, 42. Inf. d. 35. C. 20 d. 7 n. 2. C. 22 d. 26 n. 1.*

CUM Rectoribus regula 64 prohibitum videatur, ne ullum pecuniae depositum admittant, quaesitum fuit: an non liceat Rectori depositum huiusmodi aliquando admittere, saltem cum facultate Provincialis, uti simile quid permittitur Procuratori Provinciae.* Congregatio censuit: posse Rectorem, debitis cautelis adhibitis, tale depositum admittere cum expressa facultate Provincialis, et quando causae gravissimae id suadeant. Immo, si adsint causae ita urgentes, ut moram non patiantur, posse id admittere, etiam ante acceptam illam facultatem; dummodo deinde scribat ad Provincialem causas, ob quas admiserit.

33, *in Ms. act.* 26.

Librorum scriptores non possunt cum bibliopolis contractum inire sine facultate Provincialis.

OB plures ac graves causas decrevit Congregatio: librorum scriptores non posse ullum cum bibliopolis contractum inire sine expressa facultate Provincialis, qui sollicite cavebit, ne violetur decr. 84 Congr. VII, § 3.

34, *in Ms. act.* 27.

Provinciali non licet quemquam eximere a 3.º anno Prob. integre peragendo. *C. 18 d. 22 n. 5. C. 20 d. 12 n. 5. C. 22 d. 44 n. 1.*

DECLARANDUM censuit Congregatio: non licere Provincialibus quemquam eximere a tertio probationis anno integre peragendo; speratque fore, ut R. Pater noster neminem, nisi ob rationes gravissimas, et ab aliqua tantum illius parte, eximat.

35, *in Ms. act.* 29.

Decretum 41 Congr. XII explicatur. *Sup. d. 32.*

QUOD a Congregatione XII decreto 41 statutum fuit, confirmat iterum praesens Congregatio, declaratque: decretum illud non posse eludi eo praetextu, quod, qui utitur in usus proprios et arbitrarios pecunia, de qua ibi fit mentio, sit merus voluntatis alienae exsecutor; pravamque hanc et detortam interpretationem detestatur.

36, *in Ms. act.* 30.

In rebus philosophicis opinandi libertas et nimiae speculationes vitentur.

PLURIUM Provinciarum postulatum fuit: ut Congregatio providere dignetur, ne ex una parte in scholas nostras irrepat nimia in rebus philosophicis opinandi libertas; ex altera vero, ne ad solas speculationes et metaphysicas subtilitates arctarentur ingenia.

Censuerunt PP. Deputati, omnibus satis consultum fore, si statuantur sequentia:

P. Retz Praep. Gen.

1730-31

Permittitur physica amoenior experimentalis ad phaenomena naturae explicanda. C. 17 d. 18. C. 21 d. 17. C. 22 d. 36. C. 23 d. 15.

1. Non adversari, sed optime convenire Aristotelicae Philosophiae amoeniorem illam eruditionem, qua in Physica praecipue particulari, ex mathematicorum principiis et eruditorum experimentis, insigniora naturae phaenomena explicantur et illustrantur.

Philosophia Aristotelis retinenda, P. 4 c. 14 n. 3. C. 18 d. 20.

etiam in naturali Philosophia, non omisso systemate de corporum constitutione. C. 23 d. 15.

2. Cum Societas Philosophiam Aristotelis tamquam Theologiae magis utilem amplexa sit, illi inhaerendum omnino est, iuxta id, quod in Constitutionibus et Ordinatione pro studiis praescribitur. Neque id solum in Logica et Metaphysica, sed in naturali etiam Philosophia, ubi systema peripateticum de corporis naturalis principiis et constitutione omittendum non est.

Novitatum amatores, vel a Philosophia Aristotelis declinantes, a docendi munere amovendi.

3. Si Provinciales aliquos compererint novitatum amatores, vel aperte ab illa Philosophia declinare, vel, quaesitis subterfugiis, illius loco alia placita obtrudere, illos a docendi, munere amoveant, iuxta decretum 41 Congregationis v.

Propositionum proscribendarum elenchus conficiendus. C. 23 d. 16, a.

4. Impense commendatur R. Patri nostro: ut curet in elenchum redigi propositiones, quae a doctrina nobis praescripta magis aberrant, easque a nostris Professoribus tradi aut doceri prohibeat.

Provinciales scribant quotannis ad P. Generalem, num quis hoc decretum violaverit.

Atque hoc Deputatorum iudicium probavit Congregatio, simulque statuit: ut Provinciales quotannis scribant ad Patrem nostrum, num quis hoc praesens decretum violaverit et a Societatis doctrina discesserit.

37, in Ms. act. 35.

De votis Novitiorum videatur declaratio P. Noyelle. C. 2 d. 14.

C. 4 d. 62.

Postulatum fuit, ut declararetur: quaenam esset obligatio votorum, quae a Novitiis nostris ex devotione nuncupari solent. Sed Congregatio censuit: abunde sufficere declarationem, quam hac de re, ex voluntate Congregationis xii, edidit R. P. Carolus de Noyelle, et ad Provincias misit litteris encyclicis 7 Augusti 1683.

Vota haec ne fiant sine facultate Provincialis, et a Novitiis selectis.

Caeterum monendos esse Magistros Novitiorum: ut huiusmodi vota in posterum non emittantur sine facultate Provincialis; et ab iis solum, de quorum virtute et constantia in vocatione satis constet.

38, in Ms. act. 37 et 38.

Praecipua Congregationum decreta seligenda, ut cum monitis generalibus quotannis ad mensam legantur. Ord. Gen. c. 4.

Ut, quae, tum ab ista, tum ab aliis Congregationibus pro communi bono salubriter constituta fuerunt, efficacius exsecutioni mandentur; rogandum censuit Congregatio R. Patrem nostrum: ut pro sua prudentia seligi curet praecipua Congregationum decreta, quae una cum monitis generalibus singulis annis publice in mensa praelegi debeant. Ea vero, quae maioris momenti fuerint, in peculiarem elenchum referri iubeat, ut Provinciae Consultores sub finem cuiusvis anni scholastici scribant ad Patrem nostrum, utrum fuerint exsecutioni mandata.

De eorum executione Consultores Provinciae scribant ad P. Generalem, sub finem anni scholastici.

39, in Ms. act. 39.

Hortatio P. Generalis.

Petiit R. Pater noster: num placeret hac sessione claudi Congregationem; omnibusque ita placere respondentibus, illos hortatus est ad eorum exsecutionem, quae singulari prudentia et consensione animorum admiranda fuerant statuta. Tumque felicem in patriam reditum affectu paterno illis precatus, finem imposuit isti xvi Congregationi generali die 13 mensis Februarii 1731, cui 15 Novembris 1730 dederat initium.

Finis Congregationis.

DECRETA

DECIMAE SEPTIMAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Visconti Praep. Gen.

Causa Congregationis convocandae.

Cum die 19 Novembris 1750 diem obiisset extremum R. Pater noster Franciscus Retz, renuntiatusque fuerit cum potestate Vicarii Generalis R. P. Ignatius Vicecomes, quem ille, scripto a se relicto atque a Patribus Assistentibus recognito, nominaverat; is, de Patrum Assistentium consilio, Congregationem generalem ad novi Praepositi electionem indixit in diem S. Aloisio Gonzagae sacram, 21 Iunii anni 1751. Qua die ex omnibus plane Europae Provinciis adfuere Provinciales seu Vice Provinciales, atque Electores omnes. Quare fuit consequenti die inchoata Congregatio.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1 et 3.

Electio Secretarii electionis,

Postquam vero plenum pronuntiassent Patres atque legitime congregatum Coetum; ad plura suffragia electus est, primum, Secretarius electionis P. Vespasianus Maria Trigona, unus Electorum Provinciae siculae. Tum electi eodem modo sunt: P. Philippus Antonius Orlandi, Elector Provinciae romanae, qui ipso electionis die orationem haberet, et P. Hieronymus Ridolfi, Vice Praepositus in romana Professorum Domo, qui Electores eo die includeret.

Concionatoris, Inclusoris,

Deputatorum pro detrimentis,

Pluribus item secretis suffragiis pro detrimentis recognoscendis ex singulis Assistentiis deputati fuerunt: ex italica, P. Aloisius Centurione, Provincialis Provinciae mediolanensis; ex germanica, P. Gaspar Hoch, Provinciae Rheni superioris Moderator; ex gallica, P. Petrus Claudius Frey, * Praepositus Domus Professae parisiensis, et Provinciae Franciae Elector; ex hispana, P. Alexander Laguna, Provincialis toletanae Provinciae; et ex lusitana, P. Ioseph de Andrade, Provincialis lusitanae Provinciae. Demum delectus Assistens electionis P. Ioannes Antonius Timoni, romanae Provinciae Moderator.

1751

C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.

* de Neuville.

et Assistentis electionis.

2, in Ms. act. 4.

Electio Praepositi Generalis.

Praefinita die 4 Iulii, quae in diem dominicam hoc anno incidit, interiecto de more quatriduo, atque omnibus rite servatis, quae in Formula et Constitutionibus ac Decretis praescribuntur, laudabili animorum consensione, longe pluribus medietate suffragiis, primo scrutinio electus est in Generalem Praepositum R. P. Ignatius Vicecomes. Moxque formatum super ea re decretum, subscriptumque a Secretario ac promulgatum.

3, in Ms. act. 5 et 6.

Electio Secretarii Congregationis et sociorum.

Electus est Congregationis Secretarius idem ipse, qui fuerat electionis, P. Vespasianus Maria Trigona,

P. Visconti Praep. Gen.

1751

cui additi sunt socii: P. Andreas Faget, Rector Collegii burdigalensis et Elector Provinciae Aquitaniae, et P. Gaspar Ioseph Gagna, Rector Collegii taurinensis et Elector Provinciae mediolanensis.

Electio Deputatorum ad postulata. C. 8 d. 1.

Deinde deputati sunt ad postulata secernenda pro quinque Assistentiis: pro italica, P. Ioannes Antonius Timoni, Provinciae romanae Provincialis; pro gallica, P. Leonardus des Plasses, Provinciae Aquitaniae Provincialis; pro germanica, P. Stanislaus Popiel, Provincialis polonae Provinciae; pro hispana, P. Martinus Garcia, Provincialis Provinciae baeticae; et pro lusitana P. Ignatius de Silveyra, Assistens, singuli singulis scrutiniis.

4, in Ms. act. 7 et 8.

Electio Assistentium

Die iam statuta, 11 Iulii, ultima nimirum quatridui capiendis informationibus destinati, omnibus servatis, quae ad Assistentium electionem servari debent, electi sunt Assistentes: pro Italia, P. Aloisius Centurione, Provincialis mediolanensis Provinciae, primo scrutinio; pro Germania, P. Leonardus Tschiderer, tertio scrutinio; pro Gallia, P. Ioseph Ioachim de la Grandville, primo scrutinio; pro Hispania, P. Petrus de Céspedes, secundo scrutinio; qui tres hoc eodem munere proxime ante functi fuerant, quique omnes iuramentum pro more praestiterunt: pro Lusitania, secundo scrutinio, P. Ioannes de Gusmao, Rector Collegii scalabitani, absens.

Vocatis Secretario Soc. et Procuratore Gen., eligitur Admonitor.

Tum vocati sunt ad Congregationem P. Ioannes Scotti, Secretarius Societatis, et P. Ioseph Augusti, Procurator Generalis. Postremo electus est primo scrutinio Admonitor P. Ignatius de Silveyra, qui fuerat Lusitaniae Assistens.

5, in Ms. act. 19.

Procurator Gen., si Professus, et ex Prov. romana, eique iure professionis competat, Congr. prov. ingrediatur intra numerum.

Petitum fuit: an Procurator Generalis, si Professus fuerit, et ex romana Provincia assumptus, eique iure professionis competat ingredi Congregationem provincialem, ingredi debeat intra numerum praescriptum a canone 16 Congregationis v, ut statuit Congregatio vi, decreto 25, § 11; an vero extra eum numerum, ut statuere videtur Congregatio viii decreto 48. Post accuratam hac super re discussionem, censuit maiori ex parte Congregatio: Procuratorem Generalem in casu exposito ingredi debere intra numerum, iuxta citatum decretum Congregationis vi, nec obstare decretum Congregationis viii, in quo sermo esse videtur de Procuratore, aut ex diversa a romana Provincia assumpto, aut ad Congregationem accedente iure sui muneris, non professionis.

6, in Ms. act. 18 et 20.

Qui gravi infamia notatur, nec ad Congr. prov. vocari, nec ab ea eligi potest.

Is, qui gravem poenam sustinuit a Superioribus Societatis impositam ob gravem culpam, cui gravis infamia adnexa est, etiamsi poenam absolverit, si tamen adhuc durat gravis infamia, censendus est ita impeditus, ut nec vocari possit ad Congregationem provincialem, nec ab ea in Procuratorem aut Electorem eligi. Porro de hoc impedimento gravis infamiae, perseverantis post expletam poenam, iudicent ii, qui de impedimentis iudicare debent; ut de incarceratis deque iis, qui actu subeunt poenam gravem a Superioribus Societatis, statuit Congregatio xvi decreto 12.

7, *in Ms. act. 28.*

Non exspirat Provincialis auctoritas, nisi cum inchoatur auctoritas successoris, a die authenticae renuntiationis,

Quitensis Provinciae nomine postulatum fuerat: an eius Provinciae Moderator, post triennium aut quadriennium suae gubernationis expletum, regere nihilominus Provinciam debeat cum nomine et praerogativis Provincialis, si successor, adhuc iam publice renuntiatus, utpote vel extra Provinciam exsistens, vel longinquis missionibus occupatus, nondum acceptavit, aut eum acceptasse non constat; vel si, reseratis sequentis gubernationis litteris, ii, qui nominati sunt, mortem obierint. An vero in iis casibus Provincialis, qui quadriennium absolvit, gubernare interim debeat instar Vice Provincialis, ac proinde in provincialibus Comitiis iure passivo gaudeat.

Censuit Congregatio: nihil hac super re novi statuendum, sed standum iuri antiquo pro universa Societate statuto, cum nihil peculiare statutum sit pro ea Provincia. Ex nostro autem iure constat: quod non exspiret antecessoris auctoritas, nisi cum inchoatur auctoritas successoris; nec auctoritas huius inchoatur, nisi a die authenticae renuntiationis, ex canone 20 Congregationis VIII. Cum ergo in casibus in postulato expositis successor dici non possit authentice renuntiatus; declarat Congregatio: antecessorem in casibus, vel expleto quadriennio, perseverare in munere Provincialis, nisi aliter in litteris novae designationis cautum sit a R. Patre nostro, ac proinde, eum privari iure passivo in provincialibus Comitiis. Declarat nihilominus Congregatio: quod non intendat decreto isto quidquam detrahere R. Patris Generalis auctoritati.

C. 8 d. 48 can. 20. C. 9 d. 10. C. 19 d. 9.

nisi aliter a P. Generali cautum sit,

cuius auctoritati nihil hoc decreto detrahitur.

8, *in Ms. act. 31.*

Potestas iudicandi de Assistentium et Admonitoris inhabilitate est penes Praepositum Generalem.

Cum dubitaretur, penes quem sit potestas iudicandi de inhabilitate Assistentium aut Admonitoris, si quando ob gravem infirmitatem aut senium rebus sui muneris vacare non possint; ut, si absolutionem a munere ipsi opportune non petierint, possit ac debeat Praepositus Generalis, ad ea detrimenta vitanda, quae Societati universae obvenire possent ex eorum inutilitate diutius tolerata, alios in eorum locum, servata iuris nostri forma, substituere; declaravit Congregatio: potestatem hanc esse penes Praepositum Generalem, servata iuris nostri forma; quemadmodum ad ipsum spectat iudicare de Assistentis indignitate, ut colligitur ex decreto 87 Congregationis primae.

C. 3 d. 42. C. 4 d. 24.

9, *in Ms. act. 16 et 17.*

Omni Superiore deficiente in aliquo Collegio vel domicilio Europae, iurisdictio spiritualis et quoad disciplinam domesticam est penes Sacerdotem antiquiorem ab ingressu in Religionem. *C. 8 d. 20. C. 12 d. 53.*

Si aliquando contingat quacumque ex causa, ut nullus sit in Collegio aliquo vel domicilio designatus Superior; statuit Congregatio: Superioris iurisdictionem (spiritualem, scilicet et quoad externam domesticam disciplinam, non vero quoad gravia negotia peragenda, aut conficienda instrumenta) remanere penes Sacerdotem antiquiorem, ducta antiquitate ab ingressu in Religionem. Idque donec Provincialis admonitus (statim autem moneri debet ab ipso antiquiore Sacerdote) provideat.

Quoad Provincias extra Europam Generalis providet.

Declarat autem Congregatio, exemplo Congregationis IV, decreto 56, non comprehendi praesenti decreto nisi Provincias intra Europam, earumque Collegia ac domicilia. Porro, quoad Provincias et Collegia extra Europam, providentiae R. Patris nostri commisit, ut, auditis hac in re ratio-

P. Visconti Praep. Gen. 1751

nibus et variis earum Provinciarum usibus, cuique earum praescriberet, quae, omnibus pensatis, utiliora ac magis opportuna fore in Domino iudicaverit.

10, in Ms. act. 21.

Expediti ad profitendum numquam non expeditos exspectent. *C. 7 d. 75. C. 9 d. 42. C. 11 d. 81. C. 18 d. 9, 10. C. 14 d. 19. C. 16 d. 20.*

Qui sunt proxime expediti ad profitendum, numquam exspectare debent non expeditos, ex quavis causa proveniat ut hi non sint proxime expediti, sive ex parte ipsorum, sive ex parte alterius, sive etiam quia ex oblivione missae de iis non fuerint opportuno tempore informationes ad Patrem nostrum. Et servandus semper est inter eos ordo a tempore emissae professionis, ut in simili statuitur a Congregatione XII decreto 11.

Servandus inter eos ordo emissae professionis.

11, in Ms. act. 14.

Nulli concedenda facultas administrandi bona, nisi ex gravi necessitate et sub statutis conditionibus. *C. 7 d. 17. C. 10 d. 2. C. 12 d. 36.*

Cum tot sanctionibus prohibita sit Nostris administratio bonorum, etiam eorum, quae quis Societati donavit; ut puritati nostrae paupertatis consulatur, atque iis incommodis, quae ex huiusmodi administratione oriri possent, obviam eatur, censuit Congregatio: commendandum impense R. Patri nostro, ut difficilem se praebeat in concedenda alicui Nostrorum facultate administrandi bona eiusmodi. Et, si quando ad id gravis necessitas urgeat, non concedat, nisi ad statum tempus, et cum obligatione reddendi rationem huiusmodi administrationis immediato Superiori, nisi alium destinarit R. P. Generalis.

12, in Ms. act. 9, 10, 23, 24 et 25.

Praecepta a P. Generali imposita durant ipso mortuo, donec a successore vel a Congr. gen. revocentur. *C. 4 d. 3. C. 7 d. 72. C. 9 d. 12.*

Mens Societatis fuit et est: ut praecepta a Praepositis Generalibus, sive toti Societati, sive particularibus Provinciis, sive etiam domiciliis imposita, durent, mortuo etiam Generali, donec a Praeposito Generali aut a generali Congregatione revocentur; quod ipsum, post accuratam discussionem, ad avertendam dubietatem omnem, si qua umquam oriri possit hac super re, declarat praesens Congregatio, et, quatenus opus est, praesenti decreto statuit, conferens, si opus sit, praeceptis illis vim, ut ita permaneant, donec dicto modo revocentur.

Intercessioni non defertur.

Unus huic decreto intercessit; verum Patres censuerunt intercessioni non deferendum, sed standum decreto.

13, in Ms. act. 29, 30, 31 et 32.

Urgeatur exsecutio eorum, quae circa studia ordinata sunt.

Ad varia Provinciarum postulata de studiis, generatim respondit Congregatio ex iudicio Deputatorum: satis provisum esse in Constitutionibus, Ordinationibus, Ratione Studiorum et Decretis Congregationum; urgendam esse dumtaxat exsecutionem.

Etiam in Physica retineatur systema Aristotelis, cui optime convenit Physica amoenior et experimentalis. *C. 23 d. 15.*

Quoad ipsa vero studia philosophica, de quibus praesertim agebatur, speciatim responsum est: abunde provisum esse in decreto 36 Congregationis XVI, quod confirmat praesens Congregatio, siquidem mediam et temperatam viam tenet inter utrumque extremum; nam statuit: etiam in Physica generali docendum esse et propugnandum systema Aristotelis; et huic optime convenire Physicam amoeniorem et experimentalem.

Cautiones adhibendae: tradantur accurate quaestiones, quae viam complanant ad Theol. Schol.:

Verum, ne qui irrepant abusus ex occasione amoenioris istius Philosophiae, praesens Congregatio has cautiones approbat et praescribit. Prima est, ut in Philosophia tradantur accurate quaestiones et notiones, quae, licet theologicae non sint nec esse debeant, viam tamen complanant et muniunt ad Theologiam Scho-

P. Visconti Praep. Gen. 1751

in Physica retineatur methodus syllogistica; parce attingantur quae proprie Mathesim spectant.

lasticam. Secunda, ut in istis quaestionibus et disputationibus Physicae experimentalis retineatur methodus syllogistica, nec excurratur in longiores aut mere historicas narrationes. Tertia, ut parce, et quantum necesse est ad quaestiones vere physicas, attingantur ea, quae Mathesim directe ac proprie spectant.

14, in Ms. act. 19.

Patri nostro fit facultas dissolvendi parvum Coll. et Resid. *C. 11 d. 16.*

AD petitionem Provinciae venetae, facta est R. Patri nostro facultas dissolvendi parvum Collegium et Residentiam, si, et quando ipsi visum fuerit id ad maius DEI obsequium et Societatis bonum profuturum.

15, in Ms. act. 26.

Typis mandetur elenchus omnium praeceptorum totam Societatem obligantium; quae in eo non continentur abrogata censenda sunt. *C. 8 d. 28. C. 9 d. 24.*

ANNUENS Congregatio postulato plurium Provinciarum, permisit: ut typis mandaretur elenchus omnium praeceptorum totam Societatem obligantium; ita ut intelligantur, quaecumque alia eiusmodi praecepta totam Societatem obligantia in eo non contenta, aut numquam exstitisse, aut hoc ipso esse abrogata.

16, in Ms. act. 28.

Dispensatur, ut Professus possit constitui Procurator Generalis. *C. 18 d. 21. C. 19 d. 5. C. 21 d. 7. C. 23 d. 43 n. 1.*

PETIIT a Congregatione R. Pater noster: num expediret, manentibus in suo vigore Constitutionibus, Procuratorem Generalem constituere quatuor votorum Professum; cum in praesentia non occurrat non Professus ad id muneris idoneus. Necessitati serviendum rati Patres, responderunt: expedire; idque exemplo Congregationis XII, decreto 29.

17, in Ms. act. 34.

Decretorum recognitio et approbatio Patri nostro et Assistentibus demandatur. *C. 11 d. 36. C. 14 d. 28. C. 18 d. 23. C. 19 d. 12. C. 21 d. 28. C. 22 d. 45. C. 23 d. 43 n. 6.*

NE nimium protraheretur Congregationis solutio, cum gravi incommodo ac periculo eorum, quibus iter erat in remotissimas Provincias, visum est Patribus: abstinere a lectione Decretorum, quibus extrahendis perpoliendisque plurium dierum opus impendendum esset. Quare, exemplo aliarum Congregationum generalium, R. Patri nostro et Patribus Assistentibus demandata est cura, ut eiusmodi Decreta, a Secretario Congregationis extracta, recognoscerent, eaque ipsius Congregationis nomine approbarent.

18, in Ms. act. 34.

Hortatio P. Generalis.

CUM omnia a Congregationis Formula praescripta absoluta esse viderentur; petiit R. Pater noster: num placeret finem Congregationi imponere. Cumque Patres unanimi consensu placere dixissent, R. Pater noster, felicem omnibus in suas Provincias reditum precatus, eos ad exactam observantiam eorum, quae sapientissime constituta sunt, est hortatus.

Finis Congregationi imponitur.

Atque, gratiis D. O. M. beataeque Virgini DEI Parenti, ac beato Patri nostro Ignatio persolutis, dimissus est Coetus die quinta Septembris, cui initium fecerat dies vigesima secunda Iunii eiusdem anni 1751.

DECRETA

DECIMAE OCTAVAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Centurione Praep. Gen.

* 1755.

Causa Congregationis convocandae.

Dies 4 Mai * R. P. N. Ignatio Vicecomiti supremus fuit, necdum expleto anno administratae Societatis quarto; eodemque die, ex relicta ab eo schedula, Generalis Vicarius renuntiatus est R. P. Aloisius Centurionus, Assistens Italiae. Hic vero, post consultos rite PP. Assistentes, generalem Congregationem indixit in diem Novembris 17.

Non exspectati absentes.

At desiderabantur dumtaxat die praestituto Patres tolosani, quos dubium non erat quamprimum esse adventuros; ac praeterea P. Franciscus Xaverius Idiaquez, Elector castellanae Provinciae, Taurini aegrotans, cui a sua Provincia P. Ioseph Zubimendi, degens Romae, substitutus erat. Cum igitur caeteri omnes Europae Provinciales, aut pro his Vice Provinciales, Electoresque, inter quos peruani duo, in Urbe iam adessent; postridie eius diei, et initium Congregationi factum ex unanimi istorum sententia, et adventu Patrum tolosanorum expletus est omnium numerus.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1 et 3.

Electio Secretarii electionis,

Cum declaratum esset: Congregationem esse plenam ac legitimam; ad plura ac secreta suffragia, primum, electionis Secretarius delectus est P. Paschalis de Matthaeis, Rector Collegii maximi neapolitani. Deinde, ad concionem habendam quo die electio fieret, P. Laurentius Ricci, Elector romanae Provinciae; ad includendos vero eodem die Electores, P. Ioannes Antonius Timoni, Vice Praepositus Domus Professae romanae.

1755-56

Concionatoris,

Inclusoris,

Tum deputati sunt quinque ad detrimenta recognoscenda, videlicet: ex Assistentia italica, P. Dominicus Turanus, Elector Provinciae siculae; ex gallica, P. Mathurinus Germanus le Forestier, Provincialis Franciae; ex germanica, P. Gaspar Hoch, Provincialis Rheni superioris; ex hispanica, P. Salvator Osorio, Provincialis castellanae; ex lusitanica, P. Antonius Cabral, Vice Provincialis Lusitaniae.

Deputatorum ad detrimenta, *C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.*

Electus est denique primo die quatridui Assistens electionis P. Hieronymus Ridolfi, Provincialis romanus.

et Assistentis electionis.

2, in Ms. act. 4.

Die 30 Novembris, S. Andreae Apostolo sacra, quae Dominica fuit Adventus prima, et iam ante electioni condicta, cum servata essent ad amussim omnia, quae ex Constitutionibus ac Decretis Formula praescribit, longe pluribus dimidia parte

Electio Praepositi Generalis.

P. Centurione Praep. Gen.

suffragiis, scrutinio altero, electus est in Praepositum Generalem P. Aloisius Centurionus, ianuensis; ac statim a Secretario confectum ea super re decretum, subscriptumque ac promulgatum est.

3, in Ms. act. 5.

Eligitur Secretarius Congregationis, idem qui electionis; cui adduntur duo socii.

Post constitutum Congregationis Secretarium P. Paschalem de Matthaeis, qui hactenus Secretarius electionis fuerat, additi sunt illi socii P. Antonius Massarini, Elector Provinciae venetae et Rector Collegii bononiensis S. Luciae, ac P. Andreas Wagner, Elector Poloniae et Rector Domus Probationis cracoviensis.

Electio Deputatorum ad postulata. *C. 8 d. 1.*

Tum ad postulata secernenda deputati quinque sunt: nempe ex Italia, P. Laurentius Massonus, Provincialis mediolanensis; ex Gallia, P. Ignatius Henricus S. Martin, Provincialis tolosanus; ex Germania, P. Georgius Hermann, Provincialis Germaniae superioris; ex Hispania, P. Ioseph Velasco, Provincialis toletanus; ex Lusitania, P. Petrus da Serra, Elector Lusitaniae.

4, in Ms. act. 6.

Electio Assistentium. *C. 8 d. 2.*

Die 8 Decembris, B. Virgini sine labe conceptae sacra, et quatridui capiendis informationibus addicti ultima, scrutiniis secretis, ad suffragia medietate plura, Assistentes electi sunt, excipientibus ad suffragationes singulas duobus Patribus Secretarii sociis in urnam obseratam suffragia Electorum domi aegrotantium. Atque Italiae quidem Assistens electus est P. Ioannes Scotti, Secretarius Societatis, tertio scrutinio; Germaniae, P. Antonius Vanossi; Galliae, P. Ludovicus Franciscus le Gallic, uterque eo munere proxime defunctus, et uterque scrutinio primo; Hispaniae, tertio scrutinio, P. Franciscus Xaverius Idiaquez, Elector castellanae Provinciae, absens, et adhuc Taurini in itinere morbo detentus; Lusitaniae denique, primo scrutinio, P. Ioannes de Gusmao, eo munere nuper functus.

Unus ex eis, absens, vocatur cum Procuratore Generali, post electos omnes Assistentes. *C. 20 d. 4.*

Et cum dubitari coeptum esset: an P. Ioannes Scotti, statim atque electus est, arcessendus esset ad praestandum pro more iuramentum; exemplo Congregationis XI decreto 10, et Congregationis XIV decreto 3, censuere omnes advocandum non esse, nisi post electiones omnium Assistentium. Itaque, iis peractis, accitus est cum P. Iosepho Augusti, Procuratore Generali. Ac tum ipse, tum electi Assistentes caeteri, singillatim procumbentes ante Crucifixi imaginem, quae in mensa erat, ubi R. P. Generalis assidebat, iuramentum dixere verbis ex Formula conceptis.

Electio Admonitoris Generalis. *C. 8 d. 2.*

In eamdem denique formam creatus Admonitor fuit P. Petrus de Céspedes, qui proxime Assistens Hispaniae fuerat.

5, in Ms. act. 12 et 13.

Novus Italiae Assistens eligitur, priore defuncto.

E vivis sublato P. Ioanne Scotti post dies quindecim, quam Italiae Assistens a Congregatione dictus fuerat, constitutus est electioni successoris dies 29 Decembris. Eoque die per secreta suffragia, ac dimidia parte plura, sublectus est scrutinio altero Italiae Assistens P. Vespasianus Trigona, Provincialis Siciliae; qui mox iuramentum praestitit Formula praescriptum.

6, in Ms. act. 13.

Patri nostro fit facultas redigendi Collegii cuiusdam

Quod Provincia romana postulaverat: uti Collegium tusculanum redigeretur ad Residentiae formam,

P. Centurione Praep. Gen.

ad Residentiae formam. C. 2 d. 25. C. 8 d. 7.

quam subinde obtinuerat, hoc exposcente redituum tenuitate aerisque alieni summa in dies aucta; Congregatio censuit arbitrio Patris nostri id committendum esse, qui, omnibus mature expensis, constituat quod e re Societatis fore videbitur.

7, in Ms. act. 18, 19 et 20.

Facultas excurrendi extra Domos, et rusticandi apud externos, a quo et quomodo concedenda.

Quo accuratior et par ubique in Societate sit exsecutio decreti 25 Congregationis XVI, quod haec Congregatio existimavit momenti esse gravissimi, declarandum censuit: non licere Superioribus localibus, inconsulto Provinciali, facultatem concedere excurrendi extra Domos nostras et rusticandi apud externos, si apud eos pernoctandum sit. Quod si quando causae urgentissimae, quae rarae sunt, id omnino exigant, et socium semper adiungant, et rem totam Provinciali quamprimum significent.

8, in Ms. act. 16 et 17.

Praepositus Gen., etiam in Congr. gen. et in secretis scrutiniis, duo semper suffragia habet;

An Praepositus Generalis, non modo ubi publice res in Congregatione tractantur, sed in electionibus etiam, duo haberet suffragia, nonnihil dubii obortum erat; cum nusquam disertis vocibus id praescriptum esset, et praerogativa praecedendi, caeteris paribus, illius suffragiis adiuncta in Formula Congregationis generalis cap. 7, § 58, videretur publica tantum suffragia indicare. Congregatio, ne id genus dubii exstaret in posterum, inspectis accurate omnibus Constitutionum ac Decretorum locis, declaravit: Praeposito Generali duo semper suffragia, etiam in generali Congregatione, competere, sive secreta suffragatio sit, sive publica; quod si publica est, illum habere praeterea praerogativam praecedendi in pari suffragiorum numero. Idque decrevit explicandum esse apertius in Formulae § 58; ut ubi legitur: *in illa autem ipse duo suffragia habet,* in nova editione addatur: *in secretis etiam scrutiniis.*

P. 8 c. 3 n. 2. C. 1 d. 8. C. 11 d. 8.

et in publicis praerogativam praecedendi in pari suffragiorum numero.

1755-56

9, in Ms. act. 20.

Explicatio decr. 10 Congr. XV de suffragiis persolvendis iis, qui obeunt in itinere maritimo, vel cum ex Indiis in Europam veniunt. C. 3 d. 40.

Ad Congregationem Patres Deputati retulerant de vocibus quibusdam dubiis in decreto 10 Congregationis XV, quod novo Missarum catalogo inserendum est. Eorumque auditis responsis, approbavit Congregatio, quae sequuntur:

1. Ut suffragia ex eo decreto in duabus Provinciis facienda pro iis, qui *in itinere maritimo* vita funguntur, praescripta intelligantur pro iis solum, qui funguntur vita *in itinere indico;* itaque exprimi debere.

2. Ut in eodem catalogo explicetur: eos, qui ex Indiis in Europam appulere, nec alicui Provinciae Europae sunt addicti, frui debere suffragiis, tum Provinciae, in qua moriuntur, ex decreto 10 Congregationis XV, tum eius in India Provinciae, ad quam spectant, et Ord. Gen. cap. 2, § 3.

10, in Ms. act. 13, 14, 19 et 20.

Poloniae et Lithuaniae conceditur proprius Assistens. Inf. d. 15.

Cum in Poloniae ac Lithuaniae regno tantopere aucta esset Societas, ut ob ingentem Collegiorum numerum locorumque distantiam singulae illae Provinciae quamprimum dividendae essent in binas, prout R. P. Generalis ex unanimi PP. Assistentium sententia constituerat; eaedem id enixe postulabant: uti, quod ante annos centum Congregatio X, ab ipsis rogata, distulerat, proprium earum Provinciarum Assistentem, haec denique Congregatio decerneret ac tri-

C. 10 act. 21-23, 40-45, 47

P. Centurione Praep. Gen. bueret, cum omnia in praesens concurrere viderentur, quae iuxta Constitutiones suadere possint, ut Assistens a caeteris distinctus pro iis Provinciis constituatur. Ea igitur re diu multumque perpensa ac discussa *C. 3 d. 13.* in utramque partem, secreto denique, uti statutum fuerat, scrutinio, eoque suffragiorum numero, qui duas tertias partes excessit, decretum est: *C. 2 d. 20. C. 6 d. 1. C. 22 d. 11.* Poloniae ac Lithuaniae Assistentem proprium, reliquis quinque omnino parem, esse concedendum.

11, in Ms. act. 22 et 25.

Formula Congr. gen. explicata et aucta. Plura esse loca videbantur in Formula Congregationis generalis vel explicanda vel augenda; de quibus, postquam Patres Deputati iudicium tulere, ita Congregatio constituit:

De suffragiis. C. 2 d. 80. 1. Ut in § 10, ubi praescribitur: *Suffragia autem in electione Secretarii videbunt, etc.*, sic sententia augeatur, ac pergat: *Suffragia autem, quae in quolibet secreto scrutinio prius elata voce numeranda sunt, in electione Secretarii videbunt duo antiquiores Professi una cum Vicario, iuxta decretum 7 Congregationis* x. *Quod si paritas sit suffragiorum, tres ipsi denuo secreta ferent suffragia inter eos, qui paria habuerint; et qui duo habuerit ex iis, Secretarius erit. Idemque servetur in eligendo Assistente electionis, iuxta Const. part. 8 cap. 6,* D. *Et universe in quavis secreta suffragatione inspicient suffragia cum Praeside Congregationis duo illi, qui tum ad eius dexteram assident ac sinistram. In hac autem electione, etc.*

De secreto servando a Deputatis ad detrimenta. 2. Ut haec attexantur ad calcem § 15: *Congregatio* XIV, *decreto 11 statuit, ut praeceptum obedientiae, impositum Patribus Deputatis ad detrimenta cum Praeposito Generali a Congregatione* V, *decreto 3, (ne, scilicet, quis eorum, ad quem fuerit aliquid delatum, manifestet quovis modo, directe vel indirecte, personam deferentem, nec Congregationi ipsi, nec ulli prorsus, sive de Congregatione sive extra Congregationem, neque ulli Collegarum suorum, nisi ipso, qui detulerat, volente,) extendatur ad Vicarium Generalem, ad Secretarium et ad omnes, qui, sive iure suo, sive consilii causa, vel ante vel post electionem, ad eam Deputationem admissi, habebunt quovis modo notitiam delatoris.* **1755-56**

De electione Assistentis electionis. C. 2 d. 80. 3. Ut in § 26, post ea verba: *eligatur Assistens electionis*, sic sententia procedat: *per scrutinium secretum, videntibus suffragia Vicario et duobus Professis antiquioribus, ac servatis reliquis, quae supra, § 10, dicta sunt in electione Secretarii.*

De quatriduo ante electionem. 4. Ut in § 28, ubi legitur: *in eodem quatriduo omnes electores*, etc., interiiciatur particula taxativa hoc pacto: *in eodem dumtaxat quatriduo*, etc., cum id consonet Const. part. 8, cap. 6, § 1, et Congr. II decr. 89.

De Praeside electionis. 5. Ut in § 53, post eas voces: *et electioni praesidebit*, intra parenthesim addatur: *(quo praesidendi iure gaudebit etiam ex Assistentibus professione antiquissimus, iuxta decr. 10 Congr.* X, *si contingat Vicarium e vivis decedere, quando iam advenere omnes Electores, vel duae tertiae illorum partes).*

De Deputatis ad postulata. 6. Ut initium § 62 sic efferatur: *Item deputandi sunt Patres e singulis Assistentiis, singuli ad plura ac secreta suffragia, maxime*, etc. Ac similis locutio servetur, ubicumque fit quinque Assistentiarum mentio.

12, in Ms. act. 22.

Addenda Formulae ad elig. Vicarium. In Formula ad eligendum Vicarium, ex iis, quae in medium allata erant, atque a Patribus Deputatis

P. Centurione Praep. Gen. 1755-56

De suffragiis numerandis.

recognita, haec addenda esse decrevit Congregatio :

1. In § 5, post eas voces : *ad plura suffragia,* addendum esse : *elata voce numeranda, sicut et in quolibet alio scrutinio secreto, prius quam palam legantur, quae Praeses* etc.

De socio Secretarii.

2. In eodem § 5, ad ea verba : *et reliqua scribenda ipsum adiuvet,* haec esse adnectenda: *et suffragia in electione Vicarii una cum Praeside et Secretario inspiciat.*

De impari suffragiorum numero.

3. Paragraphus 8, hac adiecta sententia, concludatur : *Si quando vero suffragiorum numerus fuerit impar, servetur quod in electione Generalis statuitur § 48 Formulae Congregationis generalis.*

13, in Ms. act. 22.

De suffragiis in Congr. Proc. numerandis et videndis. *C. 5 d. 60, 75. C. 6 d. 26 n. 1. C. 7 d. 10, 71, C. 14 d. 6.*

In Formula Congregationis Procuratorum, § 5, post ea verba : *ad plura suffragia,* statutum est, ut sententia sic pergat: *quae Generalis cum duobus antiquissimis Professorum ex Patribus congregatis videbit, postquam tamen clara voce numerata fuerint, sicuti faciendum est in suffragatione de cogenda vel non cogenda Congregatione generali. Electus, etc.*

14, in Ms. act. 22 et 25.

Formula Congr. prov. declarata et aucta.

Censuit Congregatio haec subinde in Formula Congregationis provincialis addenda ac declaranda esse :

De suffragiis numerandis.

1. Ad ea verba § 18 : *videnda erunt,* haec attexantur : *sed antea, tum in hac, tum in aliis suffragationibus secretis, elata sunt voce numeranda.*

De iure suffragii Secretarii Soc. et Procuratoris Gen.

2. Quae § 8 statuta erant de Secretario Societatis et Procuratore Generali, deinceps, iuxta decretum 16 Congregationis XIV, et decretum 5 Congregationis XVII, sic efferantur : *At Secretarius ipse, qui, modo sit Professus, excludi ab hac Congregatione numquam debet, semper ingredietur cum suffragio activo, sed supra numerum, quando eam antiquitatem professionis non habet, ut ei locus intra numerum debeatur; passivum vero ex Congregationis XIV decreto 16 habebit eo pacto, quo supra a Congregatione VIII Revisoribus, aliisque universae Societati operam navantibus, tributum fuit. Procurator Generalis supra numerum suffragium habebit, nisi sit ex Professis antiquioribus Provinciae romanae; tum enim iure professionis intra praescriptum numerum ingredietur, ex decreto 5 Congregationis XVII.*

De suffragiis videndis.

3. Post initium § 18, ea verba: *quae a Provinciali et antiquiore Professo videnda erunt,* ita immutentur : *quae a Provinciali et duobus antiquioribus Professis videnda erunt.*

Similiter mox ita efferendum erit : *Videantur suffragia a Provinciali et Secretario, et ab altero ad sinistram assidente.* Et post pauca : *Et in universum in eiusmodi Congregatione nulla sunt publicanda suffragia, quae a tribus visa non fuerint; nec obstat decretum 12 Congregationis X.*

De suffragio Provincialis. *C. 6 d. 35 n. 8.*

4. In § 19, ubi de Provinciali sic statuitur : *et quoties in rebus tractandis paria fuerint suffragia, qualitatem praecedendi ;* sententia ita expleatur : *et quoties, seu in rebus tractandis, seu in impedimentis discutiendis paria fuerint suffragia, qualitatem praecedendi,* etc.

De tempore postulata admittendi.

Et sub finem eiusdem § 19, ubi legitur: *post diem unum vel alterum ab eo, in quo facta est electio,* legatur : *post diem unum vel alterum exclusive ab eo, in quo facta est electio.*

15, in Ms. act. 24.

Electio Assistentis primi Poloniae et Lithuaniae *Sup. d. 10.*

Electio Assistentis Poloniae et Lithuaniae condicta fuerat in diem 21 Ianuarii, S. Agneti V. et M. sa-

P. Centurione Praep. Gen. — 1755-56

crum. Eoque die, qui postremus erat quatridui ad informationes designati, servatis rite omnibus, quae Formula praescribit, creatus est earum Provinciarum primus Assistens, scrutinio altero, P. Thomas Dunin, absens, Rector Collegii callissiensis in Archidioecesi gnesnensi; cui electioni interfuit P. Procurator Generalis, at suffragium non tulit.

C. 3 d. 44. C. 11 d. 28. C. 22 d. 9.

16, in Ms. act. 25.

Professi, applicati Provinciae ante indictam Congr., admittendi in Congr. prov. intra numerum cum utroque suffragio, si statuta antiquitate professionis gaudent. *C. 6 d. 19 n. 2. C. 22 d. 22 n. 4. Inf. d. 17.*

Quaesitum fuerat, ut diserte statueretur: quandonam Professi, ad tempus applicati uni alicui Provinciae ante Congregationem indictam, ingredi debeant eius Provinciae Congregationem intra numerum, et cum utroque suffragio. Responsum Patrum Deputatorum Congregatio confirmavit: eos nempe Professos, quos certo constiterit illi Provinciae ante indictam Congregationem applicatos, etiam ad tempus, fuisse, si statuta professionis antiquitate gaudent, debere intra numerum ingredi Congregationem, et cum suffragio utroque; excepta solum romana Provincia, in cuius Congregatione, ex decreto 6 Congregationis xv, istiusmodi Professi, ad tempus ei Provinciae addicti, suffragium habent dumtaxat activum.

Sed hi in Prov. romana suffragium dumtaxat activum habent.

Idem ius habent applicati ad tempus mutuo Provincialium consensu.

Et, instante uno ex Patribus Congregatis, ut declaretur: an hoc ius competat iis solum Professis, qui alicui Provinciae applicati sunt ad tempus voluntate R. Patris nostri, de quibus sermo est in decreto 59 Congregationis vii, et in decreto 33 Congregationis ix; an vero competat etiam iis, qui mutuo Provincialium consensu ad obeunda propria alterius Provinciae munia applicati ad tempus fuerint, iuxta regulam Provincialis 112 et decretum 60 Congregationis vii, placuit longe maiori parti Congregationis: utrovis modo alicui Provinciae Professi applicati sint, eodem iure esse censendos.

17, in Ms. act. 25.

Censentur applicati Provinciae ante indictam Congregationem, si dies litterarum applicationis antecedat diem indictae Congregationis.

Quaesitum rursus fuerat: qua certa et indubia nota dignosci possit, an ante, an post Congregationem indictam aliquis ex Professis addictus uni Provinciae fuerit; cum diversa sit indictio, vel generalis Congregationis, vel Procuratorum, vel provincialis. Atque ex Patrum Deputatorum sententia declaravit Congregatio: eos Professos censendos esse alicui Provinciae applicatos ante indictam Congregationem, de quibus constet, diem litteris applicationis adscriptum antecedere diem indictae in ea Provincia Congregationis; eos vero putandos esse applicatos post indictam Congregationem, de quibus constiterit, diem datae epistolae, qua Provinciae addicti sunt, subsequi diem Congregationis in ea Provincia indictae, sive eligendi in illa sint, qui ad generalem, sive qui ad Procuratorum Congregationem mittantur.

18, in Ms. act. 26.

Regulae Procuratoris Assistentiae approbantur emendatae.

Regulas Procuratoris Assistentiae, ex decreto 29 Congregationis xvi confectas, cum recognovisset Congregatio, exsecutioni mandandas esse decrevit, suoque loco inter alias peculiarium munerum Regulas esse collocandas. In decreto autem 29 Congregationis xvi, ubi statuitur: *illos rationes reddere debere proprio Assistenti, vel alteri quem R. Pater noster designarit,* expuncta disiunctione, reponendum esse: *illos rationes reddere debere proprio Assistenti*, prout eorum regula 14 praescribit.

P. Centurione Praep. Gen.

1755-56

19, *in Ms. act. 26 et 27.*

Assistenti Hispaniae abdicanti munus, novus Assistens subrogatur.

Cum P. Franciscus Xaverius Idiaquez, postquam renuntiatus erat Hispaniae Assistens, ad Urbem se contulisset, in Congregatione multa excusavit, quo minus parem se fore arbitraretur labori eius muneris, cuius abdicationem idcirco rogabat, ut Congregatio comprobaret: re in deliberationem adducta, rogatisque, eo excluso, Patrum suffragiis, visum est: iustas esse abdicandi causas, et abdicationem ratam esse habendam. Itaque praestitutus est dies perendinus, 28 Ianuarii, quo alius Hispaniae Assistens subrogaretur. Quo die, secretis ac multo pluribus media parte suffragiis, electus est secundo scrutinio P. Petrus de Céspedes, Admonitor, eo munere nuperrime defunctus; qui mox praescriptum ex Formula iuramentum dixit.

C. 10 d. 17.

20, *in Ms. act. 15 et 27.*

Elenchus P. Piccolomini recudendus non officit facultatibus quarumdam Provinciarum. *C. 11 d. 22. C. 28 d. 16, a.*

Cum postularetur a Congregatione: an in nova, quae paratur Instituti nostri editione, elenchus R. P. Piccolominei sit recudendus; e sententia Patrum Deputatorum, quibus id discutiendum commiserat, Congregatio respondit: elenchum illum, ut antehac fuit, recudendum quidem esse; at non ideo prohiberi, quo minus, pro ratione locorum ac temporum, Provinciae aliquae docere possint iuxta facultates a Praeposito Generali ipsis factas.

21, *in Ms. act. 27.*

Dispensatur, ut Professus possit constitui Procurator Generalis. *C. 19 d. 5. C. 21 d. 7. C. 28 d. 43 n. 1.*

Proposuerat R. P. Generalis: an Congregatio dispensandum in praesens censeret, ut Procurator Generalis e Professorum numero deligi posset; cum haud facile occurreret inter eos, qui Professi non sunt, quisquam idoneus huic muneri et expeditus. Atque annuendum censuere omnes, exemplo Congregationis XII decreto 29, et Congregationis XVII decreto 16.

22, *in Ms. act. 22 et 27.*

Capita ad promovendum spiritum et executionem urgendam. *C. 11 d. 30. C. 19 d. 11. C. 21 d. 27.*

Cum de promovendo Nostrorum spiritu urgendaque exsecutione magnum Congregatio universa zelum prae se ferret: ea re Patribus Deputatis commissa, capita quaedam ab iis collecta sunt, quae immediati Superiores ac Provinciales pro suo munere prae oculis haberent, quaeque R. P. Generalis exsequenda omni ope curaret, cum inde bonus Societatis status, ac divinae gloriae augmentum, quae finis ac fructus est ministeriorum nostrorum, ferme dependeat. Ea vero sunt, quae sequuntur:

Studium rerum spiritualium *C. 6 d. 29. C. 7 d. 25. C. 8 d. 38. C. 11 d. 30.*

1. Ne muneri suo Superiores satisfecisse se arbitrentur, nisi sedulo curent, ut per ea media, quae habet Societas satis copiose praescripta, studium orationis rerumque spiritualium maxime vigeat in singulis Domibus; ac Spiritualia praesertim Exercitia accurate et fructuose quotannis ab unoquoque peragantur.

et Exercitiorum. *C. 6 d. 29 n. 2. C. 7 d. 25 n. 4. C. 8 d. 38 n. 1, 2.*

Paupertatis custodia. *C. 12. d. 36-43. C. 16 d. 27. C. 20 d. 7 n. 3. C. 22 d. 25, 26 n. 2.*

2. Ne quid per facilitatem nimiam relaxari sinant in paupertate; si quae vero sunt, quae vitae communi adversentur, ea omnino resecent.

Otii et commodorum fuga. *Instr. 3 n. 15. Instr. 4 n. 2. P. 3 c. 1 n. 6. P. 8 c. 1 n. 8.*

3. Invigilent, ne affectus erga propria commoda sensim irrepat, et animos Nostrorum infringat abstrahatque a laboribus apostolicis, qui vocationis nostrae proprii sunt, atque ad otii amorem denique, qui certa origo esset omnium malorum, eos propellat.

Indifferentia ad munia et loca. *P. 7 c. 2 n. 1.*

4. Curent, ut foveatur in Nostris religiosa indifferentia ad quaevis munia Societatis, in qualibet Domo vel Collegio obeunda, ubi maius Dei obsequium speretur, animarumque auxilium; utque in spiritu amoris proce-

Spiritus amoris. *P. 6 c. 1 n. 1.*

P. Centurione Praep. Gen.

1755-56

datur potius, hac in re, quam cum perturbatione timoris.

Annus tertius probationis integer et recte agatur. *C. 16 d. 34. C. 20 d. 12 n. 5. C. 22 d. 44 n. 1. P. 5 c. 2 n. 1.*

5. Ut tertius probationis annus omnino integer, eoque animi studio transigatur, ut inde Nostri, iuxta mentem S. P. Ignatii, magno propriae perfectionis desiderio et animarum zelo incensi emittantur.

Iuniorum nostrorum separatio et recta institutio. *C. 6 d. 16, 40. C. 22 d. 44 n. 2. Ord. Gen. c. 13. Instr. 7 et 17.*

6. Ut iuniores nostri, cum in Tirociniis, tum vero in Collegiis, ubi separatio, ut minimum, biennalis servanda est, ea institutione formentur, qua propriam vocationem magni facere condiscant, religiosamque disciplinam ex interna charitatis lege complecti. Tum vero ea, qua par est, intentione excolant impense studia, quae propria nostrae vocationis sunt, nec ad aliena divertant. Quo tempore, quemadmodum a periculis caeteris, ita a frequentibus externorum congressibus arcendi erunt.

Peculiaris habeatur cura FF. Coadiut. *C. 1 d. 97, 108. C. 7 d. 80 n. 19. C. 8 d. 38 n. 4. C. 12 d. 42. C. 22 d. 44 n. 6. Instr. 8.*

7. Ut peculiaris cura habeatur FF. Coadiutorum temporalium, eos dirigendo atque instituendo, cum aliis virtutibus, tum studio praecipue paupertatis, modestiae ac sanctae humilitatis, quam ostendant exteriori etiam observantia erga omnes, ac praesertim erga Nostros, qui Coadiutores temporales non sunt.

Nostra agendi ratio cum proximis omnino religiosa sit, nihil saeculare redolens aut politicum. *P. 3 c. 1 n. 4. P. 7 c. 4 n. 2. Instr. 18 c. 8.*

8. Ut externa Nostrorum agendi ratio cum proximis, quae divinae gloriae et animarum bono subservire debet, omnino religiosa sit, nec saeculare aliquid vel politicum admisceat; ne quid forte interim de saeculi moribus nobis adhaereat, vel quidpiam incommodi inde Societati eiusque regimini obveniat. Itaque pervidendum Superioribus erit: an pietatis semper et aedificationis bonus odor a Nostris in agendo diffundatur.

Omnia haec exsecutioni mandanda per Superiores et rerum spiritualium Praefectos, qui optimi deligendi. *C. 11 d. 30. C. 19 d. 11. C. 21 d. 27. Instr. 7 n. 1. Instr. 10.*

Quae quidem, Congregatio, cum satis intelligeret iam ante abunde sancita esse, nec proinde novis decretis indigere; sic tamen redacta in brevem summam Superioribus proponenda atque inculcanda censuit, ut ea per se ac per Praefectos rerum spiritualium, quos deligere optimos necesse est, ardentiori studio exsequi curent. Eademque R. Patri nostro, pro eo, quo est in Societatem universam amore, voluit esse commendatissima.

23, in Ms. act. 27.

Actorum et decretorum recognitio P. Generali et Assistentibus demandatur. *C. 11 d. 36. C. 14 d. 28. C. 17 d. 17. C. 19 d. 12. C. 21 d. 28. C. 22 d. 46. C. 23 d. 48 n. 6.*

Quaesivit a Congregatione R. P. Generalis: an, quando absoluta videbantur iam omnia, placeret Patribus acta ac decreta, quae ex iisdem actis extrahenda erant, in Coetu recognosci, an vero ea omnia Generali cum PP. Assistentibus recognoscenda, ut alias factum est, committi, ac finem interea Congregationi fieri. Et, exemplo plurium Congregationum, placuit: ea committi R. P. Generali ac PP. Assistentibus, et Congregationi finem imponi.

Hortatio P. Generalis.

Itaque R. Pater noster amantissime Patres alloquutus, illos hortatus est, ad ea in Provinciis strenue exsequenda, quae in publicam rem Societatis singuli tanta animorum consensione tantaque prudentia in his Comitiis contulissent.

Congregationis solutio.

Et, gratiis Deo de more persolutis, inter mutuae charitatis amplexus soluta est Congregatio haec generalis xviii, habita Romae, a die 18 Novembris anni 1755 ad diem 28 Ianuarii anni 1756.

DECRETA

DECIMAE NONAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. Ricci Praep. Gen.

Causa Congregationis convocandae.

1758

Cum diem supremum obiisset R. P. N. Aloisius Centurionus 2 Octobris anni 1757, nondum expleto sui regiminis biennio; statimque, ex relicta ab eo schedula, renuntiatus esset Vicarius Generalis R. P. Ioannes Antonius Timoni, Procurator Generalis Societatis, isque, auditis Patribus Assistentibus, Congregationem indixisset in diem 8 Maii anni proxime secuturi; adfuerunt ea ipsa die Romae omnes ferme Europae Provinciales aut Vice Provinciales et Electores, quibus accesserant duo ex Provincia chilensi, et unus ex Provincia Philippinarum. Deerat solummodo P. Provincialis Sardiniae, qui postridie sciebatur adventurus, itemque P. Wolffgangus Valvasor, Elector Austriae, qui Laureti iam tum gravi morbo detinebatur, ibique die 27 huius mensis obiit. Constabat etiam non potuisse Congregationem provincialem haberi in Lithuania; unde ex illa Provincia solus aderat Vice Provincialis. Itaque Congregationi factum initium.

Non exspectati absentes.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1 et 2.

Electio Secretarii electionis,

Postridie vero, cum declaratum esset: Congregationem hanc xix esse plenam ac legitimam; expensis prius dubiis quibusdam, quae ad nonnullorum electiones pertinebant, suppletisque omnibus defectibus, si qui forte in eas irrepsissent; electus est Secretarius electionis P. Ioannes Petrus Garnier, Elector lugdunensis, et Collegii bisuntini Rector; deinde P. Alfonsus de Maniaco, Elector venetae, qui orationem ad Patres haberet eo die, quo eligendus esset Generalis; Patri vero Philippo D'Elci, Domus romanae Professae Vice Praeposito, cura includendi Electores fuit demandata. Tum ad detrimenta cognoscenda deputati sex ex singulis Assistentiis: ex italica, P. Hieronymus Ridolfi, Provincialis romanus; ex gallica, P. Claudius Dejame, Provincialis lugdunensis; ex germanica, P. Georgius Hermann, Provincialis Germaniae superioris; ex hispanica, P. Salvator Osorio, Provincialis castellanae; ex lusitana, P. Stanislaus Manso, Vice Provincialis Lusitaniae; ex polonica, P. Franciscus Kosminski, Provincialis Poloniae maioris. Post haec, peractis nonnullis, quae ad Generalis electionem spectare videbantur, delectus est electionis Assistens P. Laurentius Massonus, Provincialis mediolanensis.

Concionatoris,

Inclusoris,

Deputatorum ad detrimenta, *C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.*

et Assistentis electionis.

2, in Ms. act. 4.

Electio Praepositi Generalis.

Die 21 Maii, SSmae Trinitati sacra, quae iam ante fuerat huic actui prae-

P. Ricci Praep. Gen. — 1758

finita, servatis omnibus, quae in Formula ex Decretis et Constitutionibus nostris praescribuntur; (cum ex omnibus Electoribus Romae degentibus solus P. Mauritius Solari, gravissima aegritudine impeditus, qui etiam aliquanto post obiit, suo suffragio ferendo impar fuisset) secundo scrutinio, ac longe pluribus medietate suffragiis, electus est in Praepositum Generalem R. P. Laurentius Ricci, florentinus, antea Societatis Secretarius; protinusque confectum super hoc a P. Vicario decretum ac promulgatum.

3, in Ms. act. 5.

Eligitur Secretarius Congregationis, idem qui electionis; cui adduntur duo socii.

Constitutus Congregationis Secretarius, qui hactenus fuerat electionis, P. Ioannes Petrus Garnier, additique sunt illi socii P. Romualdus Rota, Elector venetae, Collegii mantuani Rector, et P. Ignatius Rhomberg, Elector Germaniae superioris. Tum ad postulata secernenda sex deputati: ex Italia, P. Marcellus Tipa, Provincialis siculae; ex Gallia, P. Matthaeus Ioannes Ioseph Allanic, Vice Provincialis Franciae; ex Germania, P. Ignatius Langetl, Provincialis Austriae: ex Hispania, P. Ioseph Velasco, Provincialis toletanae; ex Lusitania, P. Aloisius Da Sylva, Elector lusitanae; ex Polonia, P. Adalbertus Bystrzonowski, Vice Provincialis Poloniae minoris.

Electio Deputatorum ad postulata. *C. 8 d. 1.*

4, in Ms. act. 6.

Electio Assistentium, *C. 8 d. 2.*

Die 28 Maii, et quatridui capiendis informationibus ultima, electi sunt Assistentes secretis scrutiniis et ad plura medietate suffragia: pro Italia, P. Vespasianus Trigona; pro Germania, P. Balthasar Lindner; pro Gallia, P. Ludovicus Franciscus Le Gallic; tres isti nuper eodem munere functi, primo scrutinio electi; pro Hispania vero, secundo scrutinio, electus P. Salvator Osorio, Provincialis castellanae; demum pro Lusitania, P. Ioannes de Gusmao; et pro Polonia, P. Andreas Wagner, uterque primo scrutinio, uterque eodem munere nuper functus. Ita electi Assistentes ante imaginem Crucifixi iuramentum dixere verbis ex Formula conceptis.

et Admonitoris Generalis. *C. 8 d. 2.*

Eodem modo appellatus est Admonitor P. Petrus de Céspedes, qui prius Assistens Hispaniae erat.

5, in Ms. act. 7 et 8.

Dispensatur, ut Professus possit constitui Procurator Generalis. *C. 12 d. 29. C. 17 d. 16. C. 18 d. 21. C. 21 d. 7. C. 33 d. 43 n. 1.*

Cum eligendus esset a R. P. N. Procurator Generalis Societatis, nec occurreret ipsi ex iis, qui Professi non sunt, qui huic muneri videretur idoneus; rogavit, sibi ut Professum 4 votorum eligere liceret. Atque exemplo Congregationum xii, xvii et xviii annuendum omnes censuere. At, cum dubitatum esset, an novo Procuratori Generali substitui posset alius pariter Professus, declaravit Congregatio facultatem R. Patri nostro datam, non pro hac vice tantum, sed pro quocumque simili casu, donec alia Congregatio generalis habeatur, valituram.

6, in Ms. act. 8 et 9.

Assistentes subrogati ante Generalis mortem, post hanc iuramentum non praestent. *C. 6 d. 27 n. 2.*

Cum nuper contigisset Assistentem unum et alterum a R. Patre nostro nominatum, et approbatum a Provincialibus ante ipsius Patris nostri mortem, non potuisse praestare solitum iuramentum, demortuo interim R. Patre nostro, nemini quidem dubium fuit, quin illi vere Assistentes essent: an vero iuramentum aliquod ab eis emittendum, de hoc nonnihil dubitatum fuerat. Declaravit Congregatio: ab Assistentibus in tali casu subro-

P. Ricci Praep. Gen.

1758

gatis, salvo integro ipsorum iure, nullum iuramentum emitti oportere.

7, in Ms. act. 9.

Domus Professae fovendae, et, quoad fieri possit, conservandae; C. 8 d. 17. C. 20 d. 18. C. 22 d. 16.

Cum postulasset a R. Patre nostro Provincia quaedam: ut liceret Domum Professam, propter belli calamitates eleemosynis penitus destitutam, in Residentiam commutare, quae idoneos reditus ad alendos Socios habere posset; delatum est ad ipsam Congregationem hoc postulatum, utpote gravissimum. Censuit Congregatio: fovendas, et, quoad fieri possit, conservandas Domos Professas; et huic postulato aegre admodum a R. Patre nostro esse annuendum; nec talem mutationem, nisi post tentata nequicquam alia media, et in solo casu gravissimae necessitatis, permittendam.

nec nisi in casu gravissimae necessitatis, in Residentiam mutandae. C. 8 d. 7. C. 9 d. 88. C. 11 d. 16. C. 20 d. 20.

8, in Ms. act. 10.

Legitime impediti ad Congr. prov., de aliorum impedimentis non iudicent. C. 23 d. 38 n. 1.

Quaesitum fuerat a Provincia Sardiniae: utrum, qui cesserunt iuri suffragii in Congregatione provinciali ob impedimenta iudicata et approbata, possint iterum admitti ad consultationem, in qua agitur de impedimentis aliorum, subrogatis iam substitutis. Responsum a Congregatione: non esse admittendos.

9, in Ms. act. 10, 11 et 12.

Pro authentica Superiorum renuntiatione cuique Provinciae sua praxis relinquitur.

Cum a Congregatione quaesitum esset: in quo consistat authentica renuntiatio Superiorum, praesertim quando Superior designatus abest a Domo cui praeficitur; censuit Congregatio: inhaerendum esse iudicio Patrum Deputatorum, qui retulerunt, sibi videri, suam cuique Provinciae praxim relinquendam; de caetero, pro casibus tam ordinariis, quam extraordinariis, tum etiam transmarinis, satis provisum esse per decreta 43 Congregationis VIII, 10 Congregationis IX, et 7 Congregationis XVII.

10, in Ms. act. 10, 11 et 12.

Tam Rector quam Provincialis, cuius triennium exspirat die obitus Generalis, censeri debent triennium non explevisse.

Cum acciderit nuper, ut Rector Collegii triennium suum expleverit eo die, quo R. Pater noster vivere desiit; quaerebatur: an, post vulgatam eius mortem, immo post indictam Congregationem generalem, Rector novus per patentes litteras, ante mortem Patris nostri datas, an vero prior iure regiminis et adeundae Congregationis provincialis gauderet. Censuit Congregatio, iuxta iudicium PP. Deputatorum: aequius esse, et magis ex mente decreti 30 Congregationis XII, ut prior non censeatur explevisse suum triennium. Quod extendendum est etiam ad Provinciales.

11, in Ms. act. 11 et 12.

Ad promovendum in Nostris perfectionis studium, eorum, quae iam statuta sunt, exsecutio urgeatur a Superioribus.

Quoniam a pluribus multa proposita fuerunt, quae ad promovendum in Nostris regularis observantiae ac religiosae perfectionis studium magnam sane habere vim videbantur; Congregatio satius duxit: eximio in hac re omnium zelo, non novis decretis condendis, sed eorum, quae iam constituta sunt, exsecutionem urgendo, satisfacere. Quare, laudabile exemplum secuta Congregationis XVIII, cuius et decretum 22 confirmat ac renovat, Provinciales atque omnes cuiuscumque loci Superiores iterum atque iterum monet: ut curam omnem atque operam in eo collocent, ut sui subditi ea omnia, quae ad spiritum excolendum nobis praescripta sunt, reipsa exsequantur atque opere compleant.

C. 11 d. 30. C. 21 d. 27.

Virtus anteferatur doctrinae

Saepius eos edoceant solidarum virtutum ac perfectionis studium re-

P. Ricci Praep. Gen. 1758

bus omnibus anteferendum; hoc prae caeteris omnibus rebus a Societate maximi fieri; *in eoque maius momentum, quam in doctrina vel in aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse.*

et aliis donis naturalibus. *P. 10 n. 2.*

Bonum Societatis rerum spiritualium studio innititur.

Hoc saepe inculcent, et bonum Societatis statum huic rerum spiritualium studio totum inniti. Nam, si forte, Deo ita permittente, placeat (quae adoranda consiliorum eius ratio est) ut adversis exerceamur; Deus adhaerentes sibi atque intime coniunctos non deseret, et, quamdiu pura mente ac sincero corde ad eum confugere poterimus, nullum aliud deerit nobis praesidium.

Deus adhaerentes sibi non deseret, etiam in adversis.

Societatis praestantia in legum suarum observantia ponenda.

Meminerint denique: religiosi Ordinis praestantiam, non in eo positam esse, ut optimis legibus atque institutis abundet; sed in eo, ut usu ipso vita omnis ac mores ad legum normam exigatur. Quamobrem illud semper Superiores omnes cogitent: ex eorum vigilantia pendere Societatis decus ac famam, nullo umquam casu, nullo infortunio obscurandam, si, pro sui muneris ratione, ipsi contendent, ut, quae sapientissime in ea ac sanctissime constituta sunt, omnes fideliter exsequantur.

Ex Superiorum vigilantia Societatis decus et fama pendet.

12, in Ms. act. 13.

Generalis cum Assistentibus et Secretario acta et extrahenda ex iis decreta recognoscat et examinet. *C. 11 d. 36. C. 14 d. 28. C. 17 d. 17. C. 18 d. 28. C. 21 d. 28. C. 22 d. 45. C. 23 d. 43 n. 6.*

Absolutis omnibus negotiis, pluribusque aliis ordinatis, ac R. Patri nostro impense commendatis; atque hoc imprimis, ut futuro Pontifici, suo etiam nomine, totius Societatis obedientiam sponderet; censuere Patres: finem Congregationi imponendum; item committendum R. Patri nostro et PP. Assistentibus ac P. Secretario Societatis, ut acta omnia ac decreta ex iis extrahenda recognoscerent ac approbarent. Itaque R. Pater noster, felicem reditum in Provincias cunctis precatus, illos ad pacem, concordiam, modestiam, pietatem ubique fovendam ac promovendam vehementer est adhortatus. Tum oravit, ut mittendis sibi informationibus quam rectissimis ac verissimis se ad gubernandam Societatem adiuvarent. Gratiis denique de more Deo peractis, inter mutua religiosae charitatis officia soluta est haec Congregatio xix, habita Romae a die 8 Maii anni 1758, usque ad diem 18 Iunii eiusdem anni.

Exactitudinem in dandis sibi informationibus commendat P. Generalis.

Finis Congregationi imponitur.

---

*C. 23 d. 43 n. 3.

APPENDIX. *

CONGREGATIONES GENERALES

IN ALBA RUSSIA HABITAE.

DECRETA

CONGREGATIONIS GENERALIS POLOCENSIS PRIMAE.

P. Czerniewicz Vic. Gen. perp.

1782

Societas, Dei providentia, in Alba Russia a communi clade praeservatur.

Singulari omnipotentis Dei providentia factum est, ut, quum iam breve Clementis xiv, quo Societas Iesu supprimebatur, in aliis pene universi orbis ditionibus executioni fuerit demandatum, exigua eiusdem Societatis pars in Alba Russia ab illa communi clade praeter omnium exspectationem praeservaretur.

Extra Urbem, suppressionis breve a locorum Ordinariis in qualibet Soc. Domo indicendum erat.

Quum enim, sicut in Urbe a Sanctissimo, ita a Congregatione Cardinalium specialiter deputata cautum fuerit: ut, extra Urbem, praedictum breve a singulis locorum Ordinariis in unaquaque Societatis Domo intra limites suae dioeceseos singillatim indiceretur, quo vim suam habere posset; Illustrissimus D. Ignatius Massalski, Episcopus vilnensis, cui ea cura pro russiaco Imperio commissa fuerat, datis litteris die 19 Septembris 1773, mandavit omnibus Domorum nostrarum Superioribus in virtute obedientiae, ne quispiam e Societate auderet Collegia deserere et consueta Societatis ministeria quoquo modo intermittere, donec ipse vel per se vel per alios iudicaret publicandum esse breve et exsecutioni mandandum; quod hactenus factum non est.

Episcopus vilnensis mandat Superioribus, ne Nostri in Imperio russiaco Collegia deserant, donec ipse iudicet publicandum breve.

Omnes pergunt sub regimine P. Vice Provincialis.

Quare socii omnes, iuxta Delegati Apostolici ac respective Ordinarii voluntatem, munia sua obire perrexerunt sub regimine R. P. Stanislai Czerniewicz, Vice Provincialis masoviensis et Collegii polocensis Rectoris. Verum, cum nullam in hisce locis Domum Probationis Societas haberet, neque amplius ullum, qui Praepositi Generalis facultate instructus eam gubernaret; Deus, qui residuam hanc Societatem non servare dumtaxat, sed in dies augeri, eademque atque antea ratione dirigi voluit, pari providentia disposuit, ut in primis Roma decretum SS. D. N. Pii vi, Papae, die 9 Augusti 1778 emanatum, mitteretur ad Illustrissimum tum Episcopum Albae Russiae, Stanislaum Siestrzencewicz, cum plena potestate

Episcopus Albae Russiae auctoritate Pontificis permittit, ut Domus Probationis aperiatur.

P. Czerniewicz Vic. Gen. perp.

1782

statuendi, reintegrandi, de novo condendi religiosos eius dioeceseos Ordines; quo ab Aula petropolitana admisso, eidem Illustrissimo loci Ordinario, ut ad aperiendum Iesuitis Novitiatum uteretur, fuit demandatum. Quod ipse, convocato Capitulo Canonicorum Albae Russiae, exploratisque diligenter terminis memorati decreti ex Congregatione de Propaganda Fide submissi, confectisque ad hunc finem litteris Pastoralibus, praestitit die 30 Iulii 1779. Aliud praeterea mandatum Serenissimae Imperatricis die 25 Iulii, hoc anno 1782, transmissum est eidem Illustrissimo, nunc Archiepiscopatus dignitate donato, quo supremam de constituendo per electionem Vicario Generali voluntatem nobis denuntiare iuberetur. Habito itaque hoc mandato et Illustrissimi Archipraesulis intimatione, quum iam die 24 Novembris 1775 R. P. N. Laurentius Ricci Romae diem supremum obiisset, R. P. Stanislaus Czerniewicz, Provinciae Praeses, Congregationem indixit in diem 10 Octobris 1782; qua, congregatis Patribus quatuor votorum Professis numero triginta, quotquot scilicet sine officiorum detrimento convenire poterant, Congregationi factum initium.

Imperatricis mandatum de eligendo Vicario Generali.

Indicitur Congregatio.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1 et 2.

Eadem die, S. Francisco Borgiae sacra, cum R. P. Stanislaus Czerniewicz electus fuisset Congregationis Praeses cum potestate Vicarii temporanei in ordine ad eligendum Vicarium Generalem perpetuum; cumque unanimi sententia declaratum: Professos, qui ex Provinciis, ubi Clementinum breve publicatum fuerat, ad nos accesserunt, integro suffragii iure gaudere in Congregatione; eamdemque plenam esse ac legitimam, suppletis omnibus defectibus, si qui forte irrepserant; electus est Secretarius electionis P. Gabriel Lenkiewicz, Vice Rector Collegii polocensis; deinde P. Christophorus Iackel, qui die electionis ad Patres orationem haberet; et P. Stanislaus Gumkowski, qui praefata die Electores includeret. Tum ad cognoscenda detrimenta deputati quatuor, videlicet: P. Franciscus Loupia, P. Franciscus Lubowicki, P. Hieronymus Wichert, P. Franciscus Kareu.

Electio Praesidis Congregationis.

Professi ex aliis Provinciis venientes, integro gaudent iure suffragii.

Electio Secretarii electionis, Concionatoris, Inclusoris, et Deputatorum ad detrimenta. *C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.*

2, in Ms. act. 3 et 4.

Lectis ac perpensis, tum mandato suae Imperatoriae Maiestatis, superius memorato, quo liberam Congregationi vult electionem Vicarii Generalis perpetui, tum ex adverso epistola Illustrissimi Archiepiscopi ad Congregationem missa; Patres responsum ad eiusdem Archiepiscopi litteras conceptum approbarunt, seque in Vicarii Generalis electione suo iure ac libertate uti decreverunt. Deinde ex antiquioribus Professis quatuor determinati Iudices de ambitu, videlicet: P. Stanislaus Klonowski, P. Michael Roth, P. Adalbertus Czaykowski, P. Nicolaus Leonowicz. Tandem, electo P. Francisco Loupia electionis Assistente, cum quaesitum fuisset: num Formula iuramenti ab Electoribus adhibenda in praesenti casu immutanda esset; placuit Congregationi eam ita immutare: Ego N. testem invoco Iesum Christum, qui est Sapientia aeterna, quod eum eligo et nomino in Vicarium Generalem perpetuum cum plena potestate Praepositi Generalis Societatis Iesu, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum. Hanc vero perpetuitatem Patres ita sunt interpretati, ut scilicet: Vi-

Decretum de eligendo Vicario Generali perpetuo.

Iudices de ambitu determinantur.

Assistens electionis eligitur.

Immutatur Formula iuramenti.

Perpetuitas Vicarii explicatur.

P. Czerniewicz Vic. Ven. perp.

carii Generalis potestas tamdiu persisteret, donec, restituta universa Societate, Praepositus Generalis eligeretur.

3, in Ms. act. 5.

Electio Vicarii Generalis perpetui.

Die 17 Octobris, quae octava S. Francisci Borgiae iam ante huic actui praefinita fuit, omnibus, quae in Formula ex Decretis et Constitutionibus praescribuntur, rite servatis, quinto scrutinio electus est pluribus medietate suffragiis in Vicarium Generalem perpetuum cum plena potestate Praepositi Generalis R. P. Stanislaus Czerniewicz, antea huius Provinciae et Congregationis Praeses; ac protinus a P. Secretario confectum ea super re decretum et promulgatum.

4, in Ms. act. 6.

Secretarius Congregationis constituitur, idem qui electionis.

Die 18 Octobris, constituto Congregationis Secretario, qui hactenus fuerat electionis, P. Gabriel Lenkiewicz, cum R. P. N. Vicarius denuntiasset: se a Celsissimo Principe Potemkim accepisse mandatum illico discedendi Petropolim, eamque esse Augustissimae Imperatricis mentem; Patres per secreta suffragia statuerunt: solvendam esse Congregationem. Praeterea quaesitum est: an iis, qui saecularizati ad nos accesserunt, computandi essent pro annis Religionis anni in veste saeculari transacti. Responsum est: affirmative, pro gratia, quia et inviti hanc mutationem passi sunt, et heroico actu vestem religiosam reassumpserunt; Exercitia tamen quatuor hebdomadarum ante professionem iisdem absolvenda, et, quibus faciendae professionis tempus exspirasset, eam, quam primum poterunt, emittendam, neminemque invitum detinendum esse decretum est. Quibus peractis, R. P. N. Vicarius, omnibus bene precatus in Domino, declaravit solutam esse Congregationem, habitam Polociae a die 10 Octobris ad diem 18 eiusdem, anno 1782.

P. Vicarius Petropolim advocatur.

Solvenda Congregatio.

Iis, qui saecularizati ad nos accedunt computentur pro annis Religionis anni in veste saeculari transacti; P. 1 c. 3, K. C. 5 d. 18, 63. sed Exercitia ante professionem absolvant. et, quibus faciendae tempus exspirasset, eam quam primum emittant.

Solvitur Congregatio.

1782

Ex audientia SS. D. N. Pii PP. VI habita anno 1783, die 12 mensis Martii.

Confirmatur electio Vicarii vivae vocis oraculo Pii VI.

Cum ab Augustissima Imperatrice totius Russiae, Catharina II, ad tractanda negotia Archiepiscopatum Mohiloviensem, Coadiutoriam eiusdem Archiepiscopatus, et approbationem Iesuitarum concernentia, Romam ad SS. D. N. Pium PP. VI missus fuissem; exposui Sanctitati Suae statum Iesuitarum, conformiter Instituto suo viventium, et quod sibi ad statum hunc suum conservandum de mandato eiusdem Augustissimae Imperatricis Praepositum Generalem elegerint. Quibus auditis, Sanctissimus Dominus Noster, et statum illorum, et electionem Praepositi Generalis factam benigne confirmavit, repetitis ter vicibus dicendo: *approbo, approbo, approbo.*

De hoc vivae vocis oraculo fidem plenissimam facio, manumque meam et sigillum appono. Datum Polociae, mensis Iulii die 24, anno 1785.

✠ Ioannes Benislawski, Episcopus Gadarensis, Coadiutor Archiepiscopatus Mohiloviensis, Eques Ordinis S. Stanislai, m. pr.

DECRETA

CONGREGATIONIS GENERALIS POLOCENSIS SECUNDAE.

P. Lenkiewicz Vic. Gen. perp.

Causa Congregationis convocandae.

QUUM R. P. N. Stanislaus Czerniewicz, primus servatae in Alba Russia Societatis Vicarius Generalis, die 7, veteri stilo, seu 18, novo stilo, Iulii 1785, anno suae administrationis tertio nondum expleto, e vivis excessisset; ex eiusdem chirographo nominatus Vicarius Generalis temporaneus ac renuntiatus est R. P. Gabriel Lenkiewicz, Assistens, et Collegii polocensis Rector. Cum vero is de sui praedecessoris obitu certiorem fecisset Celsissimum Principem Potemkin et per eum Augustissimam Imperatricem, haec mandatum ad novum eligendum Vicarium Generalem, manu sua signatum 3 Augusti, ad generalem Gubernatorem Albae Russiae, Petrum Passek, expediri iussit. Quo Polociam transmisso, R. P. Vicarius de PP. Assistentium consilio Congregationem indixit in diem 20 Septembris, veteri stilo, seu 1 Octobris, novo stilo; qua die, cum ex designatis quadraginta numero quatuor votorum Professis antiquioribus triginta convenissent, Congregationi datum initium.

Mandatum Imperatricis de novo Vicario Generali eligendo.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1 et 2.

Electio Secretarii electionis.

ATQUE, in primis, cum declaratum esset: Congregationem hanc plenam esse ac legitimam; suppletis omnibus defectibus, electus est Secretarius electionis P. Hieronymus Wichert, Collegii mohiloviensis Rector; et P. Franciscus Lominski, qui ad Patres ipsa electionis die orationem haberet; Patri vero Petro Estka, Substituti munere anterius functo, cura includendi Electores fuit demandata. Praeterea ad detrimenta cognoscenda quatuor deputati, nempe: P. Franciscus Kareu, Provincialis, P. Iacobus Linkenhejer, P. Dominicus Brzezinski, P. Ioannes Schwartz; et Iudices de ambitu ex antiquioribus Professis quatuor, scilicet: P. Stanislaus Klonowski, P. Franciscus Loupia, P. Adalbertus Czaykowski, P. Dominicus Brzezinski.

1785

Concionatoris,

Inclusoris,

Deputatorum ad detrimenta,

et Iudicum de ambitu.

2, in Ms. act. 3.

Deputati pro Ratione Studiorum recognoscenda.

DIE 21 Septembris, veteri stilo, 2 Octobris, novo stilo, cum per litteras Illustrissimi generalis Gubernatoris Albae Russiae Patribus communicatum fuisset: eam esse suae Imperatoriae Maiestatis mentem, ut in nostras scholas induceretur docendi forma in scholis normalibus petropolitanis recepta; ad hunc finem deputati sunt: P. Franciscus Kareu, Provincialis, P. Hieronymus Wichert Collegii mohiloviensis Rector, P. Michael Borowski, Studiorum Praefectus, P. Gabriel Gruber, Professor Mechanicae, quibus data potestas adsciscendi sibi

P. Lenkiewicz Vic. Gen. perp.

socios etiam extra Congregationis gremium, suamque operam circa Studiorum Rationem eo usque protendendi, donec totum hocce opus, iudicio R. Patris nostri comprobandum, ad finem perduxissent. Denique Formula iuramenti eiusque explicatio, in superiori Congregatione determinata, nunc iterum fuit approbata.

Confirmatur Formula iuramenti eiusque explicatio. *C. Poloc. 1 d. 2.*

3, in Ms. act. 4 et 5.

Quatuor Assistentes eligendi, et qua ratione. *C. 1 d. 80. C. 8 d. 2.*

Cum quaesitum fuisset: quot Assistentes essent suo tempore eligendi; placuit Congregationi: quaternarium eorum numerum definire. Deinde quatriduum ad capiendas informationes pro eligendis, tum Vicario Generali, tum Assistentibus, ita est determinatum, ut post Vicarii Generalis electionem dies una adderetur ad continuandas informationes pro eligendis Assistentibus. Die vero sequenti, persolutis iustis pie defunto R. P. N. Stanislao Czerniewicz, electus est P. Franciscus Kareu, Provincialis, Assistens electionis.

Electio Assistentis electionis.

4, in Ms. act. 6.

Electio Vicarii Generalis perpetui.

Die 27 Septembris, veteri stilo, 2 Octobris, novo stilo, memoriae confirmationis Societatis sacra, iam antea huic actui assignata, servatis omnibus in Formula praescriptis, primo scrutinio, longe pluribus medietate suffragiis, duabus nempe tertiis eorum partibus, electus est in Praepositum Vicarium Generalem R. P. Gabriel Lenkiewicz, antea Assistens, Rector Collegii polocensis, et Vicarius temporaneus; protinusque super hoc a P. Secretario confectum decretum, promulgatumque de more est.

1785

5, in Ms. act. 7.

Secretarius Congregationis constituitur, idem qui electionis.

Eadem die, postquam constitutus fuit Secretarius Congregationis, qui hactenus fuerat electionis, P. Hieronymus Wichert, pro mansione curiae Generalis, donec nobis Domum Professorum divina bonitas provideret, R. P. Vicarius elegit Collegium polocense. Sed, ne ex una parte idem Collegium quaternario Assistentium numero gravaretur, et ex altera, ne tum R. Pater noster in designandis ad gubernia vel alia officia idoneis personis, tum Electores in ferendo pro libitu suo suffragio nimis arctarentur, si omnes Assistentes penes curiam residere deberent; ab eodem P. Vicario propositum fuit: duos ex eligendis Assistentibus penes se perpetuo retinendos, duos vero alios pro rei exigentia ad alia officia, ubi opus erit, destinandos; quod omnes unanimiter comprobarunt.

Collegium polocense pro Vicarii sede constituitur.

Permissum, ut duo ex Assistentibus possint alibi commorari et ad alia officia destinari.

6, in Ms. act. 8.

Electio Assistentium, *C. 8 d. 2.*

Die 29 Septembris, veteri stilo, 10 Octobris, novo stilo, expleto pro capiendis informationibus tempore antea determinato, ad plura medietate suffragia, eaque secreta, electi sunt in Assistentes: P. Franciscus Kareu, Provincialis et Collegii orsensis Rector; P. Hieronymus Wichert, Rector Collegii mohiloviensis, et Congregationis Secretarius; P. Franciscus Lubowicki proxime eodem munere functus, et Collegii düneburgensis Rector; et P. Matthias Rakiety, nuper Secretarius Societatis; Admonitor vero P. Franciscus Loupia, nuper Assistens.

et Admonitoris. *C. 8 d. 2.*

7, in Ms. act. 9 et 10.

Quot deinceps Professi ad Congrega-

Ut incommodis occurreretur, quae in duabus hisce Congregationibus con-

P. Lenkiewicz Vic. Gen. perp. 1785

tionem generalem vocandi. vocandis evenerant; placuit Patribus: si quae forte alia in posterum congreganda esset, definire numerum personarum triginta, quem, praeter R. P. Vicarium, Assistentes, Provincialem et Rectores debebunt antiquiores Professi complere, absentium loco iis substitutis, qui proxime sequentur. Explicatur decretum 4 Congr. praecedentis. Cum quaesitum fuisset: quomodo superioris Congregationis decretum 4, act. 6, de iis, qui brevi Clementis XIV saecularizati ad nos accesserunt, intelligendum esset quoad experimenta probationis; responsum fuit: Professos, si qui ad nos accesserint, Exercitiis S. Patris unius hebdomadae, non Professos vero integris quatuor hebdomadarum excolendos, neque hos ad vota facienda admittendos prius, quam integrum annum post reditum in Societatem expleverint. Tandem, quae Patribus ad detrimenta et postulata deputatis proposita, quaeque in privatis sessionibus discussa fuerunt, eadem ad praecipua capita cum suis resolutionibus collecta Congregationi communicata sunt et approbata; atque, ut eorum exsecutionem immediati Superiores ac Provincialis pro suo munere et R. P. N. Vicarius omni ope curarent, fuit commendatum.

8, in Ms. act. 11.

Die 2 Octobris, veteri stilo, 13, novo stilo, sanctis Angelis Custodibus sacra, ad postulata de promovendo cultu SSmi Cordis Iesu et B. Mariae V., repositum est ac definitum: ut, praeter triduanam ante festum SSmi Cordis devotionem a piae mem. R. P. Nostro Stanislao Czerniewicz praescriptam, addatur singulis diebus oratio de SSmo Corde post litanias de omnibus Sanctis, ultimo loco orationum recitanda; atque ut diebus sabbati consuetis litaniis de omnibus Sanctis praemittantur litaniae Lauretanae. Praeter triduanam ante festum SS. Cordis Iesu devotionem, *C. 23 d. 46.* consuetis litaniis Sanctorum addatur oratio de SS. Corde, *C. 9 d. 7. C. 10 d. 14. C. Poloc. 5 d. 5.* et diebus sabbati praemittantur litaniae Lauretanae. Quo facto, cum nihil proponendum superesset, R. P. N. Vicarius petiit, num placeret finem Congregationi imponere. Cumque Patres unanimi voce respondissent: placere; tum R. P. N. Vicarius, felicem omnibus in suas Domos reditum precatus, eosdemque ad accuratam eorum observantiam, quae sapientissime in publicam Societatis rem sunt constituta, cohortatus est. Hortatio P. Vicarii. Et, gratiis Deo persolutis, soluta est Congregatio, habita Polociae a die 20 Septembris ad diem 2 Octobris, anno 1785. Solvitur Congregatio.

DECRETA

CONGREGATIONIS GENERALIS POLOCENSIS TERTIAE.

1799

P. Kareu Vic. Gen. perp.

Causa Congregationis convocandae.

DIES 10 Novembris anni 1798 supremus fuit vitae R. P. Gabrielis Lenkiewicz, qui Societatem IESU in Alba Russia annos tredecim et mensem unum cum plena potestate Praepositi Generalis perpetui, ipse Vicarius adhuc Generalis, gubernavit. Ex eius codicillo obsignato renuntiatus Vicarius generalis temporaneus R. P. Franciscus Xaverius Kareu, postquam obtinuisset assensum Imperatoris pro convocando Patrum Coetu ad eligendum successorem, Congregationem generalem in diem 27 Ianuarii indixit.

DECRETUM 1, in manu scriptis act. 1 et 2.

Exspectandi Patres düneburgenses.

DIE 27 Ianuarii, ad complendum triginta Electorum numerum, qui in ultimis Comitiis definitus erat, desiderabantur adhuc, ob ingens frigus, ex Collegio düneburgensi quatuor Patres. Hos Congregatio iudicavit exspectandos, quod eodem die adhuc venturi sperarentur. Lectum interea fuit decretum recens in Collegio Iustitiae latum, communiter vocatum Regulamen, omnes Religiosos Ordines complectens, et in 28 distinctum capita, quorum septimo statuebatur: ut Regularium Provinciales ab Episcopis dioecesanis eligerentur.

Decretum Collegii Iustitiae de Provincialibus ab Episcopis eligendis. Inf. d. 8.

Advectis Patribus düneburgensibus tribus, et in locum quarti, P. Ioannis Lamprecht, infirmi, subrogato P. Iosepho Kamienski, pronuntiatum est: plenum ac legitime congregatum esse Conventum. Deinde itum ad solitas per plura secreta suffragia electiones. Electus est, in primis, Secretarius electionis P. Thaddaeus Brzozowski, Societatis Secretarius. Tum P. Ignatius Brzozowski, Magister Novitiorum, qui die electionis Praepositi Vicarii Generalis concionem haberet. Cura vero includendi Electores demandata fuit P. Raymundo Brzozowski, Philosophiae Professori. Eodem modo ad detrimenta deputati fuere: P. Petrus Estka, Rector Collegii düneburgensis; P. Antonius Lustyg, Rector Collegii mohiloviensis; P. Iosephus Angiolini, Professor matutinus Theologiae Scholasticae et superiorum scholarum Praefectus; et P. Antonius Abramsberg, Praefectus spiritus in Collegio polocensi.

Eliguntur Secretarius electionis, Concionator, Inclusor, et Deputati ad detrimenta. C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.

2, in Ms. act. 3.

DELECTUS fuit Assistens electionis P. Martinus Strusinski, Rector Collegii mscislaviensis. Quia vero immane erat frigus, 26 fere graduum, ideo placuit sacellum domesticum constituere pro loco, in quo die electionis Praepositi Vicarii Generalis media septima Sacrum Communionis haberetur.

Eligitur Assistens electionis.

P. Kareu Vic. Gen. perp.

Electio Vicarii Generalis.

3, in Ms. act. 4.

Die Februarii primo, qui huic rei iam ante praestitutus fuerat, servatis omnibus, quae in Constitutionibus, Formula et Congregationum Decretis praescribuntur, primo scrutinio et plus quam dimidia parte suffragiorum electus est in Praepositum Vicarium Generalem R. P. Franciscus Xaverius Kareu, antea Assistens, Rector Collegii polocensis, et designatus Vicarius temporaneus. Formatum mox super ea re decretum subscriptum a Secretario ac promulgatum.

4, in Ms. act. 5.

Secretarius Congregationis constituitur, idem qui electionis.

Confirmato Secretario Congregationis eodem, qui electionis fuerat, cum capiendarum informationum de eligendis Assistentibus tempus, iuxta decretum 3 Congregationis ultimae, iam effluxisset, A. R. Pater noster legi iussit eiusdem Congregationis ultimae decretum 5, quo liberum fit Patri nostro duos Assistentes penes se retinere, duos alios pro rei exigentia ad alia officia designare. Quo facto electi sunt pluribus medietate suffragiis, iisque secretis, Assistentes: P. Hieronymus Wichert, tertio scrutinio; P. Gabriel Gruber, secundo; P. Antonius Lustyg, tertio; et P. Franciscus Lubowicki, septimo; omnes iam ante eodem functi munere, praeter tertium. Iuramentum statim omnes ante imaginem Crucifixi praestiterunt. Tum etiam omnium fere suffragiis creatus fuit Admonitor, primo scrutinio, idem P. Franciscus Lubowicki.

Electio Assistentium, *C. 8 d. 2.*

et Admonitoris. *C. 8 d. 2.*

5, in Ms. act. 6.

Probatis epistolis ad Imperatorem et Archiepiscopum dandis, statuitur mittendum Petropolim P. Gruber cum socio.

Lectis epistolis tum ad Imperatorem clementissimum Paulum I, tum ad Illmum Metropolitanum Archiepiscopum dandis, et Congregationi probatis, statutum fuit: ut P. Assistens Gabriel Gruber cum socio P. Iosepho Kamienski Petropolim iret ad negotia divinae gloriae et Societatis curanda.

1799

6, in Ms. act. 7.

Missarum stipendia, seu eleemosynae, Nostris prohibita.

Quaesitum fuit: quomodo se gerere deberent Patres in missionibus seu domiciliis circa Missarum stipendia. Respondit ad hoc A. R. Pater noster, prohibitam esse Nostris acceptationem, tam stipendii, quam eleemosynarum intuitu sacri ministerii nobis oblatarum; et quidem prohibitam Exa. cap. 1, § 3, Const. part. 6, cap. 2, § 7, Congr. gen. v can. 1, et Congr. gen. xii decr. 39, Congr. denique xvi decr. 21. Quapropter a nullo Nostrorum licite admitti posse huiusmodi Missarum stipendium. *C. 5 d. 29 can. 1.*

7, in Ms. act. 7.

Confirmantur decreta de spiritu religioso promovendo et vita communi servanda.

Ad alia proposita: ut spiritus religiosus magis promoveatur, vita communis melius servetur, epistolae Nostrorum nihil aspersi habeant de politicis Principum negotiis, Patres deputati iudicarunt: praeteritarum Congregationum decretis abunde provisum esse, tam spiritui Nostrorum fovendo, quam vitae communi servandae; exsecutionem itaque iam decretorum, in primis decreti 22 Congr. gen. xviii, et decreti 27 Congr. xvi, potius urgendam esse, quam novas leges condendas. Quod vero attinet ad res et negotia Principum, censuerunt Patres: omnem eorum tractationem in epistolis Nostrorum esse prohibendam. Iudicium hoc Patrum Deputatorum secuta Congregatio, cum superiora duo, tum maxime postremum hoc de Principum negotiis, magnopere omnibus commendavit,

Omnis tractatio de rebus et negotiis Principum in epistolis Nostrorum prohibetur.

P. Kareu Vic. Gen. perp.

voluitque, ut revisores litterarum diligenter epistolas Nostrorum examinarent.

8, in Ms. act. 7.

Hortatio P. Vicarii.

Proposuit R. Pater noster: nonne placeret Congregationi finem imponere; cumque omnes in eadem essent sententia, R. P. Vicarius Generalis ad exactam Regularum et eorum, quae tot Congregationum Decretis sancte fuerunt constituta, observationem omnes cohortatus, se ipsum et felicem itineris Petropolitani, quod Patres duo dicti parabant, exitum precibus omnium commendavit. Ac tum gratiis de more Deo, Bmae Virgini, et S. Parenti nostro actis, Congregatio haec Generalis Polocensis iii die 4 Februarii, anno 1799, soluta est.

Congregationis solutio.

1799

Societatis exemptio a decreto Imperatoris. *Sup. d. 1.*

Qui die 5 Februarii Petropolim profecti fuerant Patres ad Societatem quatuor capitibus decreti Collegii Iustitiae eximendam, serius nonnisi, ob plures difficultates, cum quibus luctari debuerunt, sunt reversi, die scilicet 23 Iunii. Negotium Societatis feliciter expeditum fuit ab ipso Augustissimo Imperatore; qui in trino colloquio, quo Patrem Assistentem Gruber dignatus est, cognita causa, clementissime pro nobis pronuntiavit: nihil mutationis debere succedere in interno nostro regimine, ac Institutum Societatis more antiquo, absque illa innovatione, sancte et inviolate retinendum esse ac conservandum.

DECRETA

CONGREGATIONIS GENERALIS POLOCENSIS QUARTAE.

P. Gruber Praep. Gen. pro Russia.

1802

Br. Catholicae Fidei, *Litt. Apost. pag. 332.*

Sublato e vivis Polociae 30 Iulii, veteri stilo, anno 1802, R. P. Francisco Xaverio Kareu, qui primus erat Praepositus Generalis Societatis Iesu, canonice confirmatae in imperio russiaco per breve apostolicum Pii vii, Pontificis Maximi; Vicarium Generalem, ex relicto demortui codicillo obsignato, dein aperto, egit R. P. Hieronymus Wichert, Assistens et Collegii polocensis Rector. Hic, impetrato clementissimi Imperatoris assensu ad convocandum Coetum, Congregationem generalem in diem Octobris 4 indixit. Cum vero pridie eius diei triginta professione antiquiores Patres Polociam convenissent, mature subrogatis proxime sequentibus in locum eorum, qui officiis aut valetudine impediti venire non potuerant, die praefixo factum initium Congregationi, quae die 14 eiusdem mensis soluta est.

Causa Congregationis convocandae.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1, 2 et 3.

Electio Secretarii electionis,

Declaratum primo fuit: plenum ac legitime congregatum esse Con-

Oratoris, Inclusoris, Deputatorum ad detrimenta, C. 7 d. 78. C. 8 d. 1. et Assistentis electionis.

ventum. Tum ad plura, eaque secreta, suffragia delecti fuerunt: Secretarius electionis P. Thaddaeus Brzozowski, Societatis Secretarius; Orator, P. Iosephus Korycki, socius Magistri Novitiorum; Inclusor, P. Aloisius Landes, Philosophiae in Collegio polocensi Professor. Ad detrimenta recognoscenda electi eodem modo fuerunt: P. Iacobus Wissinger, Professor linguae germanicae, ex Collegio düneburgensi; P. Caietanus Angiolini, Minister et concionator pro Italis, ex Collegio petropolitano; P. Casimirus Ostrowski, Rector Collegii düneburgensis; et P. Iacobus Rogalinski, Rector Collegii mohiloviensis. Denique, primo die quatridui, Assistens electionis P. Martinus Strusinski, Rector Collegii mscislaviensis, lectus, et interrogatorium confectum Patribus Electoribus communicatum fuit.

2, in Ms. act. 4.

Electio Praepositi Generalis.

Die 10 Octobris, qui divo Francisco Borgiae sacer, et iam ante electioni praefixus erat, servatis omnibus, quae ex Constitutionibus, Decretis et Formula servanda erant, secunda suffragiorum latione et longe maiori quam dimidia eorumdem parte, electus est Generalis Praepositus R. P. Gabriel Gruber, prius Assistens et Collegii petropolitani Rector. Formatum mox super ea re decretum a P. Vicario Hieronymo Wichert, ab eoque subscriptum et promulgatum fuit.

3, in Ms. act. 5.

Confirmatur Secretarius Congregationis qui electionis fuerat.

Confirmantur duo Assistentes, et duo novi eliguntur. C. 8 d. 2.

Consensione omnium confirmato Secretario Congregationis eodem, qui electionis fuerat, cum dies unus superadditus ad capiendas informationes de Assistentibus effluxisset, per plura medietate suffragia, eaque secreta, confirmati fuerunt in Assistentium numero duo: P. Hieronymus Wichert, Collegii polocensis Rector, secundo scrutinio; P. Antonius Lustyg, Provincialis et Collegii orsensis Rector, primo scrutinio; P. Thaddaeus Brzozowski, Secretarius Societatis, secundo scrutinio; P. Caietanus Angiolini, Minister Collegii petropolitani, secundo scrutinio; duo postremi in hac Congregatione lecti. Omnes vero mox ex praescripto Formulae ante imaginem Crucifixi iuramentum praestiterunt.

Electio Admonitoris. C. 8 d. 2.

In eumdem modum electus denique fuit Admonitor, quarto scrutinio, P. Caietanus Angiolini, Assistens recens creatus.

4, in Ms. act. 6.

Preces anniversariae pro confirmatione Societatis in Russia indicuntur. C. 7 d. 54. C. 20 d. 26.

Cum Societas Iesu anno superiore canonice a Pio vii, Pontifice Maximo, in Imperio russiaco confirmata fuerit, postulatum fuit: nonne placeret Congregationi memoriam divini huius beneficii anniversariam agere? Responsum ab omnibus: affirmative, et decretum, ut septima dies Martii secundae confirmationis, non secus ac vigesima septima Septembris confirmationis primae, peculiari veneratione a Nostris coleretur; utque in gratiarum actionem divinae clementiae pro tanto beneficio, et ad impetrandam gratiam premendi vestigia Patrum nostrorum, Sacerdotes omnes eo die Sacra, reliqui rosaria aliasque preces ac communionem Deo offerrent.

5, in Ms. act. 1 et 6.

Scientiae lingua russiaca tradantur.

Quoniam sua Imperatoria Maiestas voluit: ut in eius Imperio scientiae lingua russiaca iuventuti scholasticae traderentur; Patribus omnibus iudi-

P. Graber Praep. Gen. pro Russia.

1802

cantibus, voluntati et mandato clementissimi erga nos Imperatoris integre satisfaciendum esse; placuit Congregationi: rem hanc auctoritate sua et speciali decreto omnibus commendare, ut et debitum obedientiae obsequium sublimiori potestati a Societate praestaretur, et gratus eius pro beneficiis acceptis animus fieret manifestus. Circa media porro exsequendi voluntatem imperatoriam, rogavit Congregatio R. Patrem nostrum: ut pro sua perspicacia et zelo inquireret et praescriberet vias ac rationes, quae ad finem hunc consequendum melius facerent.

6, in Ms. act. 6.

Quando professio vel gradus non fiunt in manibus Generalis vel Vicarii, non exprimatur ipsorum nomen, sed eius qui professionem vel gradum excipit.

Observatum fuit, a Nostris, dum professionem faciunt vel gradum in manu Provincialis sive Rectoris alicuius, exprimi nomen Praepositi Generalis vel Vicarii Generalis, quod fieri non debet. Sententia igitur fuit R. Patris nostri, a Congregatione approbata: ut extra illa tempora, quibus fit professio vel gradus in manibus ipsius Praepositi Generalis vel Vicarii Generalis, semper, omissis eorum nominibus, exprimatur tantum nomen eius, qui professionem vel gradum excipit; quemadmodum volunt Constitutiones, Formulae et Congregationis generalis XII decretum 56.

7, in Ms. act. 7.

Probantur litterae Patris nostri ad Pontificem, grati animi Societatis et obedientiae testes.

Lecta fuit epistola, quam R. Pater noster ad Summum Pontificem daturus erat, repetens gratias a praedecessore suo iam actas pro confirmatione Societatis, et promptam Sociorum, maxime Professorum, obedientiam ad nutus Apostolicae Sedis exhibens. Hac epistola probata, actum fuit de dissolvenda Congregatione. Omnibus annuentibus, R. Pater noster gratias Patribus egit, quod cum charitate et zelo ad commune Societatis bonum incubuerint; cohortatus est insuper omnes ad labores circa animarum salutem et in officiis propriis alacriter et generose ferendos; ac tum, gratiis Deo persolutis, Congregatio haec Generalis polocensis IV, inter mutua charitatis officia et faustas precationes, soluta est die 14 Octobris, veteri stilo, anno 1802.

Hortatio P. Generalis.

Congregationis dissolutio.

EPISTOLA AD S. PONTIFICEM DATA AB A. R. P. N.

Beatissime Pater.

Litterae Praepositi Generalis ad Pium VII Pont. Max.

Tandem, post superatos omnes obices, placuit Imperatori nostro clementissimo Suae Sanctitatis breve, confirmans Societatem Iesu in Imperio russiaco, nobis tradere; id quod Societatem hanc parvam ingenti cumulavit gaudio. Indictae ubique in nostris Collegiis gratiarum actiones et preces ad Dominum pro incolumitate Sanctissimi nostri Patris, qui parvulam hanc Societatem, toto corde Romanae Sedi devotam, paterno oculo respicere dignatus est. Sed statim post gaudium luctus; eripitur nobis Generalis Praepositus P. Franciscus Kareu, cui Dominus Deus tantum videtur eousque vitam protraxisse,

P. Gruber Praep. Gen. pro Russia. 1802

ut per confirmationem Societatis Iesu adhuc in hac vita eum solaretur pro longae infirmitatis molestiis, quas patienter toleravit. Ut igitur Societas praecipue criticis his temporibus non sine Generali esset, petita illico facultas a Sua Maiestate, ut Electores ex omnibus Collegiis convenire possent; quod illico concessum cum addito, ut secundum Institutum nostrum electio fieret. Facta igitur Congregatione Polociae, die 10 Octobris, servato ordine et forma per Institutum praescripta, visum est Patribus me, licet oppido huic oneri imparem, in eiusdem Societatis Praepositum Generalem unanimi suffragio eligere. Ego itaque, tamquam filius, ad pedes Beatissimi Patris prostratus, humillime benedictionem paternam efflagito. Tui sumus, Beatissime Pater, nec minus debemus tibi, qui nos paucas reliquias e communi clade superstites in Imperio russiaco confirmasti, quam Paulo III, qui primus Regulam S. Ignatii approbavit. Parvula haec licet Societas Iesu, angustis adhuc limitibus circumscripta, tota tamen ad nutus Suae Sanctitatis est promptissima; nihilque aliud desiderat, quam ut Christus Dominus, qui Romae denuo nobis per suum in terris Vicarium propitius esse dignatus est, Sanctitatem Vestram Ecclesiae sanctae nobisque in longitudinem dierum servet incolumem. O utinam haec nostra quotidiana ad Deum vota mihi quantocius liceret ore tenus exponere, atque cor filiale in sinum Sanctissimi Patris effundere! Interea, absens, ad sacrorum pedum osculum provolutus, ego cum omnibus meis Sociis apostolicam benedictionem pro me nobisque omnibus cum profundissima animi demissione efflagito.

Polociae, 12 Octobris 1802.

Sanctitatis Vestrae
infimus ac obedientissimus filius
Gabriel Gruber P. G. S. I.

Responsio Summi Pontificis.

DILECTO FILIO GABRIELI GRUBER,
PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU.

Responsio Summi Pontificis.

Dilecte Fili. * Non è piccola la parte, che noi prendiamo alla letizia nata in Lei e nei suoi compagni per le dimostrazioni di benevolenza e patrocinio, che cotesto Potentissimo Monarca le ha date anche col fatto da Lei espostoci nella sua dei 12 del passato Ottobre; e ci siamo non meno rallegrati nel sentire la scelta fatta a voti unanimi dalla di Lei degna persona in Generale della Compagnia. La stima e giusta opinione dei molti

---

* Gaudio, quo tu tuique Sodales exsultatis ex benevolentiae et patrocinii significationibus, quas potentissimus iste Imperator illa etiam re, de qua tuis litteris datis die 12 Octobris elapsi Nos edocuisti, tibi exhibuit; et Nos haud sane mediocriter afficimur; nec minus Nobis gavisi sumus, cum accepimus te, cunctis suffragiis, Praepositum Generalem Societatis iure meritoque renuntiatum. Prae debita enim qua polles apud omnes existimatione et fama ob tua multa merita tuamque doctrinam, quam cum vero animarum zelo et cum sapientia coniungis non mediocri, pro certo habemus Societatem non tam desideraturam amissum caput, quam sibi de novo electo in dies magis gratulaturam. Nos interim te Deo ardentibus precibus commendabimus, atque ex tui ipsius ac tuorum Sodalium opera maiora in dies Religioni commoda nobis pollicemur, cuius in bonum et animum et praecipuum fervidissimumque nostrarum curarum studium intendimus; et tibi benevolentiam nostram, ubi sese obtulerit occasio, testari exoptantes, paterno amore Apostolicam Benedictionem impertimur.

P. Gruber Praep. Gen. pro Russia.

di Lei meriti e del suo sapere unito al più sincero zelo e ad una saviezza non comune, ci assicurano che la Società non tanto avrà a dolersi della perdita del suo defunto capo, quanto avrà a rallegrarsi sempre più della scelta del nuovo. Noi non lasceremo di raccomandarla fervorosamente all'Altissimo e ci ripromettiamo dalla di Lei opera e dei suoi compagni i più costanti vantaggi a favore della Religione, a cui sono rivolte le più fervide cure del Nostro ministero, e desiderosi di potere esser a Lei utili, ove le occasioni ci si presentino, restiamo dandole con paterno affetto l'Apostolica Benedizione. 1802

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, die 15 Ianuarii, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PAPA VII.

DECRETA

CONGREGATIONIS GENERALIS POLOCENSIS QUINTAE.

P. Brzozowski Praep. Gen. Rus. et Neap.

Br. Catholicae Fidei, *Litt. Apost. pag. 332.*

Causa Congregationis convocandae.

Dies, qua mortalitem exuit A. R. P. Gabriel Gruber, secundus a confirmata per breve Pii VII Pont. Max. in Imperii russiaci finibus Societate Praepositus Generalis, fuit 26 Martii, veteri stilo, 7 Aprilis, novo stilo, 1805. Is, cum Petropoli ob negotia Societatis diversaretur, in exarato per se chirographo suum in casu propriae mortis Vicarium fore R. P. Antonium Lustyg, Assistentem et Provincialem, Polociae commorantem, destinavit. Aderat tunc morienti P. Thaddaeus Brzozowski Assistens et Secretarius Societatis, qui de sui Praepositi obitu protinus nuntium dedit, tum Patribus nostris in utraque Sicilia exsistentibus, tum Illustrissimo Comiti Kotschoubey, imperatorio ab internis negotiis Ministro, tum ipsi designato Vicario. Verum R. P. Vicarius tantisper moratus est Polociae, usque dum defuncti corpus permissu imperatorio ab oris nevanis ad sepulcra illinc Patrum devehendum portaretur, ac proinde usque per sacra officia eidem parentaretur. Hoc praestito, nihil cunctatus R. P. Vicarius, quin comite suo P. Iosepho Korycki, suo ad negotia provincialia Socio, in viam se versus Petropolim daret, pro obtinenda permissione celebrandi Conventus generalis. Voti compos factus, et adscitis pro reditu comitibus P. Thaddaeo Brzozowski, Assistente et Secretario Societatis, P. Eduardo Desperamus et P. Iosepho Korycki, reversus Polociam dedit absque mora encyclicas litteras pro celebrando Electorum Conventu, qui fixo die ad 27 Augusti, veteri stilo, 8 Septembris, novo stilo, initia sumpturus erat. 1805

P. Brzozowski Praep. Gen. Rus. et Neap.

1805

Decretum 1, in manu scriptis act. 1.

Substitutus pro P. Provinciali utriusque Siciliae admittitur.

Die constituto, cum adessent Electores ex Collegiis, initium est datum Congregationi. Ac primo, servatis omnibus ex Formula praescriptis, perpendebantur responsa neapolitana a P. Iosepho Pignatelli, Provinciali, et a P. Caietano Angiolini, Assistente et Procuratore Generali, ad R. P. Vicarium data, quorum uterque in russiacas regiones, nec se ipsum venire, nec alios e medio sui submitti posse affirmabat; et propterea, commissione in scriptis facta, substituebatur a P. Pignatelli loco sui P. Iosephus Angiolini, placentinus, Professor Theologiae dogmaticae, Polociae habitans. Placuit Congregationi eiusmodi commissio et substitutio; proinde P. Iosephus Angiolini mox in ordine Electorum, Assistentes inter et Rectores, locum, tamquam Vice Provincialis Provinciae neapolitanae subrogatus, obtinuit. Ob absentiam quoque P. Stanislai Swietochowski, unius ex Electoribus Collegii polocensis, qui, via extra Collegium remoratus, tardabat incommode suum adventum, suffecto in eius locum P. Ioanne Dargiewicz, postquam definitum fuit eos, qui adsunt, plenam ac legitimam conficere Congregationem; lecti fuere secretis ad plura suffragiis: in Secretarium Congregationis P. Thaddaeus Brzozowski, Secretarius Societatis; in oratorem P. Ignatius Brzozowski, Praefectus spiritualis in Collegio orsensi; in arbitros ad colligenda detrimenta et postulata: P. Ioannes Hochbichler Rector Collegii petropolitani; P. Iacobus Rogalinski, Rector Collegii düneburgensis et Magister Novitiorum; P. Iosephus Angiolini, Professor Theologiae dogmaticae in Collegio polocensi, idemque referens partes Vice Provincialis neapolitani; P. Iacobus Wissinger, Professor linguae graecae in Collegio polocensi. Demum in Iudices de ambitu antiquissimi professione quatuor designati fuerunt: P. Anselmus Eckardt, socius Magistri Novitiorum; P. Casimirus Toczyski, exhortator domesticus in Collegio polocensi; P. Hieronymus Wichert, Assistens et Rector Collegii orsensis, et P. Martinus Strusinski, Consultor Provinciae.

Ob absentiam unius ex Electoribus alius sufficitur.

Electio Secretarii Congregationis, Oratoris,

Deputatorum ad detrimenta et postulata. *C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.*

Designantur Iudices de ambitu.

Adventus Electoris absentis;

Sub haec adfuit de via P. Stanislaus Swietochowski et se praeventum ab alio invenit; re tamen dilata ad decisionem subsequentem, de eius in coetum Patrum admissione, determinatum fuit: diem posteram, nempe 28 Augusti, integram impendi debere colligendis detrimentis in ordine ad interrogatorium parandam.

2, in Ms. act. 2.

qui admittitur in Congr., abdicante ius suum sponte eo, qui suffectus fuerat.

Assistens electionis eligitur.

Hortatio P. Vicarii.

Die quatridui prima, quae erat 29 Augusti, P. Ioanne Dargiewicz abdicante ius suum sponte interveniendi Congregationi in P. Stanislaum Swietochowski, utpote antiquiorem professione, cum Patres eiusmodi cessioni annuissent, hic ingressus est Comitium; et mox itum est per secreta suffragia ad electionem Assistentis electionis, qui fuit P. Martinus Strusinski, Consultoris Provinciae munere fungens. Dein, praemissa hortatione a R. P. Vicario ad PP. Congregatos, de dotibus eligendi et cautelis bonae electionis, decisum tempus funebrium solvendorum secundo pie defuncto Praeposito; a Patre autem Secretario Congregationis interrogatorii de detrimentis confecti facta est communicatio Patribus Electoribus.

P. Brzozowski Praep. Gen. Rus. et Neap.

1805

3, in Ms. act. 3 et 4.

Electio Praepositi Generalis,

EVOLUTO quatriduo, die 2 Septembris, veteri stilo, 14 eiusdem, novo stilo, qui huic rei iam ante destinatus erat, servatis omnibus iuxta Formulam et Decreta, ad tertium scrutinium, plus quam dimidia suffragiorum parte electus est in Praepositum Generalem P. Thaddaeus Brzozowski, Assistens et Secretarius Congregationis et Societatis, scriptumque mox super ea re a R. P. Vicario decretum, et in Comitio vulgatum. A meridie eiusdem diei de novo Congregationis constituendo Secretario actum est, isque demum per plura suffragia dictus fuit P. Iosephus Korycki, Socius R. P. Provincialis. Pro Assistentium vero, quae imminebat, electione, biduum ad capiendas informationes determinatum.

et novi Secretarii Congregationis.

4, in Ms. act. 5.

Electio Assistentium, *C. 8 d. 2.*

POSTQUAM per plura medietate, eaque secreta, suffragia Assistentes electi fuere: P. Antonius Lustyg, Provincialis, qui iam bis officio Assistentis et nuper Vicaria generali administratione perfunctus, ad primum; P. Eduardus Desperamus, Elector ex Collegio petropolitano, ad secundum; P. Hieronymus Wichert, Rector Collegii orsensis, qui ter iam Assistentis functionem exegerat, ad tertium; et P. Ioannes Hochbichler, Rector Collegii petropolitani, ad tertium scrutinium; tum electus est in Admonitorem, tertio etiam scrutinio, P. Martinus Strusinski, Assistens Congregationis et Consultor Provinciae. Deinde veteres et novi Assistentes iuxta Formulam ante effigiem Crucifixi iureiurando se strinxere.

et Admonitoris. *C. 8 d. 2.*

5, in Ms. act. 6 et 7, et in act. particular. ibid.

Relatio electionis Praepositi mittitur Petropolim.

QUONIAM ecclesiasticum Petropoli Collegium de facta novi Praepositi Generalis electione praemonendum erat, relatio igitur eiusmodi pro more, ac alias iuxta leges imperiales, usuveniebat, munita subscriptionibus Secretarii Congregationis et Electorum, ad idem Collegium expedita fuit.

Nominatur a Patre nostro Secretarius Societatis.

Postea, nominato ab A. R. Patre nostro in Secretarium Societatis P. Iosepho Korycki, super singulos detrimentorum et postulatorum articulos responsa A. R. Patris nostri Congregationi communicata fuere; quibus per omnia probatis a Congregatione, praecipue conventum est: 1. Neminem posse, qui prius nesciverat, discere musicam, nisi cum expressa Praepositi Generalis venia; 2. Missionariis primis reliquos socios teneri in omnibus obedire, tamquam veris suis Superioribus; 3. Suffragia pro mortuis, tam Provinciae neapolitanae, quam russiacae, facienda tantum in suis respective Provinciis; pro mortuis vero extra Provinciam sufficere tantum Missam hebdomadariam.

Musica a Nostris non addiscenda.

Missionariis primis, ut veris Superioribus, obediendum.

Suffragia pro mortuis, tam Provinciae neap. quam russ. facienda tantum in respectivis Provinciis.

Sed cum intercessio quorumdam facta fuisset, ut ad augendum cultum B. MARIAE Virginis promerendamque Societati singularem eiusdem protectionem, stabili in posterum lege in utrisque vesperis festorum solemnium B. MARIAE Virginis, nempe Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis, dum recitantur consuetae de omnibus Sanctis litaniae, iisdem praemitterentur litaniae lauretanae; item, ut in privata recitatione earumdem de omnibus Sanctis litaniarum suo loco beatorum Nomina Martyrum Ia-

Litaniae Lauretanae in festis solemnibus B. MARIAE V. praemittendae litaniis Sanctorum; *C. 9 d. 7. C. 10 d. 14. C. Poloc. 2 d. 8.*

et in privata earum recitatione addantur nomina BB. Martyrum Iaponensium.

P. Brzozowski Praep. Gen. Rus. et Neap.

1805

poniensium invocarentur; Congregatio utrique huic postulato satisfaciendum iudicavit.

6, in Ms. act. 8 et 9.

Decretae gratiarum actiones Pio VII, Pont. Max.

DATURUS A. R. Pater noster Summo Pontifici plenas profundae reverentiae, promptissimi obsequii ad omnes nutus, et gratissimi animi litteras, simul cum munusculo bis mille Sacrificiorum aliarumque totidem et amplius devotionum et orationum, quas Societas pro sui restauratoris incolumitate fortunisque absolvendas suscepit; cum legisset in coetu Electorum, placuit iisdem huiusmodi argumentum et homagium; commendatumque est tum P. Provinciali, tum Rectoribus Collegiorum in Russia, ut, Domum venientes, singulis suis Patribus 10 Sacrificia, Fratribus autem 5 communiones et 10 coronas hoc fine indicerent.

Item Regi ac Reginae utriusque Siciliae.

Sed quoniam Regi et Reginae utriusque Siciliae per amplissimam vereque regiam erga nos clementiam placuit antiquas Societatis sedes restituere, summisque Socios ibidem exsistentes ornare beneficiis; ut tantae pietati ac liberalitati nostrorum restauratorum Regum quoquo modo per effusas ad DEUM preces responderemus; pariter per universam Societatem, ut singuli Patres 10 Sacrificia et Fratres 10 coronas pro incolumitate et prosperitate optimorum Regum dicerent, iniunctum est.

Hortatio P. Generalis.

Perfectis exacte universis iuxta apices Instituti, quae materies poterant esse communis consilii et approbationis, cum nihil amplius superesset, nisi suum rebus addere colophonem, A. R. Pater noster exploravit sententiam Patrum: num placeret solvere Congregationem. Cui propositioni cum annuissent, tum ille, praemissa primum adhortatione ad eorum, quae providenter sancita sunt, exsecutionem, ad amorem crucis et Instituti altius in dies in corde cuiusque roborandum, ad labores in animarum cura per ministeria sacra generose exantlandos, ad sedulitatem in officiis unicuique propriis alacriter exhibendam, ad studia litterarum in athenaeis nostris diligentissime cum profectu discipulorum proponenda et tractanda, ad disciplinam religiosam iuxta omnes modestiae, silentii devotionisque leges cum exacta votorum observatione studiosius exigendam; dein, actis D. O. M. de more gratiis, inter alterna omnium mutuae charitatis officia et precationes, die 7 Septembris, veteri stilo, 19 eiusdem, novo stilo, solvit Congregationem, quae in ordine generalium polocensium quintae nomen obtinet.

Congregationis solutio.

P. Brzozowski Praep. Gen. Rus. et Neap. 1805

DILECTO FILIO THADDAEO BRZOZOWSKI,

PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU.

PIUS PP. VII.

Responsio Summi Pontificis ad litteras Praepositi Generalis.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. * La notizia da Lei dataci con sua lettera dei 14 del decorso Settembre della scelta della di Lei persona in Generale della Compagnia, ci ha rallegrati, non solo perchè con essa abbiamo ricevuta una nuova testimonianza della divozione e attaccamento, per cui la Compagnia medesima si è sempre distinta verso questa Santa Sede; ma ancora perchè essendoci stati riferiti i di Lei meriti e virtù, vediamo con quanta prudenza e saviezza sia stata collocata nella di Lei persona questa dignità. È questo perciò un nuovo motivo in Noi di costantemente nudrire quella premura e quell'affetto, con cui riguardiamo un corpo, da cui la Chiesa di Dio e la Religione hanno ritratto considerabili vantaggi; e il quale non può non interessare il Nostro paterno cuore per la giusta e fondata fiducia che simili vantaggi debbano derivarne in avvenire. Noi quindi non lasciamo di raccomandarlo al Padre delle misericordie, onde si degni dirigerlo incessantemente alla gloria sua, al bene della Chiesa, ed al vantaggio spirituale dei fedeli: e in pegno di questi Nostri voti restiamo con dare a Lei, ed a cotesti individui della Compagnia l'Apostolica Benedizione.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, pridie kal. Novembris 1805, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIUS PAPA VII.

---

* Nuntium, quem tuis litteris datis die 14 Septembris elapsi, nobis misisti, te nempe Praepositum Generalem Societatis electum fuisse, gaudio Nobis fuit, non modo quod amoris et studii, quo eadem Societas erga hanc Sanctam Sedem semper excelluit, novum ex hoc accepimus testimonium; verum etiam quod, tua merita tuamque virtutem edocti, perspicimus qua prudentia et sapientia hoc munus fuerit tibi demandatum. Quod novum Nobis erit argumentum, cur assidue curam illam et benevolentiam foveamus, quibus Societatem complectimur, ex qua magna in Dei Ecclesiam et Religionem commoda profluxerunt, quaeque plurimum Nobis cordi esse debet, cum eadem bona, et in posterum ex illa proventura, merito firmiterque confidamus. Quare illam misericordiarum Patri commendare non desistimus, ut in gloriam suam, in Ecclesiae bonum, in spiritualem Christi fidelium utilitatem illam perpetuo regere dignetur; et Nostrorum votorum pignus tibi et tuae Societatis hominibus apostolicam benedictionem impertimur.

DECRETA

VIGESIMAE CONGREGATIONIS GENERALIS,

A RESTITUTA SOCIETATE PRIMAE.

P. Fortis Praep. Gen.

1820

Causa Congregationis convocandae.

CUM die 5 Februarii 1820 diem extremum obiisset R. Pater noster Thaddaeus Brzozowski, anno sui regiminis decimo quinto, a restituta autem Societate anno sexto, designatusque esset illius chirographo Vicarius Generalis R. P. Marianus Aloisius Petrucci, Rector et Magister Novitiorum genuensis; hic Congregationem, ad novi Praepositi Generalis electionem, indixit in diem 14 Septembris. Qua die, licet omnes fere adessent Electores, supremo mandato per litteras Eminentissimi Cardinalis Vicarii intimato, dilata est Congregatio; cum vero die prima Octobris prodiisset rescriptum Summi Pontificis, quo iubebatur: Congregationem generalem quamprimum celebrari, et Praepositum Generalem quam primum eligi; initium datum est Congregationi die nona eiusdem mensis Octobris.

Differtur Congregatio.

Congregatio quamprimum celebranda.

DECRETUM 1, in manu scriptis act. 1, 2, 3 et 7.

Cur non exspectati absentes.

CUM plenam ac legitimam esse Congregationem Patres pronuntiassent, absentibus licet Patribus siculis, quos exspectandos non esse declaratum est, 1. Quia urgebat mandatum Summi Pontificis de facienda *quam primum* electione; 2. Quia dubitabatur utrum, ob circumstantias, venire possent dicti Patres; 3. Quia sine gravi Societatis detrimento electio videbatur non posse differri; electus est ad plura suffragia Secretarius electionis P. Antonius Korsak, Elector Poloniae. Deinde deputati sunt secretis suffragiis ad detrimenta recognoscenda, ex diversis nationibus: P. Aloisius Landes, Elector polonus; P. Ioannes Rozaven, Vice Provincialis Galliae; P. Ioannes Grassi, Elector Angliae; P. Petrus Ganuza, Elector Hispaniae. Designati autem Iudices de ambitu, ratione antiquitatis professionis: P. Carolus Plowden, Provincialis Angliae; P. Billy, Admonitor defuncti Generalis et Elector Galliae; P. Andreas Galan, Vice Provincialis Hispaniae; et P. Aloisius Fortis, Elector Italiae.

Electio Secretarii electionis,

Deputatorum ad detrimenta,

Iudicum de ambitu,

Demum electi sunt ad plura secreta suffragia: P. Aloisius Fortis in Oratorem in die electionis; P. Augustinus Monzon, Vice Praepositus Domus Professae, in Inclusorem; et P. Aloisius Landes in Assistentem electionis.

Oratoris, Inclusoris, et Assistentis electionis.

2, in Ms. act. 8.

Electio Praepositi Generalis.

DIE praefinita, 18 Octobris, quae est S. Evangelistae Lucae sacra, interiecto de more quatriduo, atque

P. Fortis Praep. Gen.

omnibus rite servatis, quae in Formula et Constitutionibus et Decretis praescribuntur, electus est ad plura medietate suffragia in Praepositum Generalem, secundo scrutinio, P. Aloisius Fortis, statimque formatum est de ea electione decretum, subscriptumque a Praeside electionis et promulgatum.

3, in Ms. act. 9

Eligitur Secretarius Congregationis is, qui fuerat electionis: adduntur illi duo socii.

ELECTUS est in Secretarium Congregationis, is qui fuerat electionis, P. Antonius Korsak, eique additi sunt socii, P. Ioannes Rozaven, et P. Ioannes Grassi; deinde deputati sunt ad seligenda postulata P. Raymundus Brzozowski, Assistens; P. Iosephus Sineo, Provincialis Italiae; P. Grivel, Elector Galliae; P. Plowden, Provincialis Angliae.

Deputatio ad postulata.

4, in Ms. act. 11, et 12

Ex quibus nationibus eligendi quatuor Assistentes. *C. 8 d. 2.*

DIE 23 Octobris, ultima nimirum quatridui capiendis informationibus destinati, electi sunt Assistentes. Ante electionem vero secretis suffragiis decisum est: eligendos quidem esse Assistentes, pro Italia Italum, pro Polonia Polonum, reliquos autem duos, pro hac vice tantum et ob peculiares rationes, eligi posse ex quacumque natione, iuxta uniuscuiusque conscientiam. Deinde electus est ad plura medietate suffragia secreta, pro Italia, secundo scrutinio, P. Vincentius Zauli, Sacrae Poenitentiariae Theologus; pro Polonia, primo scrutinio, P. Raymundus Brzozowski, qui iam hoc munere functus fuerat apud defunctum Generalem. Tertius vero Assistens eodem modo electus est, secundo scrutinio, P. Augustinus Monzon, Vice Praepositus Domus Professae. Quartus denique, primo scrutinio, P. Ioannes Rozaven, Vice Provincialis Galliae. Statim vocati sunt PP. Zauli et Monzon, qui non intererant Congregationi; cumque omnes Assistentes praestitissent praescriptum iuramentum, vocatus est etiam P. Iosephus Korycki, Secretarius Societatis, ad electionem Admonitoris, quae eadem die vespere facta est. Fuit autem electus in Admonitorem, ad plura mediatate suffragia, secundo scrutinio, P. Augustinus Monzon.

Assistentes eliguntur.

1820

Duo ex his, absentes, post omnium electiones vocantur. *C. 11 d. 10. C. 14 d. 3. C. 18 d. 4.* Vocato Secretario Soc., eligitur Admonitor. *C. 8 d. 2.*

5, in Ms. act. 12.

Conceditur, ut unus Assistens sit simul Vice Praepositus Domus Professae.

CUM iuxta decretum 32 Congregationis quartae Assistens non possit esse Vice Praepositus Domus Professae, R. P. Generalis petiit dispensationem ab hoc decreto, saltem ad aliquod tempus, quia, propter penuriam personarum, difficile esset statim aliquem substituere in locum P. Augustini Monzon, electi in Assistentem. Congregatio libenter assensit, et reliquit prudentiae R. Patris nostri determinare quando cessaret necessitas utriusque muneris coniungendi.

6, in Ms. act. 9 et 10.

Omnes Constitutiones, Decreta Congregationum, Regulae, Formulae, Ord. Gen. etc. antiquum robur obtinent.

CUM proposuisset R. Pater noster: an placeret Congregationi decernere, ut omnes Constitutiones nostrae, Decretaque Congregationum, Regulae, Formulae, Ordinationes Generalium, etc. antiquum suum robur obtinerent, quo ostenderet renascens Societas se antiquorum Patrum vestigiis insistere velle, nec minimum a sancto nostro Instituto recedere; haec propositio summo omnium plausu excepta est, et, nemine prorsus contradicente, statutum, ut hac de re sequens efformaretur decretum.

Etsi minime dubium videatur, et Constitutiones a sanctissimo Patre

P. Fortis Praep. Gen. 1820

et Fundatore nostro datas, et quidquid eis addendum decursu temporis Patres nostri sapienter iudicarunt, ab initio restitutae Societatis omnem suam vim ad obligandum obtinuisse, cum manifestissima fuerit sanctissimi Domini nostri Pii VII voluntas, ut Societas a se restituta iisdem, quibus antea, legibus regeretur; tamen, ad tollendas omnes anxietates, et ad frangendam aliquorum perturbatorum pertinaciam, Congregatio, non solum Constitutiones cum Declarationibus, sed etiam Decreta Congregationum generalium, Regulas communes, et peculiares singulorum officiorum, Rationem Studiorum, Ordinationes Generalium, Formulas, et quidquid ad legislationem nostrae Societatis pertinet, confirmat, et, quatenus opus sit, de novo statuit, iuxta potestatem datam Praeposito Generali et Congregationibus a Pauli III Constitutionibus; vultque, ut omnia et singula eamdem vim obtineant ad obligandum omnes, qui in Societate vivunt, quam habebant ante breve suppressionis Clementis XIV.

Litt. Apost. pag. 332-341.

Litt. Apost. pag. 3-21.

Litt. Apost. pag. 313-328.

Excipiuntur tamen ea, quae innituntur privilegiis nobis nondum restitutis, atque etiam praecepta, censurae et casus reservati, de quibus postea agetur.

7, in Ms. act. 12 et 13.

Providetur paupertatis voto servando.

Ut paupertatem ad primaevam praxim in Societate revocet, Congregatio, innixa Constitutionibus, bullis Summorum Pontificum et Decretis praecedentium Congregationum generalium, sequentia statuenda, vel potius renovanda esse censuit:

Nulli pensionum annuarum vel censuum liber usus relinquatur;

1. Cum paupertas in Societate, ut expresse dicitur in Examine Generali, cap. 1, § 3, ita accipi debeat, ut nemo velit aut possit reditus ullos ad suam sustentationem nec ad quidvis aliud habere; cumque evidens sit pensiones annuas vel census perceptos ex summis ad fructum collocatis veros esse reditus, non immerito Congregatio duodecima prohibuit, ne horum censuum aut pensionum liber usus cuiquam relinqueretur; et iussit, ut alicui Societatis Domo vel domicilio applicarentur, vel, si ex aliquo casu ea applicatio fieri nequiret, declaravit debere summam integram pecuniarum illarum sive pensionum venire in manus Superioris localis vel Provincialis, pro arbitrio Generalis; atque ut id inviolabiliter servetur mandat praesens Congregatio, vultque praeterea, ut singulis declaretur, has pecunias sive pensiones accipi ut eleemosynam factam Societati, ad quam nullum ius retinent.

C. 12 d. 37 n. 2. C. 14 d. 14.

sed alicui Societatis domicilio applicentur; vel, si hoc fieri nequit, pecuniae in manus Superioris veniant.

2. Quoad deposita, quae raro quidem et non nisi ob iustas causas, praesertim iunioribus et Coadiutoribus, permitti posse sub certis conditionibus eadem Congregatio duodecima censuit, non nisi eodem modo ea permittit haec Congregatio; vultque omnino, ut, si quando ea permittantur, integra pecunia sit apud Superiorem totius Domus, neque posse dispensare Superiores, ut aliquis Nostrorum pecuniam huiusmodi sub quocumque praetextu apud se retineat.

Deposita non nisi raro et iustas ob causas permittantur, praesertim iunioribus et Coadiutoribus; *C. 12 d. 41, 42, C. 16 d. 32. 35. C. 22 d. 26 n. 1.* et integra pecunia sit apud Superiorem.

3. Quod iam statutum fuit in Congregationibus XII et XVI, etiam praesens Congregatio statuit et confirmat: ut in his, quae pertinent ad victum, vestitum, cubiculique suppellectilem, et alia vitae communi necessaria, uniformitas, tam Superiorum cum inferioribus, quam inferiorum inter se omnino retineatur, eaque omnia

In rebus vitae communi necessariis uniformitas omnium retineatur, et eas inferioribus, qua par est charitate, Superiores suppeditent. *C. 12 d. 43. C. 16 d. 27. C. 18 d. 23 n. 2. C. 22 d. 25, 26 n. 2.*

P. Fortis Praep. Gen.

1820

et nulli permittere possint eas sibi alia via procurare. C. 6 d. 21. C. 12 d. 48.

teneantur Superiores inferioribus suis, qua par est charitate, suppeditare; declaratque, nulli licitum esse ea sibi alia quacumque via quaerere, aut per alios procurare, nec penes ipsos Superiores, ac etiam Provinciales vel quoscumque alios esse hanc illis facultatem dare. Et, si forte peculiare quid alicui, ob infirmam valetudinem aut iustam aliquam causam, necessarium iudicetur, a Superioribus suppeditetur, neque credendum est id vitae communi repugnare.

Dare peculiare quid infirmis, vitae communi non repugnat. C. 16 d. 27.

Bonorum renuntiatio fiat generatim post quadriennium, servando formalitates legales, omni spe abscissa ea recuperandi. Ord. Gen. c. 1 n. 10. C. 3 d. 39. C. 7 d. 17. C. 11 d. 17. C. 12 d. 37. C. 15 d. 8.

4. In renuntiatione bonorum, quae a Nostris fieri debet post quadriennium ab admissione, nisi aliter ob iustas rationes iudicet Praepositus Generalis, omnino servandae sunt formalitates legales, ut, iuxta Ordinationem P. Aquavivae, omnis spes abscindatur umquam redeundi in possessionem bonorum, quibus renuntiatum est, quod aliquibus occasio esse posset tentationis et inconstantiae.

Superiores omni cura paupertatem in sua puritate conservare satagant, ex qua prosperitas Societatis multum pendet. C. 11 d. 23. C. 12 d. 36-43. C. 16 d. 27. C. 18 d. 22 n. 2. C. 22 d. 25, 26 n. 2.

5. Cum ad singula descendere nequeat Congregatio, serio commendat omnibus Superioribus: ut paupertatem, a S. Patre nostro tam sollicite commendatam, in sua puritate conservare satagant, atque etiam R. Patrem nostrum rogat: ut ea omnia, quae a suis Praedecessoribus circa hanc materiam sapienter statuta atque ordinata sunt, confirmet et executioni mandari curet; cum, ex restauratione primaevae illius paupertatis, Societatis nostrae bonam famam et prosperitatem multum pendere existimandum sit.

8, in Ms. act. 14.

A Sacerdotibus, qui nullum aut fere nullum habuerunt tirocinium, hoc supplendum in 3.° prob. anno. C. 8 d. 9.

Quoniam plures Sacerdotes his initiis ingressi sunt Societatem, et ob circumstantias nullum aut fere nullum habuerunt Tirocinium, decrevit Congregatio: ut ii, et quicumque alii unum saltem annum novitiatus non peregerunt, etiam si ante ingressum in Societatem omnia studia absolvissent, non admittantur ad gradum, quin tertium annum probationis absolverint.

9, in Ms. act. 14.

*Fiat nova editio Instituti in diversis tomis commodioris formae, omissis iis, quae minus necessaria sunt. * Litt. Apost. pag. 339. C. 14 d. 8. C. 17 act. 22 Ms.*

Cum Summus Pontifex, Pius VII, in sua constitutione, qua nostram Societatem Iesu in universo orbe restituit, * praecipiat: ut ad praescriptum Regulae S. Ignatii, apostolicis Pauli III constitutionibus approbatae et confirmatae, nostram accommodemus vivendi rationem, Constitutionesque ab eo conditas accurate observemus; Congregatio generalis, occurrens paucitati et defectui exemplarium, decernit: ut, omissis iis, quae minus necessaria sunt, ut sunt constitutiones Pontificum a Paulo III ad Pium VII, privilegia et alia huiusmodi, caetera reimprimantur in diversis tomis commodioris formae, incipiendo a bullis Pauli III et Pii VII, Examine Generali, Summario Constitutionum, Regulis communibus, et sic successive; et hanc novam editionem commendat curis et sollicitudini R. Patris nostri.

10, in Ms. act. 14.

Ratio Studiorum nostris temporibus accommodetur; et, postquam probata fuerit, communicetur Provinciis. C. 4 d. 31. C. 21 d. 15. C. 22 d. 38. C. 23 d. 16.

Postulatum est a Provinciis, ut nostra Ratio Studiorum nostris temporibus accommodaretur. Annuens huic postulato Congregatio, decrevit: ut R. P. Generalis selectis Societatis nostrae viris curam revidendae Rationis Studiorum demandaret, revisamque cum PP. Assistentibus examinaret, et approbatam omnibus Societatis Provinciis observandam praescriberet; concesso tamen iusto temporis

P. Fortis Praep. Gen.

1820

spatio, ut e Provinciis Romam mittantur observationes, quae ad emendandam expoliendamque hanc Rationem possent inservire.

Opinionum et auctorum proscribendorum elenchus, a Provincialibus conficiendus, Generali approbandus proponatur. C. 11 d. 22. C. 12 d. 28, 56 n. 3. C. 14 d. 5. C. 16 d. 36 n. 4. C. 18 d. 20. C. 21 d. 14. C. 23 d. 16, a.

Interim vero voluit Congregatio: ut, ad aliquam uniformitatem in singulis saltem Provinciis inducendam, Provinciales aliquas regulas provisorie statuant, a quibus non liceat Professoribus recedere, et R. P. Generali approbandum proponant elenchum opinionum, quas a Nostris doceri aut teneri non expediat, et etiam auctorum, qui in scholis nostris praelegi non debent.

11, in Ms. act. 14.

Res defunctorum sunt illius Domus, in qua moriuntur et cui erant addicti.

Petitum fuit, quid faciendum, si quis e Nostris, qui ad aliam Provinciam pertineat, moriatur in aliqua Domo nostra, et relinquat, vel pecuniam, vel res aliquas alicuius valoris, quae erant ad usum defuncti. Decrevit Congregatio: quod in hoc casu, qui vix accidere potest, si observentur decreta circa paupertatem, ea omnia, quae erant ad usum Religiosi defuncti, pertineant ad Domum in qua mortuus est, si saltem in ea Domo fixam et determinatam a Superioribus habitationem habebat.

12, in Ms. act. 14, 15 et 19.

Postulata ad disciplinam promovendam.

Non admittantur nisi apti et probati.

Biennii lex exacte servetur: in 2.o anno non indiscriminatim concedantur studia; et non Sacerdotes ad Collegia non mittantur.

Plura proposita sunt Congregationi ex postulatis Provinciarum, nempe: 1. Ut non admittantur in Societatem nisi vere apti, et, ut plurimum, qui Rhetoricam absolverunt, nec sine examine, aut non bene probati. 2. Ut biennii lex exacte servetur, utque in secundo anno studia non permittantur indiscriminatim omnibus, sed tantum iis, quibus permitti possunt sine spiritus detrimento. 3. Ut secundo anno nemo, qui Sacerdos non sit, mittatur ad docendum in aliquo Collegio, aut ad invigilandum pueris in Convictu. 4. Ut Sacerdotes saltem annum integrum peragant in Domo Tirocinii, nec toto eo tempore permittantur occupari in sacro ministerio. 5. Ut tertius annus probationis, in quantum fieri potest, integer peragatur ab iis, qui studia in Societate absolverunt. 6. Ut nullus admittatur Coadiutor temporalis, qui aliquam artem non calleat, vel saltem facile addiscere possit tempore Tirocinii. 7. Ut, quamprimum fieri poterit, in omnibus Provinciis erigatur Domus tertiae Probationis. 8. Ut nemo admittatur ad professionem quatuor votorum, nisi praemisso examine ad mentem Constitutionum et Congregationum, exceptis iis, quos ipsae Constitutiones aut Decreta Congregationum excipiunt. 9. Ut nemini Nostrorum, nisi maturae sit aetatis, et, si fieri potest, ante determinatam aetatem, permittatur frequentare Monasteria Monialium aut puellarum Conservatoria; et iis, quibus permittetur, liceat accedere tantum ad tradenda Exercitia Spiritualia, vel pro excipiendis extraordinarie confessionibus. 10. Ut nimia Nostrorum frequentia in domibus saecularium imminuatur, et ut restituatur observatio regulae * statuentis, ne quis visitationes instituat sine speciali facultate, manifestando Superiori locali ad quem accedere velit et qua de causa.

Sacerdotes annum saltem in Domo Prob. peragant.

Annus 3.us prob. integre peragatur. C. 22 d. 44 n. 1.

Coadiutores admittendi sint utiles.

Domus Prob. in Provinciis erigendae.

In admittendo ad prof. serventur Const.

Aetate non maturi non frequentent Monast. Monial. aut conserv. puellarum; et maturi non ordinarie accedant.

Visitationes in domibus saecularium minuantur, nec sine Superioris facultate fiant. * Reg. 44 comm.

Fiat de his Instructio ad Provinciales.

Haec quidem omnia approbavit Congregatio, et censuit iam sufficienter praecipi in Constitutionibus et Decretis Congregationum; commendavit autem R. Patri nostro, ut exsecutioni dentur, scripta de iis et aliis, quae iudicabuntur necessaria, Instructione ad Provinciales.

P. Fortis Praep. Gen. 1820

Audita intercessione decernitur: si qui frequentius ad Monasteria et Conservatoria accedere debent, id fiat ob graves et iustas causas et ex speciali licentia.

Facta tamen est huic decreto intercessio, quoad punctum, in quo prohibentur Nostri accedere ad Monasteria Monialium vel puellarum Conservatoria, nisi ad tradenda Exercitia Spiritualia vel ad excipiendas extraordinarie confessiones, et dictum fuit huius decreti exsecutionem esse moraliter impossibilem, saltem in pluribus locis. Attentis rationibus, quae afferebantur, placuit Congregationi hanc apponere limitationem: ut, si in aliquibus locis obtineri nequeat, ne Nostri frequentius accedant ad dicta Monasteria et Conservatoria, id non fiat nisi ob graves et iustas causas, et ex speciali Superioris licentia.

13, in Ms. act. 17.

Commendatur P. Generali cura de Domibus Professis erigendis. *C. 3 d. 17. C. 19 d. 7. C. 22 d. 16.*

Propositum fuit: an Domus Professorum in singulis Provinciis essent erigendae. Res visa est in praesentibus circumstantiis difficillima; ut tamen in re tanti momenti suam sollicitudinem demonstraret Congregatio, renovandum censuit decretum 17 Congregationis tertiae, quo totum istud negotium R. P. Generali commissum fuit, eique commendatum: ut erigendis eiusmodi Domibus applicaret animum, relicto ipsius prudentiae et tempore, et loco, et modo.

14, in Ms. act. 17.

Convictus in Gallia tamquam Collegia inchoata habenda. *C. 6 d. 18. C. 9 d. 18. C. 22 d. 43.*

De Domibus in Gallia, quae bona stabilia non habent, scholas autem habent et numerosissimos convictores, quaesitum est, quo loco habendae sint; et visum est omnibus: eas saltem tamquam Collegia inchoata haberi oportere, quorum Rectores eadem iura easdemque facultates habent ac caeteri Rectores.

15, in Ms. act. 17.

Studium Instituti in tertia probatione promovendum.

Quoniam ex non sufficienti peritia Instituti et Constitutionum nostrarum nonnulla incommoda orta sunt, et plura, ni remedium afferatur, orirentur; Patribus Instructoribus tertiae Probationis Congregatio commendat: ut studium Instituti summa cura promoveant, rationem de hoc studio ab iis, qui probantur, sibi reddi curent, ipsos examinent, et de uniuscuiusque profectu in intelligentia Instituti frequenter Provincialem certiorem faciant; Provincialis vero informationes acceptas in libro adnotet. In fine autem anni probationis, tum ipse Provincialis, tum P. Instructor ad R. P. Generalem scribant quantum quisque profecerit in scientia adeo necessaria. Illi qui, peractis studiis, Societatem ingrediuntur, nec proinde tertium probationis annum habent, huic studio incumbant secundo sui biennii anno, sive illum in Domo Tirocinii peragant, sive in Collegio, et Pater aliquis designetur, qui id fieri curet modo supra dicto.

Provincialis et Generalis certiores fiant quantum hi, qui probantur, profecerint in intelligentia Instituti.

Qui, peractis studiis, Soc. ingrediuntur, huic studio incumbant in 2.o biennii anno.

16, in Ms. act. 17.

Puniendae transgressiones, et publicae poenitentiae restituendae. *C. 6 d. 37. n. 6. C. 21 d. 27. Reg. 29 Praep. Reg. 28 Rect.*

Multi conquesti sunt, quod culpae contra disciplinam religiosam saepe impunitae relinquantur, et quod usus publicarum poenitentiarum in triclinio plurimis in locis in desuetudinem abiisse videatur. Quamobrem Superiores admonendos censuit Congregatio: ut tam laudabilem usum restituant, et inferiorum culpas, paterna quidem charitate, sed debita etiam severitate puniant, ad conservandam in suo vigore disciplinam religiosam.

P. Fortis Praep. Gen.

1820

17, in Ms. act. 17.

Regulae modestiae commendantur. C. 22 d. 44 n. 7.

NEMO nescit quantum cordi fuerit S. Patri nostro Regulas modestiae a se datas ab omnibus suis filiis quam accuratissime observari, quamque sollicite ab antiquis Patribus nostris fuerint observatae. Ut hac in parte Societas renascens antiquae minime cedat vehementer exoptans Congregatio, praedictarum Regularum exactissimam observationem omnibus commendat, et Superiores monet, ne negligentes sint in re, quam S. Pater noster tanti momenti esse existimavit.

18, in Ms. act. 19.

Vicarius Generalis quatuor habeat Assistentes.

QUONIAM et nostrae Constitutiones volunt, et experientia nos docuit necesse esse, ut Vicarius Societatis, mortuo Generali, nihil agat gravis momenti sine consilio et suffragio Assistentium; ne in posterum auxilium adeo necessarium ipsi deesse possit, Congregatio voluit et statuit: ut Vicario semper adsint quatuor Consultores a Societate assignati. Quapropter, si pauciores essent Assistentes, vel quia unus eorum electus esset in Vicarium, vel quia mortuus esset, aut absens ad diuturnum tempus, vult Congregatio: ut Substitutus Assistentis mortui, aut absentis, aut electi in Vicarium, eligatur a Professis illius loci, ubi esset Vicarius, vel loci vicinioris, eodem modo quo ipse Vicarius eligitur, in qua electione Vicarius suum etiam habeat suffragium. Ille autem, qui ita eligetur, habebit ius suffragii ad omnia, sicut Assistentes, non tamen ius ingrediendi Congregationem generalem, nisi eligatur a sua Provincia. Quod si duo aut tres Assistentes deessent, eodem modo eligerentur eorum Substituti, ita ut numerus quatuor Consultorum habentium suffragium sit semper completus. Si autem Assistentes absentes redirent, locum eis cederent eorum Substituti.

C. 1 d. 90. C. 2 d. 85. Off. Vic. n. 12.

Si pauciores sint, eorum, qui desint, Substituti eo eliganturmodo, quo eligitur Vicarius. C. 22 Prooem. et d. 1.

Quo iure sic substituti gaudeant.

Si absentes redierint, Substituti locum eis cedant.

19, in Ms. act. 19 et 20.

Si Deputatorum ad Congr. gen. numerus cum Assist. et Vic. ad 20 non perveniret, ex singulis Provinciis quartus aut quintus Elector mittatur, ut saltem sint 20.

FIERI potest, propter incertas et variabiles temporum circumstantias, ut numerus Provinciarum Societatis, iam exiguus, adhuc imminuatur; occurrens incommodo inde secuturo, Congregatio decernit: ut casu, quo ad futuram Congregationem generalem numerus Deputatorum Provinciarum cum Assistentibus et Vicario ad 20 non perveniret, possit mitti ex singulis Provinciis quartus aut etiam quintus Elector, ita ut saltem viginti Electores vocentur ad Congregationem; quod ita intelligendum est, ut semper servetur aequalitas quoad numerum Deputatorum in omnibus Provinciis.

20, in Ms. act. 17, 19 et 21.

Facultas tribuitur Generali usque ad futuram Congregationem gen., Collegia et Domos dissolvendi vel mutandi cum consilio et suffragio Assistentium, et Provincialis, in cuius Provincia sit Coll. vel Domus.

CUM his initiis plura admissa sint Collegia, quorum aliqua, vel ob defectum redituum sufficientium, vel ob alias rationes Societati oneri esse possunt, petiit R. P. Generalis: ut ipsi, consultis suis Assistentibus, liceret Societatem his Collegiis, si opportunum iudicaretur, liberare; simulque petiit: ut Collegia ista, de quibus dubium esse posset, dimittendane sint an retinenda, nominatim a Congregatione designarentur. Congregatio autem, re perpensa, censuit, difficile esse hanc designationem facere, praesertim cum, in tanta rerum vicissitudine, quanta nunc est in Europa, facile contingere possit, ut illa etiam Collegia, quae maxime firma esse videntur, brevi nutent,

P. Fortis Praep. Gen.

1820

et dissolvenda merito iudicentur. Quapropter consultius iudicavit, ut P. Generalis ab hac usque ad futuram Congregationem generalem habeat potestatem, ob iustas et evidentes rationes, quodlibet Collegium et quamlibet Domum dissolvendi, * mutandi ** in Residentiam, vel penitus relinquendi, prout in Domino videbitur, cum consilio et suffragio suorum Assistentium, et Provincialis, in cuius Provincia sita essent Collegia vel Domus, de quibus ageretur.

* C. 11 d. 16. C. 17 d. 14. C. 21 d. 9. C. 22 d. 18. C. 23 d. 41. ** C. 2 d. 26. C. 8 d. 7. C. 9 d. 38. C. 11 d. 16. C. 18 d. 6. C. 19 d. 7.

21, in Ms. act. 21.

Scholae elementares et abecedarii non repugnant nostro Instituto; P. 4 c. 12, C.

Petitum fuit: an in scholis nostris, ac praecipue in Convictibus, possent esse, praeter scholas consuetas, etiam scholae elementares; et an ob iustas causas abecedarii possent admitti. Responsum est: non repugnare nostro Instituto, immo in Const. part. 4, cap. 12, dici, hoc esse opus charitatis; verum attendendum esse ad personarum penuriam, et cavendum, ne per hoc aliquod maius bonum impediatur. Hoc vero totum relinqui prudentiae Provincialium, ut, omnibus mature perpensis, videant, quid pro ratione locorum et circumstantiarum fieri expediat. Censuit tamen Congregatio: generatim curandum esse, ut istae scholae elementares potius a saecularibus quam a Nostris doceantur.

sed cavendum, ne per hoc impediatur maius bonum; generatim a saecularibus doceantur.

Inf. d. 22.

22, in Ms. act. 21.

Possunt Coadiutores adhiberi ad docendum pueros legere et scribere, sed cum cautela.

Quaesitum est etiam, utrum in Convictibus non possemus uti opera nostrorum laicorum ad docendum pueros legere et scribere; et visum est, quod hoc fieri possit, cum passim, quando idonei reperiuntur, laici nostri permittuntur docere picturam vel delineationem; videndum tamen esse, an in aliquibus locis hoc non esset obnoxium alicui incommodo.

23, in Ms. act. 22.

Rogatur P. Generalis, ut in Angliam, Hiberniam et Americam mittat Socios ad gubernationem, et ad studia dirigenda et promovenda idoneos.

Patres deputati ad examinanda quaedam postulata Angliae, Hiberniae et Americae septentrionalis retulerunt Congregationi, Societatem in istis partibus multum pati ex penuria personarum; et ideo censuisse Deputationem: rogandum esse Patrem nostrum, ut, quamprimum fieri poterit, mittat in varias istas regiones copiam Sociorum, sive ad gubernationem, sive ad studia dirigenda et promovenda idoneorum. Quoad Angliam vero, censuerunt Patres Deputati: candidatos sacrae Theologiae, donec fundari possit Domus studiorum pro Nostris, distincta a Collegio saxo-sylvensi, R. Patris nostri curae committendos.

24, in Ms. act. 23, 24 et 25.

Nihil mutandum nunc circa casus reservatos. C. 1 d. 103. C. 2 d. 28, 60. C. 5 d. 17, 22, 51, 57. C. 7 d. 45. C. 8 d. 25. C. 9 d. 43. C. 12 d. 17. C. 16 d. 17. C. 17 d. 9. Ord. Gen. c. 5 n. 3.

Cum Patres deputati pro casibus reservatis, praeceptis et censuris proposuissent Congregationi mutationes aliquas in casibus reservatis, re mature perpensa et discussa, visum est maiori parti Congregationis: propter temporis circumstantias et ob alias iustas rationes nullam mutationem nunc faciendam esse, et casus omnes, ut sunt, retinendos esse; et tantummodo rogandum esse R. Patrem nostrum, ut, quae videbuntur necessariae, explicationes det, et incommodis, si quae sunt, provide occurrat.

Retineantur praecepta et censurae in Const. et Decretis contenta. P. 3 c. 1 n. 11.

De praeceptis vero et censuris, censuit Congregatio: retinenda esse quae continentur, sive in Constitutionibus nostris, sive in Decretis Congregationum; ea vero, quae continentur in bullis Summorum Pontificum, in nostra non sunt potestate, neque

P. Fortis Praep. Gen.

1820

eis vim addere aut adimere poterat Congregatio.

25, in Ms. act. 26.

Theologiae studiosi quotannis examen de Theol. morali subeant; et aliud de universa Theol. mor. ante ordinum susceptionem. *C. 7 d. 33 n. 7. C. 18 d. 16.*

Responsum est aliquibus quaesitis Provinciae siculae: 1. An statuendum videatur Congregationi, ut a nostris Theologiae studiosis fiat singulis annis examen de Theologia morali. Responsum est: faciendum esse, ita ut intra tres annos integer cursus Theologiae moralis absolvatur, et statutum est: aliud praeterea examen de universa Theologia morali subeundum, prius quam ad sacros ordines promoveantur et audiendis confessionibus exponantur.

Circa Mathesim nihil innovandum. *C. 21 d. 17, 18. C. 22 d. 36.*

2. An praescribendum sit, ut Philosophi in fine anni subeant examen per semi horam de Mathesi. Responsum fuit: nihil videri innovandum, sed standum esse antiquis decretis et antiquae praxi quoad examen Philosophorum.

Non Professus non habet vocem passivam in Congr. prov., etiamsi brevi profiteri debeat.

3. Quaesitum fuit: an in Congregationibus provincialibus eligi possit ad Congregationem generalem aliquis, qui nondum quidem sit Professus quatuor votorum, sed emissurus sit professionem ante initium Congregationis generalis. Responsum fuit: standum esse litterae legis, quae praescribit, ut Deputati eligantur inter Professos quatuor votorum, praesertim cum nullus ius habeat ad professionem, et multa evenire possint propter quae professio differatur.

26, in Ms. act. 28.

Dies 7 Augusti in Societate, ut 27 Septembris, colendus. *C. 7 d. 54. C. Poloc. 4 d. 4.*

Congregatio decrevit: ut dies 7 Augusti, qua per totum orbem restituta est Societas, in omnibus Provinciis celebretur eodem prorsus modo, ac dies primae confirmationis, nempe 27 Septembris; ita ut ea die omnes Sacerdotes nostri Missam celebrent pro Societate, in gratiarum actionem; caeteri autem ad eamdem intentionem communionem faciant et rosarii tertiam partem recitent.

Finis Congregationis.

Cum autem quaesivisset R. P. Generalis a Patribus Congregatis: an placeret finem imponere huic Congregationi, omnesque placere respondissent, solutus est Conventus inter mutuas gratulationes die 10 Decembris 1820.

DECRETA

VIGESIMAE PRIMAE CONGREGATIONIS GENERALIS,

A RESTITUTA SOCIETATE SECUNDAE.

P. Roothaan Praep. Gen.

1829

Causa Congregationis convocandae.

Sublato e vivis, die 27 Ianuarii anni 1829, R. P. N. Aloisio Fortis administratae Societatis currente anno nono, R. P. Vincentius Pavani, Provincialis Italiae, ex eius relicta scheda renuntiatus Vicarius Generalis, de PP. Assistentium sententia Congregationem generalem indixit in diem 29 Iunii eiusdem anni. Ea die ex omnibus Provinciis adfuere Provinciales seu Vice Provinciales et Electores omnes, praeterquam ex Provincia neapolitana, eo quod illic non nisi unus esset, praeter Provincialem, quatuor votorum Professus; et ex Hispania, unde, cum nec Provincialis nec Electores, ob causas PP. Vicario et Assistentibus probatas, Romam venire potuissent, solus aderat P. Petrus Sancho, Substitutus Provincialis. Itaque die 30 Iunii initium Congregationi factum est.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1 et 3.

Admittitur ex aequitate unicus Professus Prov. neap.

Postquam declaratum est: Congregationem esse plenam et legitimam, admissus est in eam, ex quadam aequitate tamen, P. Nicolaus Sorrentino, unicus ille Provinciae neapolitanae quatuor votorum Professus. Tum ad plura secreta suffragia electi sunt: in

Eliguntur: Secretarius electionis,

Secretarium electionis P. Ioannes Antonius Grassi, Rector taurinensis Convictus Nobilium, ac Provinciae italicae Elector; in Oratorem, qui concionem ad Patres ipsa die electionis haberet, P. Franciscus Finetti, Assistens Italiae; in Inclusorem, P. Iosephus Cinotti, Vice Praepositus Domus Professae romanae; ad recognoscenda vero detrimenta deputati sunt: ex Assistentia italica, P. Ioannes Roothaan, Vice Provincialis Italiae; ex germanica, P. Aloisius Loëffler, Provincialis Galliciae; ex Gallia, P. Nicolaus Godinot, Provincialis Galliae. Cum autem ex Hispania unus adesset P. Petrus Sancho, Substitutus Provincialis Hispaniae, statuit Congregatio: quartum Deputatum pro hac vice eligi posse ex quavis Assistentia, demptis tribus Provinciis, ad quas pertinent tres superius electi. Ipse dein P. Petrus Sancho deputatus est. Tandem primo die quatridui in Assistentem electionis electus est P. Aloisius Landes, Elector Galliciae.

Concionator, Inclusor, et Deputati ad detrimenta. *C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.*

Ex quibus Provinciis Deputatus pro Hispania eligi possit pro hac vice.

Electio Assistentis electionis.

2, in Ms. act. 4.

Electio Praepositi Generalis.

Ultima die quatridui ad capiendas informationes indicti, nempe 9 Iulii, qua die alma haec Urbs prodigiosum Patrocinium B. Mariae Virginis gratulabunda recolit, omnibus, quae in

P. Roothaan Praep. Gen.

1829

Formula praescribuntur, religiose servatis, ad plura dimidio secreta suffragia electus est quarto scrutinio in Praepositum Generalem R. P. Ioannes Roothaan; de quo statim confectum est a P. Vicario subscriptumque ac promulgatum decretum.

3, in Ms. act. 5.

Admittuntur Superior Miss. hibernicae et Procurator Prov. hispanicae.

Ante electiones, proponente R. Patre nostro, admittuntur in Congregationem P. Petrus Kenney, Superior Missionum hibernicarum, et P. Sebastianus Sancho, Procurator Provinciae hispanicae. Tum constitutus est Secretarius Congregationis P. Thomas Glover, Elector Provinciae anglicae, cui socii additi sunt P. Petrus Scarlata, et P. Ioannes Ianssen, Elector ille Siciliae, hic Germaniae superioris.

Electio Secr. Congr. et sociorum,

et Deputatorum ad postulata. *C. 8 d. 2.*

Ad postulata secernenda quatuor deputati sunt: ex Assistentia nempe italica, P. Vincentius Pavani; ex germanica, P. Carolus Broock, Provincialis Angliae; ex gallica, P. Ioannes Rozaven, hactenus Assistens Galliae. Pro Assistentia hispanica iterum statutum est: ut ex quavis Provincia eligi possit, iis demptis, ex quibus tres priores electi fuerant; itaque electus est P. Aloisius Landes.

4, in Ms. act. 6.

Assistentiae nominentur more antiquo. *C. 1 d. 80. C. 2 d. 20.*

Quoniam postrema Congregatio generalis decreto quarto statuit: eligendos quidem esse Assistentes, pro Italia italum, pro Polonia polonum, reliquos autem duos, pro illa vice tantum et ob peculiares rationes, eligi posse ex quacumque natione; R. Pater noster censuit, ante Assistentium electionem oportere auctoritate Congregationis definiri: quonam nomine singulae Assistentiae distingui deberent. Congregatio, re mature perpensa, decrevit: antiquum morem esse revocandum, et nominandos esse Assistentes Italiae, Germaniae, Galliae et Hispaniae.

Pro hac vice ex quavis Provincia Substitutus Assistentis Hispaniae, qui toto munere Assistentis fungatur, eligatur a Praep. Gen., Assist. et Prov.

Quoniam vero difficultates Provinciae hispanicae non ferunt in praesentiarum hominem illinc abstrahi, qui in Assistentem eligatur, statuit Congregatio, longe pluribus dimidio suffragiis: non Assistentem Hispaniae iam eligendum esse, sed Substitutum Assistentis, qui tamen toto munere Assistentis fungeretur, quoadusque R. Pater noster iudicaverit esse in Provincia qui commode in Assistentem eligeretur. Quem quidem Substitutum voluit Congregatio eligi posse ex quavis Provincia; et eius electionem permittendam Patri nostro cum suffragio Assistentium et Provincialium, eo prorsus modo, quo extra Congregationem creatur Assistens in locum Assistentis demortui.

5, in Ms. act. 6.

Pro hac electione Assistentium Patres Missionis hibernicae ad Assist. italicam pertineant.

Praeterea, cum quilibet quatuor votorum Professus ius habeat suffragii passivi in electione Assistentis, cuius curae propria uniuscuiusque Provincia commissa est, quaesitum est: ad quam Provinciam pertinerent Patres Missionis hibernicae. R. Pater noster statuit: in ordine ad hanc tantummodo Assistentium electionem, Patres Missionis hibernicae censendos esse ad italicam Assistentiam pertinere.

6, in Ms. act. 7 et 8.

Electio Assistentium. *C. 8 d. 2.*

Ultimo igitur indicti quatridui die, 15 Iulii, ad electionem Assistentium itum est; electi vero sunt: Assistens Italiae, P. Vincentius Pavani, secundo scrutinio; Assistens Germaniae, scrutinio item secundo, P. Aloi-

sius Landes; Assistens Galliae, primo scrutinio, P. Ioannes Rozaven, qui eodem officio proxime defunctus erat.

Admonitoris electio differtur.

Admonitoris autem electio visa fuit differenda, donec a R. Patre nostro Substitutus Assistentis Hispaniae, item Secretarius Societatis, nec non Procurator Generalis nominati essent.

Nominatio Substituti Assistentis Hispaniae.

Actione sequenti, R. Pater noster retulit Congregationi: electum a se fuisse, probantibus Assistentibus et Provincialibus, in Substitutum Assistentis Hispaniae, P. Thomam Glover.

7, in Ms. act. 8.

Dispensatur ut Professus sit Procurator Generalis. C. 12 d. 29. C. 17 d. 16. C. 18 d. 21. C. 19 d. 5. C. 23 d. 43 n. 1.

Cum ex non Professis nullus in promptu esset, qui Procuratorem Generalem ageret, petiit R. Pater noster: an Congregatio, exemplo plurium Congregationum generalium, censeret dispensandum pro hac vice, ut liceret ipsi Professum quatuor votorum eligere. Annuit omnino Congregatio, nec pro hac vice tantum, sed usque ad futuram Congregationem generalem, concessit Patri nostro: ut, quoties casus et necessitas ferret, liceret ipsi pari modo Professum eligere.

Nominatio Proc. Gen. et Secr. Soc.

Itaque R. Pater noster nominavit Procuratorem Generalem P. Seraphinum Mannucci, qui statim in Congregationem admissus est. Nominavit item Societatis Secretarium P. Ioannem Ianssen.

Electio Admonitoris. C. 8 d. 2.

Tum ventum est ad electionem Admonitoris. Electus est autem, primo scrutinio, P. Vincentius Pavani, Assistens Italiae.

8, in Ms. act. 8 et 9.

Factis electionibus, in discedentis locum non admittitur Substitutus.

Cum P. Ioannes Antonius Grassi, ob causas Congregationi probatas, facultatem redeundi ad suum taurinensem Nobilium Convictum impetrasset, quaesitum est: an, eo recedente, primus ex Substitutis Provinciae italicae in Congregationem advocandus esset. Negavit Congregatio, cum id usus non ferat, praecipuo negotio iam confecto.

9, in Ms. act. 9.

Facultas dissolvendi duo Collegia. C. 11 d. 16. C. 17 d. 14. C. 20 d. 20. C. 22 d. 18. C. 23 d. 41.

Petiit R. Pater noster, ut sibi a Congregatione facultas daretur dissolvendi duo Collegia ob graves rationes, quas fuse exposuit. Omnino annuit Congregatio, modo id absque gravi offensione fieri possit.

10, in Ms. act. 9.

Congregationes Proc. et prov. debito tempore celebrentur. P. 8 c. 2, B. C. 2 d. 19; 67. C. 4 d. 7. C. 5 d. 30. C. 7 d. 9. C. 16 d. 8. C. 23 d. 18.

Postulatum fuit, ne praetermitterentur in posterum Congregationes triennales Procuratorum, et in Provinciis Congregationes provinciales debito tempore celebrarentur. Quod cum in nostris Constitutionibus expresse praescribatur, licet hactenus quominus fieret temporum difficultates vetuerint, Congregatio enixe commendavit Patri nostro, ut in posterum religiose servari curet.

11, in Ms. act. 9 et 10.

In conductione praediorum standum antiquis decretis. C. 7 d. 84 n. 1.

Cum quaesitum esset a quadam Provincia, ut Congregatio vel R. Pater noster aperte et dilucide declararet: utrum per Constitutiones nostras liceat conducere praedia, ad facilius et commodius Collegium vel religiosam Domum sustentandam; Congregatio censuit: standum esse antiquis desuper decretis; in casibus autem particularibus et dubiis, rem ad Praepositum Generalem esse deferendam.

12, in Ms. act. 10.

Pro contractibus onerosis sufficiunt cautelae praescriptae.

Ad praecavenda in posterum gravia Collegiorum vel Domorum nostrarum damna temporalia, petitum est

cuiusdam Provinciae nomine, ut Congregatio generalis praescribat Rectoribus: ut in celebrandis contractibus onerosis, etiam non perpetuis, de rebus tamen maioris momenti, quique ad plures annos ultra eorum regimen se extendunt, ea omnia servent, quae praescribuntur § 8 Instructionis pro administratione rerum temporalium pro Rectore.

Nimirum peti visum est, ut quae Instructio vim tantum directivam habet, vim legis obtineret, quin etiam ad contractus non perpetuos extenderetur. At vero innovationem huiusmodi absque evidenti necessitate inducere fas esse negavit Congregatio. Itaque, Congregationis XIV decreto 12 inhaerens, statuit: nihil novi ea de re decerni oportere, cum in Instituto Societatis satis provisum sit; sed potius commendandum Patri nostro, ut eorum, quae praescripta sunt, exsecutionem urgeat, et peculiaribus casibus, si qui forte erunt, pro sua auctoritate consulat.

P. 3 c. 2 n. 7. P. 4 c. 2. Instr. ultima, post. 21.

C. 2 d. 27. C. 7 d. 82. C. 8 d. 60. C. 9 d. 41.

13, in Ms. act. 10 et 11.

Theologia scholastica omnino retinenda. *C. 22 d. 37 n. 2. C. 23 d. 16.*

Enixe rogata est Congregatio, ut Theologiam scholasticam eliminari ne permittat, utque caveat, ne in Philosophia omittantur disputationes privatae et publicae, neque in disputationibus forma dialectica negligatur. Qua in re una fuit omnium sententia: Theologiam scholasticam omnino retinendam esse, prout illa semper in Societate viguit et viget; nec tamen ideo intendit Congregatio agi debere quaestiones inutiles, vel renovari disputationes, quae animorum consensionem inter catholicos labefactare possent, quales tamen non intelliguntur esse quaestiones de scientia media et aliae huiusmodi, quae in scholis nostris disputari consueverunt; sed in his ipsis ab acri nimis animorum contentione, in publicis praesertim disputationibus, temperetur. Disputationes vero quod attinet, censuit Congregatio: negotium illud deferendum esse Patribus deputandis pro studiis; decrevit tamen hoc sartum tectum esse debere: ut disputationes fiant, atque in his forma servetur.

Vitentur quaestiones inutiles, et disputationes, quae consensionem inter cathol. labefactent.

Disputationes fiant, et in eis forma servetur; quaenam vero vitanda.

14, in Ms. act. 11.

Serventur statuta ut periculis novitatis occurratur.

Petitum est, ut efficaciter occurratur periculis novitatis, praesertim in rebus, quae aliquo modo religionem attingunt. Id postulatum Congregatio, cum, ut par erat, probaret, putavit tamen abunde illi periculo in Instituto consultum esse. Quare enixe commendavit Patri nostro, et Superioribus omnibus, et Praefectis Studiorum: ut in re tanti momenti ea, qua debent, solertia, pro suo quisque munere, invigilent.

C. 11 d. 22. P. 3 c. 1, O. P. 4 c. 5 n. 4. c. 14 n. 1. P. 8 c. 1, K.

15, in Ms. act. 11.

De Ratione Studiorum nostris temporibus accommodanda non tractandum leviter, et nihil statuendum, quod non prius experientia probetur. *C. 4 d. 31. C. 22 d. 38. C. 23 d. 16.*

Allatum est omnium fere Provinciarum postulatum, ut, iuxta decretum 10 Congregationis ultimae, Ratio Studiorum quamprimum nostris temporibus accommodetur. De quo antequam quidquam Congregatio proferret, R. Pater noster, Congregationis sensum antevertens, declaravit, se plane sentire quantum hoc, quod a tota Societate flagitatur, ipsorum temporum circumstantiae requirant; sibi certum fixumque esse huic operi quamprimum animum applicare. Monuit tamen, non tale esse negotium, quod aut leviter tractari, aut brevi tempore perfici possit; quippe apud se statuisse, nil certi ea de re et per modum legis statui oportere, quod non prius in Provinciis ad praxim

P. Roothaan Praep. Gen.

1829

deductum experientia ipsa probasset. Quae aliaque in eamdem sententiam Congregatio cum gratulatione excepit et vehementer probavit.

16, in Ms. act. 11.

Qui Theologiae non student per quadriennium, sufficientem tamen illius notitiam acquirant ad Religionem docendam et tuendam. *C. 2 d. 69.*

Pro Scholasticis theologis, qui Theologiae scholasticae per quadriennium non applicantur, censuit Congregatio, temporum ratione id omnino exigente: providendum esse, ut sufficientem nihilominus Theologiae dogmaticae notitiam acquirant, ad docendam religionem et eam saltem a communioribus obiectionibus tuendam. Modum autem, quo id exsecutioni mandetur, Patri nostro et Patribus deputandis pro studiis statuendum commisit.

17, in Ms. act. 12 et 13.

In ordine ad gradum non habeatur peculiaris ratio excellentiae in Physica et Mathesi. *Inf. d. 18.*

Ne Physices et Matheseos studia, quae hodie maximi fiunt, sensim languescant, optatum est, ut ratio habeatur eorum, qui in huiusmodi studiis excellunt, si forte in examine de Philosophia vel ad gradum mediocritatem solum attigerint.

Re diu et in omnes partes versa, iudicatum est: non oportere, ut in ordine ad gradum peculiaris ratio habeatur eorum, de quibus sermo est, ne forte, dum incremento Physices et Matheseos providetur, ipsius Theologiae, cui tamdem caeterae Facultates famulari debent, profectui male consulatur; tum etiam, ne fieret, ut, nimium auctis a communi et veteri lege exceptionibus, quod primigeniae Societatis Constitutiones tribuunt eximiae in Theologia doctrinae, id sensim commune fiat aliis disciplinis.

C. 6 d. 15. C. 12 d. 24.

P. 5 c. 2, B.

18, in Ms. act. 12, 13 et 14.

Aptitudo ad docendam Philosophiam, in Formula iuramenti Examinatorum, etiam de Physica moderna intelligitur. *Sup. d. 17. C. 7 d. 33. C. 20 d. 25 n. 2. C. 22 d. 36. C. 23 d. 15.*

Postulatum est, ut Congregatio declaret, quo sensu intelligendum sit iuramentum Examinatorum ad gradum de aptitudine ad docendam Philosophiam, cum accidere possit, ut quis excellat in Theologia, non tamen in Physica moderna, quae peritiam Matheseos exigit. Respondit Congregatio: iuramentum illud intelligi debere de aptitudine ad docendum totum cursum Philosophiae, tam Logicae et Metaphysicae, quam Physicae, prout in scholis nostris passim traditur. Si quis autem Examinatorum dubitaverit de examinati aptitudine ad docendam Physicam, id in iudicio ferendo exprimere debebit.

Dubium de aptitudine ad docendam Physicam, in iudicio exprimatur.

19, in Ms. act. 14 et 15.

Lingua latina in docenda Logica, Metaphysica et Theologia retineatur. *C. 22 d. 30, 31.*

Ut per universam Societatem uniformitas servetur circa linguam adhibendam in docendis classibus superioribus, Congregatio decrevit: usum linguae latinae in scholis nostris omnino retinendum esse in docendis Logica, Metaphysica ac Theologia. Quoniam autem in quibusdam Provinciis mos invaluit, neque sine magno scholarum nostrarum detrimento tolli posse videtur, ut Physica et Mathesis doceantur lingua vernacula, suum desiderium ostendit Congregatio, ut in iis etiam tradendis latinae linguae usus revocetur, id relinquens prudentiae R. Patris nostri, qui, quidquid fieri possit in unaquaque Provincia, considerabit.

Optandum, ut et in Physica et Mathesi adhibeatur, sed hoc Patris nostri prudentiae relinquitur.

20, in Ms. act. 15.

Annuarum litterar. usus instauretur. *C. 4 d. 38.* In proximis, cuiusque Pro-

De annuis litteris decretum est: ut illarum usus omnino instauretur; atque ad pleniorem eorum, quae scribentur, intelligentiam, prima, quam

P. Roothaan Praep. Gen. 1829

vinciae ortus, progressus ac status notitia tradatur.

unaquaeque Provincia mittat, epistola, nitidam, sed perquam brevissimam, ortus, progressus ac status Provinciae notitiam tradat.

21, in Ms. act. 15, 16 et 17.

Historia Societatis et Bibliotheca Scriptorum nostrorum continuentur. C. 16 d. 18.

Cum postulatum etiam esset, ut Historia Societatis ad omnium solatium et aedificationem continuetur, item et Bibliotheca Scriptorum Societatis; Congregatio, hoc desiderium vehementer probans, rogavit Patrem nostrum: ut quamprimum commode fieri poterit huic operi intendat. Interea vero commendavit PP. Provincialibus: ut documenta in sua quisque Provincia colligant, et Historiam Collegiorum et Domorum, praecipue a restituta Societate, confici et Romam cum annuis litteris mitti curent, iuxta Ord. Gen., cap. 1, § 5.

Collegiorum et Domorum Historia Romam mittatur.

22, in Ms. act. 16.

Superiores ne gravate ferant a suis subditis scribi ad Superiores mediatos.

Rogata est Congregatio, ut videat, ne Superiores locales gravate ferant a suis subditis scribi ad Superiores mediatos. At vero Patres mirum arbitrati sunt, et certe non ferendum, inter eos, qui in Societate digni habentur qui aliis praesint, tales inveniri qui id aegre ferant. Quod si quis talis inveniatur, satis esse duxerunt Provincialium vigilantiam excitare, ut peccantes admoneant et corrigant.

Qui aegre id ferant admonendi, corrigendi. C. 22 d. 21. Form. scrib. n. 13.

23, in Ms. act. 16 et 17.

Mortuorum elogia non mittantur absque facultate et probatione Provincialis.

Circa elogia nostrorum defunctorum statuit Congregatio: abolendam esse consuetudinem, quae in nonnullis Provinciis invaluisse videtur, conscribendi indiscriminatim uniuscuiusque demortui elogium, atque nulla posthac mittenda esse elogia absque facultate et probatione Provincialis. Si quid autem in morbo supremo notatu dignius acciderit, nil impedit, quin breviter referri possit, cum suffragia pro anima defuncti indicuntur. Non tamen omittendum summarium vitae uniuscuiusque, iuxta formam quam R. Pater noster Provinciis communicabit.

Non tamen omittendum summarium vitae uniuscuiusque.

Adiecit item, aliquo petente: suffragia quidem a Provinciali esse indicenda, nil tamen vetare, immo et charitatis rationem postulare, ut Domibus vicinioribus ab ipso Superiore Domus mors nuntietur et suffragia expetantur.

Suffragia indicenda a Provinciali; sed viciniori-bus Domibus mortis notitia mitti potest a Superiore.

24, in Ms. act. 16 et 17.

Severe puniendi qui de gradu Coad. Spir. abiecte loquuntur et sentiunt.

Cum Congregatio rogaretur, ut mentem suam circa eos, qui de Coadiutorum spiritualium gradu abiecte loquuntur et sentiunt, declararet; non aliud respondendum duxit, nisi sibi eamdem prorsus mentem hac de re esse, quam R. P. Claudius in Instructione pro Superioribus, cap. 6, § 6, expressit. Nec potuit Congregatio absque gravi dolore talia audire, quae tam contraria sunt spiritui charitatis, ac tandem ipsa substantialia Instituti attingunt, inter quae recensetur discrimen graduum et animi ad eosdem indifferentia. Voluit igitur Congregatio: ut, si qui posthac inveniantur eiusmodi delicti rei, severe puniantur; et, si quidem gradum nondum fecerunt, hoc ipsum notetur in informationibus, ut quid faciendum sit videant Superiores.

Graduum discrimen et animi ad eos indifferentia est quid substantiale in Societate. Exa. c. 1 n. 10. c. 7 n. 1. P. 5 c. 4 n. 4, E. Comp. Privil. n. 280, 802.

25, in Ms. act. 17 et 18.

Decreta Congr. xx non minus firma sunt et valida quam caeterarum Congr. gen.

Optarunt aliqui, ut Congregatio confirmaret Decreta Congregationis generalis proxime praeteritae. At vero Patres unanimiter censuerunt: ea Decreta tali confirmatione non indigere, utpote non minus firma et

P. Roothaan Praep. Gen. — 1829

valida, quam Decreta caeterarum Congregationum generalium.

26, in Ms. act. 17 et 18.

Libri vere utiles typis edantur. *C. 1 d. 105.*

De edendis in lucem Nostrorum operibus, si quis aliquid feliciter elaboraverit, quod Societati honori esse possit, non abnuit Congregatio, quin ea, modo ab idoneis iudicibus vere utilia pronuntientur, typis edantur.

Nunc non tam Nostri ad scribendum excitandi, quam quorumdam pruritus scribendi coercendus.

Serventur praescripta circa editionem librorum. *C. 22 d. 20.*

Caeterum iudicavit: praesentes circumstantias, non tam postulare, ut Nostri ad scribendum excitentur, quam ut quorumdam pruritus scribendi et sua scripta edendi fraeno coerceatur. Quapropter Superioribus commendavit exsecutionem eorum, quae in Instituto praescripta sunt circa editionem librorum, ac in primis decreti 18 Congregationis XI, contra eos, si qui tales inveniantur, qui sine ulla approbatione, suppresso nomine, scripta sua publici iuris faciunt, aut ab externis fieri permittunt.

27, in Ms. act. 18.

Commendatur lectio et exsecutio eorum, quae ad disciplinae observantiam et virtutis studium promovendum sunt constituta.

Postremo, cum pleraque superessent postulata, quae ad disciplinae observantiam religiosaeque virtutis studium in Nostris promovendum spectabant, Congregatio, iudicium amplexa Patrum Deputatorum, animadvertit: nihil ferme in hoc genere esse, cui non abunde, tum in Constitutionibus sancti Patris nostri, tum in Decretis Congregationum, tum in Ordinationibus Praepositorum Generalium, maxime P. Claudii, provisum iam sit; ut accuratam potius lectionem eorum, quae iam constituta sunt, ad urgendam suaviter simul et fortiter exsecutionem, Superioribus omnibus commendari, quam novas condi leges oporteat.

Monendi Superiores,

Quare, exemplum secuta Congregationis XVIII decreto 22, et Congregationis XIX decreto 11, Superiores, tam Provinciales quam locales, etiam atque etiam monendos existimavit: ut quae ad spiritum religiosum in Nostris conservandum et promovendum, et ad virtutum solidarum acquisitionem leges nostrae praescribunt, diligenter ab omnibus observari curent, illud semper prae oculis habentes, has esse primas suae sollicitudinis ac vigilantiae partes; ut mundi spiritum, qui superbiae spiritus est, omnis subiectionis impatiens, undique, his praesertim temporibus, irrumpentem, omni conatu a Nostrorum animis arceant ac repellant; eique spiritum nostri Instituti, qui praecipue in humilitate et obedientia consistit, strenue opponant; quo quidem spiritu imminuto ac labefactato, et animorum consensionem solvi, et vires nostras ad Dei opus exsequendum frangi ac dissipari necesse est.

ut in Nostris spiritum religiosum conservandum et promovendum curent; *C. 11 d. 30.*

ut mundi spiritus, superbus, subiectionis impatiens, arceatur, et spiritus nostri Instituti, humilis et obediens, opponatur;

Meminerint denique Superiores: se, ut Patrum nomine ad paternam benignitatem, charitatem, indulgentiam suis exhibendam omnino tenentur; ita pariter auctoritate paterna admonere debere peccantes, coarguere, et iuxta Instituti nostri morem poenitentiis etiam coercere; cum frustra Religionis ordo ab optimis legibus et institutis commendetur, si leges et instituta non serventur; non servari autem vere dicantur, non cum identidem, quae humana fragilitas est, in ea peccari contingat, sed cum peccari libere et impune sinatur.

ut paternam charitatem suis exhibeant, et paterna auctoritate peccantes admoneant et corrigant. *C. 6 d. 37 n. 6. C. 20 d. 16.*

Quandonam dicendum leges non servari.

28, in Ms. act. 20.

Congregatio denique, exemplo plurium Congregationum generalium, R. Patri nostro ac PP. Assistentibus curam demandavit extrahendi ac re-

P. Generalis cum Assistentibus Decreta extrahere et recognoscere curet.

P. Roothaan Praep. Gen.

C. 11 d. 36. C. 14 d. 28. C. 17 d. 17. C. 18 d. 23. C. 19 d. 12. C. 22 d. 45. C. 23 d. 43 n. 6. Hortatio Patris nostri.

cognoscendi huius Congregationis Decreta, quae Societati communicarentur; et simul voluit, ut finis Congregationi imponeretur. Quare R. Pater noster, gratulatus in primis summam, qua cuncta in Coetu transacta sunt, concordiam, Patres vehementer cohortatus est ad exactam Instituti nostri observantiam in Provincias inducendam, qua una et fortes ad ardua quaevis capessenda, et telis inimicorum erimus invulnerabiles. Rogavit etiam, ut ad rite administrandam Societatem accuratis informationibus pro suo quisque officio eum adiuvare non omittant. Tandem, actis de more Deo gratiis, inter mutuas gratulationes soluta est haec secunda a restituta Societate Congregatio die 17 Augusti anni 1829.

1829

Rogat, ut ad recte administrandam Societatem accuratis informationibus adiuvetur.

Solvitur Congregatio.

DECRETA

VIGESIMAE SECUNDAE CONGREGATIONIS GENERALIS,

A RESTITUTA SOCIETATE TERTIAE.

P. Beckx Praep. Gen.

1853

Causa Congregationis convocandae.

Haec Congregatio a Praeposito Generali indicta, post eius obitum celebrata est. Litteris enim die 4 Ianuarii 1853 ad universam Societatem datis, R. P. N. Ioannes Roothaan Congregationem generalem proprio motu arbitrioque decreverat in diem 21 Iunii, S. Aloisio Gonzagae sacram; mox vero, gravi morbo correptus, die 8 Maii 1853 e vita pie migravit, anno sui regiminis vigesimo quarto ad finem vergente.

Eadem die 8 Maii coram Professis Romae degentibus aperta est lectaque schedula, qua a Patre nostro nominabatur Vicarius Generalis P. Iacobus Pierling, Assistens Germaniae, quem iam inde a sua infirmitate Vicarium Generalem ad tempus constituerat.

Assistenti Germaniae alius substituitur.

Ut autem, iuxta decretum 18 Congregationis xx, Assistenti Germaniae alius substitueretur, R. P. Vicarius convocavit in diem 11 Maii Professorum Romae degentium Congregationem, quae actione secunda, habita die 13 eiusdem mensis, secundo scrutinio P. Iosephum Kleutgen in Substitutum Assistentis Germaniae elegit.

Cum die 21 Iunii, ad conveniendum praefixa, Provinciales et Electores omnes in Urbe adessent, postridie initium Congregationi generali factum, quae soluta est die 31 Augusti eiusdem anni 1853.

Decretum 1, in manu scriptis act. 1 et 3.

Eligitur Secretarius electionis,

Postquam declaratum esset: Congregationem plenam esse ac legitimam, ad plura secreta suffragia electus est Secretarius electionis P. Franciscus Xaverius Patrizi, Elector Provinciae romanae.

Concionator,

Eodem modo electi sunt: P. Xa-

P. Beckx Praep. Gen. et Inclusor.

verius de Ravignan, Elector Provinciae Franciae, ad concionem habendam ipsa die electionis; et ad includendos Electores P. Marcus Rossi, Vice Praepositus Domus Professae romanae.

Substitutus Assistentis Germaniae, et simul Elector, sedeat inter Electores; sed Deputationi ad detrimenta intersit;

Cum electus a Congregatione Professorum Romae degentium in Substitutum Assistentis Germaniae, P. Iosephus Kleutgen, designatus fuisset Elector a sua Provincia Germaniae, dubitatum fuit: 1. utrum in Congregatione eum sedere oporteret inter Assistentes et Provinciales, an vero inter Electores; 2. utrum eo iure, quo Assistentes, Deputationi ad detrimenta interesse deberet, ideoque in electione horum Deputatorum voce passiva careret. Congregatio declaravit: P. Iosephum Kleutgen, ex decreto 18 Congregationis xx, iure Assistentis in ipsa Congregatione destitui, eique propterea locum non esse inter Assistentes, sed inter Electores; expedire tamen ex quadam aequitate, ut ipsemet, tamquam Substitutus Assistentis Germaniae, Deputationi ad detrimenta interesset.

ad quam eligi etiam possit Secretarius electionis.

Declaratum itidem fuit: Secretarium electionis ad Deputationem praedictam eligi posse: idcirco, si in Deputatum eligatur, non modo ut Secretarius ad excipienda quae deliberantur, sed etiam cum iure ferendi suffragii intererit.

Electio Deputatorum ad detrimenta. *C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.*

Praemissis hisce declarationibus, ad plura secreta suffragia pro detrimentis recognoscendis deputati fuerunt ex singulis Assistentiis: ex italica, P. Iosephus Ferrari, Provincialis venetae; ex germanica, P. Petrus Beckx, Provincialis Austriae; ex gallica, P. Ludovicus Maillard, Provincialis tolosanae; ex hispanica, P. Dominicus Olascoaga, Provincialis Hispaniae.

1853

Electio Assistentis electionis.

Postremo electus est assistens electionis P. Ignatius Maria Lerdo, Assistens Hispaniae.

2, in Ms. act. 2 et 4.

Professi, et simul Episcopi vel Vicarii seu Delegati Apostolici, in electione Praepositi Gen. vocem passivam habere non possunt. *Inf. d. 40, 41.*

De Professis nostrae Societatis, qui consecrati sunt Episcopi, aut Vicarii seu Delegati Apostolici munere funguntur, Congregatio, innixa in primis bullae Pauli Papae iv, In sacra B. Petri Sede, 29 Iulii 1559, unanimi fere consensu censuit: illos in electione Praepositi Generalis vocem passivam habere non posse. Neque enim propria auctoritate Societas huiusmodi Professos a muniis Episcopatus vel delegationis, Summi Pontificis mandato commissis, evocare aut avellere posset.

3, in Ms. act. 5.

Electio Praepositi Generalis.

Die 2 Iulii, quae est Visitationi B. Mariae Virginis sacra, et quae fuerat antea huic actui praefinita, interiecto de more quatriduo, servatis omnibus, quae ex Constitutionibus ac decretis Formula praescribit, ad plura medietate suffragia, primo scrutinio, electus est in Praepositum Generalem R. P. Petrus Beckx, Provincialis Austriae; de quo statim formatum est decretum, et a P. Vicario Generali subscriptum ac promulgatum.

4, in Ms. act. 6.

Admittitur Procurator Vice Prov. Hiberniae, quamvis acta transmissa nondum fuissent.

Proponente R. Patre nostro: an P. Robertus Haly, Procurator Vice-Provinciae Hiberniae, advocandus esset, eo quod, etiamsi de eius electione constaret ex litteris Vice Provincialis, acta tamen Congregationis Provincialis transmissa nondum fuissent; censuit Congregatio: hunc defectum supplendum, illumque Patrem in Congregationem admittendum.

P. Beckx Praep. Gen.

1853

5, in Ms. act. 6.

Admittitur Proc. Vice Prov. missourianae. Rmus Episcopus P. Miège, ad negotia et cum voce activa, ex aequitate, sanato vitio deputationis.

Quaesitum est postea: utrum et quo suffragio admittendus esset Procurator Vice Provinciae missourianae, Rmus Episcopus P. Ioannes Baptista Miège, Vicarius Apostolicus ac simul Superior Nostrorum ad Montes saxosos orientales. Re diutius disputata, Congregatio statuit plusquam duabus tertiis sententiarum partibus: admittendum esse ad negotia tractanda cum voce activa; quidquid enim vitii in eius deputatione deprehensum fuerat, subsecuta SSmi D. N. approbatione, sanatum erat, et aequitas quaedam postulabat, ut Vice Provinciae missourianae non deesset, qui ipsam in hac Congregatione repraesentaret; ita tamen ut res non transeat in exemplum.

6, in Ms. act. 6.

Electio Secretarii Congregationis et sociorum.

Ad plura secreta suffragia electus est Secretarius Congregationis idem, qui fuerat electionis, P. Franciscus Xaverius Patrizi; eique additi sunt socii P. Iosephus Kleutgen, Elector Germaniae, et P. Xaverius de Ravignan, Elector Franciae.

7, in Ms. act. 6 et 7.

Cum deesset Deputatus pro Assist. Germ. ad detrimenta, decernitur: ut novus eligatur, et ante Deputatos ad postulata, et possit esse unus ex veteribus Assistentibus. *C. 8 d. 1.*

Cum ob electionem R. Patris nostri deesset Deputatus pro Assistentia Germaniae ad detrimenta cognoscenda, proposita sunt sequentia dubia: 1. an hic Deputatus eligi deberet; 2. an eligendus esset ante Deputatos ad secernenda postulata; 3. an eligi ad hanc ipsam Deputationem posset aliquis ex veterum Assistentium numero. Ad primam quaestionem maior pars censuit: quartum Deputatum ad detrimenta esse eligendum, quia sine ipso eadem Deputatio manca esse videbatur; ad alteram omnes, paucis exceptis, censuerunt: hunc eligendum esse ante Deputatos ad postulata secernenda; ad tertiam denique maior Patrum pars respondit: affirmative.

Eligitur.

Quare electus est ad plura secreta suffragia Deputatus ad detrimenta cognoscenda pro Assistentia Germaniae P. Iacobus Pierling, Assistens Germaniae.

8, in Ms. act. 7.

Electio Deputatorum ad postulata. *C. 8 d. 1.*

Pluribus item secretis suffragiis electi sunt Deputati ad secernenda postulata: pro Assistentia italica, P. Franciscus Pellico, Assistens Italiae; pro Assistentia germanica, P. Carolus Franckeville, Provincialis belgicae; pro Assistentia gallica, P. Ambrosius Rubillon, Assistens Galliae; pro Assistentia hispanica, P. Ignatius Maria Lerdo, Assistens Hispaniae.

9, in Ms. act. 9.

Electio Assistentium, *C. 8 d. 2.*

Die nona Iulii, quae erat ultima quatridui indicti ad Assistentium electionem, pluribus medietate secretis suffragiis electi sunt: Assistens Italiae P. Iosephus Ferrari, Provincialis venetae; Germaniae P. Iacobus Pierling; Galliae P. Ambrosius Rubillon, uterque hoc munere proxime functus; Hispaniae P. Emmanuel Gil, Visitator Nostrorum in America meridionali: primus quidem secundo, caeteri primo scrutinio.

adstantibus Secr. Soc., Procuratoribus Hiberniae et missourianae. *C. 3 d. 44. C. 4 d. 17. C. 11 d. 28. C. 18 d. 2. C. 18 d. 15.*

Cum Assistentium electioni praesentes fuissent P. Iosephus Maria Manfredini, Secretarius Societatis, P. Robertus Haly, Procurator Hiberniae, et Rmus Episcopus P. Miège, Procurator missourianae, quin tamen suffragium ferrent; idcirco vocandus supererat P. Aloisius Iosephus Chiereghini, Procurator Generalis; quod

Vocatur Procurator Generalis.

P. Beckx Praep. Gen. 1853

protinus mandato R. Patris nostri factum est. Tum Assistentes electi, dempto quarto absente, praestiterunt de more iuramentum.

Electio Admonitoris. C. 8 d. 2.

Paulo post ab omnibus, qui Congregationi tunc aderant, ad plura medietate secreta suffragia, electus est primo scrutinio Admonitor P. Iacobus Pierling, Assistens Germaniae.

10, in Ms. act. 11.

Instituuntur Deputationes pro spiritu et exsecutione; de Constitutionibus etc.; de paupertate; de Studiis; de Convictibus; de ministeriis.

Quo facilior esset ac brevior tractandorum in Congregatione deliberatio, censuit Congregatio, aliarum Congregationum exemplum secuta: instituendas esse varias Deputationes, relicta R. Patris nostri arbitrio earum distinctione ac Deputatorum electione. Fuerunt autem numero sex: 1. pro spiritu et exsecutione Votorum ac Regularum; 2. de Constitutionibus, Decretis, Regulis et Formulis; 3. de paupertate, id est de licito et illicito iuxta Constitutiones; 4. de Studiis, tum superioribus, tum inferioribus; 5. de Convictibus et Seminariis; 6. de sacris ministeriis Societatis.

11, in Ms. act. 7, 8, 10, 11, 12, 13, 14, 17 et 19.

Quintus Assistens, Angliae nuncupandus, conceditur pro Prov. et Vice Prov. lingua anglica utentibus. C. 1 d. 80. C. 2 d. 20. C. 20 d. 4. C. 21 d. 4.

Petentibus Provinciis Angliae et Marylandiae, ac Vice Provincia missouriana, ut pro Provinciis et Vice Provinciis lingua anglica utentibus quinta constitueretur Assistentia; ipsemet R. Pater noster, quo citius expediretur, huiusmodi postulatum proposuit. Re diu multumque compluribus actionibus disputata, secreto demum, uti statutum fuerat, scrutinio, eoque suffragiorum numero, qui duas tertias partes longe superavit, decretum est: quintum Assistentem, reliquis omnino parem, concedendum esse, et Angliae Assistentem nuncupandum, quin de caetero in iis, quae hactenus circa Provincias extra Europam statuta sunt, quidquam exinde immutetur.

Primi Angliae Assistentis electio.

Eius autem electio condicta fuit in diem 27 Iulii, eodemque die, qui postremus erat quatridui ad informationes petendas designati, servatis rite omnibus, quae Formula praescribit, electus est Angliae primus Assistens ad plura medietate suffragia secreta, primo scrutinio, P. Ioannes Etheridge, Provincialis Angliae, qui mox iuramentum praestitit Formula praescriptum.

12, in Ms. act. 11.

Lectio publica omnium postulatorum in Congregatione non habenda.

Cum quidam in hac essent sententia: legi in Congregatione oportere postulata omnia, quae Deputati admisissent, antequam eorum discussio variis Deputationibus a R. Patre nostro constitutis committeretur, Congregatio censuit: hanc lectionem publicam, nec requiri, nec in praesentiarum habendam esse.

13, in Ms. act. 16.

Nonnulli e Nostris dispersi revocandi. C. 23 d. 42.

Quaestione proposita de Nostrorum nonnullis, qui post ultimam dispersionem extra Domos, et a Superiorum obedientia quoad ministeria religiosamque disciplinam quasi soluti inter saeculares versantur; Congregatio decrevit: sublata iampridem dispersionis causa, a Provincialibus vel a R. Patre nostro esse revocandos propter vera graviaque incommoda, quae praesenti indigent remedio.

14, in Ms. act. 16.

Serventur constituta contra oblocutores. C. 7 d. 12.

Cum semper quidem, praecipue autem nostris hisce temporibus, cavendum sit, ne externis quibuscumque, maxime viris primariis, vel lin-

P. Beckx Praep. Gen.

1853

gua, vel calamo, vel quacumque ratione iusta offensionis causa detur, censuit Congregatio ex PP. Deputatorum sententia: omnimodis commendanda et urgenda esse, tam quae Instructione XIII, cap. 4, habentur, quam quae contra oblocutores a Congregatione XII, decreto 19 constituta fuerunt; rogavitque enixe R. Patrem nostrum: ut in detestabile huiusmodi vitium, Societati prae caeteris exitiale, sedulo praecavendum omni ope ac sollicitudine incumberet; et ad amovendum etiam omne offensionis periculum Superiores urgeret, ut sese Episcopis obsequentes iuxta Institutum nostrum exhibeant, eosque benevolos erga nos efficere ac conservare studeant, privilegia et exemptiones Societatis, nec iactent, nec sine discrimine et cautela cum Nostris communicent.

Sedulo in id invigilent Superiores, sese Episcopis obsequentes exhibeant, privilegiis Societatis caute utantur.

15, in Ms. act. 16.

NONNULLIS Provinciis postulantibus, ut termini statuerentur, quatenus Nostris, praesertim iunioribus, liceat ephemerides, folia publica, similesque libellos legere; Congregatio, adhaerens PP. Deputatorum sententiae, censuit: ephemeridum similiumque libellorum lectionem, sive integram sive aliqua ex parte, iis solum permittendam, quibus nihil inde detrimenti obventurum esse constat; commendavitque R. Patri nostro, ut una cum Provincialibus dispiceret, quid hac super re facto opus sit.

Ephemeridum similiumque libellorum lectio iis solum permittenda, quibus nihil inde detrimenti obveniat.

16, in Ms. act. 16.

POSTULATUM Provinciae lugdunensis, de Domibus Professorum Lugduni et Massiliae erigendis, Congregatio, PP. Deputatorum iudicium secuta, laudavit, utpote consonum spiritui Constitutionum, item decreto 17 Congregationis III, et decreto 13 Congregationis XX; ac illud R. Patri nostro commendavit, relictis tamen eius prudentiae tempore et modo exsecutionis.

Domus Professae Lugduni et Massiliae erigantur, relicta P. Generalis prudentiae rei exsecutione. *C. 19 d. 7.*

17, in Ms. act. 16.

A nonnullis Provinciis petebatur: ne Collegia, Seminaria et Domus nimis multiplicarentur; Congregatio, approbans iudicium Deputatorum, commendavit R. Patri nostro: ut videret, quid facto opus esset circa exsecutionem decreti 8 Congregationis II post electionem, et decreti 20 Congregationis III.

De Collegiis, Seminariis et Domibus non multiplicandis serventur decreta.

18, in Ms. act. 22.

ACTUM est de quibusdam Collegiis, quae maiori DEI gloriae procurandae impedimento esse videbantur. Cumque R. Pater noster potestatem huiusmodi Collegiorum dissolvendorum sibi fieri petiisset; Congregatio censuit omnino concedendam, et reipsa concessit eo plane modo, iisque conditionibus, quibus similis potestas a Congregatione XX, decreto 20, Praeposito Generali facta fuerat.

Tribuitur Patri nostro facultas quaedam Collegia dissolvendi. *C. 11 d. 16. C. 17 d. 14. C. 21 d. 9. C. 23 d. 41.*

19, in Ms. act. 27.

CUM sex Provinciae postulassent: ne Convictus, praesertim minores, multiplicarentur, Congregatio, perpendens Const. part. IV, cap. 3, § 4, lit. B, Congregationis XII decretum 26, Congregationis I decretum 126, Congregationis IV decretum 13, itemque commoda et incommoda, quae ex huiusmodi ministerio esse possunt fini quem Societas intendit, censuit: in posterum non admittendos, multoque minus sponte nostra aperiendos Convictus, nisi secundum praescripta Congregationis IV, decreto 13, ita ut con-

Collegia non admittenda aut aperienda nisi habeantur Domus aptae, sufficiens tum sustentatio, tum Convictorum et Nostrorum numerus.

P. Beckx Praep. Gen. — 1853

stet haberi atque habitum iri Domos aptas, sufficientem sustentationem, non mediocrem Convictorum numerum, paremque hominum e Societate ad haec munera idoneorum copiam. Cumque compertum sit, tum ex parum felici minorum Convictuum conditione, tum e Nostrorum studiis, atque etiam probationibus, vel dilatis, vel abruptis, vel etiam prorsus omissis Societatem aliquid passam esse, Congregatio optabat, ut Convictus non bene constituti potius clauderentur.

Mala Societati sequuta ex Convictibus non bene constitutis; hi potius claudantur.

20, in Ms. act. 17 et 18.

Serventur leges de censura librorum. Non habendus ut censoris, cui auctor amice legendum librum dedit. Nostrorum scripta sine censura ab externis ne imprimantur. Commendantur decreta 47 C. 5, et 9 C. 15. *C. 10 d. 11. C. 11 d. 18. C. 16 d. 14. 15. C. 21 d. 26. C. 23 d. 43 n. 2.*

Petitum est: ut omnes leges de censura librorum accurate observarentur; in specie vero, ut pro censura minime haberetur iudicium eius, cui ipse auctor scriptum suum legendum amice detulisset; ut Superiores non sinerent Nostrorum scripta a quovis externo imprimi citra censuram in Instituto praescriptam; denique, ne quid committeretur contra decretum 47 Congregationis v a Paulo Papa v confirmatum in Bulla Quantum religio, vel contra decretum 9 Congregationis xv.

Ut in re tanti momenti suam sollicitudinem demonstraret Congregatio, totam huius negotii curam R. Patri nostro commisit; eique commendavit: ut peculiari providentia uteretur circa ea, quae in postulatis commemorabantur.

21, in Ms. act. 18 et 19.

Epistolae degentium in aliena Provincia ad suos Superiores mediatos, et horum ad illos, a Superioribus localibus ne aperiantur, sed clausae per manus ipsorum transeant. *C. 21 d. 22.*

Cum ii, qui ad tempus in aliena Provincia degunt, sive studiorum, sive ministeriorum quorumcumque, sive aliarum rerum causa, non omnino subtrahantur a iurisdictione Provincialis illius Provinciae, ex qua sunt; observentur quoad illos quae circa litteras, tum subditorum ad Superiores mediatos, tum horum ad illos datas in Monitis Generalibus, § 5, et in Formula Scribendi, § 13, sunt constituta; ita tamen, ut ad incommoda, si quae forent, vitanda hae litterae clausae transeant per manus Superioris localis, sicut R. P. Claudius anno 1587, et R. P. Mutius anno 1623 Provinciae venetae responderunt. Provincialium autem erit id apprime curare, ne quid hac re detrimenti capiat auctoritas Superiorum loci, in quo ipsorum subditi commorantur.

22, in Ms. act. 20 et 22.

Quaedam ad Congr. prov. spectantia.

Actum est de quibusdam ad Congregationem provincialem spectantibus. Quaerebatur:

Postulata a Deputatis probata emendare potest, dummodo sensus non immutetur. *Form. n. 50.*

1. An Congregatio provincialis postulata a Deputatis probata emendare possit, sive aliquid addendo, sive demendo. Iudicium PP. Deputatorum fuit: id licere; quoniam haec postulata Congregationi generali aut Praeposito Generali, nomine ipsius Congregationis provincialis proponenda sunt; dummodo tamen postulati sensus non ita immutetur, ut aliud postulatum fieri videatur.

Non potest mutare sententiam de re in prioribus actionibus constituta.

2. Num Congregationi provinciali, iuxta Formulam § 49, liceat mutare sententiam de ea re, quae in prioribus actionibus iam fuit constituta. Patres Deputati censuerunt: non licere, cum neque intercedere permittatur; et cum de eo tantum agendum sit, an Congregationi generali vel Praeposito proponenda illa videantur, et quaenam de illis fuerit plurium sententia.

Nec proponere novum postulatum,

3. Utrum Congregationi provinciali, iuxta eamdem § 49, proponere

P. Beckx Praep. Gen.

Deputatis constituto tempore non exhibitum et ab his probatum.

liceat novum postulatum, quin Deputatis fuerit exhibitum et ab his probatum, ac elapso tempore ad afferenda postulata constituto, et dissentiente Provinciali, vel aegre assentiente, ut tempori cedat. Itidem Patres Deputati quaesito responderunt : non licere; idque effici ex postremis verbis § 19 Formulae : " *post diem unum vel alterum exclusive ab eo in quo facta est electio mittendorum nihil amplius deferre liceat;* „ tum in primis ex Formula § 48, ubi dicitur : nihil proponi posse Congregationi, quod non sit prius approbatum a Deputatis, nisi prout de reiectis § 45 dictum est.

Paragraphi 5 et 15 Formulae non pugnant, quia de diversis loquuntur.

4. Utrum Professi applicati alicui Provinciae gaudeant in ea suffragio passivo, quod ipsis conceditur § 5 Formulae Congregationis provincialis, in § 15 vero eisdem negari videtur. PP. Deputati, collatis inter se verbis decretorum 16 et 17 Congregationis XVIII, et § 2 decreti 19 Congregationis VI, demonstrarunt: voces illas § 15 Formulae: *qui sunt de Provincia,* ita esse intelligenda, ut comprehendantur, tum qui ingressu in Societatem, tum qui applicatione etiam ad tempus facta ante indictam Congregationem provincialem, ad illam Provinciam pertinent; unde sic applicati Professi vocem habent passivam in Provincia, ad quam sunt applicati, non autem in ea, ex qua missi sunt, excepta Provincia romana iuxta § 8 eiusdem Formulae.

Responsa PP. Deputatorum Congregatio probavit.

23, in Ms. act. 22.

Quam maxime commendatur, ut Operarii constituantur, qui bini vel terni sacris missionibus regiones excolant. C. 5 d. 46.

POSTULABAT Provincia romana: ut Operarii constituerentur, qui bini vel terni sacris missionibus regiones excolerent. Maximi momenti esse hoc postulatum iudicavit Congregatio, nec pro sola Provincia romana, sed pro universa Societate; et R. Patrem nostrum enixe rogavit: ut cum Provincialibus hac de re ageret, efficeretque, ut omnimodis, quantum per circumstantias licebit, exsecutioni mandaretur.

1853

24, in Ms. act. 21.

Horologia, quae nunc prohibentur, sunt tantum, vel aurea, vel quorum valor pretium vulgare excedit.

CUM, mutata temporum conditione, rerum quoque usualium aestimatio alia iam sit ac olim fuerit; Congregatio, Patrum Deputatorum iudicium secuta, decrevit: ea, quae in Ord. Gen. cap. 4, § 14, de horologiis praescripta sunt, ita esse intelligenda, ut prohibita censeantur horologia aurea, atque illa, quorum valor pretium vulgare excedit; tum R. Patri nostro commendavit: ut ad Superiorum directionem hac in re praescriberet quae expedire iudicaverit, utque secundum hoc decretum immutarentur verba in Monitis Generalibus, § 14.

25, in Ms. act. 22.

Paupertas et vita communis illibatae serventur. C. 11 d. 28. C. 12 d. 36-43. C. 16 d. 27. C. 18 d. 22 n. 2. Inf. d. 26.

CUM postulatum esset a Provincia belgica: ut Congregatio urgeret accuratam observantiam regulae 25 Summarii, et aliarum ad usum paupertatis spectantium; itemque decreti 7 Congregationis XX; audito et probato Patrum Deputatorum iudicio, Congregatio inhaerendum omnino esse iudicavit decretis Congregationum, ut vita communis in supellectili, victu et vestitu illibata serveretur, secundum S. Patris nostri praescripta Examine, cap. IV, § 26, et Summario Constitutionum, § 25; et Superioribus enixe commendavit: ut singularia, superflua et exquisitiora vitent, tum in se, tum in suis subdi-

Superiores singularia, superflua et exquisitiora vitent in se et in subditis; et cum charitate

P. Beckx Praep. Gen. 1853

et aequalitate omnia provideant et dispensent.

tis, omniaque secundum rectam charitatis et aequalitatis cum inferioribus mensuram, paternamque curam et providentiam componant atque dispensent.

26, in Ms. act. 19, 20 et 27.

De pecuniaris depositis.

Cum Patribus Deputatis demandatum fuisset examen postulatorum de pecuniariis depositis, ipsique quid censerent retulissent; Congregatio, eorumdem sententiam approbans, ita decrevit:

Quid significet depositum. C. 16 d. 32, 35.

1. Illud vocabulum *deposita,* quod legitur in Congregatione xii, decreto 42, et in Congregatione xx, decreto 7, § 2, non aliud significare, quam certam pecuniae summam apud Superiorem quidem ab aliquo e Nostris depositam, sed cuius liberum usum minime habere possit qui deposuit; adeo ut liceat Superiori illam pecuniam, sicut expedire visum sibi in Domino fuerit, expendere, invito aut inscio deponente; cui nulla propterea sit iusta querelarum causa. Idque ipsum dicendum de pecunia ab aliquo externo alicui e Nostris tradita in certum aliquod opus impendenda; quam tamen in aliud, praeterquam in hoc ipsum opus, expendere Superiori minime licebit.

Nemini liceat pecunias depositas impendere ad ea sibi comparanda, quae ad victum, vestitum, aliaque vitae communi necessaria et usus mere personales pertinent; nec ipse Provincialis potest id concedere.

2. Iuxta ea quae Congregatione xii decreto 43, Congregatione xvi decreto 27, Congregatione xx decreto 7, § 3, sunt constituta, nemini liceat huiusmodi pecunias impendere ad ea sibi comparanda, quae ad victum, vestitum, cubiculi supellectilem aliaque vitae communi necessaria pertinent, neque in ullos usus mere personales et proprios adhibere; omnesque meminerint neque penes ipsos Superiores, etiam Provinciales vel quoscumque alios, esse hanc facultatem dare. Quod si quid peculiare alicui necessarium foret, id omnino a Superiorum charitate subministrandum erit, nullo tamen habito respectu ad pecuniam, quam forte ille depositam apud Superiorem habeat.

Necessaria, etiam si peculiaria, a Superioribus subministrentur.

Superiores caveant, ne haec deposita alantur et perpetua fiant; in eorum originem inquirant.

3. Superiores diligenter caveant: ne huiusmodi deposita alantur quodammodo, atque ita perpetua fiant, quo sensim quaedam species inducatur peculii aut pensionum nostris legibus prohibitarum; item inquirant in horum depositorum originem, quae facile non paucis nec levibus naevis maculari posset.

Aliarum Congr. decreta de hac re Patri nostro commendantur. Sup. d. 25.

4. Caeterum Congregatio aliarum Congregationum commemorata decreta confirmat, et R. Patri nostro apprime commendatum vult: ut, sicubi contra haec quidpiam peccetur, efficax malo remedium adhibere studeat.

27, in Ms. act. 33 et 34.

Congr. prov. cogenda, etiam cum non nisi paucissimi possunt convenire.

Quodam postulato quaerebatur: an Provinciae dispersae legitimam Congregationem habere possint, quando non possunt nisi paucissimi convenire. Ratio dubitandi petebatur, tum ex numero exiguo Congregatorum minime apto Provinciae repraesentandae, tum ex comparatione eorum, quae leguntur in Formula Congregationis Provincialis, §§ 2 et 6.

Patrum Deputatorum sententia fuit: cum de Congregatione provinciali convocanda agitur, attendendum esse, non ad numerum eorum, qui ius habent; sed ad eorum, qui ex ius habentibus convenire possunt.

Verba autem Formulae, § 6; *etiamsi duas partes non attingant,* dicta esse, non de numero quadraginta vel quinquaginta, sed de numero, quo Professi in Congregatione excedere de-

P. Beckx Praep. Gen.

1853

bent eos, qui Professi non sunt; ea vero quae praescribuntur in Formula, § 2, tunc obtinere, non cum numerus utcumque parvus est, sed cum ex iis, qui in praesenti ius habent, aliqui solummodo convenire possunt. Quam Patrum Deputatorum sententiam Congregatio probavit. Intercessio autem, qua petebatur: ut minimus numerus definiretur, ac saltem duodecim Congregati ultra Provincialem requirerentur, a Congregatione reiecta fuit.

Minimus Congregandorum numerus non definiendus.

28, in Ms. act. 20 et 28.

Rectoribus et Professis, in Algeria et Canariis degentibus, ius est, ut ad Congr. prov. conveniant. *Inf. d. 29.*

POSTULATUM fuit: an Patres in Africa degentes suam Congregationem provincialem in Gallia adire possint. Rationibus, quas Patres Deputati attulerunt, rite expensis, Congregatio pronuntiavit: Rectoribus et Professis in illa Africae ora, quae Galliae subdita est, degentibus, ius esse, ut secundum Formulam ad Congregationem provincialem conveniant, non obstante decreto 21 Congregationis XII.

Cum deinceps rogaretur Congregatio: ut praecedens decretum ob rationum paritatem extenderetur ad Patres Provinciae Hispaniae, qui sunt in insulis Canariis; Congregati omnes ad unum postulato annuerunt.

29, in Ms. act. 36, 37 et 38.

Provincialis Marylandiae potest cum duobus Electoribus venire ad Congr. gen. *C. 23 d. 11. Sup. d. 28.*

PETITUM fuit: ut sublatis nunc, quae exsistebant, itinerum difficultatibus ac longitudine, Provincialis Marylandiae possit cum duobus Electoribus venire ad Congregationem generalem, habita prius, ad praescriptum Formulae, Congregatione provinciali; quin tamen haec Marylandiae Provincia constituatur in iure communi quoad caetera, sicut Provinciae in Europa positae. Rogatis sententiis, et servatis quae in Formula, §§ 64 et 68, praescribuntur, plus quam duabus tertiis suffragiorum partibus, quod petebatur, concessum est.

30, in Ms. act. 18.

Exsequenda quae de latinae linguae usu fovendo et restituendo sunt constituta. Ad Patrem nostrum latine scribendum ex officio et de rebus gravibus. *C. 21 d. 19. Inf. d. 31.*

AD petitionem Congregationi factam, de latinae linguae usu in Societate fovendo atque restituendo, ubi opus sit; censuit Congregatio: ad id sufficere, si urgeatur exsecutio eorum, quae hac de re sunt constituta; addens: litteras ad R. Patrem nostrum latine conscribendas esse cum ex officio mittuntur, ac etiam cum de negotiis gravioribus agitur.

31, in Ms. decr. 30.

Forma syllogistica et lingua latina in sup. classibus retinenda aut revocanda. *Sup. d. 30. C. 21 d. 19.*

AD petitionem alteram, de forma syllogistica, deque lingua latina in superioribus classibus retinenda, responderunt Patres Deputati: non modo utramque retinendam, sed sicubi in desuetudinem abierit, omni ope revocandam; quod Patres Congregati uno ore approbarunt.

32, in Ms. act. 32.

Unicuique scholae pro omnibus disciplinis unicus sit Magister.

CUM Provincia sicula postularet, ut unicuique scholae pro omnibus disciplinis unicus esset Magister; auditis Patrum, quorum maxime intererat, explicationibus, Congregatio statuit: postulato omnino esse annuendum, servandamque, tum nostram Rationem Studiorum, tum universae Societatis consuetudinem, tum quae de non multiplicandis Magistris sunt in regula Provincialis 21, § 2.

In Ratione Studiorum.

33, in Ms. act. 32.

Libri nostris classibus inf. accommodati a Provincialibus assignentur.

QUAEDAM Provinciae petierunt, ut libri nostris inferiorum studiorum classibus accommodati assignarentur.

P. Beckx Praep. Gen.

1853

Congregatio, Patrum Deputatorum pro studiis inferioribus iudicium secuta, declaravit: rem, eo quod aliae regiones alia exigant, a Praepositis singularum Provinciarum, approbante R. Patre nostro, conficiendam esse.

34, in Ms. act. 30, 31 et 32.

Triennale pro Nostris Philosophiae studium praescribitur. *Inf. d. 36.*

Provinciis quibusdam postulantibus, ut Philosophiae studio triennium assignaretur; auditis rationibus in utramque partem allatis, Congregatio triennale pro nostris Philosophiae studium praescribendum statuit; et materiarum in philosophicis distributionem pro singulis annis, ad normam veteris Rationis Studiorum, conficiendam R. Patri nostro commendavit.

35, in Ms. act. 32 et 34.

Philosophi nostri promoveantur a 1.o anno ad 2.m, si ex 4 ferant 2 suffragia; ad 3.m, si tria. *C. 7 d. 33. C. 8 d. 37. C. 11 d. 24. C. 12 d. 22. C. 21 d. 17, 18.*

De qualitate suffragiorum in examine nostrorum Philosophiae auditorum a Patribus Deputatis propositum est: e quatuor Examinatorum suffragiis sufficere duo asserentia examinatum attigisse mediocritatem, ut is a primo ad secundum annum promoveatur; ut a secundo anno ad tertium gradum faciat, tria requiri.

Hoc Patrum Deputatorum iudicium Congregatio auctoritate sua confirmavit.

36, in Ms. act. 30 et 34.

Physicam et Mathesim elementarem tradere possit qui approbatur in examine ad gradum. *C. 20 d. 25. C. 21 d. 17, 18. C. 23 d. 15, 17.*

Petitum fuit, ut scientiae physicae termini designarentur, quos quis attingat necesse est, ut suffragium affirmativum in examine ad gradum ferre queat. Congregatio iudicio Deputatorum assensit: in Regulis Professorum Philosophiae satis determinatam esse materiam, Physicam videlicet et Mathesim elementarem, ad quas tradendas aptus sit oportet qui examinatur, ut suffragium ferat affirmativum.

Doctrinae philosophicae capita determinentur a P. Generali. *Sup. d. 34.*

Cum similiter petitum esset: ut in philosophicis praecipua saltem doctrinae capita determinarentur, totum illud negotium P. Praeposito a Congregatione demandatum fuit.

37, in Ms. act. 29 et 30.

Tenentur Nostri doctrinam S. Thomae sequi, non in omnibus, nisi secundum d. 56 C. 5; neque eius Summam praelegere; *C. 23 d. 15.* sed alium auctorem a Praeposito Gen. approbatum sequi possunt.

Probavit Congregatio, ut satisfieret sequentibus postulatis ad studia pertinentibus:

1. Petebatur: ut declararentur ii Constitutionum textus, qui ad doctrinam S. Thomae eiusque Summam, tamquam ad normam theologicae institutionis, referuntur. Patres Deputati responderuut: illos textus claros esse, eoque spectare, ut Nostri doctrinam S. Thomae sequantur, non tamen eius Summam praelegendam praescribi; immo neque ipsam doctrinam in omnibus, nisi secundum decretum 56 Congregationis v sectandam praecipi; sed et alium auctorem a Praeposito Generali approbatum sequi licere. Idem fuit in universum Congregationis iudicium.

De methodo Theologiam tradendi serventur alias praescripta. *C. 23 d. 16.*

2. Dein petebatur, utrum in Theologia ea methodus tenenda, qua dogmata adversus Rationalistas et Protestantes ex sacra Scriptura et ex omnibus traditionis fontibus propugnentur; an presse insistendum elencho quaestionum, qui est in Ratione Studiorum; item ut provideretur stabilitati doctrinae simul et soliditati studiorum, utque Theologiae traditio in meram exegesim philologicam non transmutaretur.

Congregatio approbavit PP. Deputatorum responsum, qui censuerunt: provisum esse hisce omnibus ex regula 11 S. Patris nostri (Exercitia Spiritualia " Ut cum orthodoxa Ec-

P. Beckx Praep. Gen. 1853

clesia vere sentiamus „), ex constanti usu Societatis, et ex decreto 13 Congregationis XXI; quae quidem omnia accurate observari mandavit.

Examinator potest iudicium ferre, et ex responsis examinati, et ex praevia cognitione.

3. An Examinatores ad gradum iudicium de praesenti scientia examinati ferre debeant ex solis responsis, an etiam ex praevia cognitione. Probata fuit sententia Patrum Deputatorum de confirmando responso dato a R. P. Thyrso die 8 octobris 1699: " Per τό *doctrinae praesentis* intelligitur doctrina, quam nunc habet re ipsa dum examinatur. Si itaque re ipsa tanta doctrina sit instructus, etsi id non appareat ex examine, poterit Examinator, siquidem ei aliunde de ea certo constat, suffragium ferre favens „.

38, in Ms. act. 28 et 34.

De Ratione Studiorum. *C. 4 d. 31. C. 20 d. 10. C. 21 d. 15. C. 23 d. 16.*

Lectum fuit iudicium Patrum Deputatorum de postulatis ad Rationem Studiorum universam spectantibus; cuius iudicii summa haec fuit:

Consideratis observationibus Provinciarum, recenseatur;

1. Ut, consideratis observationibus hactenus factis aliisque, si quae supersunt, mittendis e singulis Provinciis, et adhibito virorum omni scientia et eruditione praeditorum consilio, Ratio Studiorum cura R. P. Generalis recenseatur.

Provinciis observanda praescribatur;

2. Ut, postquam opus fuerit absolutum, ipsa haec Ratio Studiorum sic recensita et perfecta omnibus Provinciis observanda praescriberetur.

manentibus substantialibus, Provinciales pecularia quaedam praescribere possint.

3. Ut, ubique manentibus iis quae in hac Studiorum Ratione substantialia sunt, facultas Provincialibus relinqueretur, quae ipsis est secundum regulam Provincialis 39, et Professoris Classium inferiorum 15, peculiaria quaedam praescribendi, quae, vel regionum varietas, vel adeo temporum iniquitas exigunt.

Congregatio singillatim tria haec iudicii Patrum Deputatorum capita probavit.

39, in Ms. act. 32.

Statuat Generalis, an habendae scholae, in quibus doceantur solum spectantia ad negotiationem, etc.

De scholis, in quibus ea tantum doceantur, quae ad negotiationem similesque exercitationes spectant, decrevit Congregatio: Praepositi Generalis esse perpendere ac statuere, an tanti momenti rationes sint, quae huiusmodi scholas alicubi admittere, vel admissas retinere cogant.

40, in Ms. act. 33.

Nostri, munere Episcopatus sive Vicarii aut Delegati Apostolici fungentes, ad gradum non promoveantur. *Sup. d. 2.*

Si aliqui e Nostris ante ultima vota ad Episcopatum assumantur, sive Episcopi sint Ordinarii, sive Vicarii aut Delegati apostolici, Congregatio, perpensis rationibus hinc inde allatis et praescindendo omnino a questione iuris, decrevit: ut dum his muneribus funguntur, ad professionem vel ad gradum Coadiutorum spiritualium non promoveantur.

41, in Ms. act. 33.

Iidem in Congregationibus, nostris nec vocem activam, nec passivam habeant. *Sup. d. 2.*

Ad quaestionem propositam; de iisdem Nostris ad Episcopatum evectis, dum actu Dioecesim vel Vicariatum apostolicum regunt, etiamsi missionariorum nostrorum Superiores sint; a PP. Deputatis responsum est: eos in Congregationibus nostris nec vocem activam, nec passivam habere, tum ob varia Iuris Canonici et constitutionum apostolicarum decreta; tum quia non possent Comitiis nostris interesse, quin aliquomodo iis, qui eisdem praesident, subiicerentur; tum quia deberent, ubi Societas exigeret, a residentia abesse, quod eis a Iure ecclesiastico non permittitur. Hoc Deputatorum iudicium Congregatio sua auctoritate probavit.

P. Beckx Praep. Gen. — 1853

42, in Ms. act. 21, 22, 23, 24, 25, 26, 35 et 36.

De retributionibus scholarum.

Actum fuit saepius in Congregatione: an in illis Collegiis, ubi ob acerbitatem temporum necessaria dotatio, qualis in Instituto praescribitur, neque habetur neque haberi potest, liceat Nostris, loco eiusmodi dotationis, a scholaribus seu eorum parentibus retributiones pro sua sustentatione accipere, quin hoc censeatur esse contra nostrum Institutum; et tandem maxima Patrum pars sequens decretum edendum censuit: Cum varia quae in Constitutionibus, Congregationum decretis, et responsis Praepositorum Generalium hac de re habentur, serio fuissent examinata atque perpensa; Congregatio quidem censuit: certissime nihil licere Nostris pro ministeriis vocationis nostrae accipere in compensationem seu stipendium; verum, ubi agitur de debita ac necessaria Nostrorum sustentatione, quae aliunde haberi non potest, maior Congregationis pars opinabatur id Instituto nostro non prohiberi. Attamen, cum hic agatur de statu quorumdam Collegiorum extraordinario, non communi toti Societati, et quem non duraturum esse in Deo confidimus; Congregatio, secuta aliarum Congregationum exemplum, et ut debitam reverentiam exhibeat erga Constitutiones S. Patris nostri, qui nobis tam gravibus verbis paupertatem commendat, tum alibi passim, tum maxime parte vi Constitutionum, cap. 2, n. 1.; dein, ut omnem offensionis occasionem evitet; tandem, ut palam ostendat, in amore paupertatis se nihil remisisse, sed eam omnino servatam velle, statuit: nullum de de hac re fieri debere decretum; sed hoc negotium R. Patri nostro committendum esse, eique enixe commendavit, ut quod Domibus illis pro tempore necessarium est statuat: et sedulam interea impendat curam, quo Collegia haec, quantum fieri potest, ad consuetam Societatis normam perducantur; et diligenter caveatur, ne, occasione huius status exceptionalis, paupertatis virtus detrimentum patiatur.

Nihil licet Nostris accipere in compensationem seu stipendium pro ministeriis: verum, ubi agitur de debita ac necessaria Nostrorum sustentatione, quae aliunde haberi non potest, id Instituto nostro non prohibetur.

Nullum de hac re fiat decretum; sed provideat P. Generalis, curet ut Collegia ad consuetam Societatis normam perducantur, et caveat ne paupertas detrimentum patiatur.

Postero die quaesitum est, ut Congregatio declararet: num hoc decreto suo rem Patri nostro ita commiserit, ut ipse pro sua conscientia per ea media, quae Instituto conformia viderentur, provideat. Rogatis sententiis, maior pars censuit: hunc esse decreti sensum, atque ita illud esse intelligendum.

43, in Ms. act. 37.

Domus, quae bona stabilia non habent, sed quorum fundatio pensionibus Convictorum suppletur, paupertati nostrae non repugnant.

Postulatum deinde fuit, ut Congregatio sequens dubium multis in Provinciis valde practicum definire vellet: an scilicet paupertati nostrae repugnent eae Domus, quae bona stabilia non habent, scholas autem habent, et numerosissimos convictores, quorum pensionibus suppletur fundatio, quae nec est, nec in praesentiarum sperari potest; quae quidem Domus omnibus Patribus Congregationis xx, decreto 14 visae sunt habendae tamquam Collegia inchoata, quorum Rectores eadem iura easdemque facultates habeant, ac caeteri Rectores.

C. 6 d. 18. C. 9 d. 18.

Huius postulati sensus ita fuit explicatus: ut, cum in citato decreto soli nominentur convictores, eorum tantummodo pensiones intelligantur, ac abstractio fiat de retributionibus externorum. Re ita declarata, Congregatio respondit: Domos, de quibus est in decreto 14 Congregationis xx, paupertati nostrae non repugnare.

P. Beckx
Praep. Gen.

1853

44, in Ms. act. 14, 15, 16 et 36.

Ad religiosam disciplinam et observantiam urgendam, commendatur P. Generali:

Ut satisfieret compluribus aliis postulatis ad religiosam disciplinam et observantiam pertinentibus, Congregatio, postulantium zelum collaudans, quamquam censeret nihil peti, cui abunde provisum in Instituto nostro non sit; attamen ea, quae sequuntur, R. Patri nostro apprime commendata voluit, ipsumque rogavit, ut horum exsecutionem sollicite urgeret:

Tertius probat. annus integre et modo praescripto peragatur;

1. Ut tertius annus probationis integre, sicut a Congregatione xx, decreto 12, n. 5, sancitum fuit, neque pro forma dumtaxat, sed ut in Instituto ac praesertim in Ord. Gen. cap. 3 praescriptum est, peragatur.

ne crebrae sint externorum visitationes, et cautius rariusque iunioribus permittantur; C. 18 d. 22 n. 6.

2. Ut modus imponatur crebrioribus quae nunc a Nostris alicubi fieri dicuntur externorum visitationibus; eaeque iunioribus nostris multo cautius rariusque permittantur.

accuratissime serventur praescripta de socio exeuntium;

3. Ut quae de socio exeuntium in Constitutionibus, part. iii, cap. 1, § 3, inque aliis Instituti paginis leguntur, omni accuratione observentur; et, si quid contra ea peccari contigerit, omnino corrigatur. Haec autem praecipue de regula 18 Sacerdotum dicta intelligantur.

item, quae de reddenda rat. conscientiae; * Reg. 40 Summ. C. 4 d. 40. C. 5 d. 68, Tertio.

4. Ut observantia atque usus Regulae * potissimae, de reddenda ratione conscientiae, tum Superioribus, tum subditis inculcetur.

ne Concionatoribus et Operariis exemptiones ultra charitatis et aedificationis limites concedantur.

5. Ut Superiores ultra charitatis et religiosae aedificationis limites exemptiones Concionatoribus atque Operariis nostris non concedant; quin potius efficiant, ut hi suas Regulas rite observent.

Peculiaris habeatur cura profectus spir. FF. Coad., et eorum, quae de ipsis sunt praescripta;

6. Ut peculiaris cura impendatur circa spiritualem profectum FF. Coadiutorum, utque diligentius serventur quae de ipsis sunt constituta, cum caetera, tum etiam ea, quae in Congregatione vi, decreto 30, et in Congregatione vii, decreto 24 praescribuntur.

Regulae modestiae diligentissime custodiantur. C. 20 d. 17.

7. Ut modestiae Regulae, ab antiquis Patribus nostris tam sollicite observatae, et renascenti Societati iam a prima Congregatione sua vehementer commendatae, diligentissime custodiantur.

45, in Ms. act. 38 et 39.

Patri nostro et Assist. committuntur decreta extrahenda et typis edenda. C. 11 d. 36. C. 14 d. 28. C. 17 d. 17. C. 18 d. 23. C. 19 d. 12. C. 21 d. 28. C. 23 d. 48 n. 6.

Reverendus Pater noster interrogavit: an Congregatio, ad exemplum aliarum Congregationum, vellet ipsi cum Assistentibus committere decreta extrahenda, recognoscenda et typis edenda. Congregatio annuit.

Deinde R. Pater noster Patres sententiam rogavit, cum nihil superesset agendum: num placeret solvi Congregationem. Omnibus placuit eam solvi.

Hortatio P. Generalis:

Quare idem R. Pater noster, de felici Congregationis exitu gratulatus, quodque ex opinionum, quae identidem fuerat, varietate nihil detrimenti charitas atque unio animorum accepisset, omnes hortatus est, ut in eorum, quae sapienter fuerunt constituta, exsecutionem urgendam pro suo quisque munere diligenter incumberent. Tum singulis commendatum voluit; ut in id operam suam conferrent assidue, quo Provinciae et Domus nostrae magis ac magis ad eam normam in dies perficerentur, quam S. Pater Ignatius in suis Constitutionibus proposuit, atque ad hanc ipsam normam exigeretur nostrorum iuvenum institutio, a qua Societatis universae salus omnino dependet. Quibus dictis, et ipso praeeunte, actis Deo de more gratiis ex praescripto Formulae, cum magna charitatis significatione finis impositus est huic Congregationi xxii die 31 Augusti 1853.

urgeatur Constitutionum exsecutio,

ad normam Constitutionum Provinciae et Domus nostrae perficiantur, et iuvenum nostrorum institutio exigatur, a qua Societatis salus dependet.

Finis Congregationi imponitur.

DECRETA

VIGESIMAE TERTIAE CONGREGATIONIS GENERALIS,

A RESTITUTA SOCIETATE QUARTAE.

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

1883

Congregatio indicta.

ADMODUM R. P. N. Petrus Beckx, litteris ad omnes Provinciales datis die 11 Maii anni 1883, Congregationem generalem a se decretam significavit, et deinde eam in diem 15 Septembris indixit. Quare omnes Provinciales et Socii, a Congregationibus provincialibus designati, die stata in Urbe adfuerant, praeter P. Ferdinandum Ferrante, Provincialem Siciliae, atque alterum eius Socium, P. Petrum Fontana, qui absentiae suae causam Patri Nostro eiusdemque Assistentibus probaverant. P. Ferrante vero media Congregatione, peractis electionibus, tandem advenit, atque in ea suum locum occupavit. Inchoata igitur est Congregatio die proxime sequenti, 16 scilicet Septembris, qua dies festus MARIAE Perdolentis recolebatur, et die 23 Octobris absoluta.

Absunt Provincialis et Elector Siciliae.

Provincialis siculi adventus.

DECRETUM 1, in manu scriptis act. 1.

Patris nostri in cogenda Congregatione consilium. *C. 11 d. 1. C. Poloc. 1 d. 1.*

IN primae actionis ingressu Adm. R. P. N. declaravit: praecipuum Congregationis cogendae finem fuisse electionem Vicarii, qui sibi, aetate iam provecta et viribus sensim deficientibus, auxilium praeberet, et deinde iure proprio cum plena potestate succederet. Hoc consilium, diu antea cum PP. Assistentibus agitatum, iisque omnibus consentientibus, se Pontifici Maximo, Leoni XIII, exposuisse, qui rem diligenter cognitam approbavit, et illius efficiendae facultatem benignissime concessit. Deinde, non modo enixe commendavit, ut de iis, quae in Congregatione pertractarentur, neque cum externis neque cum Nostris aliquid communicaretur, sed, exemplo P. Nickel et gravioribus rationum momentis adductus, de Vicarii electione silentii praeceptum, annuente Congregatione, imposuit.

C. 11 d. 4.

Silentii praeceptum de Vicarii electione impositum.

C. 11 d. 1.

2. Tum placuit omnibus declarare: Congregationem plenam esse, et legitime coactam; et etiam defectus, si qui forte irrepserint, supplere.

Congregatio plena et legitima, et defectus suppleti.

3. Congregationis Provinciae siculae acta nondum Romam pervenerant; recitatum tamen est testimonium eiusdem Provincialis, qui P. Georgium Cannata a Congregatione legitime coacta rite electum fuisse affirmabat, cui standum et electionem validam habendam esse Congregatio decrevit.

Dubitatio de Electore siculo sublata.

4. Alterum dubium fuit, de electionibus cuiusdam Provinciae, quas ex actis constabat factas esse unica suffragatione, simul designatis duobus ad Congregationem generalem

Vitium in electione cuiusdam Provinciae sanatum.

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

1888

mittendis; et quum de dubio ageretur, Patres duo, ad quos spectabat, parumper e conclavi discesserunt. Congregatio agnovit defectum, quo ille electionis modus laborabat, sed, eo sanato, continuo Patres illos revocavit.

Secretarii electio.

5. Secretarius electus est prima suffragatione ad plura secreta suffragia P. Hugo Molza, Elector Provinciae Romanae.

Benedictio Summi Pontificis impetrata non rursum petenda.

6. Deinde, quum ex Formulae Congregationis generalis § 12, proponi deberent ii, qui cum Patre nostro Pontificem Maximum adituri essent eiusque benedictionem Congregationi impetraturi, ob graves causas a Patre nostro explicatas praestabilius Congregationi visum est, illo more usurpando supersedere. Quam in sententiam eo propensius omnes concessere, quod idem Pater noster retulit, se ante Congregationis initium denuo SS. Patrem adiisse cum antiquiore professo ex Assistentibus, P. Firmino Costa, eiusque benedictionem implorasse, quam Sanctissimus Dominus cum eximiae erga Societatem benevolentiae significatione benigne fuerat impertitus.

2, in Ms. act. 2 et 3.

Deputati ad detrimenta. *C. 7 d. 78. C. 8 d. 1.*

Deputati ad detrimenta cognoscenda sunt nominati ex singulis Assistentiis: ex Assistentia italiae, P. Ioachimus Vioni, Provincialis neapolitanus; ex Assistentia Germaniae, P. Mauritius Meschler, Provincialis Germaniae; ex Assistentia Galliae, P. Henricus Chambellan, Provincialis Franciae; ex Assistentia Hispaniae, P. Eugenius Labarta, Elector Provinciae toletanae; ex Assistentia Angliae, P. Eduardus Purbrick, Provincialis Angliae. In electione Patris Labarta, quum in primo scrutinio parem cum eo suffragiorum numerum P. Augustinus Delgado, Provincialis toletanus, tulisset, suffragatio altera inter hos tantum duos habita est; quam ob causam fuit qui de validitate huius suffragationis dubitaret, existimans e Formula colligi posse, haberi illam debuisse inter omnes. Congregatio nihil de iure definivit, sed vitio, si quod inesset, sanato, electionem ratam habendam esse decrevit.

Vitium, si quod inesset in electione unius ex Deputatis, sanatum.

Ii etiam, qui de Congregatione non sunt, possunt Deputatis afferre quae sibi de detrimentis Soc. forte occurrant.

Horum vero Deputatorum nomina, monuit Pater Noster, iis etiam, qui de Congregatione non sunt, aperiri et posse et debere, ut eis unusquisque afferre queat quae sibi de Societatis detrimentis forte occurrant.

3, in Ms. act. 1, 2, 3 et 4.

De Vicarii perpetui electione, deque eiusdem auctoritate a Congregatione non definienda. *C. 11 d. 29 n. 1.*

Proposita quaestione de Vicarii electione, et diu multumque disputata, Congregatio tandem duo statuit: 1. Vicarium perpetuum eligendum esse, qui Patris nostri adiutor sit, et ius habeat ei succedendi; 2. Vicarii potestatem nequaquam a Congregatione definiendam esse, sed tantum ei attributum iri auctoritatis, quantum Pater noster, qui eius auxilio sublevandus est, ei impertiri voluerit.

4, in Ms. act. 4 et 5.

Substitutus siculus vocatus.

Patrem Emmanuelem Bottalla, unum e Substitutis Provinciae siculae, qui nullo impedimento ad Congregationem venire prohibebatur, Congregatio unanimis continuo vocare decrevit; sed minime visa est ad eius adventum differenda electio, quum propediem adventurus speraretur.

Iudices de ambitu.

Renuntiata sunt nomina Iudicum de ambitu, qui ex Formula sunt antiquiores e singulis Assistentiis Pro-

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

fessi, videlicet: P. Iosephus Boero pro Assistentia Italiae, P. Ludovicus Van Gulick pro Assisientia Germaniae, P. Adulphus Pillon pro Assistentia Galliae, P. Eugenius Labarta pro Assistentia Hispaniae, et P. Petrus Gallwey pro Assistentia Angliae.

5, in Ms. act. 4, 5 et 6.

Formula iuramenti ab Electoribus praestandi. *C. 11 d. 7. C. Poloc. 1 d. 2.*

Approbata est a Congregatione Formula iuramenti ab Electoribus praestandi in haec verba concepta: *Ego NN. testem invoco Iesum Christum, qui est Sapientia aeterna, quod eum eligo et nomino in Vicarium Generalem Societatis Iesu cum iure successionis, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum.*

Eligendi Vicarii ritus.

2. In iis, quae electionem Vicarii comitantur, placuit Congregationi: paululum a norma discedere, quam pro electione Praepositi Generalis Formula praescribit, ordinemque probavit, quem tenuit in simili electione Congregatio xi, prout ex actis ipsius Ms. colligitur. Nimirum, singuli Patres Sacrum fecerunt; in Congregationis locum singuli privatim, non simul bini supplicationis ritu accesserunt; precatio ante electionem ad semihoram contracta; Vicario electo per amplexum reverentia exhibita. Quum displiceret electionis die ad Electores sermonem non haberi, atque aliud reverentiae indicium Vicario tribuendum videretur, Pater noster declaravit, se brevi adhortatione initium electioni facturum, atque omnes cum gratulatione acquieverunt; modus vero reverentiae Vicario deferendae Patris nostri iudicio commissus, qui definivit; ut per amplexum cum osculo manus, non tamen flexis genibus, idque, tantum ab Electoribus in loco Congregationis tribueretur.

1883

Inclusor Electorum.

3. Ad includendos Electores designatus est P. Fridericus Schroeder, Rector Collegii germanici hungarici.

Assistens electionis.

4. Tandem ad plura suffragia designatus est Assistens electionis P. Eugenius Labarta, Elector Provinciae toletanae, et decretum: ut illo ipso die, 20 Septembris, mane initium fieret quatridui, quod electionem Vicarii Generalis praecedere debet, ita ut ipsa electio in diem 24, Sanctissimae Virgini de Mercede sacram, incideret.

Initium quatridui.

6, in Ms. act. 8.

Vicarii electio. *C. 11 d. 8. C. Poloc. 1 d. 3.*

Die 24 Septembris perlecta est et approbata Formula decreti electionis, quae ad electionem Vicarii cum iure successionis inflexa fuerat. Tum, servatis omnibus, quae ex Constitutionibus et decretis Formula praescribit, paucis illis exceptis, quae Congregatio (decreto 5, n. 2) immutanda esse iudicaverat, prima suffragatione, mira concordia conspirantibus paene tribus suffragiorum quartis partibus, electus est P. Antonius Maria Anderledy, Assistens Germaniae, et decretum de electione a Patre nostro confectum, subscriptum ac promulgatum. Continuo, praeeunte pro animi sui demissione ac benignitate Patre nostro, exhibita est per amplexum et manus osculum Vicario reverentia.

Decretum electionis.

2. Decreti electionis, quod Congregationi probatum est, ab Admodum Rev. Patre nostro subscriptum, et recitatum a P. Secretario, hoc est exemplum:

Quum in plena et legitima Congregatione, collato numero omnium suffragiorum, plus quam media pars omnium R. P. Antonium M. Anderledy nominaverit et elegerit, Ego, Petrus Beckx, auctoritate Sedis Apostolicae et

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

totius Societatis eligo praedictum R. P. Antonium M. Anderledy in Vicarium Generalem perpetuum Societatis Iesu cum iure succedendi, secundum specialem facultatem concessam a SS. D. N. Leone Papa XIII. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Nuntius electionis ad Pont. Max. missus, et implorata benedictio apostolica. C. 11 d. 34.

3. Ex ipsa autem Congregatione, nulla mora interiecta, Pater noster per litteras electionis nuntium ad Pontificem Maximum misit, tum electo tum sibi et Congregationi benedictionem apostolicam demississime deprecans. Sanctissimus Dominus nuntium magna benevolentia et gratia excepit, et sibi electionem acceptissimam esse, atque omnino probari benignissimis verbis significavit.

7, in Ms. act. 9, 10 et 11.

Societatis Secretarius in Congregationem admittitur. C. 4 d. 11. C. 13 d. 2. Societatis Procuratoris Gen. absentia ob adversam valetudinem.

Post Vicarii electionem P. Torquatus Armellini, Societatis Secretarius, Congregationis coetibus iure officii interesse coepit; quod idem ius P. Iosepho Betti, Procuratori Generali, competebat, sed quo minus eo uteretur adversa valetudine prohibitus est.

Congregationis Secretarius eiusque socii eliguntur.

2. Rite electo Congregationis Secretario eodem qui fuerat electionis, P. Hugone Molza, eique datis ex Formulae praescripto sociis P. Ioachimo Vioni et P. Iosepho de la Torre, Deputati ad secernenda postulata eligendi erant. Sed exortum oportuit antea solvi dubium; an in illorum electione R. P. Vicarius voce passiva gauderet. Quum enim, seu ratione muneris, ut nonnulli opinabantur, ad illam Deputationem iam pertineret, seu eius conventibus ab A. R. Patre nostro delegatus ac eius vicem gerens adesse posset, ut inter omnes conveniebat, non amplius eligi posse plerisque videbatur. Auditis sententiis, Congregatio statuit: minime quidem ratione muneris ad illam Deputationem R. P. Vicarium pertinere, ast aequum esse, ut eius conventibus cum iure suffragii interesset, idque ei ex privilegio concedendum et concedi.

Privilegium R. P. Vicario concessum interessendi Deputationi ad postulata.

1883

Deputatorum electio ad secernenda postulata. C. 8 d. 1.

3. Dubio soluto, deputati sunt ad secernenda postulata: pro Assistentia Italiae, P. Franciscus Vannutelli, Praepositus Provinciae Romanae; pro Assistentia Germaniae, P. Iosephus Van Reeth, Praepositus Provinciae belgicae; pro Assistentia Galliae, P. Emmanuel Mourier, Rector Collegii Iersiensis atque Elector Provinciae Franciae; pro Assistentia Hispaniae, P. Augustinus Delgado, Praepositus Provinciae toletanae; pro Assistentia Angliae, P. Georgius Porter, Elector Angliae.

8, in Ms. act. 10, 11 et seqq.

Quaestio de aliis Assistentibus eligendis.

Quum eligendus esset Germaniae Assistens, qui R. P. Anderledy sufficeretur renuntiato Vicario, censuit Congregatio prius quaestionem dirimendam esse a quibusdam propositam; num, electo Vicario Generali cum iure successionis, eligendi etiam essent alii Assistentes. Perspicuitatis causa quaestio in tres discreta est:

1. Num his in adiunctis Congregationi ius competeret alios Assistentes eligendi. 2. Si competeret, an eo uti expediret. 3. Si alii Assistentes eligerentur, utrum officio suo statim fungerentur, an tum tantum, quum R. P. Vicarius totius Societatis gubernatione potiretur. Primam et alteram Congregatio fere unanimis affirmandas esse iudicavit; sed longe secus de tertia fuit, quae pluribus actionibus agitata est, nec plene dirempta, nisi quum PP. Assistentes Angliae primum, dein Italiae et Hispaniae, exemplum sequuti Patris Rubillon, qui iam

PP. Assistentes et Admonitor laudabiliter officium suum renuntiant.

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

prius officium, tum Assistentis Galliae, tum Admonitoris ob rationes recognitas et approbatas abdicaverat, laudabiliter iure suo concordiae gratia cedentes, ipsi quoque suum munus sponte renuntiarunt, quod Congregatio approbavit ac ratum habuit.

9, in Ms. act. 23 et 24.

Electio Assistentium non praesenti tantum Generali, sed etiam Vicario Generali quando erit Praepositus. C. 8 d. 2.

Die quinta Octobris, ultima quatridui ad capiendas informationes indicti, congregatis omnibus, qui ius suffragii ad electionem Assistentium habebant, factaque antea declaratione, mentem Congregationis esse, ut ad nostri iuris normam Assistentes eligerentur, non praesenti tantum Generali Praeposito, verum etiam Vicario Generali, quando erit Praepositus, electi sunt, singulis suffragationibus iisque secretis, ad plura medietate suffragia: Assistens Italiae, altera suffragatione, P. Matthaeus Ciravegna, Rector Domus Probationis cheriensis; Assistens Germaniae, unica suffragatione P. Gaspar Hoevel, Rector Collegii Ditton-Hall, quod in Anglia habet Provincia Germaniae; Assistens Galliae, unica item suffragatione, P. Gulielmus Blanchard, Elector Provinciae tolosanae; Assistens Hispaniae, altera suffragatione, P. Ioannes Iosephus de la Torre, Elector Provinciae toletanae; et tandem, tertia suffragatione, Assistens Angliae, P. Iosephus Keller, Rector Collegii woodstockiensis.

Qui omnes statim solitum praestitere iuramentum.

Electio Admonitoris. C. 8 d. 2.

Actione sequenti electus est Admonitor, secunda suffragatione, ad plura medietate suffragia, P. Matthaeus Ciravegna, Assistens Italiae.

10, in Ms. act. 24.

Provincialis Galiciae facultatem discedendi obtinet.

P. Henricus Iackowski, Provincialis Galiciae, a Congregatione facultatem discedendi postulavit propter gravia suae Provinciae negotia, quae sine detrimento differri non possent. Congregatio unanimiter postulato assensit.

11, in Ms. act. 21, 25 et 26.

Ius ad Congregationem generalem Provinciae missourianae conceditur.

Postulatum fuit, ut Provinciae missourianae ius fieret mittendi Praepositum suum cum duobus Electoribus ad Congregationem generalem. Re maturius perpensa, riteque servatis, quae §§ 64 et 68 Formula praescribit, Patres Congregati fere unanimiter postulato assenserunt, iisdem moti rationibus, propter quas Congregatio XXII decreto 29 idem ius Provinciae Marylandiae concesserat.

12, in Ms. act. 26 et 29.

Plena Societatis adhaesio doctrinae in encyclica Quanta cura et in Syllabo expositae.

Quum in tanta errorum colluvie, qui serpunt quaquaversus et saepe a Romana Sede nostris temporibus proscripti fuerunt, timeri possit, ne forte aliqui etiam e Nostris pestifera lue tangantur, generalis haec Congregatio, hanc primam opportunitatem nacta, declarat: Societatem nostram plene adhaerere doctrinae expositae in encyclica Quanta cura Summi Pontificis Pii IX die 8 Decembris anni 1864, et reprobare, ut semper reprobavit, omnes errores proscriptos in Syllabo eiusdem Pontificis.

Liberalismus, qui dicitur catholicus, reprobatur.

Quum autem a quibusdam Provinciis postulatum sit, ut nominatim reprobetur doctrina Liberalismi, qui dicitur catholicus; Congregatio postulatis ex animo assentit, et enixe commendat Admodum R. Patri nostro, ut omni ope hanc pestem a Societate avertere curet.

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

1883

Congregationes Procuratorum et provinciales statis temporibus cogendae. *P. 8 c. 2, B. C. 2 d. 19, 67. C. 4 d. 7. C. 5 d. 30. C. 7 d. 9. C. 16 d. 8. C. 21 d. 10. Form. Congr. prov. n. 1.*

13, in Ms. act. 18, 21 et 22.

QUUM plura a Provinciis proposita sint postulata de Congregationibus provincialibus tertio quoque anno cogendis, Congregatio generalis statuit:

1. Urgendam esse exsecutionem eorum, quae, tum in Constitutionibus tum in decretis aliarum Congregationum generalium, de Congregationibus Procuratorum et de Congregationibus provincialibus tertio quoque anno cogendis, praescripta sunt.

Si quando convocari non possunt, ad annum proximum prorogentur.

2. Si quando propter graves causas A. R. Pater noster moneat, Congregationes Procuratorum et Congregationes provinciales convocari non posse, has, non ad aliud triennium, sed ad annum proxime sequentem esse prorogandas.

Congr. prov. non cogendae, si Congr. Proc. haberi nequit.

3. Non esse Congregationes provinciales cogendas, si constet Congregationem Procuratorum suo tempore haberi non posse.

14, in Ms. act. 27 et 29.

Petitur temperatio praecepti P. Mutii, de non tractando de potestate Rom. Pontificis in Principes. *Cens. et praec. c. 5 n. 8.*

POSTULATUM fuit, ut, novis accedentibus causis, placeat Congregationi deliberare de abrogando vel temperando praecepto P. Mutii, quo prohibemur, sive libris editis, sive scriptis quibuscumque, publice disputando vel docendo tractare potestatem Romani Pontificis in Principes.

Totius negotii cura Patri nostro demandatur.

Prolixiori habita de hoc argumento disputatione, Congregatio unanimis affirmavit: totius negotii curam Patri nostro esse demandandam, eo quod de praecepto Praepositi Generalis tollendo vel temperando Praepositum Generalem eiusque successorem iudicare consultius videretur.

15, in Ms. act. 18, 19, 31, 33 et 44.

Societatis plenissima adhaesio encycl. litteris AETERNI PATRIS.

QUUM ante annos aliquot Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII encyclicis litteris AETERNI PATRIS normam praescripserit, qua studia christianarum scholarum ad antiquam sapientiam, Angelico Doctore Magistro, revocarentur, Societas IESU, nunc primum ab eo tempore in generali Conventu congregata, plenissimum filialis obedientiae atque assensus obsequium solemni ac publico testimonio manifestandum sibi esse iudicavit. Itaque, nihil Sanctitati Suae gratius, nihil ad eius explenda vota utilius facere se posse pro certo habens, quam si quaecumque iam pridem a maioribus nostris in hanc rem statuta sunt denuo confirmaret; decernit Congregatio, postulante A. R. Praeposito Generali: plenum suum vigorem retinere, ideoque exsecutioni mandanda sedulo esse, quae a S. P. N. Ignatio in suis Constitutionibus, part. IV, cap. 14, § 1, et a Congregatione V, decretis 41 et 56 praescribuntur, ut Nostri S. Thomam omnino habeant tamquam proprium Doctorem, eumque in scholastica Theologia sequi teneantur. Declarat praeterea: vim legis etiamnum obtinere Congregationis XVI decretum 36, et Congregationis XVII decretum 13; adeoque inhaerendum esse Philosophiae, quae tamquam Theologiae magis utilis in iisdem decretis praecipitur. Ne vero, quod a Professoribus Metaphysicae ex Instituto adstruitur, a Physicae Professoribus contra Instituti normam destruatur, statuit Congregatio: ita tradendam esse Physicam experimentalem in scholis nostris, ut nihil asseratur, quod systemati de corporum principiis et constitutione, ibidem praescripto, contradicat.

Doctrina S. Thomae in Theologia sequenda. *C. 22 d. 37 n. 1.*

In Philosophia inhaerendum decr. 36 Congr. XVI, et decr. 13 Congr. XVII.

In Physica non contraria asserenda. *Inf. d. 17.*

P. Anderledy Vic. Gen. perp. — 1883

Sum. Pontifex valde probat hoc decretum.

Hoc decretum Summo Pontifici ab A. R. P. N. oblatum est. Sanctissimus Dominus illud valde probavit, maximeque hortatus est, ut diligentissime ab omnibus servetur.

16, in Ms. act. 30, 31 et 32.

De studiis theologicis ordinandis nostrisque temporibus accommodandis. *C. 4 d. 31. C. 20 d. 10. C. 21 d. 15. C. 22 d. 33.*

Multarum Provinciarum postulata, de studiis theologicis ordinandis nostrisque temporibus accommodandis, Congregatio Patribus Deputatis pro studiis superioribus examinanda et diiudicanda commendavit, quorum iudicium hoc fuit:

Studio Iuris Canonici et Hist. Eccles. provideatur.

Censuerunt Patres Deputati omnino necessarium esse, ut studio Iuris Canonici et Historiae Ecclesiasticae provideatur, praesertim in quibusdam Provinciis, ubi necessitas magis urget; aliaque postulata de Sacrae Scripturae studio fovendo, de Theologia positiva, de polemica hodiernis quaestionibus adaptanda, tum etiam de duplici Professore constituendo secundum Rationem Studiorum a Societate approbatam, qui auditores Theologiae moralis, tum in principiis, tum in praxi instituant, esse omni consideratione maxime digna. Quum tamen evidenter pateat has omnes quaestiones de studiis Ordinatione aliqua accurate confecta et stabili definiendas esse, placuit Patribus Deputatis, nullo dissentiente, ut Patribus Congregatis legeretur postulatum ab uno e Patribus Congregatis oblatum, cui omnino adhaerent. Nec aliquid addendum occurrit, nisi quod interea, donec stabilis aliqua Ordinatio confecta fuerit, de quaestionibus, quae magis urgeant, a PP. Provincialibus cum Admodum Reverendo Patre nostro agendum sit.

Donec Ordinatio aliqua conficiatur, de quaestionibus, quae urgeant, agant Provinciales cum Generali.

Hoc Deputatorum iudicium Congregatio approbavit.

Postulatum autem supra dictum fuit:

Congregatio generalis, quum vix tempus habeat ad examinandas et definiendas quaestiones particulares de studio Theologiae, ea, qua par est, maturitate, enixe rogatur, ut Admodum Reverendo Patri nostro eiusque Vicario haec perficienda mandet et committat:

In singulis Provinciis conficiatur accuratus elenchus quaestionum in Theol. tradendarum vel omittendarum.

1. In singulis Provinciis per Professores theologicae facultatis aliosque, si Superioribus ita visum fuerit, Theologos in Theologia scholastica et positiva bene versatos, atque in conferentiis coadunatos, praesidentibus Rectore Collegii et Praefecto Studiorum, atque approbante Provinciali,

C. 11 d. 22. C. 12 d. 28. C. 14 d. 5. C. 16 d. 36 n. 4. C. 18 d. 20. C. 20 d. 10. C. 21 d. 14.

a. Conficiatur accuratus elenchus earum quaestionum, quae in Theologia scholastica tradendae vel omittendae sunt. In antiqua Societate exstitit quidem elenchus (cfr. Ord. R. P. Piccolomini pro Stud. Sup.), attamen non sat accuratus. Quare in Congregatione xii, decreto 56, § 3, statutum fuit: *ut quaestionum, tum tradendarum, tum omittendarum in Theologia et Philosophia novus et accuratior index fiat.* Id pro Theologia nondum factum est, nostris autem temporibus eo magis necessarium esse videtur, quod accesserint tractatus, quos Theologiam fundamentalem nominare consueverunt.

Professoribus Theologiae innotescat quid ab unoquoque quotannis docendum.

b. Ita distribuantur quaestiones illae Professoribus Theologiae scholasticae, ut bene innotescat, quid ab unoquoque, saltem singulis annis, docendum sit, uti in antiqua Ratione Studiorum factum fuerat, et in recenti Ordinatione Admodum Reverendi Patris nostri merito postulatur.

Proponatur accuratum

c. Proponatur schema aliquod

schema studiorum theologicorum.

studiorum theologicorum, quo clare exhibeatur, quid, quibus annis, quo ordine, qua methodo, quot horis, non solum materiae Theologiae scholasticae tradendae sint, sed etiam reliquae disciplinae Theologiae, i. e. Theologia moralis seu casuistica, Exegesis, Ius Canonicum, Historia Ecclesiastica; scilicet, num ante quadriennium, an intra quadriennium, an post quadriennium in biennio paucis tantum destinato, an forte intra quinquennium omnibus dogmaticis concedendum.

Haec documenta ad P. Generalem mittantur, ut ipse cum singulis Provinciis reliquarum documenta communicet.

2. Tria haec documenta sufficienti exemplarium numero intra annum ad P. Generalem mittantur, ut ipse cum singulis Provinciis propositiones et schemata omnium reliquarum Provinciarum communicet. Iidem Patres, qui sub n. 1 commemorati sunt, modo supra dicto, in illas propositiones etc. suas faciant animadversiones et notas, rationibus additis, si forte dissentiunt; quae omnia, scripto consignata, intra sex menses vel intra annum ad P. Generalem transmittant.

Commissio, a Patre nostro designanda, ex omnibus schematibus et prop. unum constituat.

3. Quibus peractis, Admodum Reverendus Pater noster designet et convocet Commissionem quamdam stabilem, quae constet ex Patribus diversarum Assistentiarum et viris doctis, qui in Theologia scholastica et positiva bene versati sint. Quae Commissio schemata et propositiones singularum Provinciarum examinet, et unum quoddam schema constituat, in quo tria illa, quae sub n. 1 proposita fuerunt, ad communem et generalem quamdam formam sint redacta.

Elucubratio Commissionis ad Provincias mittatur, ut hae observationes suas proponant.

Suam elucubrationem Commissio illa generalis denuo ad Provincias mittat, antequam universae Societati praescribatur, atque iidem viri, qui sub n. 1 nominati sunt, denuo suas proponant observationes intra tempus a Patre nostro definiendum.

Commissio omnes Provinciarum observationes examinet, et schema suum emendet, ut a Patre nostro examinetur et probetur.

Has observationes Commissio generalis iterum examinet, atque, si opus sit, schema suum emendet. Quod schema ita confectum et absolutum Admodum Reverendo Patri Nostro proponat, ut is, audito consilio Assistentium, ultimam suam manum operi apponat, suaque approbatione et sanctione ordinem studii theologici communiat; ita tamen, ut, salva unitate in substantialibus, P. Generali sit potestas in rebus accidentalibus, atque potissimum in disciplinis positivis, eas concedendi modificationes, quas singularum Provinciarum consuetudines et necessitates requirunt. (Cfr. Congr. XIII decr. 15, Congr. XIV decr. 20, Congr. XXII decr. 38, § 3.)

In rebus accidentalibus P. Generalis modificationes Provinciis concedere possit.

Rationem hanc ordinandi studia theologica Congregatio unanimi consensu probavit.

17, in Ms. act. 43.

Capitibus, quibus proponebatur de ordinando scientiarum physicarum studio: *C. 20 d. 25. C. 21 d. 17, 18. C. 22 d. 36. Sup. d. 15.* Quid nomine Physices comprehendatur;

POSTULATUM fuit, ut de ordinando scientiarum physicarum studio, quod Philosophiae et Theologiae inservire oporteat, decerneretur: 1. nomine Physices comprehendi omnes scientias naturales, quae ad finem propositum conducant; 2. anno secundo praelectiones harum scientiarum generaliora principia ne excedant; 3. praelectiones illae habeantur tantum iis horis, quas Ordinatio de triennali Philosophia Physicae assignat; 4. materiae a Lectoribus tractandae minutatim assignentur; 5. determinentur harum scientiarum partes, quae sint materia examinis anno secundo et tertio subeundi; 6. iis Scholasticis, qui ad aliquam ex his scientiis aptiores videbuntur, vel quartus concedatur annus, vel anno tertio certae dentur horae,

Quid praelegendum, quae materia sit examinis minutatim assignetur;

Scholasticis ad aliquam ex his scientiis aptioribus detur tempus ut in ea se promoveant;

P. Anderledy Vic. Gen. perp. — 1883

eadem fere ratione providendum, qua in decreto praecedenti.

ut, moderante Professore, in ea se promoveant.

Quum Patres Deputati pro studiis existimassent his capitibus eadem fere ratione providendum esse, quam Congregatio de studiis theologicis ordinandis tenendam esse decrevit, hoc iudicium Congregatio comprobavit.

18, in Ms. act. 36 et 38.

Doctores Societatis probati magni faciendi et consulendi.

Ut, tum Summi Pontificis, tum S. P. N. Ignatii voluntati concordes, verae S. Thomae doctrinae constanter adhaereamus, idemque, quoad fieri possit, sapiamus; censuit Congregatio: serio monendos esse Nostros, tum Theologiae, tum Philosophiae Professores et Scholasticos, ne, proprio iudicio nimium fidentes, novas a se conceptas interpretationes pro vera germanaque S. Thomae doctrina temere aut inconsulte tradant; quin potius magni faciant et diligenter consulant probatos illos et eximios Societatis Doctores, quorum laus in Ecclesia est, quique, tamquam discipuli S. Thomae ei addictissimi et sapientes interpretes, immo et Ecclesiae luminaria, a Romanis Pontificibus aliisque eruditissimis viris commendari meruerunt.

C. 5 d. 41 n. 8.

19, in Ms. act. 36, 38 et 39.

Theologiae ante ingressum Doctores quandonam examinandi. C. 11 d. 14.

Quum rogatum esset, ne Theologiae Doctores, qui, gradu in Seminariis vel Universitatibus suscepto, Societatem ingrediantur, sine examine ad professionem admitterentur; censuit Congregatio: non omnes, nullo facto discrimine, sine examine esse admittendos, sed eos tantummodo, de quorum eximia eruditione nulla sit dubitatio, quod statuit Congregatio VII decreto 96; tum vero nullam fore dubitationem, quum iurare possint quatuor e Nostris idonei viri, tanta illos instructos esse doctrina, quanta requitur in nostro Instituto ad professionem quatuor votorum.

Praeterea Congregatio declaravit: hoc decretum, non eos tantum, qui Societatem ingressuri, sed illos etiam, qui eam iam ingressi sint, adeoque omnes complecti, neque ulli iniuriam fieri, nisi forte pactum intercessisset.

20, in Ms. act. 36.

Scientia requisita in promovendis ad gradum Doctoris.

Postulatum quoque fuit, ut in nostris Universitatibus ab iis, qui ad Doctoris gradum promoveantur, ea scientia requiratur, quae ad docendum necessaria sit. Congregatio Patrum Deputatorum iudicio adhaesit, qui censebant: vigere adhuc Constitutionem S. P. N. Ignatii part. IV, cap. 15, § 4, qua id statuitur, quod in postulato petitur; et quum, si observetur, maximopere ad studia promovenda conferre possit, commendandum esse Patri nostro, ut pro sua prudentia et temporum atque locorum adiunctis eius urgeat exsecutionem.

21, in Ms. act. 42.

De facultate docendi obtinenda;

Postulantibus quibusdam Provinciis, an expediat curare, ut Nostri publicam ab iis, qui rerum potiuntur, approbationem obtineant, qua illis liceat docere in nostris Collegiis, Congregatio decrevit: expedire, ut selecti iuvenes nostri mittantur ad gradus suscipiendos, quibus legitime idonei fiant ad publice docendum; sed omnino curandum, ut Ratio Studiorum Societatis integra servetur, ac solide Nostri in litteris et scientiis instituantur.

sed Ratio Studiorum integra servetur.

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

1883

De praeparatione Nostrorum pro publica facultate docendi Mathesim et Scientias Naturales.

22, in Ms. act. 43.

Cum quibusdam in locis per leges civiles exigatur, ut Nostri ad iuvenes externos Mathesim et Scientias Naturales docendos publico muniantur titulo ac facultate; quumque ad id impetrandum diuturna praeparatio requiratur, quae cum ratione triennalis cursus philosophici aegre componi possit, Congregatio, rogata, ut viam aliquam designaret huius difficultatis declinandae, declaravit: standum esse Ordinationi pro triennali Philosophiae studio, quae § 5 praescribit: in his disciplinis eos, qui iudicio Provincialis aptiores sint, ulterius quidem progredi posse, sed post cursum communem absolutum.

De cultu exquisitiori aliquorum in Litteris, Scientiis Naturalibus etc.

23, in Ms. act. 43.

Postulatum quoque fuit, ut Rationi Studiorum aliquae apponerentur praeceptiones, quibus definiatur: quinam e Nostris, et quantum temporis, et quatenus, et quomodo priscis linguis, Philologiae, Ethnologiae, Archaeologiae, Historiae, Sublimiori Mathesi ac Scientiis Naturalibus omnibus, quibus universi mundi corporei cognitio continetur, operam navare debeant. Iudicio Deputatorum, sententium, nihil hac in re generatim praescribi posse, sed Provincialibus cum Praeposito Generali agendum esse, ut videant, quomodo haec studia in singulis Provinciis instituenda sint, assensit quidem Congregatio; simul autem decrevit: ut, salvis consuetis studiis Societatis, et, quantum fieri potest, praeeminentia Litterarum in Gymnasiis, studiorum illorum cultus, profectus atque incrementum Provincialibus enixe commendarentur, quorum erit, eos inter iuvenes deligere, qui natura comparati ad haec studia videntur, ut iis se totos dedant ad maiorem Dei gloriam et bonum animarum.

Universitas Gregoriana a Provinciis adiuvanda. C. 3 post d. 48. C. 4 post d. 67. C. 6 d. 8.

24, in Ms. act. 34 et 35.

Propositum fuit postulatum, de Universitate Gregoriana ab omnibus Provinciis adiuvanda, quum, et in Collegio germanico hospitio interim recepta, propria Domo careat, et, bonis suis direptis, nonnisi parvam antiquorum redituum partem eamque precariam accipiat. Congregatio magna charitatis significatione censuit: subveniendum esse Universitatis Gregorianae praesenti necessitati; modum vero, quod id fiat, a singulis Provincialibus cum Patre nostro constituendum esse.

De Regulis Praefectorum morum etc. in Convictibus et Collegiis.

25, in Ms. act. 42.

Quum postularetur, ut conficerentur Regulae quorumdam officialium minorum in Collegiis et Convictibus, v. g. Praefecti Convictus, Praefectorum morum etc., respondit Congregatio cum Patribus Deputatis: huic desiderio a Congregatione satisfieri non posse ob probatas rationes. Quum vero relatum esset, in quibusdam Provinciis iam exstare huiusmodi Regulas, censuit Congregatio: has Regulas, sive iam confectas, sive mox conficiendas, ad Adm. R. Patrem nostrum esse a Provincialibus mittendas, qui eas, si videbitur, ut consuetudines Provinciae approbabit. C. 1 d. 143.

De Scholis Apostolicis.

26, in Ms. act. 42.

De Scholis, quas vocant Apostolicas, satius esse duxit Congregatio declarare: illas non repugnare Instituto nostro, ex Const. part. iv, cap. 3, lit. b; non autem expedire, immo

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

1883

nec periculo carere declarationem, illas scholas esse Societati commendandas tamquam Ecclesiae et Societati ipsi magno emolumento futuras.

27, in Ms. act. 47.

Vulgata editio Constitutionum cum hispanico exemplari conferenda. *C. 1 d. 79. C. 2 d. 52. C. 3 d. 26, 34. C. 4 d. 8, 33, 50. C. 5 d. 76.*

Placuit Congregationi: ut a Praeposito Generali deputentur Patres idonei ad recognoscendam vulgatam editionem Constitutionum S. P. N. eamque cum hispanico exemplari diligenter conferendam; ita tamen, ut nihil privata auctoritate edatur, neque emendatio ulla textui inseratur, quae a Congregatione generali non fuerit approbata.

28, in Ms. act. 42.

De iuribus Superiorum in Residentiis.

Proposito postulato de Residentiis, in quo quaerebatur: 1. de iuribus Superiorum earum, 2. de Regulis pro iisdem condendis; notatum est in primis, triplex distingui in Societate genus Residentiarum: 1. earum, quae, Collegio alicui addictae, eius Rectori subiiciuntur; 2. earum, quae ab alia Residentia principaliori, adeoque ab eius Superiore, dependent; 3. earum, quae proxime subsunt ipsi Provinciali. Coarctata quaestione ad Residentias tertii huius generis, censuit Congregatio: pertinere ad Patrem Generalem definire auctoritatem seu iura Superiorum earum; Regulas vero pro iis conscribendas esse Congregatio negavit.

29, in Ms. act. 43 et 44.

De formandis Concionatoribus. *C. 2 d. 62. C. 6 d. 38. C. 7 d. 80 n. 8-10.*

Ad maximi momenti negotium de formandis Concionatoribus promovendum, probatum est a Congregatione iudicium Patrum Deputatorum, qui censuerunt: urgendam esse exsecutionem eorum, quae in hunc finem statuta sunt, praesertim Const. part. IX cap. 8, § 3, et lit. B, C, Reg. Prov. 52, et Instr. II. Haec tria praecipue inculcantur: 1. ne, qui ad concionandum natura videntur comparati, in docendi munere diutius detineantur; 2. ut non solum tempore studiorum, ut par est, instituantur, sed deinde per biennium, vel saltem per annum, partim privato studio et concionibus scribendis, partim etiam moderato aliquo exercitio ad bene concionandum formentur; 3. ut sibi omnino non relinquantur, sed, vel pluribus simul in hunc finem in eadem Domo, si fieri possit, degentibus, vel saltem singulis aliquis, in dicendo valde exercitatus, destinetur, qui eos ad initium tanti muneris dirigat et iuvet, eorum conciones perlegat atque audiat, et *boni correctoris,* ut S. Pater loquitur, partes ex officio obeat.

30, in Ms. act. 42.

De Confessariis Nostrorum, *Comp. Privil. n. 125.*

Ad solvenda quaedam dubia de Confessariis Nostrorum universim, et potissimum Novitiorum et Patrum tertiae Probationis, placuit omnibus iudicium Patrum Deputatorum:

1. Unum esse debere secundum Constitutiones Confessarium Nostrorum; quod si fieri nequeat, quisque certe suum stabilem Confessarium habeat, cui ordinarie confiteatur. Ex Constitutione vero Clementis VIII Religiosis plures a Superioribus designandos esse Confessarios, quos adire omnibus fas sit, Novitiis exceptis.

et speciatim Novitiorum,

2. Novitiorum Confessarium, tum ex nostris Constitutionibus, tum concessione Clementis VIII, Urbani VIII, et Leonis XII, esse ipsorum Magistrum, licet idem Rector sit; ita tamen, ut semel quotannis, etiamsi Novitii non instent, debeant Superiores maiores alium deputare Confessarium, qui eo-

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

rum confessiones *cum effectu* audiat, et nihilominus ipsi possint, si expedire iudicaverint, per se vel per alium Novitiorum confessiones semel aut bis in anno audire.

Morem esse praeterea in Societate, ut Novitiis, renovationis tempore, facultas fiat Confessarios extraordinarios, pro caeteris designatos, adeundi.

Huic Deputatorum iudicio censuit Congregatio addendam esse clausulam, hortandos scilicet esse Magistros Novitiorum, ut se quam facillimos exhibeant in concedendo Novitiis, si quando petant, alios Confessarios.

Scholasticorum.

3. Quod ad Scholasticos attinet, optandum esse, ut, si fieri potest, eorum Confessarius ordinarius sit Pater Spiritualis Domus, cui eorum cura in suis Regulis tantopere commendatur.

et Patrum tertiae probationis.

4. Patrum vero tertiae Probationis Confessarium ordinarium, secundum reg. 10 Instructoris, et Ord. Gen. cap. 3, esse ipsorum Instructorem. Quum autem notatum fuisset, Patres tertiae Probationis non posse adigi ad confitendum Instructori, qui sit Rector, sed posse eos semper adire Patrem Spiritualem Domus, Congregationi placuit, ut per decretum id declaretur.

31, in Ms. act. 37 et 39.

Bonorum abdicatio universalis sit. *Ord. Gen. c. 1 n. 10.*

Ad propositam quaestionem: liceretne ei, qui bonis suis se abdicat, partem aliquam usui pio reservare, qui pro lubitu semper ab eo designetur qui se abdicat, respondit Congregatio: id non licere.

32, in Ms. act. 37 et 39.

De dominio bonorum, quod Scholastici et Coadiutores approbati acquirunt. *C. 5 d. 10.*

1883

Postulatum fuit, ut Congregatio decreto confirmet et ad universam Societatem dilatet responsum, quod Pater noster anno 1856 ad Provinciam Hispaniae dedit. Postulaverat haec Provincia a Patre nostro, ut declararet: Scholasticis et Coadiutoribus approbatis, sive in Domibus nostris commorantibus, sive extra illas dispersis propter iniquitatem temporum aliamve causam, non aliam generatim concedi a Superioribus facultatem acquirendi bona ex industria honesta aut alio quocumque titulo, quam Professis vel Coadiutoribus formatis; adeoque bonorum omnium dominium, quae post vota biennii acquisierunt vel deinceps acquirent, penes Religionem remanere, nisi patrimonium suum constituant, vel ad illud ob peculiarem aliquam rationem bonorum aut ex donantium voluntate spectare videantur. Respondit Pater noster: se illud postulatum admittere et approbare, utpote legibus, spiritui et praxi Instituti nostri prorsus conforme; nec aliter intelligendam esse Instructionem pro Patribus et Fratribus dispersis a R. P. Roothaan datam. Postquam paucis de hoc postulato disputatum est, Congregatio unanimis illud approbavit.

33, in Ms. act. 37.

Provincialis ex arca Seminarii nihil impendere potest in commoda Provinciae.

Quaesitum fuit: an Provincialis reditibus arcae Seminarii ad quamlibet Provinciae necessitatem aut commodum uti possit. Congregatio approbavit iudicium Patrum Deputatorum: ex arca Seminarii, quae Scholasticis atque iis, qui in Probatione versantur, alendis instituta est, nihil posse Provincialem in alios usus impendere; ac servandam esse Ordinationem de arca Seminarii Provinciae a Patre nostro datam die 19 Martii 1859.

P. Anderledy Vic. Gen. perp. 1888

In epistola P. Oliva de secreto servando non imponitur praeceptum proprie dictum etc.

34, in Ms. act. 31 et 32.

Quaesitum fuit: an praeceptum, quod in epistola P. Oliva, 7 Februarii 1669, verbis: *districte iniungimus, gravissimeque praescribimus,* videtur impositum esse de secreto servando in iis, quae in accipienda ratione conscientiae quivis audierit, decreto 15 Congregationis XII fuerit abolitum, quum nullam de eo mentionem faciat. Congregatio declaravit: in epistola P. Oliva non contineri proprie dictum praeceptum in virtute sanctae obedientiae, quod sit tacite abolitum, eo quod in authentico elencho praeceptorum nostrorum non contineatur; sed gravissimam esse Ordinationem nullatenus abolitam, ideoque epistolam, ubi mos est, publice legi posse.

In aliena Provincia negotia non tractanda, ministerium non exercendum, eleemosynae non colligendae, etc., sine licentia Praepositi illius Provinciae.

35, in Ms. act. 32 et 33.

Postulatum fuit, ut Congregatio decernat: non licere cuiquam e Nostris in alienam Provinciam migrare, sive ad negotia tractanda, sive ad ministeria quaelibet exercenda, sive ad eleemosynas colligendas, sine illius Provinciae Praepositi libero consensu; atque ut eiusmodi prohibitio eos quoque comprehendat, qui in Domibus commorantur, quas Provinciae dispersae intra fines alterius Provinciae obtinent. Congregatio, approbans iudicium Patrum Deputatorum, decrevit: urgendum esse, ut obtemperetur, tum reg. 112 Provincialis, qua edicitur: ne quem mittat extra Provinciam, neque etiam ad laborandum in vinea Domini, quin ei constet de voluntate Generalis, aut conventio intercesserit cum Praeposito illius Provinciae, tum reg. 48 e Communibus, de negotiis non tractandis nisi consilio et directione Superioris Domus, ubi quis etiam peregre moretur; cui regulae congruere, ut, ubi Domus Societatis non sit, negotia non tractentur sine Praepositi illius Provinciae consilio. Porro ad precavenda haud levia incommoda Congregatio statuit: ne quis, pecuniam corrogaturus, in alienam Provinciam migret, non facta ab huius Praeposito venia; ac tandem prohibuit: ne ii, qui in Domibus versantur, quas Provinciae dispersae habent intra fines alterius Provinciae, inscio vel invito huius Provinciae Praeposito, sive sacra ministeria quaelibet exerceant, sive aliquid in publicis ephemeridibus typis edant.

Nec Socii Provincialis litterae, nec aliorum ad ipsum, a Superioribus localibus reserendae.

36, in Ms. act. 40 et 41.

Postulatum fuit, ut statueretur: an litterae a Socio Provincialis datae vel a Nostris ad eum missae eodem numero censeri debeant, ac litterae maiorum Superiorum, quae a minoribus aperiri nequeunt. Postquam in utramque partem disputatum fuit atque allatum, Socium cum Provinciali unam veluti curiam constituere, neque in praesentia, quum mos obtineat epistolas nullo adhibito sigillo obserandi, iudicium adesse, quo cognoscatur, utrum Socius nomine Provincialis atque ex officio scribat, nec ne; statuit Congregatio: illud privilegium concedendum esse, adeoque Superioribus localibus non iam licere litteras a Socio Provincialis datas vel a Nostris ad eum missas reserare.

Regula Rectoris de communione Scholasticorum, nec abroganda, nec immutanda.

37, in Ms. act. 41.

Postulatum fuit: ut, habito prae oculis more inter Christi fideles inducto, saepius in hebdomada SS. Christi Corpus accipiendi, regula 34 Rectoris, qua cavetur, ne Scholastici

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

1883

frequentius quam octavo die communicent, aut abrogetur aut immutetur. Congregatio, tum regulam ipsam considerans, quae descripta est ex Constitutionibus part. IV. cap. 4, lit. B, tum modum quo observatur, tum caetera adiuncta, iudicium Patrum Deputatorum unanimis approbavit: regulam, neque esse abrogandam, neque ullatenus immutandam.

38, in Ms. act. 41.

Declaratio Formulae Congregationis provincialis.

ACTUM est de rebus ad Congregationem provincialem spectantibus. Quaerebatur:

Ad iudicandum cum Provinciali et Cons. de impedimentis vocandi solum ii, qui ius adeundi Congr. habent.

1. An, quod dicitur § 10 Formulae Congregationis provincialis, de convocandis a Provinciali una cum suis Consultoribus ad ferendum de impedimentis iudicium: *caeteris omnibus praesentibus, qui in Congregatione ius suffragii habent,* intelligendum sit de iis omnibus, quibus in electionibus, suffragium dari potest, hoc est, de omnibus Professis, an de iis tantum, qui ius suffragii in Congregatione sunt habituri? Patres Deputati censuerunt: illis verbis dici, non alios vocandos esse quam eos, quibus ius sit adeundi Congregationem, idque tum ex contextu erui, tum ex decreto 8 Congregationis XIX.

Congr. prov. definiat quaestiones, quarum explicatio ex Instituto aut Generalium responsis colligi non possit.

2. Quum § 18 Formulae Congregationis provincialis dicatur: *Secretarius eligendus ad plura suffragia secreta;* si contingat in prima suffragatione duos aequalem suffragiorum numerum obtinere, an altera suffragatio fieri debeat ab omnibus inter omnes, an vero a solo Provinciali cum duobus antiquioribus Professis, neque inter omnes, sed inter eos solum, qui paria suffragia obtinuerint, ut in simili eventu praescribit Formula Congregationis generalis § 10?

Censuerunt Patres Deputati: ex § 17 Formulae posse Congregationem provincialem quaestiones ad praesentem opportunitatem definire, quarum explicatio ex Instituto aut Generalium responsis colligi non possit, adeoque opus non esse huic quaestioni Congregationem generalem respondere.

Puncta in Congr. prov. tractanda, nec affigantur pridie, nec typis impressa distribuantur.

3. Quod dicitur § 49 Formulae Congregationis provincialis: *nec publice affigenda erunt puncta, de quibus postridie sit tractandum,* utrum hisce verbis sinatur, ut non affigantur, an vetitum sit ut affigantur; quod si vetitum, an etiam prohibitum, intelligi debeat eadem lithographice aut aliter impressa pridie distribui? Iudicium Patrum Deputatorum fuit: illis verbis vetari, capita tractanda pridie affigi, quum non debeat argumentum futurae tractationis in anteriore sessione praenuntiari; quare gravius etiam prohibitum intelligi debere, ea quibuscumque typis impressa distribui.

Hoc Patrum Deputatorum iudicium in singula capita Congregatio approbavit.

39, in Ms. act. 44.

De ostendendis Superiori proximo facultatibus et privilegiis ab altiori Superiore concessis.

POSTULABATUR: ut quae facultates et dispensationes, in paupertate praesertim, Nostris a Superiore conceduntur, eae semper scripto, Superioris nomine signato, dentur, quod proximo Superiori exhiberi possit et debeat; ne scilicet litterae altioris Superioris proximo Superiori ostendantur, quod Institutum vetat. (Ord. Gen. cap. 4 § 5). Ad hoc respondent Patres Congregati: facultates huiusmodi scripto dandas et minoribus Superioribus ostendendas, quin tamen facultates ore tenus impertitae habendae sint irritae. Obiectio allata ex

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

Ord. Gen. cap. 4 ita soluta est: hic non agi de epistolis; et si facultas epistolae includatur, hanc habendam esse scriptam facultatem et ab illa lege exclusam.

40, in Ms. act. 45, 46, 47 et 48.

De cura Monialium. P. 6 c. 3 n. 5. C. 7 d. 56. C. 20 d. 12 n. 9, 10. Reg. 47 Praep. Reg. 68 Rect.

Quum in pluribus Congregationis actionibus tractatum esset de cura Monialium, et varia in utramque partem fuissent disputata, censuit demum Congregatio: nullum novum de hac re decretum esse necessarium, sed standum esse Constitutioni S. P. N. Ignatii et Congregationum Decretis.

41, in Ms. act. 47.

Facultas supprimendi aliqua Collegia datur P. Generali, C. 11 d. 16. C. 17 d. 14. C. 21 d. 9. C. 22 d. 18.

Postulante Provincia Franciae, facultas datur Admodum Rev. Patri nostro solvendi aliqua Collegia in Gallia, si Provinciali eiusque Consultoribus necessarium visum fuerit, quando per Dei bonitatem licebit Nostris scholas iterum in Gallia aperire.

et P. Vicario exercenda cum Societatis regimen ipsi devenerit. Facultatis amplitudo indicatur.

Petenti dein Rev. Patri Vicario, eadem potestas facta est, exercenda quo tempore Societatis regimen ipsi devenerit; et Congregatio declaravit: hanc facultatem eo prorsus modo intelligendam esse, eadem amplitudine, iisdemque conditionibus, quibus decreto 20 Congregationis xx collata fuit.

42, in Ms. act. 44, 45 et 48.

De revocandis dispersis. C. 22 d. 13.

Congregatio haec generalis, vehementer deplorans, in aliquibus Provinciis non paucos e Nostris inveniri, qui adhuc in dispersione vivunt, fere independentes a suis Superioribus, aut in negotiis propriae familiae occupatos, et cupiens huic gravissimo malo remedium, quantum in se est, afferre, decernit:

Quamprimum ad aliquam Domum aut Residentiam revocentur.

1. Ut Provinciales curent, quam primum fieri poterit, eos ad aliquam nostram Domum aut Residentiam, sublatis quibuscumque praetextibus, revocare.

1883

Interea sub obedientia sint alicuius Superioris vicinioris.

2. Ut interea nemo relinquatur suo iure et arbitrio vivere, sed sub obedientia alicuius Superioris viciniorıs Domus aut Residentiae constituatur, sine cuius licentia nulla ministeria exerceat, nec negotia quaevis gerenda suscipiat.

Quandonam peccabunt contra votum paupertatis.

3. Ut omnes admoneantur: eos contra votum paupertatis peccare, si de pecuniis, quae ipsis undequaque proveniunt, sine Superioris facultate, praeter id quod necessarium est ad honestam ipsorum sustentationem, disponant; ac propterea:

Dati et accepti singulis saltem annis Provinciali rationem reddant.

4. Teneantur omnes singulis saltem annis dati et accepti rationem Praeposito Provinciali, vel ei, cui ipse hoc munus demandaverit, fideliter reddere, et quod eorum sustentationi superest, eidem tradere.

Instructio practica hac super re ad Provincias mittatur.

Rogat praeterea Congregatio Adm. R. Patrem nostrum: ut velit Instructionem practicam hac super re mittere ad eas Provincias, in quibus adhuc huiusmodi dispersi inveniuntur, et suaviter quidem, sed etiam fortiter curare, ut praedicta puncta omnino observentur, contumaces etiam dimittendo, nisi resipiscant, a Societate, cuius spiritum, qui in re tam gravi non obedientes essent, ostenderent se penitus amisisse.

Praedicta puncta omnino observentur, contumaces etiam dimittendo a Societate.

43, in Ms. act. 47.

Aliquis Professus possit nominari Proc. Gen. C. 12 d. 29.

Petente Reverendo P. Vicario, decrevit Congregatio:

1. Ut, si necesse fuerit, possit aliquis Professus nominari Generalis Procurator.

Ordinatio de edendis libris Nostrorum probata,

2. Ut Ordinatio Adm. Reverendi P. Petri Beckx de libris Nostrorum edendis, recenti editioni Instituti ad-

P. Anderledy Vic. Gen. perp.

ac caeterae Ord. Gen.

dita, aequalem habeat auctoritatem ac caeterae Generalium Ordinationes Instituto insertae.

Probatur additio Congr. poloc. novae editioni Instituti.

3. Ut habeatur probata Appendix eidem editioni addita Congregationum polocensium.

Omittatur lectio integra actorum. C. 14 d. 27. C. 2 d. 79.

4. Ut propter angustiam temporis omitti possit actorum Congregationis, quae iam in singulis actionibus lecta et probata fuerunt, lectio iterata, quam ante eiusdem dissolutionem Secretarius facere iubetur in Formula.

Acta ultimarum Sessionum a Patre nostro et Assistentibus recognoscenda.

5. Immo, ut acta ultimarum Sessionum, quae nondum conscribi potuerunt, ab Adm. Reverendo Patre nostro cum suis Assistentibus recognoscantur et probentur.

Eisdem committitur officium extrahendi Decreta. C. 11 d. 36. C. 14 d. 28. C. 17 d. 17. C. 18 d. 23. C. 19 d. 12.

6. Ut, exemplo aliarum Congregationum, eidem Patri Nostro et Assistentibus committatur officium colligendi ex actis Decreta eaque typis edendi.

44, in Ms. act. 43.

Per acclamationem gratiae referuntur Adm. R. P. N. Generali.

Ad postulatum, quo rogabatur Congregatio: ut, universae Societatis nomine, Adm. Reverendo Patri nostro grati animi et amoris sensus significare velit, tum ob prudentem sollicitudinem et charitatem, qua et providit, ut Vicarius Generalis perpetuus cum iure successionis, annuente Summo Pontifice, eligeretur, et in huius aliorumque negotiorum tractatione ita Congregationi praefuit, ut omnia debita charitate et libertate secundum leges nostras peragerentur; tum etiam ob insignem prudentiam, fortitudinem, constantiam atque patientiam, quibus Societatem in tantis tempestatibus tam multis annis gubernavit; omnes Patres statim surgentes per acclamationem assenserunt.

45, in Ms. act. 45.

1883

Gratiae agendae Summo Pontifici.

Proposito postulato: ut Adm. Reverendus Pater noster, universae Congregationis personam agens, Sanctissimo Domino Nostro Leoni xiii grati animi sensus pro facultate eligendi Vicarii cum iure successionis benigne collata, tum etiam pietatem, obsequium, devotionem omnium Patrum Congregatorum, totiusque Societatis erga Sanctam Sedem profiteri velit; omnes una voce Patres acclamantes annuerunt.

46, in Ms. act. 48.

De cultu SS. Cordium Iesu et Mariae. C. Poloc. 2 d. 8.

Tamquam felix ac fausta conclusio laborum offertur Congregationi postulatum ad cultum SS. Cordium Iesu et Mariae inter nos augendum et promovendum. Lecto autem Patrum Deputatorum iudicio, omnes Patres assurgentes, unaque voce acclamantes probaverunt quae sequuntur:

Societas lubenter acceptat munus devotionis erga SS. Cor Iesu colendae, fovendae ac propagandae.

1. Declarandum esse: Societatem Iesu lubentissimo et gratissimo animo munus suavissimum acceptare et suscipere, a D. N. Iesu Christo ipsi commissum, devotionis erga divinissimum Cor suum colendae, fovendae ac propagandae.

Dies festus SS. Cordis Iesu quomodo in Societate colendus.

2. Statuendum: ut dies festus SS. Cordis Iesu inter solemniores in Societate habeatur, et quotannis maiori, qua fieri possit, pompa celebretur, renovata eodem die in singulis Domibus oratione abhinc paucis annis ab Adm. Reverendo Patre nostro praescripta, qua Societas se totam SSmi Cordi Iesu devovit ac sacravit.

Die 5 Dec. proximi anni Societas se devoveat SS. Cordi B. Mariae V.

3. Statuendum: ut die 5 Decembris proximi anni, quo occurrit dies festus saecularis, quo Prima Primaria Congregatio Mariana constituta est, Societas, quemadmodum solemniter Sa-

cratissimo Cordi IESU se totam devovit ac sacravit, sic etiam solemniter se totam devoveat ac sacret SS. Cordi B. MARIAE Virginis, quam semper ut dulcissimam Matrem coluit, colit ac colet.

47.

Complura postulata curae Patris nostri commissa.

COMPLURA alia postulata non parvi momenti Congregatoni generali oblata fuerunt, ut de praerogativa antiquitatis ad professionem; de ratione conscientiae; de absolutione a reservatis tempore renovationis et Exercitiorum; de tertio anno saeculari a sodalibus celebrando institutae Sodalitatis MARIAE Deiparae, quae Prima Primaria nuncupatur; de rebus temporalibus; de Residentiarum paupertate; de Societatis Historia continuanda; de Litteris Annuis ordinandis, et alia; quae curae Admodum Reverendi Patris nostri commissa sunt.

48, in Ms. act. 49.

Congregatio solvenda.

DIE 23 Octobris, hora 7 pomeridiana, congregatis in aulam de more Patribus, Reverendus Pater Vicarius rogavit illos: an placeret, negotiis feliciter confectis quoad per temporis angustias licuerat, Congregationem solvere. Quod quum omnes affirmassent, Adm. Reverendus Pater noster unum ex Patribus rogavit, ut legeret adhortationem conscriptam, qua Patribus gratulatus est de felici successu Congregationis, difficili admodum tempore; de charitate et studio, quo in bonum Societatis conspiraverant; gravibus eos verbis exhortans, ut omni ope et cura exsecutioni insistant, quum Regulae et Decreta nobis non desint, et quidem sapientissima; sed nullo nobis emolumento futura, nisi exsecutioni mandentur.

Hortatio Patris nostri.

Finis Congregationis.

Deinde, dicto alternatim hymno *Te DEUM* cum precibus, inter mutuas gratulationes Congregatio soluta est.

DECRETA

VIGESIMAE QUARTAE CONGREGATIONIS GENERALIS

A RESTITUTA SOCIETATE QUINTAE.

P. Martin Praep. Gen.

1892

Causa Congregationis convocandae.

DEFUNCTO Fesulis A. R. P. N. Antonio Maria Anderledy die 18 Ianuarii 1892, postquam Societatem ab anno 1884 ut Vicarius, ab anno autem 1887 ut Praepositus Generalis gubernaverat; R. P. Ludovicus Martin, Secretarii Substitutus, eiusdem Patris Nostri chirographo Vicarius Generalis creatus, suis litteris die 23 Martii 1892 datis Congregationem generalem ad eligendum novum Societatis Praepositum indixit, nullo interim graves ob causas designato nec die nec loco. Quoniam vero ex Summo Pontifice, Leone XIII, intellexerat Congregationem in Urbe ultra dies ad electionem Praepositi Generalis necessarios protrahi non oportere; ac propterea, electo Praeposito Generali, in alium extra Italiam locum esse transferendam: collatis cum PP. Assistentibus consiliis, gravissima eiusmodi translationis incommoda per litteras officii atque observantiae plenas Suae Sanctitati repraesentavit, simulque duas habendae extra Italiam Congregationi opportunas Domos, Trunciniensem nempe in Belgio et Loyolaeam in Hispania, proposuit. Ad haec Sanctissimus Pater benigne respondit: probari sibi ut Congregatio in uno tantum loco extra Italiam, inque Domo Loyolaea celebraretur. Quare P. Vicarius de consensu PP. Assistentium, alteris suis litteris die 20 Iulii datis, Congregationi generali inchoandae diem 24 Septembris et Domum Loyolaeam praescripsit. Ubi quum pridie eius diei Patres omnes adessent, praeter P. Ioannem Granero, Provincialem Toletanae, et alterum eius Socium, P. Iosephum Mariam Velez, qui postridie vespere advenerunt, constituto die 24, B. MARIAE V. a Mercede sacro, initium factum est Congregationi, quae soluta est die 5 Decembris eiusdem anni 1892.

Designatur dies et locus. *P. 8 c. 5 n. 1. Offic. Vic. n. 8.*

DECRETUM 1, in manu scriptis act. 1.

Congregatio declaratur plena ac legitima.

DIE igitur 24 Septembris, quum Patres omnes, qui aderant, convenissent, in primis declaratum est plenam ac legitimam esse Congregationem, et defectus omnes, si qui irrepserint, suppleri.

Supplentur defectus.

Admittitur Elector Provinciae Toletanae.

Quaesito deinde, num P. Eugenius Labarta, Elector Provinciae Toletanae, in eum conventum admitti posset, ante quam acta Congregationis eiusdem Provinciae, quae Provincialis secum afferebat, visa fuissent; censuerunt omnes admittendum, siquidem de eo rite electo nulla suberat dubitandi causa.

Eligitur Secretarius electionis,

Tum ad plura secreta suffragia electi sunt: Secretarius electionis,

P. Martin Praep. Gen. Concionator, et Inclusor.

P. Torquatus Armellini, Elector Provinciae Romanae; ad concionem ipso electionis die habendam, P. Ferdinandus Canger, Rector Domus Probationis Neapolitanae; demum ad includendos eodem die Electores, P. Anicetus Casado, Rector Domus Probationis Loyolensis.

2, in Ms. act. 2 et 4.

Deputati ad detrimenta recognoscenda. *C. 8 d. 1.*

Detrimentis recognoscendis Deputati e singulis Assistentiis ad plura secreta suffragia electi sunt: ex Assistentia Italiae, P. Ioachimus Vioni, Rector Collegii et Domus Probationis Porturegiensis; ex Assistentia Germaniae, P. Mauritius Meschler, Rector Domus Probationis Blyenbeek; ex Assistentia Galliae, P. Gulielmus Blanchard, Elector Provinciae Tolosanae; ex Assistentia Hispaniae, P. Franciscus Salesius Muruzabal, Rector Collegii Bilbaensis; ex Assistentia Angliae, P. Petrus Gallwey, Elector Provinciae Angliae.

Quum duo Electores parem suffragiorum numerum tulissent, tentatum ab omnibus alterum inter omnes scrutinium.

In electione Deputati ex Assistentia Germaniae, quum is, qui electus est, parem cum alio Patre suffragiorum numerum in primo scrutinio tulisset, et dubitaretur num alterum scrutinium inter hos duos faciendum esset a P. Vicario cum Secretario eiusque Assistente; plerique censuerunt ex Formula, cap. 2, num. 10 hunc modum videri praescriptum dumtaxat de eligendo Secretario et Assistente electionis, ac proinde alterum scrutinium ab omnibus Patribus Congregatis tentandum esse inter omnes, qui eligi poterant.

Iudices de ambitu renuntiantur.

Postea P. Vicarius renuntiavit nomina Patrum, quorum est pro antiquitate professionis simul cum ipso iudicare de ambitu. Fuerunt autem: ex Assistentia Italiae, P. Torquatus Armellini, Elector Provinciae Romanae; ex Assistentia Germaniae, P. Gaspar Szczepkowski, Elector Provinciae Galicianae; ex Assistentia Galliae, P. Ambrosius Matignon, Elector Provinciae Franciae; ex Assistentia Angliae, P. Petrus Gallwey, Elector Provinciae Angliae. Ex Assistentia Hispaniae, ex qua erat P. Vicarius, nemo renuntiatus fuit.

1892

Form. n. 21.

Eligitur Assistens electionis.

Denique ad plura secreta suffragia electus est Assistens electionis P. Matthaeus Ciravegna, Assistens Italiae.

3, in Ms. act. 6.

Praepositi Generalis electio.

Die secundo Octobris, qui fuerat praestitutus ut electio in solemnitatem Sacratissimi Rosarii B. Mariae V. incideret, praemisso secundum Formulam quatriduo servatisque aliis omnibus in Instituto praescriptis, ad plura medietate suffragia secreta Praepositus Generalis electus est secundo scrutinio R. P. Ludovicus Martin, Vicarius Generalis; qua de re Secretarius electionis statim decretum confecit, subscripsit ac promulgavit. Quis autem electus esset, antequam alii cuipiam notum fieret, Summo Pontifici per telegramma nuntiatum est.

Quis electus sit, Summo Pontifici nuntiatur.

4, in Ms. act. 7 et 8.

Advocato Procuratore Generali, eliguntur Secretarius Congregationis, *C. 3 d. 44. C. 4 d. 11. C. 18 d. 2.*

Post electionem P. Generalis accitus est in Congregationem P. Franciscus Ploegman, Procurator Generalis; vocandus vero non fuit Secretarius Societatis, P. Antonius Rota, quia ab initio consessibus interfuerat ut Elector Provinciae Aragoniae.

Dein ad plura secreta suffragia electus est Secretarius Congregationis idem qui fuerat electionis, P. Torquatus Armellini; cui socii duo eodem modo adiuncti sunt: P. Ioannes Urráburu, Rector Collegii maximi

duo eius Socii

P. Martin Praep. Gen. 1892

et Deputati ad secernenda postulata. *C. 8 d. 1.*

Onniensis, et P. Adrianus van Gestel, Elector Provinciae Neerlandiae.

Tum ad plura etiam secreta suffragia electi sunt Deputati ad secernenda postulata: ex Assistentia Italiae, P. Matthaeus Ciravegna, Assistens Italiae; ex Assistentia Germaniae, P. Iacobus Rathgeb, Provincialis Germaniae; ex Assistentia Galliae, P. Franciscus Grandidier, Assistens Galliae; ex Assistentia Hispaniae, P. Ioannes Iosephus de la Torre, Assistens Hispaniae; ex Assistentia Angliae, P. Burchardus Villiger, Vice Rector Collegii inchoati S. Ioseph, Provinciae Marylandiae Neo-Eboracensis.

5, in Ms. act. 9 et 10.

Deputationes septem instituuntur.

Quo expeditior esset deliberatio de rebus in Congregatione tractandis, instar praeteritarum Congregationum, censuit Congregatio instituendas esse pro rerum varietate Deputationes, commissa Patri Nostro earum distinctione ac Deputatorum electione. Deputationum tituli fuerunt in hunc modum distincti: 1, de dubiis super Instituto, ac praesertim de Formulis Congregationum; 2, de castitate, clausura et regula socii; 3, de paupertate; 4, de administratione rerum temporalium; 5, de studiis; 6, de vulgata Constitutionum versione ad autographi hispani fidem castiganda; 7, de ministeriis Societatis, ac praesertim de Missionibus.

6, in Ms. act. 10.

Electio Assistentium. *C. 8 d. 2.*

Die Octobris decimo, qui ultimus erat quatridui ad electionem Assistentium constituti, praemissa secundum Formulam oratione, electi sunt ad plura medietate suffragia secreta: Assistens Italiae, unica suffragatione, P. Rogerius Freddi, Rector Collegii Scriptorum *Civilitatis Catholicae;* Assistens Germaniae, altera suffragatione, P. Mauritius Meschler, Rector Domus Probationis Blyenbeek; Assistens Galliae, altera suffragatione, P. Franciscus Grandidier; Assistens vero Hispaniae, unica suffragatione, P. Ioannes Iosephus de la Torre: uterque hoc munere proxime functus; Assistens Angliae, unica suffragatione, P. Iacobus Jones, Elector Provinciae Angliae; qui omnes ex praescripto Formulae iuramentum statim praestiterunt.

Arcessito Procuratore Gen., eligitur Admonitor. *C. 8 d. 2. C. 13 d. 2.*

Post haec, arcessito Procuratore Generali, P. Francisco Ploegman, unica suffragatione Admonitor Patris Nostri electus est P. Ioannes Iosephus de la Torre, Assistens Hispaniae.

7, in Ms. act. 11 et 12.

In nova, quae adornatur, Instituti editione supprimendus Indiculus Decretorum.

Postulatum fuit a quibusdam Provinciis, ut Decretorum Indiculus, Congregationis VIII decreto 14 confici iussus, quo legentes interim iuvarentur dum nova editio Decretorum parabatur, quique postea ad postremam usque Congregationem continuatus fuit, in nova Instituti editione, quae modo adornatur, supprimeretur. Placuit Congregationi ut supprimatur, dummodo ad marginem singulorum Decretorum apponantur, tum summaria omnia, quae sunt in Indiculo, etiam quae ad Decreta manu scripta et non publicata pertinent, tum remissiones omnes ad alia Decreta de re eadem pertractantia, ac postremo in Indice generali adiiciantur quae de novo statuentur.

Quomodo supplendus.

8, in Ms. act. 11 et 12.

Commendatur Patri Nostro, ut, quamprimum fieri

Plurimae Congregationes provinciales exposuerunt generali Congregationi desiderium suum, ut A. R.

P. Martin Praep. Gen.

1892

possit, Romam remigret. P. 8 c. 1 n. 7. P. 8 c. 5 n. 1.

P. N. Generalis, quam primum fieri poterit, Romam redeat. Patres Congregati, considerantes multa et gravia incommoda, quae ex absentia Patris Nostri ab Urbe nascuntur, Provinciarum desiderium laudarunt, et A. R. P. N. Generali vehementer commendarunt, ut, quam primum fieri poterit, Romam remigret. Ratione tamen habita difficultatum et periculorum, quae forte obsistere videantur, eius prudentiae omnino relinquunt perpendere adiuncta rerum, in quibus huiusmodi reditus, cum venia Summi Pontificis, sine periculo tentari possit.

9, in Ms. act. 12, 13, 14, 15 et 16.

Provinciae Marylandiae Neo-Eboracensis et Missouriana aliis Europae Provinciis aequiparantur. C. 23 d. 11.

Petentibus Provinciis Marylandiae Neo-Eboracensi, et Missouriana, ut, propter mutata temporum ac locorum adiuncta, a privilegiis eximantur sibi antea concessis, quae in Formula Congregationis provincialis num. 37 quoad Provincias extra Europam sitas numerantur, atque adeo iure communi Societatis regantur, perinde ac reliquae Provinciae intra Europam sitae; Congregatio fere unanimi consensu libentissime annuit; iisque servatis, quae in Formula Congregationis generalis praescripta sunt num. 68, de Constitutionibus, quatenus opus esset, derogando, decrevit: ut praedictae Provinciae in posterum, non obstantibus Congregationum Decretis quibuscumque, praesertim vero decreto 29 Congregationis XXII, ac sublatis omnibus privilegiis atque exceptionibus, sub communi nostro iure constituantur, ac caeteris Societatis Provinciis aequiparentur.

10, in Ms. act. 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 24 et 25.

Quis, et e quibus Missionibus advocandus ad Congregationem provincialem.

Rogata Congregatio, ut, sublata iam in multis regionibus itinerum difficultate, qualis olim exsistebat, liceat aliquem ex Missionibus dependentibus ab aliqua Provincia adesse Congregationi provinciali; re accurate perpensa, statuit: 1.° hoc ius ipsis conferre, ita tamen, ut Praepositus Generalis designet Missiones, quibus hoc utile et aequum esse censuerit, possitque tale ius, si adiuncta ita postulaverint, revocare; 2.° ut ipse Superior talium Missionum, vel, si impeditus fuerit, alius ab ipso sibi substitutus, non solum possit, sed etiam debeat ad Congregationem provincialem accedere, nisi forte secundum decreta 2 et 41 Congregationis XXII officium gerat ab Apostolica Sede commissum, a quo ad nutum Praepositi Generalis avocari non possit; quo in casu Praepositus Generalis determinabit cui eius loco veniendum erit; 3.° ut in Congregationem ingrediatur supra numerum, habeat tamen vocem activam, tum ad negotia tractanda tum ad electiones, et etiam vocem passivam, si sit Professus quatuor votorum. Quum vero intercessum esset contra id, quod dicitur sub numero 3.°, quod sit supra numerum; visum fuit maiori numero Patrum, ut, sicut Rectores Collegiorum intra Europam, locum intra numerum habere debeat.

Quid, si munus gerat ab Apostolica Sede commissum.

Quo iure gaudeat.

11, in Ms. act. 20 et 21.

Cura addendi Formulae Congr. prov. quae circa hanc statuta sunt vel statuentur, demandatur P. Generali.

Examinato Provinciae Neapolitanae postulato de Formula Congregationis provincialis recognoscenda et aptanda praesenti Societatis et rerum conditioni, tum etiam de iis in eadem Formula declarandis, quae aut obscura sunt aut dubia, et difficultates creant; iudicavit Congregatio ex Formula, prout nunc est, nihil quidem demendum neque immutandum

P. Martin Praep. Gen.

esse, posse tamen addi quae circa Congregationem provincialem iam statuta sunt vel de novo statuentur; quam curam Praeposito Generali demandavit.

12, in Ms. act. 25, 26 et 27.

Secretarius Congregationis prov. potest eligi Deputatus ad secernenda postulata.

AD POSTULATUM Provinciae Siculae, an electus in Congregatione provinciali ad munus Secretarii possit quoque eligi Deputatus ad postulata secernenda; et, in casu affirmativo, an a Pro-Secretario suppleri debeat in consultationibus pro postulatis secernendis; Congregatio respondit: posse Secretarium, si Professus sit quatuor votorum, eligi ad secernenda postulata, nec debere in consultationibus a Pro-Secretario suppleri. Quum autem quaereretur, an saltem postulata Pro-Secretario in hoc casu possint afferri, Congregatio respondit: negative.

Non debet in consultationibus a Pro-Secretario suppleri, neque huic afferri possunt postulata.

Quibusdam Patribus discedendi fit potestas.

Postulanti autem P. Eugenio Peultier, Rectori Collegii Ambianensis, ut sibi, ob gravissimum quod Collegio imminebat periculum, discedendi potestas fieret; unanimi consensu annuit Congregatio, eamdemque potestatem subinde nonnullis aliis faciendam censuit, nimirum: ob afflictam valetudinem, P. Sebastiano Sanguineti cum P. Iacobo Razzini, Electoribus Provinciae Taurinensis *(act. 38)*, P. Henrico Iackowski, Electori Provinciae Galiciae *(act. 46)*, et P. Gulielmo Blanchard, Electori Provinciae Tolosanae *(act. 59)*; ob gravem vero sui muneris causam, quae moram non patiebatur, P. Henrico Dumas, Electori Provinciae Lugdunensis *(act. 43)*.

13, in Ms. act. 26 et 27.

Quo iure nonnulli Professi ingrediantur

1892

in Congregationem Romanam.

C. 6 d. 25 n. 10. C. 8 d. 57. C. 12 d. 45. C. 14 d. 23. C. 18 d. 16.

QUUM Congregationi quaedam essent proposita dubia de facultate et obligatione quorumdam Professorum, ut, supposito antiquitatis iure, ingrediantur in Congregationem Provinciae Romanae intra numerum aut supra numerum; Congregatio, approbans responsum Patrum Deputatorum, declaravit quae sequuntur:

1.° Qui habitualiter Romae vivunt propter munus ipsis demandatum a Pontifice, quod proprium non sit Societatis, vi muneris ipsius et vi iuris nostri non sunt applicati Provinciae Romanae, nisi aliunde accesserit applicatio, vel ex parte Adm. R. Patris Nostri, vel ex consensu mutuo Provincialium. De quo cum constiterit, ingredi debent in Congregationem, etiam intra numerum.

2.° Qui vero aliquando per munus, quod Societatis proprium sit, ad indefinitum tempus erant applicati Provinciae Romanae, sive per Adm. R. Patrem Nostrum, sive per consensum Provincialium, ii, cessante etiam munere, applicati manent Provinciae usque ad revocationem; ideoque et ingredi debent in Congregationem intra numerum. (Cfr. Congr. VII decr. 59; Congr. IX decr. 33.)

3.° Generatim loquendo, qui accipit a Provinciali munus aliquod stabile et ordinarium, prout habetur in decreto 33 Congregationis IX, applicatus censetur Provinciae, et ingredi debet in Congregationem intra numerum. Sin autem de munere dubitatur, utrum tale sit, quod in hoc decreto exhibetur, exquirendum erit iudicium Adm. R. Patris Nostri.

14, in Ms. act. 36, 37, 38 et 39.

Omnes Professi 4 vot., qui de Provincia sunt, eligi possunt inter

INTERROGATA Congregatio, an secundum Congregationis VI decretum 25 num. 9, et Formulae Congregationis provincialis num. 15 et 35 omnes Pro-

P. Martin Praep. Gen. 1892

mittendos ad Congr. gen. *C. 8 d. 57. C. 12 d. 45. C. 14 d. 16. C. 15 d. 6.* Iudicium de impedimentis pertinet ad Praep. Gen. vel ad Congr. prov.

fessi quatuor votorum, qui de Provincia sunt, ubicumque degant, eligi possint inter mittendos ad Congregationem generalem; respondit: affirmative. Salva tamen manente Constitutione (P. VIII, c. 3, n. 1), quae iudicium de impedimentis ab adeunda Congregatione generali relinquit Praeposito Generali vel ipsi Congregationi provinciali.

15, in Ms. act. 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 49 et 50.

De paupertate Residentiarum.

CONGREGATIO, postquam per plures actiones diligenter perpendisset postulata circa Residentiarum paupertatem, tandem, adhaerens iudicio Patrum Deputatorum, statuit ac declaravit:

Residentiae, quae sunt Collegia inchoata, vivere possunt ex reditibus bonorum suorum.

1.° Residentias, quae sunt Collegia inchoata, prout haec describuntur Congregatione IX, decreto 18, posse vivere ex reditibus bonorum suorum secundum declarationem Congregationis III, decreto 43. Si autem membra sunt alicuius Collegii aut Domus Probationis, horum reditibus posse sustentari, atque etiam uti posse fructibus bonorum, quibus donatae sunt, modo talium bonorum dominium sit penes Collegium vel Domum Probationis.

Quae sunt membra alicuius Collegii aut Domus Probationis, horum reditibus sustentari possunt.

Reliquae Residentiae aequiparantur Domibus Professis quoad paupertatem.

2.° Residentias, quae non sunt Collegia inchoata nec membra Collegii vel Domus Probationis, quoad paupertatem aequiparari Domibus Professis, atque adeo reditus stabiles habere non posse, sive pro sustentatione Nostrorum, sive pro sacristia et ecclesiae fabrica.

Inest Praeposito Generali facultas uniendi Residentiam Collegio aut Domui Probat.

3.° Inesse Praeposito Generali facultatem iuxta constantem praxim Societatis uniendi Residentiam Collegio aut Domui Probationis, tamquam membrum, servatis tamen servandis, tum ex iure communi, tum ex iure nostro, Constitutionum parte VI, capite 2, numero 3, littera C expresso.

16, in Ms. act, 50, 51, 52 et 53.

Explicantur verba: *Et sic in rebus similibus*, quae habentur P. 6 c. 2, B. circa paupertatem Domus Professae et ecclesiae.

AD INTERROGATIONEM Congregationi propositam: quo sensu intelligenda sint verba, quae habentur in Constitutionibus parte VI, capite 2, littera B *et sic in rebus similibus;* responderunt Patres Deputati hoc sensu intelligenda esse: 1.° ut non solum ad fabricae usum aliqui reditus relinqui possint, *dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde ei competat actio in illos,* sed ad alios etiam similes fines, ut ad sacristiae vel bibliothecae usum, atque etiam in sustentationem; 2.° ut huiusmodi eleemosynae accipi queant, sive a Domorum vel ecclesiarum fundatoribus relinquantur, sive a quocumque alio benefactore; quam declarationem Patres Congregati unanimi suffragio approbarunt.

17, in Ms. act. 48, 49, 50, 53 et 59.

De arca Provinciae et Missionis.

QUAESITUM fuit a Congregatione, num Provinciae et Missiones ad sumptus communes faciendos arcam habere possint, et qua ratione.

Provinciae reditus habere non possunt ex bonis stabilibus, quorum dominium non sit penes Collegium aliquod.

Respondit Congregatio: Ad 1.m Provinciam, proprio sensu acceptam et prout a Collegiis et Domibus suis contradistinguitur, reditus habere non posse ex bonis stabilibus, quorum dominium non sit penes Collegium aliquod. Quare, si qua eiusmodi bona eidem obveniant, ab Adm. R. Patre Nostro applicanda erunt, vel fundationibus instituendis et perficiendis, vel etiam peculiari alicui Collegio cum onere reddendi Provinciae fructus annuos ex iisdem bonis perceptos,

Expensae communes quomodo sublevandae.

P. Martin Praep. Gen.

1892

ad expensas communes sublevandas. Quod si Provincia talibus reditibus plane caruerit, aut eosdem insufficientes habuerit; eleemosynis incertis et contributione Domorum et Collegiorum ad sumptus communes iuvabitur. Licet autem Societas professa suis bonis ita applicatis uti non poterit ad suam sustentationem, licebit tamen Nostris, ingruente gravi necessitate, propter calamitosas rerum publicarum perturbationes, ex iisdem sustentari, si donatorum voluntas haec fuisse praesumatur.

Quandonam Nostri his bonis ita applicatis uti poterunt.

Ad 2.^m Missiones, sive independentes illae fuerint, sive dependentes quidem ab aliqua Provincia, sed quae pluribus Domibus constent et a peculiari Superiore regantur, eadem paupertatis lege teneri, qua tenentur Provinciae.

Missiones, quae pluribus Domibus constant et a peculiari Superiore reguntur, eadem paupertatis lege tenentur, qua Provinciae.

18, in Ms. act 50, 51, 52, 55 et 59.

De fundatione Collegiorum retributionibus scholarium supplenda confirmatur decr. 42 Congr. XXII.

Quum postulatum fuisset a Congregatione, ut plane definiretur quaestio, quam Congregatio XXII decreto 42 solvere ac decreto sancire noluit, scilicet, de fundatione Collegiorum retributionibus scholarium supplenda; visum est decretum non esse condendum, idque sufficere, ut praesens Congregatio sententiam Congregationis XXII suam faciat.

" Censuit, igitur, certissime nihil licere Nostris pro ministeriis vocationis nostrae accipere in compensationem seu stipendium; verum, ubi agitur de debita ac necessaria Nostrorum sustentatione, quae aliunde haberi non potest, opinatur id Instituto nostro non prohiberi. "

Quare, quum iniqua temporum conditio, iniquior diebus nostris evaserit, declarat Congregatio: praesentem Collegiorum statum, in quo retributiones scholarium externorum ad sustentationem Nostrorum accipiuntur, posse permitti dum talia adiuncta perduraverint; Nostrosque, in tam sanctum opus strenue incumbentes, non solum tutos in conscientia, sed etiam maximis laudibus dignos esse propter labores, quos in salute iuventutis procuranda quotidie exhauriunt. Conandum tamen et omni ope nitendum erit Patri Nostro, ut, quum per rerum et temporum adiuncta licebit, Collegia nostra in pristinam et Instituto nostro magis consentaneam formam, quoad fieri possit, restituantur.

Quum per rerum et temporum adiuncta liceat, Collegia nostra in pristinam formam restituantur.

19, in Ms. act. 53, 54, 55, 56, 58, 60, 62 et 63.

Collegia Scriptorum, reditibus stabilibus dotata, minime conformia sunt nostris Constitutionibus.

Petente uno de Electoribus, ut Congregatio per simplicem sed authenticam interpretationem declaret: utrum Collegia Scriptorum, ab aliis Societatis Domibus ac Collegiis separata, atque dotata reditibus annuisque proventibus, licite admitti possint; an vero haec res Constitutionibus S. P. Ignatii minime conformis sit; Adm. R. Pater Noster, declarans sensum postulati, significavit in eodem omnino non agi de Collegio Scriptorum *Civilitatis Catholicae*, quod peculiari ac Pontificia institutione regitur. Hac declaratione audita, Congregatio, post longam super hoc postulato deliberationem, declaravit: huiusmodi Collegia, reditibus stabilibus dotata, minime conformia esse nostris Constitutionibus.

Collegium Scriptorum *Civilitatis Catholicae* Pontificia institutione regitur.

Quum autem deinceps quaereretur: num etiam Constitutionibus, et nominatim partis VI, capitis 2, numero 3 repugnet, quod Scriptores, qui coniunctim alicui operi scribendo et edendo allaborant ad defendendam

Potest Praepositus Gen. concedere, ut aliqui Scriptores habitent in Collegio vel Domo eiusque reditibus utantur.

P. Martin Praep. Gen. 1892

Ecclesiam impugnandosque errores in dies exsurgentes, habitent in Collegio vel in Domo applicata, tamquam membro, ipsi Collegio, eiusque reditibus utantur; Congregatio, diligenter examinata declaratione c ad dictum Constitutionum locum, aliisque simul Constitutionum locis collatis, declaravit: Praepositum Generalem concedere facultatem posse, quando necessarium aut conveniens ad universale bonum id iudicaverit, et per tempus, quod ei visum fuerit, ut huiusmodi Scriptores habitent in Collegio vel in Domo applicata, tamquam membro, ipsi Collegio, eiusque reditibus utantur, dummodo Collegium non gravetur, nec quidquam fiat contra fundatorum et benefactorum intentionem.

20, in Ms. act. 13, 14, 16, 18, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 39, 40 et 70.

Ad tuendam regularem disciplinam commendatur Superioribus:

Quamvis in Instituto nostro abunde provisum sit omnibus praesidiis ad fovendum genuinum spiritum S. Parentis Nostri Ignatii, tuendamque regularem disciplinam conducentibus; nihilominus Congregatio, postulantibus pluribus, quorum zelum non potest laudare satis, ea, quae sequuntur, omnium Superiorum curae, et Adm. R. Patris Nostri vigilantiae enixe commendata esse voluit.

Ut diligenter servari curent quae contra linguae defectus praescripta sunt. C. 22 d. 14.

1.° Ut diligenter servari studeant quae contra linguae defectus praescripta sunt in Ordinationibus Generalium capite 2, numero 12, quaeque fusius explicantur in Industriis capite 17, et confirmantur in Instructione xiii, capite 4; ac proinde, ut serio admoneant, immo, si opus fuerit, animadvertant in illos, qui cum obedientiae detrimento forte loquuntur de Superioribus eorumque dispositionibus, aut cum charitatis damno divulgant aliorum defectus aut errata, et circumferunt aliquarum rerum notitiam vel rumores, quae ad aedificationem non faciunt.

Ut peculiaris cura habeatur iuvenum nostrorum, qui ad Collegia mittuntur; C. 6 d. 16, 40. C. 18 d. 22 n. 6. C. 22 d. 44 n. 2. Ord. Gen. c. 13. Instr. 7 et 17.

2.° Ut in iuvenibus nostris, qui sive discendi sive docendi causa ad Collegia mittuntur, spiritus fervor, quem probationis tempore conceperunt, non elangueat, commendatur eorum peculiaris cura Superioribus et Praefectis spiritus, ita ut eos frequenter alloquantur, et in munere sibi commisso dirigant, praemuniantque contra pericula, in quae facilius est impingere, dum e Domibus Probationis educuntur; eamdemque curam etiam gerant erga Fratres Coadiutores in Domibus et Collegiis degentes.

et Fratrum Coadiutorum in Domibus et Collegiis degentium. C. 22 d. 44 n. 6. Instr. 8.

Ut clausura canonica in Domibus nostris, quam exacte fieri possit, servetur.

3.° Cum tanta sit miserrimorum, in quae incidimus, temporum iniquitas, Congregatio, Apostolicas Constitutiones prae oculis habens, tum etiam Societatis nostrae vestigiis ac Praepositorum Generalium responsis insistens, in eorumque sensu plenissime abundans, Adm. R. Patri Nostro enixe commendandum censuit, ut clausuram canonicam exacte observari curet in Domibus nostris. Quod si quae fuerint, in quibus, sive ob insitam iisdem conditionem, sive ob temporum et locorum adiuncta plene observari nequeat, servetur quantum fieri possit ad normam quam Adm. R. P. Beckx pro Convictibus statuit die 31 Augusti anni 1866.

Ut ope Sodalitatum nostrarum urgeatur quam maxime cura spiritualis virorum, praesertim operariorum et pauperum.

4.° Rogata Congregatio, ut Nostris impense commendatas velit virorum Congregationes, ac praesertim operariorum coetus pro Instituti nostri ratione instituendos et fovendos; magna consensione censuit ac decrevit Patri Nostro summopere commendandum, ut per Superiores aliosque

P. Martin Praep. Gen.

1892

Caveatur ne Nostri rebus temporalibus vel politicis se immisceant. * C. 5 d. 48, 80. C. 7 d. 18. C. 8 d. 56. C. 9 act. 88. ** C. 5 d. 47, 79. C. 7 d. 46.

e Nostris urgeat quam maxime curam spiritualem virorum, praesertim operariorum et pauperum, efficiatque, ut, ope Exercitiorum Spiritualium ac Sodalitatum nostrarum, ex pristina Societatis norma, eosdem ad omnia pietatis et charitatis officia summo studio perducant: cavens tamen ne Nostri, vel * rebus temporalibus administrandis, vel ** politicis tractandis ullo modo sese immisceant.

21, in Ms. act. 68 et 70.

Patri Nostro commendatur continuatio Historiae Societatis.

Proposito Patribus Congregatis desiderio quarumdam Provinciarum, ut resumatur et continuetur conscriptio Historiae Societatis nostrae; responderunt id esse in omnium votis, et Patri Nostro enixe commendandum.

22, in Ms. act. 69 et 70.

Committitur P. Generali cura conficiendi Ordinationem de administratione bonorum temporalium.

Quandoquidem bonorum temporalium, quibus fruimur, natura in praesenti rerum statu satis mutata est; postulatum fuit, ut Patri Nostro committeretur cura conficiendi Ordinationem, aut perpetuam, aut saltem ad tempus experiendi causa, de eorum administratione, qua fiat, ut varia pericula et incommoda praecaveantur, et liberentur Superiores timore peccandi contra paupertatem nostri Instituti propriam. Censuerunt autem Patres, quorum examini et iudicio hoc postulatum commissum fuerat, opportunum esse et utile id quod petitur; simul etiam indicarunt varia puncta, quae in Ordinatione tractari possent. Quibus auditis et probatis, Congregatio curam huiusmodi Ordinationis conficiendae Adm. R. Patri Nostro commisit.

23, in Ms. act. 70.

Commendatur Patri Nostro cura de Domibus Professis erigendis.

Petenti alicui, ut Congregatio suum dolorem exprimeret, quod iam nulla in praesenti exsistat Domus Professa; et ut Adm. R. Patri Nostro curam committat inquirendi, utrum in aliquibus Provinciis Domus Professae erigi possent, nec ne; respondit Congregatio: id sane dolendum esse, tribuendum tamen temporum iniquitati, quum Societas, tum in Congregatione xx decreto 13, tum in Congregatione xxii decreto 16 plurimum laudaverit zelum eorum, qui simile desiderium expresserunt; ast simul affirmavit rem sibi videri in praesentibus circumstantiis difficillimam. Quapropter censuit, totum hoc negotium studio et prudentiae Patris Nostri omnino relinquendum esse.

24, in Ms. act. 56, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 67, 68, 70 et 71.

De studiis theologicis ad normam decreti 16 Congr. xxiii ordinandis.

Quum in ordinandis studiis theologicis ad normam decreti 16 Congregationis xxiii aliquae Provinciae postulassent, ut capita quaedam praecipua definirentur; Congregatio, adhaerens iudicio Deputatorum, ea, quae sequuntur, suo decreto firmavit:

Quadriennium pro cursu theologico retinendum.

1.° Iuxta unanime fere Provinciarum suffragium et praxim, quae hucusque in Societate obtinuit, quadriennium pro cursu theologico retinendum est. (P. iv cap. 9 n. 3, cap. 15 n. 3; P. v cap. 2 n. 2).

Ad cursum theologicum recte instituendum serventur praescripta in Ratione Studiorum.

2.° Ad rectam institutionem cursus theologici, ad disciplinas in eo tradendas, ad modum et ordinem, quibus eae tradi debent, sedulo et assidue urgenda est exsecutio eorum, quae in Ratione Studiorum hac de re praescribuntur; praesertim in regula 4 Provincialis, de Professoribus mature

P. Martin Praep. Gen. 1892

et apte comparandis; in regula 10 eiusdem, de biennio ad Theologiam repetendam; in regula 5 Praefecti studiorum, de materia a Professoribus absolvenda; in regula 7, 8, 9, 10 inter communes Professoribus Superiorum Facultatum, de methodo in docendo servanda.

Praelegatur textus aliquis typis editus, a Generali approbatus.

3.° Non modo optandum, sed omnino praestandum est, ut, tum in ipsa Theologia, tum in aliis disciplinis textus aliquis praelegatur typis editus, designandus a Provincialibus cum approbatione Praepositi Generalis.

De studio Iuris Canonici et Historiae Ecclesiasticae. *C. 14 d. 20. C. 15 act. 41.*

4.° Ne careant Nostri sufficienti Iuris Canonici et Historiae Ecclesiasticae cognitione, quae his temporibus est sane in multis regionibus necessaria, in omnibus perutilis; in iis Provinciis, quae huiusmodi cognitionem nostris hominibus necessariam esse existimaverint, instituantur in cursu theologico lectiones harum quoque Facultatum, quibus utriusque disciplinae saltem elementa probe et solide tradantur; in caeteris autem Provinciis curent Provinciales, ut auditores cursus theologici aliquo modo earumdem disciplinarum studio vacent. Nihil vero hac in re fiat sine approbatione Patris Generalis. In omnibus denique Provinciis provideant iidem Provinciales, ut, quoad eius fieri possit, numquam desint aliqui in iis scientiis egregie docti, quique eas docere possint.

Theol. mor. accurate ac solide tradenda. *C. 7 d. 38 n. 7. C. 18 d. 16. C. 20 d. 25 n. 1.* Pro examine annuo et ad gradum, seligantur quaestiones, quae principia contineant scientiae mor.

5.° Theologia moralis accurate ac solide tradenda est; quapropter quaestiones illae, quae principia continent scientiae moralis, scholastice sunt exponendae, et ex ipsis aliquae, tum pro examine annuo Theologiae dogmaticae, tum pro examine ad gradum sunt seligendae. Modus vero huiusmodi quaestiones tradendi determinandus est a Provincialibus cum approbatione Praepositi Generalis.

De cursu breviori. *P. 4 c. 5,* D. *C. 2 d. 69. C. 21 d. 16.* Triennium impendatur. An et quibus concedantur scholae Iuris Can., Hist. Eccl. et Script. Sacrae.

6.° Ad cursum breviorem quod attinet: 1.° triennium illi est impendendum; 2.° singulorum Provincialium arbitrio, cum approbatione Patris Generalis, relinquitur, an et quibus auditoribus huius cursus concedendae sint scholae quoque Iuris Canonici, Historiae Ecclesiasticae et Scripturae Sacrae.

25, in Ms, act. 68, 70 et 71.

De praxi tenenda in Confessionibus Novitiorum.

Ad postulatum, quo rogabatur Congregatio, ut decernat quaenam praxis sit tenenda in confessionibus Novitiorum; et an contradictio habeatur inter decretum 30, numero 2 Congregationis XXIII, et novum Compendium Privilegiorum, numero 125; responderunt Patres Deputati: ad 1.m, standum esse decreto 30, numero 2 Congregationis XXIII; ad 2.m, nullam esse contradictionem inter decretum citatum et Compendium Privilegiorum. Quam responsionem Patres Congregati, auditis rationibus quae afferebantur, unanimi fere suffragio approbarunt. Ut autem omni ulteriori dubitationi via praecludatur, adiiciatur post numerum 125 paragraphus Communicatio, quae omissa est in novo Compendio, et sequentis est tenoris: Communicatio. *Facultas paragraphi* Vigens igitur *et praecedentium communicatur ad normam decreti 30 Congregationis XXIII; facultas vero paragraphi* In itinere *communicatur ut iacet.*

Standum decr. 30 n. 2 Congr. XXIII.

In novo Comp. Privil. adiiciatur in n. 125 paragraphus Communicatio.

26, in Ms. act. 69, 70 et 71.

De Missionibus nulli annexis Provinciae, an possint per

Quum Missionibus, quae nulli sunt annexae Provinciae, quales sunt Missio Canadensis et Missio Neo-Aure-

P. Martin Praep. Gen.

Procuratorem in Congr. gen. repraesentari, provideat Pater Noster.

lianensis et Provincia Mexicana, nullum ius competat, quo repraesententur, sive in Congregatione provinciali, sive in generali, petitum fuit a Congregatione, ut possint saltem in generali Congregatione per Procuratorem repraesentari. Iudicavit Congregatio totum hoc negotium commendandum esse Adm. R. Patri Nostro, ut pro sua prudentia huiusmodi Missionibus provideat quemadmodum ipsi aequum et utile visum fuerit.

27, in Ms. act. 70.

De vulgata Constitutionum versione emendanda. C. 1 d. 79. C. 2 d. 52. C. 3 d. 26, 34. C. 4 d. 8, 38, 50. C. 5 d. 76. C. 23 d. 27.

Quum elenchus locorum vulgatae Constitutionum versionis, quae emendatione egere videbantur, cum eorumdem locorum emendationibus a Patribus ad id deputatis fuisset confectus ac Congregationi propositus; nec vacaret Patribus Congregatis tempus otiumve ad illum expendendum necessarium; omnes unanimiter censuerunt nihil in ipso versionis contextu esse in praesens emendandum: commiserunt autem P. Generali, ut emendationes propositas, expunctis sive adiectis sive mutatis quae sibi post accuratum examen viderentur, typis mandandas curaret, easdemque, sive ad calcem secundi voluminis Instituti Societatis, cuius editio nunc paratur, sive in proprio ac separato folio cum universa Societate communicaret, quo fiet ut schema correctionis vulgatae editionis, ad fidem autographi hispani recognoscendae, in proxima Congregatione generali Patribus discutiendum atque probandum proponi possit.

28, in Ms. act. 70 et 71.

Patri Nostro conceditur facultas Collegia supprimendi;

Quandoquidem pro incertis rerum eventibus contingere potest, ut aliqua Collegia sine detrimento conservari nequeant; aliarum Congregationum vestigiis inhaerentes censuerunt omnes Patri Nostro concedendam esse potestatem cuiuslibet Collegii, si necesse fuerit, supprimendi.

1892

C. 11 d. 16. C. 17 d. 41. C. 20 d. 20. C. 21 d. 9. C. 22 d. 18. C. 23 d. 41.

Procuratoris Gen. munus alicui Professo committendi. C. 12 d. 29. C. 17 d. 16. C. 18 d. 21. C. 19 d. 5. C. 21 d. 7. C. 23 d. 43 n. 1.

Eidem Patri Nostro etiam permittendum visum est, ut Procuratoris Generalis munus alicui quatuor votorum Professo committatur, si adhiberi difficulter possit alius, qualem postulant Constitutiones.

Tum, ne, ingruente hieme, Patres longius distinerentur, postulavit Pater Noster, decrevitque Congregatio:

Omittatur lectio Actorum et Decretorum. C. 14 d. 27. C. 23 d. 43 n. 4. C. 2 d. 79.

1.° Ut supersederetur legendis Actis et Decretis iam confirmatis, quae in plena Congregatione, antequam dissolvatur, simul legi debent a Secretario Congregationis.

Patri Nostro et Assist. committuntur Acta Congr. recensenda et probanda. C. 11 d. 36. C. 14 d. 28. C. 17 d. 17. C. 18 d. 23. C. 19 d. 12. C. 21 d. 28. C. 22 d. 45. C. 23 d. 43 n. 5, 6.

2.° Ut Acta et Decreta Congregationis, tum quae in singulis actionibus lecta et probata fuissent, tum quae confici nondum potuissent, a Patre Nostro cum PP. Assistentibus recenserentur et probarentur, facta potestate immutandi verba, sicubi opportunum fore videatur, ad mentem Congregationis.

29, in Ms. act. 22, 70 et 71.

Summo Pontifici de sua ad Patrem Nostrum epistola gratum animum a Patribus Congregatis per epistolam significandum.

Quum die 12 Octobris Summus Pontifex, Leo xiii, Patri Vicario in Praepositum Generalem electo gratulatorias litteras, singularis suae in Societatem Iesu benevolentiae testes, mittere dignatus esset, quae Societati universae incredibilem attulerunt consolationem; ut pro tanta Sanctissimi Patris benignitate, et grati animi debita fieret significatio, et accepti beneficii perpetua exstaret apud Nostros recordatio; unanimi omnium consensu duo haec statuta sunt: primum nempe, ut non ante dissolveretur Congregatio, quam per litteras, a

P. Martin Praep. Gen. 1892

Utriusque epistolae exempla simul cum Decretis ad Provincias mittenda.

Patre Nostro aliisque Patribus subscribendas, maximas Suae Sanctitati gratias habitas et actas vellet; deinde, ut, cum Decretis edendis et ad Provincias mittendis, simul perferrentur totidem exempla litterarum, tum a Summo Pontifice ad Patrem Nostrum, tum a Patre Nostro ad Summum Pontificem, suo et totius Congregationis nomine scriptarum.

30, in Ms. act. 71 et 72.

Congregatio absolvenda.

Die 5 Decembris, quum in matutino consessu omnes Patres Congregationem absolvendam esse censerent, sub vesperum in aulam convenerunt;

Hortatio Patris Nostri.

ubi Adm. R. Pater Noster orationem ad eos habuit, qua, primum, gratiis Deo actis ob singularem erga Societatem providentiam ac tutelam in toto hoc Congregationis apparandae, promovendae ac conficiendae negotio patefactam; tum etiam gratulatus Patribus de recto ordine, atque inter diversas, ut assolet, sententias concordia animorumque coniunctione egregie servatis; eos deinde ad Societatis amorem, ad Instituti nostri studium atque intelligentiam per Provincias propagandam, ad rectam iuventutis nostrae, tum in virtute ac pietate, tum in doctrina institutionem provehendam, ad integram denique spiritus nostri praxim luctuosissimis his temporibus retinendam enixe hortatus est. Postremo rogavit, videreturne Congregatio esse solvenda.

Finis Congregationis.

Et quum omnes ad unum annuissent, recitatus est hymnus *Te Deum*, et inter mutuas charitatis ac laetitiae significationes Congregatio soluta est.

DECRETA

VIGESIMAE QUINTAE CONGREGATIONIS GENERALIS

A RESTITUTA SOCIETATE SEXTAE

P. Wernz Praep. Gen. 1906

Causa Congregationis convocandae.

Cum A. R. P. Ludovicus Martin, administratae Societatis anno vertente decimoquarto, die 18 Aprilis 1906 e vivis excessisset; ex eiusdem nominatione scripto relicta renuntiatus est Vicarius Generalis R. P. Rogerius Freddi, Assistens Italiae. De consilio Patrum Assistentium R. P. Vicarius Congregationem Generalem litteris datis die 30 Aprilis indixit in diem 31 Augusti eiusdem anni, Romae in Collegio Germanico, cogendam. Consilium probavit Summus Pontifex Pius X, qui etiam ad tempus quod inter convocationem et initium Congregationis intercedere debet, propter extrinsecas difficultates nonnihil contrahendum, dispensationem a nostris legibus, quatenus opus esset, concessit.

Decretum 1,
in manu scriptis act. 1 et 3.

Congregatio declaratur legitima.

Die primo Septembris initium factum est Congregationi Generali. Ad eam Patres omnes Electores convenere, et omnes declararunt plenam ac legitimam esse Congregationem, et defectus omnes, si qui forte irrepsissent, suppleri.

Eliguntur: Secretarius electionis,

Tum ad plura secreta suffragia electus est Secretarius electionis P. Antonius Rota, Elector Provinciae Aragoniae, et Societatis Secretarius. Rogavit ipse Congregationem, ut propter infirmam valetudinem et laborum suorum copiam eo onere eximeretur. Suffragatione peracta supra dicto Patre absente, censuit Congregatio non esse recedendum ab electione semel facta; sed Patrem Rota aliquem socium e Patribus Congregatis sibi assumere posse, ita tamen ut solus rationem reddere de omnibus actis et scriptis, Congregationique respondere teneretur.

Orator,

Electio subsecuta est Oratoris ad habendam concionem ipso electionis die. Cum in primo scrutinio duo Patres parem suffragiorum numerum tulissent, electio iterata est ab omnibus et inter omnes. Quo secundo scrutinio electus est Orator ad plura secreta suffragia P. Franciscus Xaverius Wernz, Elector Provinciae Germaniae.

P. Wernz Praep. Gen.

Inclusor,

Electio deinde facta est Inclusoris, et ad plura secreta suffragia electus est P. Iosephus Biederlack, Rector Collegii Germanici.

Sociorum delectus, qui postridie comitaturi essent P. Vicarium ad Summum Pontificem, benedictionis petendae causa, ipsi P. Vicario a Congregatione relictus est.

et Deputati ad detrimenta recognoscenda.

Post haec, Deputati ad detrimenta recognoscenda, ad plura secreta suffragia, electi sunt: ex Assistentia Italiae, P. Dominicus Palmieri, Elector Provinciae Romanae; ex Assistentia Germaniae, P. Carolus Schaeffer, Praepositus Provinciae Germaniae; ex Assistentia Galliae, P. Gedeo Labrosse, Praepositus Provinciae Franciae; ex Assistentia Hispaniae, P. Ioannes Granero, Elector Provinciae Toletanae; ex Assistentia Angliae, P. Petrus Finlay, Elector Provinciae Hiberniae.

Iudices de ambitu renuntiantur.

Subinde P. Vicarius renuntiavit nomina Patrum, quorum est pro antiquitate professionis simul cum ipso iudicare de ambitu. Fuerunt autem: ex Assistentia Germaniae, P. Mauritius Meschler, Germaniae Assistens; ex Assistentia Galliae, P. Eugenius Peultier, Elector Provinciae Campaniae; ex Assistentia Hispaniae, P. Ioannes Ioseph de la Torre, Assistens Hispaniae; ex Assistentia Angliae, P. Rudolphus Ioannes Meyer, Assistens Angliae. Assistentia Italiae, ad quam ipse P. Vicarius pertinebat, praetermissa est.

Assistens electionis eligitur.

Denique ad plura secreta suffragia electus est Assistens electionis P. Dominicus Palmieri, Provinciae Romanae Elector.

2, in Ms. act. 4.

Praepositi Generalis electio.

DIE octavo Septembris, qui fuerat praestitutus ut electio in festum incideret Nativitatis B. V. Mariae, praemisso secundum Formulam quatriduo, servatisque aliis omnibus in Instituto praescriptis, ad plura medietate suffragia secreta Praepositus Generalis electus est, tertio scrutinio, R. P. Franciscus Xaverius Wernz, Elector Provinciae Germaniae, et Pontificiae Universitatis Gregorianae in Urbe Rector. Qua de re P. Vicarius statim decretum confecit, subscripsit ac promulgavit.

Ea S. Pontifici nuntiatur.

Electione peracta, P. Alfredus Maertens, Procurator Generalis, ad Aedes Vaticanas missus est, ut nomen electi Praepositi Generalis Summo Pontifici quamprimum nuntiaret.

3, in Ms. act. 5.

Advocatur Procurator Generalis.

POST electionem A. R. P. Generalis accitus est in Congregationem P. Alfredus Maertens, Procurator Generalis, qui, cum esset Professus, inter Professos suam sedem occupavit. Vocandus vero non fuit P. Antonius Rota, Secretarius Societatis, quia ab initio consessibus adfuerat, ut Elector Provinciae Aragoniae.

Eliguntur: Secretarius Congregationis,

Dein ad plura secreta suffragia electus est Secretarius Congregationis P. Ianuarius Bucceroni, Elector Provinciae Neapolitanae. Cum alius esset Secretarius electionis, dubitatum est, utrum novus Secretarius statim suum munus inire deberet, et sedere ad dexteram A. R. P. Generalis. Attento n. 10 Formulae, placuit toti Congregationi, ut novus ele-

P. Wernz Praep. Gen. — 1906

ctus Secretarius statim suo munere fungeretur.

Eodem modo duo socii Secretario adiuncti sunt: P. Ioannes Granero, Elector Provinciae Toletanae, et P. Arthurus Vermeersch, Elector Provinciae Belgicae.

duo eius socii,

Tum ad plura etiam secreta suffragia electi sunt Deputati ad secernenda postulata: ex Assistentia Italiae, P. Rogerius Freddi, Assistens Italiae; ex Assistentia Germaniae, P. Mauritius Meschler, Assistens Germaniae; ex Assistentia Galliae, P. Éduardus Fine, Assistens Galliae; ex Assistentia Hispaniae, P. Ioannes Ioseph de la Torre, Assistens Hispaniae; ex Assistentia Angliae, P. Rudolphus Ioannes Meyer, Assistens Angliae.

et Deputati ad secernenda postulata.

4, in Ms. act. 6, 7 et 8.

Deputationes instituuntur ad negotia praevie examinanda.

Ut maturo examine de rebus deliberaretur, censuit Congregatio unanimi omnium consensu varias Deputationes esse instituendas ab A. R. Patre Nostro, secundum postulatorum numerum et qualitatem, ab eoque etiam nominandos Patres, qui membra essent earumdem Deputationum.

Earum potestas et numerus.

Deputationum potestas ita est ab eadem Congregatione definita: 1. ut Deputationes postulata ab ipsis praevie examinanda acciperent a Patribus ad eadem secernenda deputatis; quibus solis iudicium de proponendis vel reiiciendis postulatis competit; 2. ut in postulatis nullas introducerent modificationes substantiales, et si putarent novum postulatum efformandum esse, ne illud Congregationi proponerent, nisi fuisset prius a praedictis Patribus Deputatis approbatum; 3. ut postulata in Congregatione declararent, et plura postulata pertinentia ad eamdem materiam brevi et clara formula proponerent; 4. ut eadem brevitate et claritate responsum proponerent postulatis dandum.

Deputationes autem quinque fuerunt institutae: prima de dubiis super Instituto, altera de votis et de regulari observantia, tertia de studiis inferioribus, quarta de studiis superioribus, quinta de missionibus.

5, in Ms. act. 7.

Electio Assistentium

Die decimo quarto Septembris, qui ultimus erat quatridui ad electionem Assistentium constituti, et quo festum celebratur Exaltationis Sanctae Crucis, praemissa secundum Formulam oratione, electi sunt ad plura medietate suffragia secreta, et unica suffragatione: Assistens Italiae, P. Rogerius Freddi; Assistens Germaniae, P. Wlodimirus Ledóchowski, Praepositus Provinciae Galicianae; Assistens Galliae, P. Eduardus Fine: primus et tertius eodem munere proxime functi; secunda suffragatione: Assistens Hispaniae, P. Matthias Abad, Elector Provinciae Castellanae; Assistens Angliae, P. Iacobus Hayes, Elector Provinciae Angliae. Qui omnes ex praescripto Formulae iuramentum statim praestiterunt.

et Admonitoris.

Eodem die Admonitor Patris Nostri electus est P. Rogerius Freddi, Assistens Italiae. Ius suffragii in hac electione habuit P. Alfredus Maertens, Procurator Generalis.

P. Wernz Praep. Gen. 1906

Postulata Summi Pontificis.

6, in Ms. act. 8, 9, 10 et 22.

CUM paterna sua motus sollicitudine ac benevolentia, SS. D. N. Pius PP. X bina ad Congregationem Generalem misisset postulata ad universam Societatem pertinentia, facta etiam potestate libere de iis deliberandi; et cum deinde responsa iisdem data sibi placere dignatus esset significare, Congregatio Generalis oportere censuit, ut promptissima adhaesione et fideli exsecutione Societas universa suam etiam devotionem ad S. Sedem novo argumento demonstraret. Quocirca, in formam decreti utrumque responsum Societati promulgat, iisdem ferme verbis quibus fuerat conceptum.

I. **Quoad Studiorum rationem**: In hoc primo post Litteras Apostolicas GRAVISSIME NOS Generali Conventu, Congregatio Generalis profitendam censet constantem Societatis voluntatem hisce Litteris parendi. Namque statim post eas datas, de perfecta ipsis praestanda obedientia est exemplo et verbis edocta sui Praepositi Generalis. Is enim non tantum illis omnibus, quibus innotescere deberent, harum Litterarum exempla abunde suppeditavit, sed propriam etiam de Pontificiis exsequendis iussis promulgavit adhortationem, litteris datis die 20 Maii anni 1893; ita ut Leo PP. XIII scripta fide testatus sit: « *suis fuisse iussis plenissime satisfactum* ». A qua fideli obedientia, Congregatio, auditis Electorum diversarum Provinciarum testimoniis, non sine ingenti solatio clarissime intellexit Societatem minime recessisse.

Sibi etiam gratulatur Societas, solemnibus hisce Litteris Constitutionum nostrarum de retinenda Sancti Thomae doctrina confirmationem contineri, atque adeo expressam utriusque gravissimi decreti 15 et 18 Congregationis vigesimae tertiae commendationem, quibus iubentur Sodales Societatis tum « *ut Sanctum Thomam omnino habeant tanquam proprium Doctorem* », tum etiam ut « *magni faciant et diligenter consulant probatos illos et eximios Societatis Doctores, quorum laus in Ecclesia est* ».

Si tamen ab aliquibus, sive per defectum, sive per excessum, fuerit hac in re peccatum, perfectiorem earum Litterarum exsecutionem commendat Congregatio curae Praepositi Generalis, eique simul mandat ut, si qua parte opus fuerit, confirmet Summo Pontifici promptissimam Societatis voluntatem et devotionem, quibus ipsi, ut Patri amantissimo ac praecipuo Benefactori, placere et obtemperare in hac re, sicut in qualibet alia, Generalis Congregatio summopere in votis habet.

II. **Quoad Missiones**: SS. Dominus Societati etiam vehementer commendavit antiquam eius Missionem in Iaponia, et praesertim Institutum Studiorum Superiorum in illa exculta regione constituendum; quapropter Congregatio Generalis unanimi suffragio ad utrumque opus oblatum suscipiendum paratissimam se professa est, tum pro speciali obedientia circa Missiones Summo Pontifici ex Instituto debita (Const. P. VII, c. 1), tum in memoriam S. Francisci Xaverii, Iaponiae Apostoli, et tot Martyrum

Societatis, qui in illa regione sanguinem suum pro Christi nomine fuderunt. Committit autem Patri Nostro curam, ut nomine Societatis omnia, quae operis exsecutioni sunt necessaria, ordinet, ad Summi Pontificis praescripta.

7, in Ms. act. 16, 17 et 19.

Consecratio Societatis Sancto Ioseph.

POSTULANTIBUS pluribus Provinciis, ut Societas IESU peculiari actu consecrationis Sancto Ioseph devoveretur, Congregatio, quasi testamentum exsequens A. R. P. N. Ludovici Martin, qui morti proximus Nostris devotionem commendavit in Sacratissimum Cor IESU, in B. MARIAM V. atque in Sanctum Ioseph, petitam consecrationem proximo festo Patrocinii eiusdem Sancti faciendam unanimiter decrevit: et maxime gavisa est quod, hac sibi oblata occasione, potuerit solemni declaratione significare Societatis pietatem ac omnium Sodalium constantem ac veluti ingenitam devotionem erga Sanctum Patriarcham, quem ab ipsa sui origine Societas universa peculiari cultu et praecipua veneratione prosecuta est.

8, in Ms. act. 16, 17 et 19.

De Provinciis transmarinis. C. 24 d. 9.

UT COMPLURIUM Provinciarum et transmarinarum Missionum votis aequisque desideriis responderetur, et in Societate unio ac charitas magis magisque in dies foveretur, Congregatio Generalis unanimi suffragio Praeposito Generali potestatem fecit usque ad proxime futuram Congregationem Generalem, ut quasvis Missiones transmarinas, in Provincias rite erectas, ita iuribus Provinciarum augere valeat, ut vel Provincialis cum duobus Electoribus ad Congregationem Generalem venire possit, vel etiam quoad caetera, v. g. quoad Congregationem Procuratorum, regantur iure communi Societatis, perinde ac reliquae Provinciae in Europa sitae; his tamen conditionibus, *primo* ut ipsae Provinciae transmarinae noviter erectae id legitime petant, et *secundo* ut Pater Generalis, attentis omnibus ad hoc requisitis, eas Provincias ita constitutas esse iudicet, ut communis iuris usu vel ex parte vel ex toto donari possint.

9, in Ms. act. 16.

De repraesentatione Missionis Aegyptiacae in Congregatione Provinciali. C. 24 d. 10.

CUM Provincia Lugdunensis postulaverit, ut Missio eius in Aegypto, quamvis a proprio Superiore, modo aliarum Missionum, non regatur, nihilominus aliquo modo in Congregatione provinciali repraesentetur: Congregatio Generalis postulato annuendum censuit; modum vero, quo Missio repraesentetur, Patri nostro, audito Provinciae Praeposito, definiendum commisit.

10, in Ms. act. 19, 20, 29, 31 et 34.

De quotidiana vel frequenti SS. Eucharistiae sumptione.

CONGREGATIO Generalis, plurium Provinciarum postulatis respondens de nonnullis Constitutionum aliisque Instituti nostri locis, ubi de frequenti Sanctissimae Eucharistiae sumptione ea statuuntur quae cum vigente Ecclesiae disciplina, praecipue cum Decreto SACRA TRIDENTINA SYNODUS, minus congruunt, haec censuit definienda vel declaranda:

P. Wernz Praep. Gen. 1906

1. Omnibus Instituti locis de frequenti SS. Eucharistiae sumptione agentibus, qui aliquatenus posterioribus Apostolicae Sedis Decretis contradicunt, per eadem Decreta omnino fuit derogatum.

2. In locis tamen Constitutionum aliisque Instituti partibus nihil est immutandum, exceptis Regulis mox citandis; sed in futuris Instituti nostri editionibus apponatur locis istis nota, quae ad praesens huius Congregationis decretum lectorem remittat.

3. In Regula 31 Praepositi supprimatur pars posterior, quae est de frequenti communione nostrorum non Sacerdotum.

4. Regula 34 Rectoris hisce erit exprimenda verbis: « Ad communionem frequentiorem ac etiam quotidianam quod attinet, operam dabit, ut Nostri ea in re secundum normas a S. Sede traditas instituantur et dirigantur ».

5. Regula 26 Sacerdotum hoc modo reformetur: « De frequenti sive etiam quotidiana fidelium communione, consilia sua vigenti Ecclesiae disciplinae accommodare debent et Decretis Apostolicae Sedis. Sedulam autem praeparationem congruamque gratiarum actionem in Decreto Sacra Tridentina Synodus commendatam ipsi quoque commendare ne omittant ».

11, in Ms. act. 13, 22 et 24.

Cum plura postulata ad Congregationem Generalem missa fuissent, ut nonnullas regulas vitae religiosae, nostro tempore maioris momenti, urgeret vel declararet, Patres Congregati sic respondendum esse censuerunt:

De paupertate.

1. Congregatio Generalis, praxim sanctae paupertatis omnibus commendans, praecedentium Congregationum decreta innovat, praesertim Congr. XXII decr. 25 et 26, Congr. XXIII decr. 42, n. 3; speciali autem modo Nostros monendos ducit, ut in itineribus ambages vel expensas nostrae paupertati minus consonas sibi interdictas esse sciant; et expensae pecuniae Superiori reddant rationem, paterno modo excipiendam.

De stipendiis pro Missis et sacris ministeriis.

2. Cum petita fuerit aliqua declaratio circa licitum usum stipendiorum pro Missis et ministeriis, quae Nostris per specialem a Constitutionibus dispensationem permittuntur, Congregatio hanc curam A. R. Patri Nostro commisit, qui, aliqua Instructione, praecipua ad praxim spectantia capita declarare velit.

De lectione pravorum librorum.

3. Ut pericula circa fidem ac mores, nostro tempore gravissima, a Nostris removeantur, Scholasticis sine gravi ratione librorum vel elucubrationum periodicarum lectio, quae eorum fidei vel moribus nocumentum afferre possit, non permittatur; sed, si quando libri huiusmodi, ratione officii aut studiorum, legendi sint, licentiam a Superiore petant, qui eam nonnisi qua par est prudentia ac vigilantia concedat. Sacerdotes ipsi ne putent se libros periculosos sine necessitate impune legere posse. Cuicumque tandem liber, vel generalibus vel specialibus Decretis S. C. Indicis prohibitus, legendus sit, is necessariam facultatem petere ne omittat.

P. Wernz Praep. Gen.

1906

De laudandis auctoribus.

4. Nostri caveant ne imprudenter laudent auctores rationalistas vel Ecclesiae infensos, nec alios de doctrina suspectos, ne homines exinde bene erga eos afficiantur, et ex eorum libris venenum hauriant, secundum sapientissimum S. Patris nostri monitum (P. IV, c. 14, decl. A). E contrario, ubi opportuna occasio sese obtulerit auctores catholicos cum laude citandi, eam ne praetermittant.

De revisione librorum.

5. Circa revisionem librorum a Nostris edendorum, Congregatio A. R. Patri Nostro, Patribus Provincialibus, necnon Superioribus localibus commendat, ut ab omnibus censoribus, pro subiecta materia diligenter selectis, accuratam quidem, sed aequam, exigant exsecutionem eorum, quae de edendis libris in iure communi Ecclesiae et in Instituto nostro sunt sancita.

12, in Ms. act. 25, 26, 27 et 35.

De studiis inferioribus.

1. Quod nonnullae Provinciae postularunt, ut nova Rationis Studiorum inferiorum fieret redactio, id hac nostra aetate, in tanta legum scholasticarum et disciplinarum varietate atque inconstantia, Congregatio Generalis censet tentandum non esse.

Non tentanda in praesens nova redactio Rationis Studiorum.

Incommoda autem quae metuuntur, quo certius evitentur, enixe commendatur studium sanae illius paedagogiae, cuius principia a S. Patre nostro in Const. P. IV sobrie exponuntur, in Ratione Studiorum evolvuntur, et a scriptoribus Societatis haud paucis luculenter explicantur.

2. Cum tamen fatendum sit, ne novam quidem Rationem Studiorum Patris Roothaan hodiedum satis observari posse, et cum aliae in aliis Provinciis difficultates atque necessitates existant, Praepositi Provinciales, auditis Consultoribus et Magistris probatissimis, pro sua quisque Provincia, atque adeo pro singulis regionibus quarum una ferme sit conditio, ordinationem de studiis inferioribus conficiant, eamque Patri Nostro approbandam subiiciant.

Provinciales ordinationes conficiant pro sua quisque Provincia.

3. In his autem ordinationibus conficiendis ratio habeatur, ut par est, eius imprimis finis, quem sibi in suis Collegiis Societas proponit, ut nempe non tantum discipulorum nostrorum facultates omnes apta methodo evolvantur, verum praesertim ut ipsi educentur ad fidem et pietatem ac bonos mores, assuescant disciplinae, discant ex virtute agere.

Ratio habeatur finis quem Societas in suis Collegiis intendit.

Proinde ante omnia curandum, ut doctrinae christianae docendae et Sacerdotes quatenus fieri potest applicentur et tempus congruum tribuatur; utque Marianae Congregationes rite instituantur, foveantur ac bene dirigantur.

Doctrina christiana rite explicanda.

Congregationes Marianae fovendae.

Ad alias vero disciplinas tradendas, si quando Magistri externi adhibendi sint, non admittantur nisi viri probatae fidei et virtutis. Laudandi autem magnopere Provinciales, qui, quibusvis difficultatibus superatis, quamplurimos Magistros nostros, pro necessitate vel utilitate, diplomatis instruendos curant, ut ad externorum auxilium raro aut nunquam confugere cogantur. Peculiaris tamen semper adhibenda est cautio, ne his studiis Nostrorum spiritus religiosus detrimentum patiatur, aut studia nostra non rite absolvantur.

De magistris externis.

Servanda methodus Societati propria.

Servanda deinde omnibus, quantum fieri potest, et in quacum-

P. Wernz Praep. Gen. — 1906

que demum materia tractanda, ea methodus quae Societati est propria et in Ratione Studiorum commendatur.

De studio linguarum classicarum. — 4. Quod ad materiam attinet, censet Congregatio studium linguarum classicarum omni quidem cura promovendum, utpote ad ingenia vere formanda longe aptissimum et Instituto nostro maxime conforme; De scholis non classicis. — scholas tamen non classicas eidem Instituto minime repugnare et, ubi vel necessitas vel magna utilitas id suadeat, laudabiliter erigi posse, dummodo caveatur, ne studia inde classica detrimentum patiantur.

De nostrorum Scholasticorum institutione. — 5. Denique iuniores nostri Scholastici iuxta Rationem Studiorum Societatis, quoad substantialia integre omnino servandam, solide instituendi sunt in grammatica, humanitate, rhetorica et praecipue eloquentia sacra, litteris latinis, graecis, vernaculis. Praeter istas disciplinas, tanquam accessoriae tradendae sunt historia, geographia, et si qua alia pro regionum varietate fuerint necessaria, approbante tamen Patre Nostro. Curandum quoque est, ut iuniores nostri Scholastici Rationem Studiorum Societatis bene intelligant magnique faciant, atque universim regularem quemdam studiorum humaniorum cursum absolvant, qui ad studia philosophica peragenda rite praeparet, et in unoquoque Sacerdote vere culto nostra aetate omnino requiritur.

13, in Ms. act. 23, 24, 25 et 29.

De Cursu philosophico. — Congregatio Generalis censet: 1. Pro Nostris triennale Philosophiae studium decreto 34 Congregationis XXII praescriptum, omnino esse retinendum: monitis Professoribus, ut in suis praelectionibus errorum recentiorum peculiarem rationem habeant.

2. Si qua Provincia peculiares habeat causas aliquid immutandi circa materias per triennium tradendas, earumque distributionem in ordinatione A. R. Patris Beckx pro triennali Philosophiae studio praescriptam, eas referat ad Patrem Nostrum, qui poterit, quatenus opus fuerit, illas modificationes concedere, quas e re esse iudicaverit.

3. Si quis quacumque ex causa nequeat totum triennalem cursum Philosophiae rite perficere, ad cursum brevioris Theologiae non admittatur, nisi saltem per biennium, praeter Logicam, audierit integram Metaphysicam et Philosophiam moralem, atque in examine etiam finali mediocritatem attigerit, ita ut praelectiones Theologiae brevioris cum fructu audire, et suo tempore ad sacros Ordines legitime promoveri possit.

14, in Ms. act. 27, 28, 30, 31, 32, 33, 34 et 37.

De studiis superioribus. — Cum allata essent complurium Provinciarum postulata, in quibus agebatur de perficienda ordinatione pro studiis theologicis; de studiis biblicis aptius instituendis; de Theologia scholastica apposite iuvanda argumentis et scientiis positivis; de conficiendo elencho eorum, quae docenda sunt in scholis cursus theologici; de iis, qui ante absolutum cursum theologicum deficiunt in examine; de cursu Theologiae breviori;

P. Wernz Praep. Gen.

1906

de studiis specialibus promovendis; de biennio urgendo; Congregatio hisce postulatis aliarumque etiam Provinciarum desideriis satisfacere cupiens, ea quae sequuntur decernenda censuit:

De perficienda ordinatione studiorum theologicorum.

1. Ordinatio studiorum theologicorum, quae ex mandato Congregationis XXIII iam strenuis laboribus parari coepta est, cura A. R. Patris Nostri ad finem perducatur, et omnibus Provinciis observanda praescribatur: ita tamen ut, quemadmodum cavetur in D. 16 dictae Congregationis, salva unitate in substantialibus, P. Generali sit potestas in rebus accidentalibus, atque potissimum in disciplinis positivis, eas concedendi modificationes, quas singularum Provinciarum consuetudines et necessitates requirunt.

De S. Scriptura.

2. Quod attinet ad S. Scripturam, prae oculis habeantur normae traditae a Leone XIII in Litt. Encycl. PROVIDENTISSIMUS et VIGILANTIAE, et a Pio X in Litt. QUONIAM IN RE BIBLICA; denique quidquid in hac re ad mentes dirigendas S. Sedes edixerit. Attendendum praeterea ad regulas Professoris S. Scripturae in nostra Ratione Studiorum positas.

De Theologia dogmatica.

3. In Theologia dogmatica tradenda, post dogmata ex divinae revelationis fontibus, sobrie quidem sed solide firmata, servetur methodus et doctrina scholastica, ad mentem praesertim S. Thomae. Quae quidem doctrina scientiis etiam quas positivas vocant, et argumentis e positivis fontibus deductis, iuvanda sane erit, ut par est, non tamen obruenda. Professores autem, in suis praelectionibus, in id potissimum incumbant, ut fidei dogmata doctrinamque communiter in Ecclesia receptam accurate exponant, confirment et tueantur; gradum certitudinis vel probabilitatis cuiusque theseos exprimant; atque obsoletis quaestionibus omissis, recentes errores solide refutent.

De elencho eorum quae tradenda sunt in cursu Theol. dogm.

4. Conficiatur elenchus earum quaestionum, quae a Professoribus Theologiae dogmaticae tradendae sunt. Hae vero quaestiones ita eisdem distribuantur, ut clare innotescat, quid ab unoquoque singulis annis docendum sit, quid vero relinquendum aliis Professoribus, aut S. Scripturae, aut Theologiae moralis, aut Iuris Canonici, aut Historiae Ecclesiasticae, aut etiam Philosophiae. Quare indicandum quoque erit, per summa capita, quaenam materiae singulis annis tractandae sint, etiam a Professoribus S. Scripturae, Theologiae moralis, Iuris Canonici, Historiae Ecclesiasticae. Singuli autem Professores totam materiam, pro unoquoque anno sibi assignatam, plene absolvant.

De quaestionibus Theol. mor. scholastice exponendis.

5. Singillatim determinentur quaestiones illae Theologiae moralis, quae iuxta decretum 24 Congr. XXIV scholastice sunt exponendae; et statuatur, an a proprio Professore Theologiae moralis, an a Professoribus Theologiae dogmaticae sint pertractandae.

De iis qui in examine annuo cursus longioris non satisfecerunt.

6. Qui aliquo anno cursus longioris in examine non satisfecerint, licet iure ad examen ad gradum hoc ipso priventur, integrum tamen curriculum theologicum perficiant, aut in ipso cursu longiori, aut in breviori, prouti, pro rerum adiunctis,

P. Wernz Praep. Gen. 1906

magis expedire a Provinciali iudicabitur. Si qua vero dubitatio in aliquo casu exsurgat, Provincialis ad Patrem Nostrum recurrat.

De auditoribus cursus brevioris.

7. Qui breviori cursui dant operam, Theologiam moralem per biennium, et Theologiam dogmaticam per triennium, solide ac plene doceantur; regulariter frequentent etiam scholas S. Scripturae, Iuris Canonici, et Historiae Ecclesiasticae; praeter consueta examina Theologiae moralis, singulis annis subeant etiam examen de annua materia Theologiae dogmaticae; neque ad sacros Ordines promoveantur, nisi prius per examen satis constiterit, eos habere tantum doctrinae, quantum requiritur ad unumquemque Ordinem legitime suscipiendum.

De studiis specialibus.

8. Cum disciplinae illae, quae accessoriae dicuntur vel Theologiae subsidiariae, uti Historia dogmatum, Patrologia, Archaeologia biblica et ecclesiastica, Liturgia eiusque historia, ars Criticae historicae, linguae orientales, et similia, ad ipsa dogmata illustranda et confirmanda multum valeant; curent Provinciales, ut in iis quoque aliqui e Nostris probe efformentur, ita ut, in aliis alii, egregie docti evadant. Provincialium autem iudicio relinquitur, accedente approbatione Patris Nostri, an et quibus e nostris Scholasticis concedendum sit, ut per decursum quadriennii iis quoque disciplinis, sive per academias sive per scholas non obligatorias, vacent; quod tamen semper fiat sine ullo detrimento studii principalioris. Qua conditione servata, alia etiam specialia studia, cuiusmodi sunt ea quorum mentio fit in decr. 23 Congr. XXIII, et illa praesertim, quae nunc temporis maxime in honore sunt, quibusque moderni increduli abuti solent ad Ecclesiam Catholicam impugnandam, ex. gr. Assyriologia, Aegyptologia, Physiologia, etc., sunt opportune promovenda.

De biennio.

9. Post absoluta studia theologica, iis qui aptiores videantur, biennium saltem concedendum erit, sive ad Theologiam vel Philosophiam profundius excolendam, sive ad ampliora studia biblica, vel patristica, vel historica, vel Iuris Canonici, vel aliarum disciplinarum Theologiae vel Philosophiae auxiliarium. Quare Provinciales regulariter quotannis, consulto Rectore, Praefecto Studiorum, Magistris, suisque Consultoribus, eligant aliquos e nostris Theologiae auditoribus, qui probatae sint virtutis et acriori ingenio praediti, eosque ad aliqua ex dictis specialia studia applicent per biennium, vel etiam per longius tempus, si opus erit. Hi autem non sibi relinquendi sunt, suoque tantum privato studio; sed apposite iuvandi erunt ab iis, qui in facultate, cui dant operam, peritiores sunt. Quare ad ea Collegia mittantur, ubi eminentiores in huiusmodi disciplinis magistri praesto sint, pleniorque adsit librorum aliorumque subsidiorum copia; ibique iubeantur suae doctrinae ac profectus identidem publicum specimen exhibere. Hinc fiet, ut unaquaeque Provincia brevi tempore non paucos idoneos viros habitura sit, qui, excellenti doctrina et eruditione instructi, nobilissimas illas facultates tum domesticis tum externis, pro di-

P. Wernz Praep. Gen. gnitate et Societatis existimatione, tradere valeant.

15, in Ms. act. 17, 18, 19 et *21.*

De Physica in examine ad gradum omittenda.

CONGREGATIO, satisfaciens postulatis complurium Provinciarum, decrevit in examine ad gradum in posterum non esse subeundum periculum de Physica aliisque scientiis naturalibus; sed duas plenas horas, secundum Instructionem XIX, impendendas esse examini de universa Theologia et Philosophia.

16, in Ms. act. 19, 20, 21, 22 et 34.

De temerariis novitatibus vitandis.

1. POSTULANTIBUS multis Provinciis, ut Societas a temerariis novitatibus incolumis servetur, quae Ecclesiae ipsi pericula non levia creant, Congregatio, Summi Pontificis vestigiis inhaerens, Praeposito Generali Nostrisque omnibus enixe commendat ut, pro sua quisque parte, omni ope enitantur, ne in Societatem ullo modo irrepat intemperans illud novitatis studium, quod non paucos hac nostra aetate pervasit: ex quo fit, ut 1.° in rebus ad Theologiam, Philosophiam, et maxime ad Exegesim biblicam pertinentibus, sententias parum ex se fundatas ac tutas pro certis habeant passimque proferant, vel ipsa novitatis specie allecti, vel quia nomine scientiae eas cohonestari cernunt ab heterodoxis, quorum auctoritatem pluris facere videntur, quam ipsorum Ecclesiae Patrum atque Doctorum; utque 2.° praesertim in Historia biblica et ecclesiastica ea forma disputandi uti soleant, quae legibus sanae critices minime sit consona, atque a supernaturali ratione factorum et inspiratione S. Scripturae praescindere videatur. 1906

2. Itaque Superiores omnes, et praecipue Provinciales et Rectores Collegiorum, ubi Nostri student vel etiam externi, sedulo et constanter invigilent, ne huiusmodi doctrinae perversio quomodocumque eos inficiat; neve quid unquam a Nostris impune promatur, sive in scholis, sive in libris edendis, sive in concionibus, sive etiam in privatis colloquiis et epistolis, quod periculosam illam temere opinandi licentiam sapiat. Sed contra diligentissime curent, ut fideliter observentur ea omnia quae de novitatibus, de sentiendo cum Ecclesia, et de opinionum delectu in pluribus nostri Instituti locis praescripta sunt, ac potissimum in regulis S. Patris ad sentiendum cum Ecclesia; in Exam. Gen. c. 3, n. 11; in Const. P. III, c. 1, decl. O; in decretis 41 et 56 Congr. V; et in regulis Rev. Gen. 6, 7, 8, 9.

3. Imprimis vero regulae, quae sequuntur, ob oculos habeantur: Regulae praescribuntur.

I. Ut libere possit aliqua sententia proferri, non satis est eam adhuc ab Ecclesia vel a S. Sede non fuisse damnatam, sed sedulo etiam attendatur, num sit conformis menti Ecclesiae Sedisque Apostolicae sufficienter iam manifestatae, Sanctorum Patrum doctrinae, atque sententiis communi consensu Doctorum catholicorum probatis.

II. Nihil novi proponatur, quod fidei pietative christianae non prorsus congruat, vel quod fidelibus merito possit offensioni esse, aut quod

P. Wernz Praep. Gen. 1906

non probetur vere solidis pro rei gravitate rationibus.

III. In casibus vero dubiis, quae sit aut non sit doctrina nova, periculosa, minus opportuna, parati sint omnes ad suum iudicium Societatis iudicio submittendum. Superiores autem, atque alii qui hac de re iudicare debeant, mentem Ecclesiae et S. Sedis ante omnia prae oculis habeant.

IV. Quod ad ipsam discendi ac docendi methodum attinet, Nostri Sanctis Patribus atque catholicae traditionis documentis praecipuam operam dent; acatholicorum autem commentariis et elucubrationibus cautissime utantur, caveantque ne, eorum exemplo ac consuetudine illecti, paulatim inducantur ad tractandam Scripturam Sacram tanquam librum mere humanum.

V. Quoad modum scribendi et loquendi, nihil proponatur nisi modeste ac pacate, et sine iniuria eorum, qui diversam sententiam tuentur.

VI. Nostri Magistri omnes, et praesertim ii quibus Nostrorum institutio commissa est, probe intelligant, se non suo, sed Societatis nomine, eo munere fungi; ideoque discipulorum animos, non suis privatis et singularibus opinionibus, sed doctrina a Societate probata imbuere debere.

VII. Denique meminerint omnes, se fratres esse et membra unius magnae familiae, Societatis videlicet; quare in iis quae dicunt vel scribunt, semper bono communi, et universae Societatis atque suorum fratrum existimationi famaeque consulant.

4. Superiores ergo, si quos harum regularum immemores, atque ad periculosas novitates perperam addictos aut propensos repererint, serio eos moneant; et si non emendentur, eos loco, cathedra aut officio amoveant, atque aliis etiam poenis, pro modo culpae, in ipsos animadvertere non cunctentur.

5. Per haec tamen Congregatio nullo modo intendit aequam in rebus dubiis libertatem, ab Ecclesiae et Societatis legibus concessam, coarctare; ac multo minus improbare rectum usum eruditionis et criticae, omniumque subsidiorum, quae ex recentiorum solertia utilissime accesserunt. Quin imo, quo tutius Nostri ab omni temerariarum novitatum periculo defendantur, Provincialibus omnibus impense commendat, ut aliquos deligant, qui viri sint vere spirituales, humiles, in Philosophia et Theologia egregie exculti, ac bono ingenio praediti, eosque studio earum praecipue scientiarum applicent, quibus nunc maxime Ecclesiae hostes ad fidem labefactandam abutuntur. Sic enim fiet, ut per illos reliqui Nostri rite edoceantur, quomodo speciosas adversariorum obiectiones penitus dissolvere, eorumdemque arma nedum retundere, sed contra ipsos retorquere valeant; atque praeterea fideles omnes contra recentes errores fallaciasque efficacius praemuniantur. Valde igitur laudat Congregatio eos ex Nostris, qui earum disciplinarum studiosi, strenuo labore incumbunt ad catholicam veritatem magis confirmandam et in dies illustrandam, atque fidem antiquam novis armis propugnandam;

Media positiva proponuntur.

P. Wernz Praep. Gen.

animumque illis addit ad arduos hos labores prosequendos. Scriptores quoque nostros exhortatur, ut sana principia catholica strenue tueantur, et ut pari cum vigilantia ac diligentia, in foliis nostris periodicis eiusmodi temerarias novitates, statim ac proferantur, patefacere et solide refellere studeant.

6. Postremo Congregatio Superioribus omnibus, quibus nostrorum Scholasticorum educatio commissa est, summopere commendat, ut iidem, praeter solidam in spiritu formationem, optimam quoque in studiis Societatis propriis institutionem accipiant, praesertim in Philosophia et Theologia scholastica, utpote scientiis ad fidem tuendam maxime necessariis. Quare Provinciales omni cura provideant ut, superatis difficultatibus quibuscumque, Nostris, iam ab ipso studiorum initio, Professores assignentur in disciplinis quas tradunt, quantum fieri potest, insignes, quibus moderni tum errores tum in scientiis progressus bene perspecti sint, ita ut discipulorum plenam fiduciam sibi concilient, eosque erudite simul ac solide instituant.

17, in Ms. act. 34 et 35.

De facultatibus A. R. P. Generali concessis. *C. 24 d. 28.*

Pro incertis rerum eventibus, Patres omnes communi acclamatione A. R. Patri Nostro concesserunt: 1. ut posset quodlibet Collegium, si necesse esset, supprimere; 2. ut Procuratoris Generalis munus alicui quatuor votorum Professo committere posset, si adhibere alium difficile esset, qualem postulant Constitutiones; 3. ut supersederetur iterum legendis actis et decretis iam lectis in singulis actionibus, et probatis, quae in plena Congregatione, antequam dissolvatur, omnia simul legi debent a Secretario Congregationis; 4. ut acta et decreta Congregationis, tum quae in singulis actionibus lecta et probata fuissent, tum pauca illa, quae nondum fuissent plane probata vel perfecta, a Patre Nostro cum PP. Assistentibus recenserentur, perficerentur, probarentur, facta potestate, quoad decreta iam probata, immutandi verba, sicubi opportunum fore videretur, ad mentem Congregationis. 1906

18, in Ms. act. 36.

De postulatis praetermissis.

Complura alia postulata Congregationi Generali oblata fuere. Verum cum huiusmodi res essent, quae a P. Generali cum suis Assistentibus possent definiri, neque Generalis Congregationis opera indigerent, ea a PP. Deputatis ad secernenda postulata curae A. R. Patris Nostri commissa sunt. Omnibus autem postulatis, tum Provinciarum tum privatorum, in aulam Congregationis allatis in actione 36, Patribus facta est plena ea proponendi potestas. Nemo vero fuit, qui expeteret, ut aliquod peculiare postulatum ad examen revocaretur.

19, in Ms. act. 37 et ult.

Congregatio solvenda.

Cum nihil aliud superesset agendum, A. R. Pater Noster Patrum sententiam rogavit, num placeret solvi Congregationem. Omnibus placuit eam solvi. Quare A. R. Pater Noster de felici Congregationis exitu

P. Wernz Praep. Gen. 1906

Hortatio Patris Nostri.

gratulatus, pro maiori semper nostrae Societatis incremento, maximopere omnibus commendavit studium et praxim tum Exercitiorum Spiritualium S. P. Ignatii, tum nostri Instituti. Gratias deinde egit Patribus, Fratribus Scholasticis et Fratribus Coadiutoribus, qui impensa opera pro Congregatione adlaboraverant. Meritas etiam gratias actas voluit Collegio Germanico, quod Congregationi hospitium praebuisset. Ab omnibus denique persolutis Deo gratiis ex praescripto Formulae, ea caritate et animorum unione, qua Congregatio inchoata et continuata semper est, ac communi laetitia et congratulatione finis impositus est huic vigesimae quintae Congregationi die 18 Octobris festo S. Lucae.

Finis Congregationis.

Romae, Typis Vaticanis, 1906.

CANONES CONGREGATIONUM GENERALIUM

SOCIETATIS IESU.

AD LECTOREM

Noverit lector hic citari Decreta iuxta ordinem, quo hic impressa sunt, et numerum crassiorem, qui est in fronte Decreti cuiusque primo loco positus.

CANONES PRIMAE CONGREGATIONIS,

AUCTORITATE QUARTAE RECOGNITI.

Beneficia quando relinquenda. *Exa. c. 4 n. 5.*

1. NOSTRI, qui ante ingressum in Societatem habebant beneficia, non cogantur ea relinquere ante professionem, nisi, iubente Generali, Commissario vel Provinciali, post primum annum probationis. *Decr.* 140.

Beneficia non admittenda. *Exa. c. 4 n. 5.*

2. Si quae beneficia personis de Societate conferantur, sive curata sint sive simplicia, ne admittantur. *Decr.* 139.

Solus Generalis condit Regulas. *Prooem. in declar.*

3. Solus Praepositus Generalis auctoritatem habeat Regulas condendi, et alii eam dumtaxat, quam ab ipso acceperint; et cum ea si quid ordinabunt, transmittant Praeposito, ut id examinet, et, si videat expedire, confirmet. *Decr.* 143.

Constitutiones firmae habendae. *Prooem. in declar.*

4. Constitutiones firmae ac ratae habendae et etiam observandae sunt, prout in exemplari originali Patris Nostri Ignatii habentur. *Decr.* 15.

Ordo militum Christi. *P. 1 c. 3 n. 5.*

5. Saeculares, qui emittunt vota in Ordine militari vocato Christi, possunt ad Societatem nostram admitti, licet credatur non emissuros professionem apud nos. *Decr.* 129.

Benedictio mensae. *P. 3 c. 1 n. 5.*

6. In benedictione mensae et gratiarum actione sequendus est usus romanus communis, et id in refectorio (nam in privata et secunda mensa antiqua consuetudo retineri potest); et non sedendo, sed stando benedictio et gratiarum actio fiat. *Decr.* 99. *C. 4 d. 60.*

Protectores. *P. 4 c. 1 n. 3.*

7. Habeantur amici, qui protectionem suscipiant Collegiorum; sed nomina, quae iurisdictionem dicant, vitanda sunt, ne aliquando eorum aliqui plus satis sibi sumant. *Decr.* 112.

Quibus sepultura concedenda. *P. 4 c. 1 n. 4.*

8. Concedenda est sepultura in nostris ecclesiis iis, qui Collegiorum nostrorum fundatores exstiterunt, vel fundationes iuverunt; Principibus etiam et Praelatis, qui id voluerint. Aliis autem personis, etiam bene meritis, non est id sine facultate Praepositi Generalis concedendum. Quicumque tamen illi fuerint, non videntur ea Officia pro eis publice dicenda, quae pro nostris Fratribus defunctis dicere solemus; et observetur, ne cuiquam praeiudicium fiat huiusmodi sepulturis, et ut nullus Nostrum sponte se offerat ad eam licentiam petendam, et ne ius sepulturae posteri eorum, qui ibidem sepeliuntur, acquirant. *Decr.* 121.

Exsequiae Principum. P. 4 c. 1 n. 4. C. 4 d. 61.

9. In morte Principum, quando pro eis exsequiae publicae fieri solent per ecclesias civitatis, possunt in nostris ecclesiis huiusmodi exsequiae celebrari cum feretro sine pompa; celebrando scilicet Missas, vel, si usus patriae habet, etiam recitando Officium defunctorum modo nostro simplici, ut fieri solet in sepulturis Nostrorum. *Decr.* 120.

Cappellaniae. P. 4 c. 2 n. 4.

10. Non expedit, ut cappellaniae, quibus inserviunt clerici saeculares, quos Nostri possint eligere, in nostris ecclesiis erigantur. *Decr.* 134.

Aedificia. P. 4 c. 2 n. 5.

11. Modus imponatur aedificiis Domorum et Collegiorum, quod in nobis est, ut sint ad habitandum et officia nostra exercendum utilia, sana et fortia; in quibus tamen paupertatis memores esse videamur. Unde nec sumptuosa sint, nec curiosa. De ecclesiis tamen nihil dictum est. *Decr.* 113; *Can.* 9 *Congr.* 2.

Orare simul. P. 4 c. 4 n. 3, 4. C. 4 d. 59.

12. Nostris praescribendum non est, ut omnes in eumdem locum orationis causa conveniant. Quod de ordinaria oratione intelligitur, non de extraordinaria, quae, pro re nata, publice ad tempus institui potest. Cum Novitiis tamen in oratione ante coenam dispensari poterit, ubi Praepositus Generalis expedire iudicaverit. *Decr.* 98.

Conciones. P. 4 c. 8 n. 8. C. 4 d. 10.

13. Initio concionum semper salutetur B. Virgo, sive prooemium praemittatur, sive non. Superpelliceo autem utendum est inter concionandum; stola vero iuxta patriae morem adhibeatur, vel non. In lectionibus Sacrae Scripturae ad populum superpelliceum est adhibendum, nisi in iis regionibus et locis, ubi in huiusmodi lectionibus non est superpellicei usus. *Decr.* 110.

Doctrina christiana. P. 4 c. 8 n. 6.

14. Christiana doctrina canendo doceri potest, ubi ad maiorem aedificationem id fore observabitur. *Decr.* 137.

Cathedrae in Universitatibus. P. 4 c. 12, 14.

15. Cathedrae publicae in Universitatibus, aut alibi, cum ea disceptatione suffragiorum et oppositione, quae solet fieri, non sunt admittendae; si tamen sponte offerantur ab Universitatibus aut Rectoribus earum, et gratis praelegatur, nec quisquam se opponat, cum quo sit disceptandum, admitti possent, consulto Generali. *Decr.* 118.

Praemia Scholasticis. P. 4 c. 13 n. 3.

16. Proponi et dari possent munuscula quaedam, quae praemia vocantur, Scholasticis externis, ut ea ratione inflammentur ad studia Litterarum: dummodo Fratribus nostris ne dentur, nec externis nostro sumptu; et servetur modus honestus et religiosus. *Decr.* 123.

Corrector. P. 4 c. 16 n. 5.

17. Constitutio capitis decimi sexti quartae partis, pertinens ad correctionem externorum Scholasticorum, ut iacet, est retinenda et servanda: sicubi tamen necesse fuerit, poterit dispensare Praepositus Generalis. *Decr.* 35.

Dimissi, quando ad scholas admittendi. P. 4 c. 17 n. 3.

18. In scholis nostris, cum Universitatum curam suscipimus, eos etiam admittere debemus, qui a Societate post emissa vota defecerunt, nisi ex admissione grave scandalum sequeretur; de quo iudex erit Praepositus Provincialis. *Decr.* 119.

Insignia Doctoratus. P. 4 c. 17 n. 8.

19. Quae insignia ferre debeant Doctores et Magistri de Societate in Universitatibus, cum publicis actibus praesident, pertinet ad Praepositum Generalem determinare, ut ipse Constitutiones Universitatum declaret. Non autem incommodum est, si Nostri in his publicis actibus portent aliqua insignia, in pileo praesertim, ut sunt fila illa serica, quae ponuntur in medio pilei. *Decr.* 131.

Caeremoniae in professionibus. *P. 5 c. 3 n. 2.*

20. Constitutiones quintae partis circa professiones emittendas servandae sunt, nec caeremoniae addendae. *Decr.* 36.

Votum de pueris instruendis. *P. 5 c. 3 n. 3.*

21. Institutio puerorum in doctrina christiana, praeter id, quod ad probationes pertinet, valde commendatur Professis, ut hoc pium opus iuxta litterarum apostolicarum et Constitutionum rationem exsequantur. Pater quidem Noster Ignatius iniunxit singulis Professis, ut semel per quadraginta dies id facerent. *Decr.* 138; *Can.* 20 *Congr.* 2.

Vota saeculi suspensa. *P. 5 c. 4.*

22. Vota, quae Nostri, cum adhuc essent in saeculo, emiserunt (agitur autem de aliis, quam de Religionis determinatae), in nostra Societate suspensa sunt, etiamsi per professionem non tollantur; et ita obligationem eorum cessare, dum in Societate manent, intelligatur. *Decr.* 132.

Coadiutorum habitus. *P. 6 c. 2 n. 15.*

23. Ea indumenti ratione utantur Coadiutores temporales, qua ipsi a nostris Sacerdotibus et a saecularibus hominibus distinguantur; sitque vestitus eorum honestus iuxta morem patriae. Et pileorum quidem ratio Generalis arbitrio relinquitur, sic tamen, ut praedicta distinctio servetur. *Decr.* 95. *C. 3 d. 22.*

Barba.

24. Nostri barbam ne nutriant. *Decr.* 114.

Cantus Missae, etc. *P. 6 c. 3 n. 4.*

25. Servanda est Constitutio tertii capitis sextae partis, quae dicit: vesperas cantari posse, non item Missam; et non nisi ex gravissima causa dispenset Praepositus Generalis ut Missa cantetur, et id tantum Dominicis diebus et festis. *Decr.* 39; *Can.* 24 *Congr.* 2, *et Can.* 9 *Congr.* 3.

Pileus pro inservientibus Sacro. *P. 6 c. 3, B.*

26. Coadiutores temporales, qui inserviendi Missis officium habent, clericali pileo utantur. Quod si alicubi expedire iudicetur, ut, dum inserviunt, superpelliceo utantur, petatur facultas a P. Generali. *Decr.* 95.

Defunctorum habitus. *P. 6 c. 4 n. 3.*

27. Observetur circa vestitum Sacerdotum mortuorum quod de viventibus dicitur in Constitutionibus; ut scilicet utamur eo modo, quo Sacerdotes honesti eius regionis, in qua versamur, uti solent. Fratres vero, qui Sacerdotes non sunt, sepeliantur eo modo induti, quo alii clerici honesti, qui Sacerdotes non sunt, sepeliri solent. Poterit tamen P. Generalis dispensare, ubi visum illi fuerit magis in Domino expedire ad communem aedificationem, ut non Sacerdotes in eo vestimenti genere sepeliantur, quo, dum viverent, utebantur. Quod autem attinet ad Officium pro defunctis, Constitutiones serventur, ubi in ecclesia nostra funus celebratur, et numerus sufficiens Nostrorum erit; ubi enim alterutrum deesset, possent externi vocari ad funera Nostrorum. *Decr.* 109; *P.* 6 *c.* 2 *n.* 15. *C. 4 d. 4.*

Assistentes cum Generali Roma exeunte. *P. 9 c. 1 n. 7.*

28. Si Praepositus Generalis extra Urbem mitteretur, vel sponte iret non ad tempus breve; arbitrio ipsius relinquendum est, an aliquos ex Assistentibus secum habere debeat, nec ne, prout negotia conficienda erunt plura vel pauciora; ut socium tamen, semper aliquem eorum apud se habere deberet. *Decr.* 85.

Provinciales visitent quotannis. *P. 8 c. 1 n. 7*

29. Poterit Praepositus Generalis Provincialibus iniungere, ut quotannis visitent Domos et Collegia suarum Provinciarum, vel eorum arbitrio id relinquet; et ipsemet Constitutiones in hac parte interpretetur. *Decr.* 111.

Ordo in mensa. *P. 8 c. 7 n. 2.*

30. In mensa Sacerdotes praecedent alios ad eum gradum non promotos; inter ipsos autem Sacerdotes, aut inter caeteros, qui Sacerdotes

non sunt, nullus ordo constituatur. *Decr.* 106.

Carceres. *P. 9 c. 8 n. 10, 11.*

31. De carceribus tenendis ius quidem est penes Societatem, usus autem Praeposito relinquitur. *Decr.* 116.

Provincialium etc. potestas non exspirat in morte Generalis. *P. 9 c. 8 n. 14, 15. C. 4 d. 58.*

32. Non exspirat potestas Provincialium et aliorum Officialium per mortem Praepositi Generalis, nec per electionem novi; neque licet eidem Praeposito mutare huiusmodi Officiales (qui ab ipso Generali creantur) usque ad dissolutionem Congregationis, nisi eidem Congregationi aliquem esse mutandum videretur. *Decr.* 1; *Can.* 23 *Congr.* 4.

Commissarii. *P. 9 c. 8 n. 20.*

C. 4 can. 28.

33. Commissarii non erunt Officiales ordinarii, sed prout visum fuerit Praeposito Generali expedire. Post mortem vero Praepositi exspirat (in Europa) Commissariorum potestas. Nec ratione officii suffragium habebunt ad electionem novi Praepositi, nisi aliqui eligerentur inter illos ternos de ea Provincia, in qua versabantur tempore Congregationis provincialis; ad quam vocari debebunt, et eligi poterunt, ut veniant ad Congregationem generalem. *Decr.* 91 *et* 92; *Can.* 35 *Congr.* 2.

Auctoritas Assistentium circa Generalem. *P. 9 c. 4 n. 2, 3, 4. P. 9 c. 5 n. 2.*

34. Cum dicatur capite quarto nonae partis providentiam Societatis circa Praepositum Generalem esse, primum circa externa, secundo circa corpus, tertio circa animam; et in capite sequenti dicatur, quod per Assistentes exerceat Societas hanc providentiam, qui in tribus dictis dicent et facient quod in Domino iudicaverint expedire: declaratur, quod verba illa, *dicere* et *facere*, ita sunt intelligenda, ut coniunctim ad tria referantur; facere quidem et dicere, ad duo priora; dicere vero, id est admonere per personam ad id deputatam, ad tertium tantum. *Decr.* 82.

Assistentis adversa valetudo. *P. 9 c. 5 n. 3.*

35. Sine consensu Societatis non potest dimitti officium Assistentis, etiam ob adversam valetudinem in aere romano. Quod si per Societatem id licebit, Constitutionum ordo in alio substituendo servetur. *Decr.* 84.

Assistens quando a Pontifice mittitur. *P. 9 c. 5 n. 3.*

36. Si Pontifex quempiam ex Assistentibus aliquo mittere vellet, discretioni Generalis relinquitur, an eum informare debeat, ut potius alium mittat; ut plurimum tamen informari ab eo Pontificem oportet. *Decr.* 86.

Quando a Generali. *P. 9 c. 5 n. 3.*

37. Si mittatur Assistens a Praeposito extra locum, in quo ipse residet; non se excusare debet, sed obedire. Ipsius tamen Praepositi erit Constitutionum meminisse, quae non esse facile ablegandum quempiam Assistentium statuunt. *Decr.* 83.

Assistens quando male se gerit. *P. 9 c. 5 n. 3.*

38. Si male se gereret Assistens, adeo ut indignus videretur eo loco; posset interim suspendi ab officii exsecutione a Praeposito Generali: non tamen omnino removeri, nisi de consensu Societatis iuxta Constitutiones. Poterit tamen alius a Praeposito constitui, prout illae dicunt in casu mortis et diuturnae absentiae. *Decr.* 87.

Secretarius ne idem sit qui Assistens. *P. 9 c. 6 n. 3.*

39. Licet in unam personam coincidere possit Secretarii et Assistentis officium, melius est tamen diversis personis haec officia committi. *Decr.* 89.

FORMULA VOTORUM SIMPLICIUM,

P. 6 c. 2 n. 8. P. 10 n. 6.

QUAE PROFESSI EMITTUNT POST PROFESSIONEM IUXTA CONSTITUTIONES, EXTRACTA EX PRIMA CONGREGATIONE GENERALI, ET RECOGNITA A TERTIA.

Congr. 1 decr. 102, Congr. 3 decr. 46.

1. EGO N., Professus Societatis IESU, promitto DEO omnipotenti coram eius Virgine Matre et tota Curia coelesti, et coram R. P. N., Praeposito Generali, *vel* coram N., locum Generalis Praepositi tenente, numquam me acturum quacumque ratione vel consensurum, ut, quae ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur, nisi quando ex causa iusta rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis.

P. 6 c. 2 n. 1.

P. 10 n. 6. 2. Praeterea promitto, numquam me acturum vel praetensurum, ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem vel dignitatem in Societate eligar vel promovear.

P. 10 n. 6. 3. Promitto praeterea, numquam me curaturum praetensurumve extra Societatem praelationem aliquam vel dignitatem; nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia eius, qui mihi praecipere potest sub poena peccati.

4. Tum, si quem sciam aliquid praedictorum duorum curare vel praetendere, promitto illum remque totam me manifestaturum Societati vel Praeposito eius. P. 10 n. 6. C. 8 d. 46. C. 9 d. 18.

5. Insuper promitto, si quando acciderit, ut hac ratione in Praesidem alicuius Ecclesiae promovear; pro cura, quam de animae meae salute ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo; me eo loco ac numero habiturum Praepositum Societatis Generalem, ut numquam consilium audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quivis alius de Societate, quem ad id ipse sibi substituerit, dare mihi dignabitur. Consiliis vero huiusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse, quam quae mihi in mentem venerint, iudicabo: omnia intelligendo iuxta Societatis IESU Constitutiones et Declarationes. In tali loco, tali die, mense et anno, etc. P. 10 n. 6.

CANONES SECUNDAE CONGREGATIONIS,

AUCTORITATE QUARTAE RECOGNITI.

(Decr. 51.)

Domus Probationis. *Exa. c. 1 n. 12, 13.*

1. Curetur, ut in quavis Provincia Domus aliqua Probationis, vel coniuncta Collegio (in habitatione tamen distincta) vel separata, quam cito commode fieri poterit, instituatur, et biennio ac bene probentur Novitii, non litterarum, sed mortificationis ac profectus spiritualis studio vacando. In secundo tamen anno posset a Provincialibus, ex commissione Generalis, circa studium dispensari, habita ratione personarum, locorum et temporum, prout in Domino expedire iudicabitur. Novitii vero, non modo ad vota emittenda non sunt hoc biennio instigandi, sed, si sponte emitterent, non sunt admittendi ad ea renovanda cum aliis, qui biennium expleverunt; sed seorsum ab illis ipsi Novitii simul inter se id faciant. *Decr.* 14.

C. 4 d. 62.

Don. *Exa. c. 4 n. 7.*

2. Nomen illud honorificum, *Don*, ubi est insigne nobilitatis saecularis, de Societate nostra omnino tollatur. *Decr.* 85.

Distributio bonorum. *P. 3 c. 1 n. 9.*

3. Circa distributionem bonorum ex patrimoniis Fratrum nostrorum provenientium, qui, ea in subsidium Societatis dare cupientes, Praepositi Generalis iudicio dispensationem relinquunt; probatur quod idem P. Praepositus sensit, ut scilicet servetur Constitutio capitis primi partis tertiae, expresse mentione facta illorum verborum, quae in eadem Provincia distributionem faciendam insinuant. Et ea, quae continentur quarto capite Examinis de dispositione bonorum, ita intelligenda sunt, ut instructio quaedam generalis sit et lex, qua Nostri debeant bona sua in veros pauperes distribuere, pro devotione tamen sua. Quae vero in parte tertia, capite primo, paragrapho nono continentur, intelligantur in particulari de illis bonis, quae Fratres in beneficium Societatis, sive in particulari sive in generali, distribuere ex sua devotione volunt. In quo casu, si Rectores et Provinciales, iuxta declarationem eiusdem loci, illis repraesentent perfectius esse, ut bona sua dispositioni Praepositi Generalis relinquant; tunc declaratum est, ut haec bona in eadem Provincia tantum, et non alibi P. Generalis debeat distribuere. Et ad hanc legem et intellectum, quae in nona parte, capite tertio, paragrapho sexto habentur, interpretanda sunt, si quo pacto de nostris Fratribus intelligi possunt. Quod si aliquis, imperfectionem secutus, particulari alicui Societatis nostrae loco extra Provinciam applicare bona sua velit; proponendum erit illi, ut dispositioni Praepositi Generalis relinquat, qui ea distribuet iuxta formam superius praescriptam: alias ea bona a Societate nostra non admittantur; sed ea teneatur ipse in

C. 3 can. 3.

veros Christi pauperes extra Societatem dispensare. Si vero ea alicui Collegio intra Provinciam assignaverit, sit in manu Praepositi Generalis potestas probandi eam applicationem, vel improbandi. Atque in hunc modum Constitutiones hae posthac conciliandae atque observandae sunt. *Decr.* 23.

Casus reservati. *P. 3 c. 1 n. 11.*

4. Casus reservati, qui a R. Patre nostro Laynez editi sunt, retineantur. Declaratio vero, et ampliatio, vel restrictio casuum spectat ad R. P. Generalem. *Decr.* 60.

Seminaria Nostrorum. *P. 4 prooem.*

5. In singulis Provinciis, ubi et quando commode fieri poterit, curetur saltem unum institui Seminarium Societatis perfectum, ad formandos Professores et alios Operarios vineae Christi in Humanioribus Litteris, Philosophia et Theologia, ut toti Provinciae postea sufficiant: sed ubi Nostri docendi munus obituri sunt, paulatim, non praepropere huic negotio promovendo dent operam. *Decr.* 9.

Multiplicitas Collegiorum. *P. 4 c. 2 n. 1.*

6. Adhibeatur in posterum moderatio in multitudine Collegiorum admittenda: rogatque P. Praepositum Generalem Congregatio et serio commendat, ut potius applicet animum ad roboranda et ad perfectionem adducenda Collegia iam admissa, quam ad nova admittenda. Et, si, quae offeruntur, admittenda existimaret, eiusmodi sint, ut ad commune bonum Ecclesiae Dei magnum momentum habitura videantur; et, quoad eius fieri possit, ita dotata, vel eam rerum vitae necessariarum commoditatem habentia, ut non tantum Operarii sustentari possint, sed et is etiam numerus Scholasticorum, iuxta Formulam datam pro accipiendis Collegiis a R. Patre nostro Laynez, qui pro Seminario sit eidem Collegio futurus ad sui conservationem: nec admittantur, licet haec omnia suppeterent, si non haberet Societas Rectores, ac Magistros, et demum Operarios in vita et doctrina idoneos, ut huic muneri posse satisfacere, auditis Assistentium sententiis, iudicaret; et quidem sine aliorum Collegiorum detrimento. *Decr.* 8; *Congr.* 3 *Decr.* 20.

Collegia non bene fundata quomodo retinenda. *P. 4 c. 2 n. 2.*

7. Si quae Collegia sint hactenus absque sufficienti dotatione fundata, in quibus nec Nostri legant, nec Scholasticos alant; poterunt tamen illa hac ratione retineri, si ex fructibus videlicet eorum, per publicam aliquam personam conservatis, detur opera, ut plene fundentur. Nostri tamen interim bonis illis non utantur, sed ex eleemosynis vivant; ac simul dent operam, ut praedicta Collegia sufficienter etiam aliunde dotentur. *Decr.* 71; *Can.* 6 *Congr.* 3.

Uniones beneficiorum. *P. 4 c. 2 n. 4.*

8. Uniones beneficiorum, quae curam animarum habent, non admittantur. *Decr.* 59.

Aedificiorum idea ad Generalem. *P. 4 c. 2 n. 5.* * *C. 1 d. 118.*

9. Ad R. P. Generalem referenda est forma et modus aedificiorum nostrorum construendorum, ut ille, iuxta decretum * praeteritae Congregationis, quod sibi in Domino visum fuerit, statuat. *Decr.* 84; *Can.* 11 *Congr.* 1.

Expensae pro Generali, Provinciali, Commissario, etc. *P. 4 c. 2 n. 5, E.*

10. Procuratorem, qui negotia agit cum externis vel Romae vel alibi, alere debent ii, quorum negotia agit. Provinciales vero, Commissarios, Generalem etiam ipsum alet ea Domus vel Collegium, ubi erunt. Quibus, quando in itinere fuerint, expensas facient ii, quibus erit bono illud iter, si tamen pro Societatis gubernatione vel negotiis iter faciunt. *Decr.* 82.

Expensae pro Procuratore, Sollici-

11. Pro Sollicitatore, pro Advocato, pro Procuratore et aliis Officia-

tatore etc. P. 4 c. 2 n. 5.

libus externis, si quid praeterea ad actionem vel expeditionem alicuius negotii, vel litterarum apostolicarum vel regiarum et huiusmodi aliarum expendetur; id solvere debent ii, in quorum gratiam illud fuerit expensum. *Decr.* 83.

Non plures alantur. P. 4 c. 2 n. 6.

12. Ne plures in Collegiis teneantur, quam ali possint, sive ex reditibus, sive ex eleemosynis consuetis. *Decr.* 27.

Seminaria Episcoporum quando admittenda. P. 4 c. 3, B.

13. Seminaria Episcoporum gubernanda ne admittantur. Si tamen fundatio perpetua et insignis eorum ita fieret, ut simul etiam coniunctum Collegium nostrum valde promoveretur, vel de novo institueretur, et abundaret Societas Operariis idoneis, et libera eidem gubernatio committeretur; possent ex dispensatione Praepositi Generalis, et non aliter, admitti. Non dentur tamen huiusmodi Seminariis separati Praeceptores ab iis, qui in scholis nostris pro Societatis nostrae Instituto praelegunt. *Decr.* 18; *Can.* 5 *Congr.* 4.

Renovatio votorum quando facienda. P. 4 c. 4 n. 5.

14. Quamvis in Constitutione capitis quarti quartae partis designentur festa Paschae ac Nativitatis Domini, quibus renovent vota Scholastici; tamen, cum colligi possit ex declaratione eius loci potestatem esse in Superiore Rectoris immediato in aliquo particulari casu mutandi illa festa; facile interpretari possumus in Generali Praeposito esse facultatem in universum illa festa mutandi; quod traditio universalis a tempore ipsius Patris Nostri Ignatii, usu et consuetudine hactenus corroborata, confirmat. *Decr.* 64.

Ad doctrinam christianam legendam vel docendam quando Rectores tenentur.

15. Rectores, cum teneantur ex Constitutione et declaratione capitis decimi partis quartae, doctrinam christianam legere vel docere per quadraginta dies; per se vel per alium id praestare debent intra annum, postquam officium Rectoris inierint, continenter quadraginta diebus, vel interpolatim: primo quidem, quemadmodum doceri solent pueri, deinde etiam per conciones, si ita Superior censuerit. Praeter illum annum, eo quidem nomine non tenebitur Rector, sed alio poterit communi, ut in quodam decreto * definitum est de Professis et Coadiutoribus formatis. *Decr.* 65; *infra Can.* 20. P. 4 c. 10 n. 10.

* C. 2 d. 58, inf. can. 20.

Regulae Scholasticorum quando legendae. P. 4 c. 10, L.

16. Ex declaratione ultima capitis decimi quartae partis colligitur illas intelligi Constitutiones esse legendas, quae sunt propriae Scholasticorum nostrorum. Illae vero cum contineantur in Regulis Scholasticorum, fit ut illae Regulae sint legendae publice bis aut ter singulis annis. Eas autem curabit P. Generalis, si opus fuerit, emendandas. *Decr.* 66.

Breves cursus Artium vel Theologiae. P. 4 c. 15 n. 2, 3.

17. Non expedit, ut breves cursus Artium vel Theologiae instituantur; sed, si qui ex iis, qui futuri sunt Coadiutores spirituales, ad altiora studia non videantur promovendi; ii Humaniorum Litterarum studio et compendio Dialectices contenti sint; quibus studiis instructi, casus conscientiae audire poterunt. *Decr.* 69.

Universitatum nostrarum promotiones. P. 4 c. 15 n. 4.

18. Non probatur ullum ad aliquam in nostris Universitatibus Facultatem esse promovendum, quam Nostri non profiteantur. *Decr.* 70.

Examina Sacerdotum externorum. P. 4 c. 15 n. 4.

19. Quemadmodum hactenus factum est in quibusdam locis, ut Nostri ita examinent promovendos ad Ordines, aut curae animarum, verbo Dei, vel confessionibus audiendis praeficiendos, ut simul iudicium ferant de illorum sufficientia et admissione, ita de caetero ne fiat; quandoquidem iudicamus non esse consentaneum

nostro Instituto. Quod si examinandi ministerium effugere nulla ratione possimus, illud tamen retineamus, ut iudicium de admittendis vel non admittendis non feramus; sed illud omnino Praelatis relinquamus. Possit tamen dispensare R. P. Generalis, ubi hoc utile et expediens esse in Domino iudicaverit. *Decr.* 72: *declaratur in* 4 *Congr. Can.* 7.

Ad doctrinam christianam docendam quando tenentur Professi et Coadiutores. *P. 5 c. 3 n. 3, B.*

20. Quivis Professus quatuor vel trium votorum post editam professionem, quivis etiam Coadiutor spiritualis formatus post sua vota, intra annum per quadraginta dies continuos vel interpolatos doctrinam christianam pueros atque rudes personas docere teneatur. Praeterea vero hoc tam sanctum exercitium visum est Admodum R. P. Generali commendandum, ne ullo umquam tempore illius oblivio in nostros animos irrepat, cum illud in votorum nostrorum Formula complectamur. Curet itaque idem R. P. Generalis, ut Nostri frequentius, quemadmodum ipsi in Domino expedire visum fuerit, in hoc tam pio opere exerceantur. *Decr.* 58; *Can.* 21 *Congr.* 1.

Cessio iuris bonorum immobilium. *P. 6 c. 2 n. 2.*

21. Congregatio, totius Societatis nomine, cessit cuicumque iuri provenienti ex concessione Concilii Tridentini ad habenda bona immobilia in communi in Domibus Professorum vel eorum ecclesiis; ut iuxta nostras Constitutiones et vota, quae post professionem emittuntur, paupertatem in Professis ac ipsorum Domibus retineremus. *Decr.* 33.

Eleemosynae. *P. 6 c. 2 n. 6, 10.*

22. Quamvis ex eleemosynis vivat Societas, et opus bonum sit eleemosyna Societati collata, atque ad bona omnia inducere quosvis possimus; tamen, ad maiorem aedificationem, paupertatis nostrae sinceritatem et puritatem, placuit praecipere Nostris omnibus, ut nulli externo suadeant (nam de Nostris in Constitutionibus et Decretis dictum est) ut nobis, potius quam aliis pauperibus, dent eleemosynam; sed contenti simus, ubi petimus eleemosynas quotidianas, illas simpliciter ac plane amore Dei petere. Ad donationes vero quascumque sive legata, simpliciter etiam et plane possimus tantum nostras necessitates explicare; definitionem tamen eius devotioni relinquamus, a quo petimus has eleemosynas; ac proponere tantum illi possimus, ut ad orationem et alia media accurrat, quibus possit de donatione vel legato constituere iuxta id, quod Dominus inspiraverit, et ratio recta suaserit. *Decr.* 56.

P. 3 c. 1 n. 9. C. 3 can. 3.

Arcula in ecclesiis. *P. 6 c. 2 n. 8.*

23. Non sit arcula in nostris ecclesiis ad eleemosynas accipiendas pro aliis, cum pro nobis omnino necesse sit eam poni non posse; ut non rem tantum evitemus, quae nobis prohibita est, sed rei illius omnem speciem. *Decr.* 78.

Cantus Missae et vesperarum. *P. 6 c. 3 n. 4.*

24. Iuxta Constitutiones et Decreta praeteritae Congregationis, et habita ratione finis, quem ipsae Constitutiones intendunt; potest Praepositus Generalis cantum Missae et vesperarum in hunc vel illum locum inducere, prout in Domino expedire iudicaverit. Ubi autem inductus esset, si inutilis ad finem nostri Instituti et proximorum aedificationem videretur, vel deessent qui bene id munus praestare possent; committitur Praeposito Generali, ut eum valeat revocare ac prohibere, si ita visum ei fuerit. *Decr.* 17; *Can.* 25 *Congr.* 1, *et Can.* 9 *Congr.* 3.

Negotiatio. *P. 6 c. 3 n. 7.*

25. Omnia, quae speciem habent saecularis negotiationis, in colendis

videlicet agris, vendendis in foro fructibus, et similibus, intelligantur prohibita esse Nostris. *Decr.* 61.

Lites. *P. 6 c. 3 n. 7.*

26. Lites forenses, pro rebus praesertim temporalibus, fugiant Nostri omnes; et id curent Provinciales efficere. Ac primum compromissione rem adnitantur componere. Quod si nulla ratione id possint assequi, tamen non intendat quisquam e Nostris litem huiusmodi, nec omnino litem aliquam absque consensu Praepositi Generalis, aut eius, cui expresse suas vices ad hanc rem ille commiserit. Nostris autem si lis intendatur, curent Provinciales primum, vel a parte vel a Iudice peti, vel id consequi per Principem, ut prius consuli possit Generalis Praepositus, quam liti respondere cogantur. Nam fieri poterit, ut Generalis Praepositus iubeat cedere Nostros liti, et potius detrimentum temporale pati, quam litibus operam dare, etiam pro re alioqui debita. *Decr.* 55.

Concionatores et Confessarii bene instruantur. *P. 7 c. 4 n. 5, 6.*

27. Curabit P. Generalis, ut, qui sunt e Nostris concionaturi publice, qui etiam confessiones audituri, ii sint ad ea munera obeunda sufficienter instructi; hoc enim ad eius administrationem attinet. Retineatur tamen privilegium a Sede Apostolica concessum, ut Nostri possint concionari, etiam si non sint ad ordines promoti. *Decr.* 62.

Ratio Formulae Scribendi. *P. 8 c. 1 n. 9.*

28. Quaedam sunt in ratione scribendi, quae in declarationibus primi capitis octavae partis continentur, quae modo bene observari non possunt; unde remedium per aliquam immutationem Constitutionum in ea parte adhibendum est. Rectores et Praepositi locales scribant singulis hebdomadis ad suum Provincialem in Europa iuxta Constitutiones. In India vero et Brasilia, ut suis Provincialibus visum fuerit commodum et opportunum. Missi autem ad fructificandum in agro Domini, scribant ad eum, quem designaverit ille, a quo missi sunt, singulis hebdomadis, vel quoties ipsis fuerit praescriptum. Et illis quidem rescribant sui Superiores semel in mense iuxta Constitutiones; his vero respondebitur, quoties iudicaverit is, qui illos misit. Provinciales omnium Provinciarum Europae scribant ordinarie ad P. Generalem semel quolibet mense; Rectores autem et Praepositi locales tertio quoque mense. Ita tamen haec accipiantur, ut extraordinarie possint scribere quoties necessitas urgebit. Provinciales vero Indiae et Brasiliae scribant Praeposito Generali quando se obtulerit navigationis commoditas. Rectores autem et Praepositi locales ex Indiis semel; ex Brasilia vero bis in anno, si se obtulerit occasio. Praepositus Generalis ad Provinciales scribat secundo quoque mense; ad Rectores vero et Praepositos locales sexto quoque mense, nisi aliqua necessitas prius ad respondendum suadeat. Reliqua, quae spectant ad res, de quibus scribendum est, et ad modum, ad quale anni tempus annuas litteras scribere debeant, hoc totum Patri nostro Generali relinquitur, ut ipse pro sua prudentia statuat quid facto opus sit. Rectores Collegiorum et Praepositi locales catalogum Patrum et Fratrum conficiant; et informationem communem semel in anno ordinarie, et ad suos Provinciales mittant, qui illos ad Praepositum Generalem mittent. Materia vero et modus conscribendi hos catalogos a Patre nostro Generali praescribatur. *Decr.* 54; *Can.* 12 *Congr. 4.*

Tempus Congregationis

29. Nullum tempus certum Con-

generalis. *P. 8 c. 2 n. 1, 3.*

gregationi generali cogendae praescribatur; sed tertio quoque anno veniant simul ex omnibus Provinciis Procuratores, qui Professi quatuor votorum et viri maxime idonei sint, a Congregatione provinciali electi; et habeant ius suffragii simul cum Assistentibus et ipso P. Generali, qui duo suffragia habebit, ad decernendum, an cogi debeat Congregatio generalis, necne. *Decr.* 19; *Congr.* 4 *Decr.* 7, *et in Form. Congr. Proc.* § 1, *et in Form. Congr. prov.* § 1.

Provinciarum institutio. *P. 8 c. 3 n. 1.* * *C. 1 d. 108.*

30. Provinciarum institutio, iuxta prioris Congregationis decretum *, Praeposito Generali relinquatur; qui tamen, non nisi re diligenter considerata et cum Assistentibus communicata, Provincias instituere ad commune Societatis bonum debeat. *Decr.* 36; *Congr.* 1 *Decr.* 108, *Congr.* 4 *Decr.* 6.

Locus Assistentium in Congregatione generali. *P. 8 c. 7 n. 2.*

31. Antiqui Assistentes (quorum officium usque ad novi Generalis electionem durat) in Congregatione generali inter Provinciales habeant locum, secundum ordinem et tempus suae professionis, ad suam sententiam dicendam. Novi vero, si in ipsa Congregatione iam sint, maneant in suis locis, pro eius Congregationis tempore, in qua electi sunt; statim tamen sua potestate et munere fungi incipiant in iis, quae iuxta Constitutiones eis legitime conveniunt circa P. Praepositum. Nam, quod ad Congregationem ipsam attinet, nihil ii, nisi suum suffragium, ut caeteri, habent. *Decr.* 20 *et* 35; *Congr.* 1 *Decr.* 90; *in Form. Congr. gener.* § 6.

Mutatio personarum. *P. 9 c. 3 n. 2, 9.*

32. Sua legitima potestas ad mutationes personarum constare debet Praeposito Generali, cui Constitutiones eam tribuunt, sive ab uno in alium locum eiusdem Provinciae, sive diversae, mutari conveniat; et etiam Provincialibus intra suas Provincias iuxta Constitutiones. Curandum tamen est per Superiorum prudentiam, ut non sine causa alicuius momenti, nec cum detrimento eorum, a quibus aliqui removentur, tales mutationes fiant. *Decr.* 12.

Triennium Rectoribus non praefigendum. *P. 9 c. 3 n. 14.*

33. Ut triennium designatum est Provincialibus, quo officium gerant suum, ut habetur tertio capite nonae partis Constitutionum; non videtur similiter agendum in Rectoribus, nec addendum praeterea ad Constitutiones, quae de hoc nihil decernunt. *Decr.* 68.

Superintendentes. *P. 9 c. 3 n. 16.*

34. Superintendentis officium vel nomen usurpandum non est in Societate, nisi ubi pro arbitrio P. Generalis necessitas vel magnitudo Collegii utrumque postulaverit; nec enim nomen tantum retinendum est. *Decr.* 86.

Commissarii quales et quando esse debeant. *P. 9 c. 3 n. 20.*

35. Commissarii ad visitandas Provincias tertio vel quarto quoque anno, vel quando Praeposito Generali, et cum qua auctoritate et iurisdictione videbitur, mittantur. Alii, qui continuum et quasi ordinarium officium habeant in Provinciis remotis, non constituantur, iuxta decretum primae Congregationis; sed cum necessitas vel utilitas magni momenti hoc officium iudicio Praepositi Generalis requiret, pro re nata possint huiusmodi Commissarii ab eo institui: qui, cum satisfactum fuerit causae, propter quam instituti fuerint, pro eiusdem Generalis arbitrio, eodem officio defungantur. *Decr.* 11. *C. 1 d. 91.*

Generalis sit Praepositus Domus romanae. *P. 9 c. 6 n. 5.*

36. Pater Generalis erit Praepositus Domus romanae, et habebit alios Officiales, quorum opera utatur ad gubernationem particularem eiusdem Domus. *Decr.* 49 *et* 73; *Can.* 26 *Cong.* 4.

Assistentes

37. Assistentes officio sibi a Con-

aliis non occupentur. *P. 9 c. 6 n. 10.*

gregatione generali commisso incumbant iuxta Constitutiones; nec aliis occupentur ministeriis, quibus a suo officio avocentur vel impediantur. *Decr.* 74; *Can.* 27 *Congr.* 4.

Nostri ne sequantur aulas. *P. 10 n. 11.*

38. Nec Principibus nec Dominis aliis saecularibus aut ecclesiasticis assignari debet aliquis ex nostris Religiosis, qui aulas eorum sequatur et in eis habitet, ut Confessarii, aut Theologi, aut alio quovis munere fungatur; nisi forte ad perbreve tempus unius vel duorum mensium. *Decr.* 40.

Habetur etiam post Decreta Congr. secundae.

FORMULA ACCEPTANDORUM COLLEGIORUM,

DATA A R. P. N. LAYNEZ, GENERALI PRAEPOSITO SOCIETATIS IESU, DE QUA FIT MENTIO CANONE SEXTO SECUNDAE CONGREGATIONIS GENERALIS.

P. 4 c. 2 n. 1, 2.

1. Consideratis operibus et ministeriis, quibus ad Dei gloriam et animarum profectum Societas nostra occupatur; et considerata etiam obligatione charitatis, qua ex Instituto tenemur in illis perseverare; re prius praemeditata, et cum Patribus Assistentibus ad consultationem adducta, et Domino commendata: visum est mihi, ut in Collegiis, quae deinceps divina Maiestas fundare dignabitur, novae a nobis obligationes non admittantur. Sed qui divino instinctu et Dei obsequio, quod Deo praestatur in Societate, ac utilitate, qua Dei gratia proximi iuvantur, commotus Collegium aliquod fundare voluerit; pure et libere, absque conditione vel modo, donationem faciat dotationis, quam Domino Deo nostro offerre vult. Societas vero, non ex nova obligatione, sed ex illa sua antiqua, quam, ut diximus, habet, curet, ut secundum numerum eorum, qui ex tali fundatione sustentari poterunt, in tali Collegio numerus Operariorum constituatur, qui quidem in illo iuxta nostrum Institutum se exerceant in vinea Domini: de cuius divina bonitate speramus, si christiana hac simplicitate, quae ipsi innititur, progrediamur, Societatem perseveraturam puriorem, nec desituram illud praestare, ad quod secundum suam vocationem obligatur. Fundatoris etiam intentio ita implebitur, simulque tollentur hinc inde causae inquietudinis, quae ex humanis cautionibus oriri possunt et solent; quae, quantumvis caute et circumspecte transigantur, nihilominus semper ab humana astutia labefactari possunt, ut ipsa experientia ostendit; quae tam in aliis Religionibus, quam in multis nostrae Societatis locis nos docet praedictum modum fundationis partibus omnibus bene cedere ad divinum obsequium et commune bonum, quod optatur.

Fundationes libere et sine conditione fiant.

2. In Collegio, ubi tres ponuntur Praeceptores Litterarum Humaniorum, quartus etiam esse debet, qui illis substitui possit; et tres Sacerdotes, in quibus unus Rector sit, reliqui duo utilitati serviant animarum. Ubi vero tales septem Operarii sunt,

Collegium 20 Nostrorum.

convenit totidem saltem ibi Scholares alere, ut illud perpetuum opus esse queat; succedentibus his in Sacerdotum et Praeceptorum locum, ubi aut morte, aut aegritudine, aut aliis de causis non possent officio suo fungi. Est etiam praeter hos necessarius Minister unus cum Coadiutoribus quinque, videlicet ianitore, sacrista, coquo, emptore et quodam alio, qui eos in omnibus adiuvet. Minimum itaque Collegium viginti constabit ex Nostris; ultra quos providendum erit, unde Corrector, qui de Societate non sit, alatur ad eos castigandos pueros, qui scholas frequentabunt, prout illi ab ipsis Praeceptoribus praescribetur.

Collegium 30 Nostrorum.

3. Si Collegium quinque Praeceptores habeat ad Humanas Litteras, Latinas, Graecas, et Rhetoricam profitendum; substitutos alios duos habeat necesse est, nec non quatuor quinqueve Sacerdotes; ut, praeter illos quinque Praeceptores supra dictos, eorum unus lectionem casuum conscientiae possit profiteri, ut Sacerdotes illius regionis, qui parum erunt in iis versati, hac in parte, quae eis est necessaria, iuvari possint, quo ipsi melius officium suum faciant ad divinam gloriam. Ubi vero tales undecim aut duodecim Magistri ac Sacerdotes conceduntur, totidem saltem Scholastici instituendi erunt ad operis perpetuitatem, ut superius dictum est. Minister etiam unus cum sex Coadiutoribus. Itaque minimus numerus complebit triginta, extra Correctorem, in similibus Collegiis.

Collegium 50 Nostrorum.

4. Si Collegium, praeter supra dicta, Artium Liberalium cursus volet suscipere; ultra illum numerum Nostrorum, viginti addendi erunt, partim Praeceptores, partim Discipuli; ita ut omnes simul conficiant numerum quinquagenarium.

Collegium 70 Nostrorum.

5. Si Societas alicuius Universitatis aut Generalis Studii curam susceptura esset, adiungeretque supra dictis scholasticam Theologiam, et Sacram Scripturam; huiusmodi onus admittere non debebit, nisi commode provideatur, unde septuaginta aut iis plures collegae possint ali; ut superiori numero accedant viginti, partim Praeceptores et partim Discipuli. Et expediret, ut hic numerus adhuc augeretur, quo non tantum opus huiusmodi perpetuo duraret, verum etiam ex eo Collegio insignes aliqui Operarii possent excerpi ad commune bonum in his et illis locis promovendum.

Collegia, ubi Societas proprias non habe scholas.

6. In Collegiis, ubi Societas proprias non habet scholas, praeter Scholasticorum numerum sunt etiam necessarii Rector ac Minister; et, si magnus numerus inibi esset, adhuc Sub Minister; Coadiutores vero secundum numerum Collegarum. In huiusmodi vero Collegiis collocari poterunt Operarii secundum commoditatem, quam habet Societas, et dispositionem messis in populo.

CANONES TERTIAE CONGREGATIONIS,

AUCTORITATE QUARTAE RECOGNITI.

(Decr. 51.)

Promissio distribuendi bona. *Exa. c. 4 n. 2.*

1. Actus ille, quo is, qui in Societatem admittitur, promittit se post primum annum bona sua distributurum, nec votum est, nec solum propositum; sed promissio simplex illa conditione affecta, scilicet, si is perseveraverit et Superior illi iniunxerit. Constitutio vero, ut sonat, observanda est; praxis autem Constitutionis huius iudicio Praepositi Generalis, qui maius DEI obsequium intuebitur, est relinquenda. *Decr.* 19.

Constitutiones numquam expungendae. *Prooem. declar.*

2. Nullo modo expungendae sunt Constitutiones, quae ratione temporum vel alias ob causas in praxi non sunt; sed potius oportet, ut inviolatae permaneant: ut, quales a sanctae memoriae R. Patre Nostro Ignatio acceptae sunt, tales omnino ad posteros transmittantur. *Decr.* 23; *Congr.* 1 *Decr.* 15.

Quaenam Provincia, in qua sunt bona distribuenda. *P. 3 c. 1 n. 9.*

3. Eadem Provincia, in qua primo capite tertiae partis Constitutionum distribuenda esse dicuntur bona Nostrorum, quae illi Societati dare volunt; intelligenda est, in qua sunt ipsa bona, non autem in qua quis Societatem ingreditur aut versatur. Sumitur autem Provinciae nomen, more Societatis, prout scilicet uni Praeposito Provinciali subest. Quod si in eadem Provincia sint plura dominia diversis Principibus subiecta, diligenter servetur eadem Constitutio, ut scilicet in transferendis huiusmodi bonis ex uno dominio in aliud eiusdem Provinciae habeatur ratio Regum, Principum ac aliorum Potentatuum, ne illis causa ullius offensionis detur; sed ad maiorem aedificationem omnium, et spiritualem utilitatem animarum, et ad DEI gloriam omnia cedant. Praeter haec autem, si quae aliae difficultates orientur, eas prudentia et auctoritas P. Generalis submovebit. *Decr.* 16; *Congr.* 2 *Can.* 3.

Dispositio bonorum non sine Generali. *P. 3 c. 1 n. 9.*

4. Quamquam Nostris, qui de bonis suis dispositiuri sunt, liceat pactiones cum suis parentibus et quibuscumque aliis de legitima parte et aliis bonis ad se pertinentibus inire; admonendi tamen sunt illi prius, Societatem ipsam ad ea bona nullum ius habere. Sed ne pactiones huiusmodi fiant, nisi prius Generalis Praepositus informetur de conditione disponentis et de re tota, ut universa huius rei praxis ex ipsius iudicio exerceatur. *Decr.* 39. *P. 6 c. 2 n. 12. C. 1 d. 88.*

Mensa separata Superiorum. *P. 3 c. 2 n. 3. * C. 1 d. 76.*

5. Regula illa de separata mensa Superiorum, de qua in prima Congregatione *facta fuit mentio, de caetero vim non obtineat. Per hoc tamen non excluditur antiqua illa consuetudo a Patribus Generalibus cum ratione observata, tam in sua mensa, quam ut etiam cum aliis ex causa dispensetur, prout in Domino magis expedire existimaverit ipse R.

P. Generalis. *Decr.* 38; *Congr.* 1 *Decr.* 76.

In Collegiis inchoatis quomodo vivendum. P. 4 c. 2 n. 2, 6.

6. Collegia, in quibus propria Collegiorum munia non exercentur, vel quia inchoata quidem, sed non plene constituta sunt, vel quia aedificandi necessitas non patitur Nostros legere, nec Scholasticos illic ali; Praepositus Generalis iudicabit, an et quamdiu ex eleemosynis vel ex reditibus vivere debeant; et faciet quod in Domino expedire iudicaverit. *Decr.* 43; *Congr.* 2 *Can.*

Eleemosynae in Collegiis. P. 4 c. 2 n. 6.

7. Tam intelligentia quam praxis illius Constitutionis capitis secundi partis quartae, § 6, in qua dicitur, nec eleemosynas nec dona ulla admittenda esse in iis Collegiis, quae duodecim Scholasticos, praeter Praeceptores, ex propriis reditibus alere possunt; exigenda est ad finem aedificationis: et arbitrio P. Generalis relinquitur, ut, habita ratione huius finis, et Constitutionis usum praescribat, et eamdem interpretetur, et, si opus esset, in ea dispenset. *Decr.* 25.

Aristotelis interpretes. P. 4 c. 14 n. 3.

8. Rev. P. noster Praepositus Generalis commendatum magnopere habeat, ut Praeceptores nostri, qui Aristotelem interpretantur, non nisi cum magno delectu interpretes eos legant, qui contra christiana dogmata impie scripserunt, et maxime ad ea impugnanda, quae christianae veritati adversantur; et ita Philosophiam interpretentur, ut verae Theologiae scholasticae, quam nobis commendant Constitutiones, ancillari et subservire faciant. *Decr.* 47.

P. 4 c. 12 n. 3. P. 4 c. 14 n. 1.

Cantus in nostris ecclesiis. P. 6 c. 3 n. 4, B.

9. Cantus in ecclesiis Societatis inductus, iuxta declarationem capitis tertii partis sextae, sit devotus, suavis et simplex, non figuratus aut firmus; et in iis tantum locis retineatur, ubi per Nostros, non admissis externis, commode exerceri potest, et finis sequitur, quem praedicta Constitutio proponit, iuxta canonem vigesimum quartum Congregationis secundae: locum tamen habeat dispensatio, praesertim inter haereticos et infideles, quoad inductionem, retentionem, modum et qualitatem cantus, pro arbitrio Praepositi Generalis. *Decr.* 36.

C. 1 d. 39.

Processiones. P. 6 c. 3 n. 4.

10. Processiones a Nostris deinceps ne fiant. Liberam tamen habeat Praepositus Generalis facultatem dispensandi circa eas retinendas et instituendas, ubi ad Dei gloriam et proximorum aedificationem (praesertim ubi usu receptae sunt, et maxime inter haereticos, et ubi conversioni infidelium opera datur) expedire viderit. Quod si Nostri ad publicas supplicationes procedere cogantur, superpelliceis utantur; ut, sicut in vestitu sequi debemus, ita etiam in huiusmodi processionibus communem honestorum clericorum habitum sequamur. De loco tamen et ordine procedendi statutum est relinquendum id esse arbitrio et dispositioni eorum, a quibus Nostri ad processiones vocantur. *Decr.* 35.

Suffragia pro nostris defunctis. P. 6 c. 4 n. 3, 4.

11. In singulis Provinciis servetur mos antiquus in suffragiis faciendis pro iis, qui in Provincia moriuntur, ut scilicet, in eo loco, ubi quis decesserit, singuli Sacerdotes tria Sacra, et singuli Fratres tres coronas; in aliis vero Provinciae locis, duo Sacra faciant, et duas coronas recitent. Pro aliis vero, qui extra Provinciam obeunt, singuli Sacerdotes cuiusque Provinciae semel in quavis hebdomada Missae sacrificium offerant, et singuli Fratres unam coronam orent. Praeterea de obitu cuiusque significetur per universam Societatem, ut omnes

Sacerdotes in Missis, vel per collectam vel alia ratione, reliqui vero in suis precationibus illius animam Deo commendent pro cuiusque devotione. *Decr.* 40.

Pedestre iter. *P. 7 c. 2, G.*

12. Ad religiosam disciplinam et paupertatis rationem pertinet, ut in peregrinationibus et profectionibus Nostri, quos ipsorum Superiores id praestare posse iudicaverint, in toto vel in parte pedestri itinere utantur; et ob eam causam Praepositus Generalis eam hac in re moderationem per se et Provinciales adhibeat, quae Societatis nostrae Instituto consentanea sit; curabitque, ut in equitando solius necessitatis, sive personae sive negotiorum, quam Superiores mittentes iudicabunt, ratio habeatur. *Decr.* 37.

Professi quatuor votorum Rectoribus, etc. subsint. *P. 8 c. 3, A.*

13. Professi trium votorum, seu non Professi, cum Rectores vel Ministri sunt, Sacerdotes tamen, Professis quatuor votorum, qui apud illos versantur, seu etiam divertunt ex itinere, iuxta regulae communis praescriptum praeesse possunt ac debent. Professi autem huiusmodi quatuor votorum ad obedientiam illis praestandam ac subiectionem, iuxta communem locorum, ubi illi praesunt, ordinem ac regulas, teneantur. Neque id adversatur declarationi tertii capitis octavae partis, aut decreto primae Congregationis. Quae cum decernit, ne Professi trium votorum, aut alii non Professi, quatuor votorum Professis praeesse possint; de praesidentia in Domibus Professis vel integris Provinciis, ubi subditos communiter Professos esse quatuor votorum oportet iuxta Constitutiones, intelligendum est. *Decr.* 21; *Congr.* 4 *Can.* 11.

P. 8 c. 3, A. *C. 1 d. 42.*

Procuratores Sardiniae et Indiarum. *P. 8 c. 3 n. 1.*

14. Sardiniae Procurator sine Congregatione provinciali potest venire ad generalem, et ad alia ius habere suffragii, praeterquam ad Generalis et Assistentium electionem. Eligetur autem a Vice Provinciali, et Consultoribus, ac Professis quatuor votorum, qui eo in loco, ubi aderit Vice Provincialis, fuerint. Hoc autem intelligatur, quamdiu Sardinia non fiet separata Provincia. Simili modo ex Lusitania pro India et Brasilia, ac ex Baetica pro Peru et nova Hispania Procuratores mitti poterunt, si alii electi non sufficient ad negotia tractanda iudicio Congregationis provincialis Lusitaniae et Baeticae; ad quam etiam pertinebit huiusmodi Procuratores eligere. *Decr.* 48; *in* 4 *Congr. Decr.* 12.

C. 2 d. 75.

Vicarii officio functi locus in Congregatione. *P. 8 c. 3 n. 1.*

15. Vicarius Generalis, qui post obitum Praepositi exstiterit, electo novo Generali, ad Congregationem generalem accedet, et locum inter Provinciales iuxta antiquitatem suae professionis habebit. *Decr.* 2.

Procurator Generalis quando admittatur in Congregationem.

16. Procurator Generalis, qui Romae fuerit tempore Congregationis generalis, ad eam deinceps admittatur post Praepositi electionem. *Decr.* 44; *Congr.* 4 *Decr.* 1.

Domus Professae erigendae. *P. 9 c. 3 n. 17.*

17. Committitur R. P. Praeposito Generali, ut videat, an Domus Professorum in magnis civitatibus, quae Societatem habere desiderant, erigi debeant; et an curandum sit, ut plures huiusmodi Domus Professae et pauciora Collegia habeantur. Eidemque commendat, ut erigendis eiusmodi Domibus animum applicet; ipsius tamen prudentiae tempus, et locum, et modum relinquit, quo id effici debeat. *Decr.* 17.

Fundator Domus Professae. *P. 9 c. 3 n. 17.*

18. Domus Professae fundatorem habere possunt, quemadmodum et Collegia. Fundator autem Professae

Domus ille censeri debet, qui dat ecclesiam necessariis rebus ad cultum Dei ornatam; praeterea Domum supellectili domestica et libraria sufficienter instructum. Pro huiusmodi autem fundatore ea suffragia in ipsa Domo et Provincia, in qua Domus erigitur, exhibebuntur, quae Constitutiones quartae partis capite primo pro Collegiorum fundatoribus in tota Societate exhiberi praescribunt, excepta candelae traditione. *Decr.* 41.

Admonitoris substitutio. *P. 9 c. 5 n. 2, 3. C. 4 can. 25.*

19. Si contingat Admonitorem Praepositi Generalis alio mitti, poterit idem Praepositus alium ei substituere, si tantum ad breve tempus sit abfuturus. In casu autem mortis aut diuturnae absentiae, eadem in alio substituendo ratio servetur, quae in substitutione Assistentium servanda est. *Decr.* 42.

Assistentium Substituti. *P. 9 c. 5 n. 2.*

20. Non eligantur a Congregatione Substituti Assistentium. *Decr.* 12.

CANONES QUARTAE CONGREGATIONIS,

AUCTORITATE EIUSDEM CONFECTI.

(Decr. 51.)

Votum ingrediendi Societatem. *Exa. c. 4 n. 42.*

1. Omnes, qui post biennium probationis vota simplicia Societatis cum promissione ingrediendi eamdem Societatem emiserint, sive illi sint Coadiutores temporales sive Scholastici, eamdem per omnia obligationem subeunt; ac proinde ut apostatae, si defecerint, iuxta privilegia Societatis et litteras apostolicas puniri poterunt. *Decr.* 53.

Gradus Indifferentium. *Exa. c. 8.*

2. Gradus Indifferentium, de quibus in Examine capite octavo dicitur, non duret post biennium; sed, eo exacto, determinentur ad aliquem gradum aliorum, nempe vel Scholastici vel Coadiutoris temporalis, prout Superior illos aptos esse et expedire communi bono iudicaverit. *Decr.* 52.

Versio Constitutionum. *Prooem. declar.*

3. Versio Constitutionum, a tertia Congregatione generali usque ad hanc approbata, auctoritate huius quartae Congregationis, nonnullis locis ab ipsa Congregatione ad veritatem autographi emendatis, confirmatur; et P. Generali committitur, ut secundum huiusmodi correctiones Constitutiones denuo imprimantur; et eiusmodi editio deinceps in universa Societate pro vulgata habeatur. *Decr.* 33 *et* 50; *Congr.* 3 *Decr.* 34.

Collegii aut Domus dissolutio. *P. 4 c. 2 n. 8, A.*

4. Nulla Domus vel Collegii dissolutio facienda est sine generali Congregatione, si ad illam differri ulla ratione possit. Quod si necessitas plane cogat, ius suffragii indubitatum habent ad huiusmodi dissolutionem Praepositus Generalis et omnes Provinciales. Non oportebit tamen suffragium Provincialium, qui extra Europam sunt, propter nimiam eorum distantiam, exquirere; nisi illius Provinciae, in qua esset Domus vel Collegium, de cuius dissolutione ageretur. Assistentibus vero in hoc casu, sicut et Procuratori Generali et Secretario P. Praepositi, ab hac Con-

gregatione ius suffragii datur; et ita eorum, sicut et Provincialium, sententia exquirenda erit, ac etiam duorum antiquissimorum Professorum cuiusque Provinciae; quorum omnium maior pars suffragiorum sufficit ad id statuendum, de quo deliberatur. Ita enim intelligenda est declaratio capitis secundi partis quartae littera A, cui respondet quod habetur in bulla Iulii III anni millesimi quingentesimi quinquagesimi: nimirum cum de dissolvenda Domo vel Collegio extra Congregationem per transmissas litteras agitur. *Decr.* 23 *et* 27.

Convictores. *P. 4 c. 3, B.*

5. Quamquam optandum valde esset, ut Societas, quoad eius fieri posset, Convictorum scholasticorum cura liberaretur; prudentiae tamen Generalis committitur, ut pro ratione regionum et personarum expendat quid in hac re ad maius Dei obsequium et commune Societatis bonum maxime expediat. *Decr.* 13; *Congr.* 2 *Can.* 13.

Hora precandi. *P. 4 c. 4 n. 3.*

6. Consuetudo orandi in Societate quotidie per horam integram, praeter tempus duplicis examinis quotidiani, tamquam pia et salutaris, ex huius quartae Congregationis decreto omnino retinenda est. *Decr.* 5.

Examinatores clericorum externorum. *P. 4 c. 15 n. 4.*

7. Cum in examinatione promovendorum ad ordines, curam animarum, etc. duplex fieri possit iudicium: unum de eorum in doctrina ad munus, pro quo examinantur, sufficientia; alterum de vitae ac morum probitate, et aliis, quae eos ex omni parte dignos reddere solent, ut ad huiusmodi munus admittantur: non prohibetur Nostris, quin possint in examinandi munere (si quando illud necesse sit exercere) de doctrinae sufficientia ferre iudicium; sed interdicitur solum, ne de eorum admissione decernant; cum ad eam, ultra doctrinae sufficientiam, vitae probitas ac alia requirantur, de quibus esset Nostris tum difficile, tum etiam odiosum velle iudicare. Possit tamen dispensare R. P. Generalis, ubi hoc utile et expediens esse in Domino iudicaverit. *Decr.* 63.

Nullum tempus certum admittendi ad gradus. *P. 5 c. 1 n. 3. Exa. c. 4 n. 41, 43. P. 5 c. 1 n. 3.*

8. Quod ad tempus admittendi Nostros ad status Societatis attinet, consideratis difficultatibus in contrarium allatis, Congregatio decrevit, nihil esse innovandum, et hanc rem totam P. Generalis iudicio ac prudentiae iuxta Constitutiones committendam; simulque illi commendavit, ut, quod illae hac de re praescribunt, accurate servari curet, memor hoc ad Societatis conservationem vehementer pertinere. *Decr.* 9.

Bis in anno renovatio votorum. *P. 5 c. 4, H.*

9. Nostri, qui in Domibus habitant et Collegiis, bis tantum quotannis sua vota renovent, iuxta praxim a tempore Patris Nostri Ignatii sanctae memoriae servatam. *Decr.* 55.

Vota simplicia Professorum. *P. 6 c. 2 n. 1. P. 10 n. 6.*

10. Professi trium votorum emittere debent post suam professionem vota simplicia, quae Professi quatuor votorum post suam professionem emittere solent. *Decr.* 54.

Omnes subduntur Regulis. *P. 6 c. 3 n. 3.*

11. Omnes de Societate, etiam Professi et Coadiutores formati, ad observationem omnium Regularum communium Societatis tenentur; nec id repugnat Constitutionibus sextae partis, capite tertio, paragrapho tertio. *Decr.* 22; *Congr.* 3 *Can.* 13.

Annuae litterae. *P. 8 c. 1 n. 9.*

12. Posthac ex omnibus Provinciis singulae annuae litterae mittantur Romam, ut ex illis omnibus una epistola fiat, quae ad singulas easdem Provincias mittenda sit: quae quidem conficietur ab aliquo ex Nostris ad hanc rem perficiendam idoneo, qui

sumptibus Provinciarum in Collegio romano alatur. Expensae vero ad exempla annuarum per externos describenda etiam a Provinciis solventur. *Decr.* 38; *Congr.* 2 *Can.* 28.

Procuratorum extra Europam ius in Congregatione generali. *P. 8 c. 2,* B.

13. Cum Procuratores ex Provinciis extra Europam Romam ad Generalem mittuntur, sive electi fuerint a Congregationibus provincialibus, sive a suis Provincialibus cum suis Consultoribus, qui aderunt, et caeteris omnibus praesentibus, qui in Congregatione provinciali ius suffragii habent, modo Professi sint quatuor votorum, et ad hoc electi; ius habeant suffragii in electione Generalis. Et ita declaratur decretum nonagesimum quartum secundae Congregationis, ut illi a suis Provinciis electi esse intelligantur, quicumque alterutro praedictorum modorum electi fuerint. *Decr.* 41; *in Form. Congr. prov.* § 24, 25, 26.

Hic decr. 76.

Hic n. 37, 38, 40.

Assistentium ius in Congregatione generali. *P. 8 c. 3 n. 1.*

14. Assistentes in quibuscumque Congregationibus generalibus, quacumque ratione cogantur, intersint et ius suffragii habeant auctoritate huius Congregationis. *Decr.* 45; *Congr.* 1 *Decr.* 90; *Congr.* 2 *Decr.* 1 *et* 3.

Secretarius Generalis quando ad Congregationes admittendus. *P. 8 c. 3 n. 1.*

15. Secretarius Praepositi Generalis, si sit Professus quatuor votorum, admittendus est ad provincialem Congregationem cum suffragio activo et passivo, quocumque in casu illa cogatur; non item ad Congregationem Procuratorum, qui ex Provinciis tertio quoque anno in Urbem ad Generalem mittuntur, nisi fuerit electus Procurator in Congregatione provinciali. Ad Congregationem vero generalem post electionem Praepositi, sive ille Professus sit sive non, admittendus est cum iure suffragii ad alia omnia, praeterquam ad Assistentium electionem. Et informationes tam pro Praeposito Generali, quam pro Assistentibus et Admonitore eligendis, in quatriduo ab eo, sicut ab aliis, capi poterunt. *Decr.* 11.

De iis, qui extra numerum ad Congregationem generalem vocantur. *P. 8 c. 3 n. 1.*

16. Praeter duos electos ad Congregationem generalem, cum eam Vicarius convocavit, non adducantur Procuratores, nisi Vicario et Assistentibus ad plura suffragia necessarium visum fuerit ad gravia negotia tractanda post electionem; et tunc ex omnibus Provinciis eligantur in Congregationibus provincialibus unus aut duo, ad plura medietate suffragia: qui quidem in Congregatione suffragium activum et passivum habebunt, iuxta Constitutiones, si vel Coadiutores spirituales formati, vel Professi trium vel quatuor votorum fuerint, non aliter. *Decr.* 35.

C. 2 d. 2. P. 8 c. 3, A. *P. 8 c. 6,* B.

Cogendae semper Congregationes provinciales ante generalem. *P. 8 c. 3 n. 1.*

17. Quotiescumque cogenda est Congregatio generalis, fiant semper Congregationes provinciales ad eligendos eos, qui comitaturi sunt Provincialem; et ita servanda est Constitutio octavae partis, capitis tertii, paragraphi primi, non obstante decreto tertio Congregationis secundae. *Decr.* 37 *et* 39; *Congr.* 2 *Decr.* 2.

Hic decr. 2.

Generalis nominare debet Vicarium. *P. 8 c. 4 n. 1.*

18. Sensus Constitutionis partis octavae, capite quarto, paragrapho primo, est, ut Praepositus Generalis ante obitum suum Vicarium nominet, qui morientis locum sustineat. Huius vero Constitutionis praxim Congregatio Patri nostro Praeposito serio commendat, ut scilicet, antequam ex hac vita decedat, Vicarium sibi nominet. *Decr.* 21.

Locus Procuratorum in Congregatione generali. *P. 8 c. 7 n. 2.*

19. Procuratores, qui Professi fuerint quatuor votorum, sedeant in Congregatione generali inter Electores, iuxta ordinem antiquitatis suae professionis; reliqui vero omnes post Electores hoc ordine sequantur, ut

scilicet primo loco sint Professi trium votorum, secundo Coadiutores formati, tertio caeteri omnes iuxta antiquitatem sui gradus in Societate. *Decr.* 64; *Congr.* 1 *Decr.* 45 *et* 106; *Congr.* 2 *Decr.* 87; *Form. Congr. gen.* § 6 *et* 60.

Quando Definitores eligendi. *P. 8 c. 7 n. 3.*

20. Definitores in Congregatione generali duobus in casibus eligi possunt: altero quidem, cum, rebus agitatis hinc inde in una vel pluribus congregationibus, nihil manifeste in alteram partem constitui videretur, prout in Constitutionibus habetur; altero vero ad celeriorem negotiorum expeditionem, ut citius Congregatio absolvi possit. Et quidem in priori casu, ad duas saltem tertias partes suffragiorum; in posteriori vero ad plura medietate suffragia statui oportet, an Definitores eligendi sint, necne. Ipsorum autem Definitorum electio, in utroque casu, ad plura medietate suffragia fieri debet. Et ita deinceps intelligendae et practicandae sunt Constitutiones et Decreta. Ad Definitores vero posterioris generis pertinet ea definire, quae illis specialiter Congregatio commiserit, et cum ea potestate, quam illis tunc dandam eadem iudicaverit. *Decr.* 42; *Congr.* 1 *Decr.* 46.

Declarationes Generalis sunt ad praxim. *P. 9 c. 3 n. 3. Comp. Privil. n. 286-288.*

21. Praepositus Generalis auctoritate sua ordinaria Constitutiones et Decreta generalia declarare potest. Hae tamen declarationes non habent vim legis universalis, sed valent tantum ad praxim bonae gubernationis: cum Congregationis generalis, cuius est leges condere, sit etiam eas hoc modo declarare. *Decr.* 19.

Provinciali morienti in Europa, quis succedat. *P. 9 c. 3 n. 14.*

22. Si quis Provincialium Europae moriatur, nullo successore per Generalem nominato, nec ipse Provincialis moriens aliquem Vice Provincialem designaverit; tunc Praepositus Domus Professae, vel, si plures sint Domus Professae, antiquissimus Professorum ex earum Praepositis sit Vice Provincialis, donec Generalis provideat. Quod si nulla in ea Provincia sit Domus Professa, succedat in Vice Provincialem Rector maximi Collegii, si Professus quatuor votorum sit; aut, si ille non fuerit talis Professus, sit antiquissimus similium Professorum ex caeteris Rectoribus. Si vero contingat nullum quatuor votorum Professum esse Rectorem, sit nihilominus antiquissimus Professus quatuor votorum Provinciae tantisper Vice Provincialis, quoad Generalis aut Vicarius alium nominaverit. *Decr.* 56.

Nominationes Superiorum in obitu Generalis non exspirant; *P. 9 c. 3 n. 14.*

23. Nominationes Provincialium et aliorum Superiorum ordinariorum ubivis, atque etiam Commissariorum et Visitatorum extra Europam, non exspirent per mortem Generalis, qui eos nominavit, etiam si nondum executioni mandatae fuerint, cum moritur; sed robur suum obtineant et omnino exsecutioni mandentur, quousque eius successor aliud statuerit: quamvis in Europa officium et potestas Commissariorum ac Visitatorum per mortem Praepositi Generalis exspiret. Mandata autem et ordinationes quaecumque non exspirant per obitum Generalis mandantis et ordinantis; sed robur suum obtinent et exsecutioni mandari debent, si ante eius mortem non fuerint mandata, donec successor eius aliud statuerit: exceptis illis, quibus designantur aliqui ad professionem admittendi, nisi illa designatio iam scripto missa esset a Generali ad Provincialem. *Decr.* 3.

Commissarii et Visitatoris in Europa exspirant. *C. 1 can. 33. Offic. Vic. n. 9.*

Admonitor Generalis ex quibus eli-

24. Admonitor P. Generalis eligi possit, sive ex numero Assistentium,

gendus. *P. 9 c. 4 n. 4.*

sive extra numerum eorumdem, pro uniuscuiusque arbitrio et conscientia, dummodo Professus sit quatuor votorum. Cuius officium usque ad novi Generalis electionem durat. *Decr.* 15; *Congr.* 2 *Decr.* 22.

C. 2 d. 35.

Assistentis substitutio quomodo facienda. *P. 9 c. 5 n. 8.*

25. Cum Praepositus Generalis, ob Assistentis alicuius mortem vel diuturnam propter graves causas absentiam, alium substituere voluerit; satis erit, si id faciat cum approbatione eorum tantum Provincialium, qui sunt in Europa, et solent interesse Congregationibus generalibus. Eadem quoque omnino ratio in Admonitoris substitutione servanda erit. *Decr.* 24.

Vice Praepositus Domus romanae. *P. 9 c. 6 n. 5.*

26. Pater Praepositus Generalis potest constituere pro suo arbitrio aliquem, qui sit et vocetur Vice Praepositus Domus Professae romanae, cum ordinaria Praepositorum Societatis potestate; qui habeat suos Consultores, Admonitorem et alios Officiales, ac particularem Domus gubernationem exerceat, et intersit Congregationi provinciali cum iure suffragii, sive sit Professus sive non; quamvis curandum sit, ut, quoad eius fieri poterit, sit semper Professus quatuor votorum. *Decr.* 28 *et* 32; *Congr.* 2 *Can.* 36.

Nullus Assistens sit Vice Praepositus. *P. 9 c. 6 n. 10.* * *Hic decr. 74.*

27. Ut Assistentes officio sibi commisso impensius ac melius vacare possint, iuxta nonagesimum tertium * decretum secundae Congregationis, nullus eorum posthac erit Vice Praepositus aut Minister Domus Professae romanae. *Decr.* 32; *Congr.* 2 *Can.* 37.

CANONES QUINTAE CONGREGATIONIS,

AUCTORITATE EIUSDEM CONFECTI.

(Decr. 66.)

Stipendium pro ministeriis. *Exa. c. 1 n. 3. P. 6 c. 2 n. 7.*

1. CONGREGATIO vehementer omnibus commendat exactissimam illius gravissimae Constitutionis observationem, tamquam ad maiorem aedificationem, et paupertatis nostrae sinceritatem ac puritatem retinendam pernecessariam, quae habetur Exa. cap. 1, § 3, et part. 6 cap. 2, § 7, ne pro ministeriis Societatis stipendium vel eleemosyna ulla in compensationem admitti possit: ac omnino prohibet, ne ullus Superior, ac ne ipse quidem Praepositus Generalis, in ea dispenset. *Decr.* 29.

Votum quartum Scholasticorum.

Exa. c. 1 n. 10. Exa. c. 7 n. 1. P. 5 c. 4, E. P. 4 c. 3 n. 3.

2. Promissio illa ingrediendi Societatem, quae in Formula votorum simplicium Scholasticorum habetur, votum est peculiare, a tribus aliis distinctum, quo quis se obligat ad acceptandum gradum Professorum vel Coadiutorum formatorum, prout Praeposito ad maius DEI obsequium fore videbitur. *Decr.* 5 *et* 50.

Hebraei et Saraceni a Societate excluduntur. *Exa. c. 3 n. 2.*

3. Quoniam Societatis ministeria eo maiori cum fructu in communi animarum salute procuranda exercentur, quo Nostri longius absunt ab iis hominum conditionibus, quae aliis offendiculo esse possunt; nullus omnino ex iis, qui Hebraeorum aut Saracenorum genere descendunt, deinceps in Societatem admittatur. Quod

si eorum quispiam errore aliquo admissus fuerit, cum primum de hoc impedimento constiterit, quocumque tempore ante professionem detegatur, admonito prius Praeposito Generali et exspectato eius responso, dimittatur. De qua re omnes ante admissionem perspicue admonendi erunt. Hoc autem decretum indispensabilis impedimenti vim obtineat, ita ut nullus omnino Superior, ac ne ipse quidem Praepositus Generalis, in eo dispensare possit. *Decr.* 52 *et* 53.

Maioratus. *Exa. c. 4 n. 2.*

4. Nemo deinceps, iure Maioratus gaudens in Hispania, nisi habita facultate R. P. Praepositi Generalis, in Societatem recipiatur; et is sit iis donis ornatus, ut spem magnam praebeat se post biennium probationis fore talem, qualem nostrae Constitutiones requirunt ut ad professionem trium votorum admitti queat. Ad professionem autem intelligatur admittendus, nisi qualitas Maioratus eiusmodi fuerit, ut promotio ad sacrum ordinem firmitati illius abdicationis satis sit. Tunc enim, non professio, sed ordinatio procuranda erit. *Decr.* 18.

Quando ecclesiastica beneficia resignanda. *Exa. c. 4 n. 5. Comp. Privil. n. 482, 483.*

5. Nostri, qui ante ingressum in Societatem ecclesiastica beneficia quaecumque obtinent, finito probationis biennio, prius quam vota simplicia Scholasticorum emittant, omnino resignent, non obstante canone primo primae Congregationis. *Decr.* 19.

Loca Constitutionum conciliata circa dimissionem. *Exa. c. 7 n. 2. P. 2 c. 2, B. P. 4 c. 6 n. 15, N.*

6. Loca quaedam Constitutionum circa Nostros dimittendos, quae videntur inter se pugnare, hac ratione sunt interpretanda et concilianda: ut caput 7 Exa., § 2, non loquatur de omnibus, sed de eo, qui habet maiorem propensionem ad studia, quam par est, iuxta decr. 78 quartae Congr. Locus autem part. 2, cap. 2, B, intelligatur de eo, qui in aegritudinem incidit in quocumque obsequio Societatis, postquam emisit vota, biennio exacto: is enim dimitti non potest nisi ipse contentus esset. Nam si hoc accidat in novitiatu, dimitti posset ex § 3 eiusdem cap. 2, etiamsi in ordinariis laboribus Societatis in morbum incidisset. Constitutio autem part. 4, cap. 6, § 15, N, sic intelligatur, ut, qui in Scholasticum admissus fuisset, si, emissis votis post biennium, inveniatur ineptus ad studia et ad alia domestica ministeria, possit in rigore e Societate dimitti, quia adhuc in probatione est ad ulteriores gradus; eoque magis, si illa inutilitas esset cum aliqua culpa voluntatis coniuncta. Ex aequitate tamen, si nulla sit culpa, consulatur Praepositus Generalis, ut dicit Constitutio. *Decr.* 6 *et* 50.

Hic decr. 67.

Proprietas. *P. 3 c. 1 n. 7.*

7. Verba illa Const. part. 3, cap. 1, § 7: *Doceantur omnes, quod nulla re tamquam propria uti debent,* sic intelligenda sunt, ut, qui utitur rebus suis, quacumque ratione illis utatur tamquam propriis, vel post emissa tria vota substantialia ea distribuit, vel iis se abdicat sine Superioris facultate, faciat contra votum paupertatis. *Decr.* 10, 50 *et* 59.

Ratio acceptandorum Collegiorum. *P. 4 c. 2. P. 4 c. 7 n. 1, B.*

8. Nullum Collegium deinceps admittatur, in quo Litterae Humaniores doceantur, nisi ea fundatione dotatum sit, ut triginta saltem ex Nostris in eo ali possint. Quod si praeterea tres Philosophiae cursus addi fundatores velint, eiusmodi sit, ut ex propriis reditibus saltem sexaginta sustentari queant. Ubi vero Societas alicuius Universitatis aut Generalis Studii curam susciperet, ac supra dictis scholasticam Theologiam et Sacram Scripturam adiungeret, ita

commode prospectum esse debebit, ut ad minimum centum e Nostris nutrire valeat, ut plenius in Formula explicatur. Excipiuntur tamen indicae et transalpinae regiones, de quibus nihil certi praescriptum fuit. Et nihilominus circa multiplicationem Collegiorum Congregatio commendat R. P. Praeposito quod decr. 11 * secundae Congregationis et 30 ** tertiae Congregationis generalis continetur. *Decr.* 25 *et* 69.

* *Hic decr. 8.*
** *Hic decr. 20.*

Doctrina S. Thomae sequenda. *P. 4 c. 14 n. 1.*

9. Sequantur nostri Doctores in scholastica Theologia doctrinam D. Thomae, iuxta praxim in libro de Ratione Studiorum ponendam et a P. Praeposito Generali explicandam. Neque deinceps ad cathedras theologicas promoveantur, nisi qui D. Thomae doctrinae bene affecti fuerint; ab ea vero alieni, a docendi munere repellantur. *Decr.* 41 *et* 56.

Biennium non contrahendum. *P. 5 c. 1, C.*

10. Nullo casu exerceri liceat facultatem dispensandi in contrahendo biennii spatio ad hoc, ut quispiam ante expletum biennium censeatur verus Religiosus et Scholasticus approbatus per emissa vota simplicia Scholasticorum Societatis. Nec hoc repugnat declarationi Const. part. 5, cap. 1, c, quandoquidem, ut facultas illa dispensandi, quae in ea concessa est, possit aliquando effectum habere, satis est, si exerceatur in contrahendo tempore biennii ad professionem in casu aliquo emittendam. *Decr.* 12, 13 *et* 63.

Professionis nullum certum tempus. *P. 5 c. 2 n. 1. Exa.c. 1 n.8, 12. Exa.c.4 n.16, 41. P. 10 n. 7.*

11. Cum nullum in Constitutionibus certum tempus promovendi Nostros ad gradus Societatis fixos praefixum sit, aut etiam, illis integris, praefigi possit; cum ex illis nihil aliud habeatur, quam praescribi ea, quae promotionem ad illos gradus praecedere oporteat; terminum vero ad illos promovendi nullum alium esse, quam sufficientiam promovendorum, pro qualitate eiusdem gradus, in christianae vitae puritate ac selecta doctrina satis cognitam, et diuturnis ac diligentissimis probationibus exploratam cum omnium aedificatione et satisfactione; ac denique non nisi cum Societati, vel eius Praeposito Generali (in cuius manu proprii cuiusque gradus iudicium nostri forma Instituti et Apostolicae constitutiones esse voluerunt) fuerit ab eis plene satisfactum: Congregatio, inhaerens decreto 13 quartae Congregationis, quod denuo confirmat, statuit: nullum certum tempus praedictis gradibus conferendis praefiniendum esse, aut quidpiam in Constitutionibus in hac parte innovandum; cum et nostri Instituti substantialibus hoc plane repugnet, et gravissima ad illud labefactandum incommoda ex eiusmodi determinatione necessario secutura essent. *Decr.* 37.

Hic decr. 9.

Interdicitur rerum politicarum tractatio. *P. 6 c. 3 n. 7.*

12. Ut ab omni specie mali abstineatur, et querelis etiam ex falsis suspicionibus provenientibus, quoad fieri poterit, occurratur; praecipitur Nostris omnibus in virtute sanctae obedientiae et sub poena inhabilitatis ad quaevis officia et dignitates seu praelationes, vocisque tam activae quam passivae privationis, ne quispiam publicis et saecularibus Principum negotiis, quae ad rationem Status, ut vocant, pertinent, ulla ratione se immiscere, nec etiam, quantumvis per quoscumque requisitus aut rogatus, eiusmodi res politicas tractandi curam suscipere audeat vel praesumat. Idque serio commendatur Superioribus, ne permittant Nostros iis rebus ullo modo implicari; et, si quos ad eas propensos animadverte-

rent, eos loco mutandos quamprimum procurent, si alicubi sit occasio vel periculum se eiusmodi implicationibus irretiendi. *Decr.* 47 *et* 79.

Familiaritas Principum, et saecularia negotia. *P. 6 c. 3 n. 7.*

13. Diligentissime cavendum est, ne Nostri cum detrimento spiritualis boni et religiosae disciplinae sese in familiaritatem Principum insinuent; nec aliis negotiis saecularibus, licet rerum particularium, ad consanguineos, amicos vel quosvis alios pertinentibus, occupentur (nisi forte interdum iudicio Superiorum charitas aliud suaderet), ut, a negotiis huiusmodi, tamquam a nobis alienis, abstinentes, intra nostri Instituti limites proximos nostros iuvare conemur. Quapropter Congregatio accurate commendat R. P. Generali, ut pro sua prudentia ea remedia adhibeat, quae Nostros iuvent, ut secundum nostri Instituti rationem cum Principibus viris agant; et in hoc errantes Nostros, praesertim si Superiores sint, nec non et qui per negotiationes et intercessiones externorum aliquid a Superioribus obtinere procurant, iis poenis corrigat, quas ad delinquentium emendationem et aliorum exemplum in Domino convenire iudicaverit. *Decr.* 48 *et* 80.

P. 7 c. 2, E.

Missiones commendantur. *P. 7 c. 1, 2, 3. P. 4 prooem., A.*

14. Cum missiones ex praecipuis nostrae Societatis functionibus sint, et Professorum propriae, Congregatio obnixe R. P. Praeposito Generali commendat, ut curet exsecutionem et praxim saluberrimi huius ministerii ad aedificationem et fructum animarum maiori cum diligentia posthac in Societate exerceri, et ut apti et selecti mittantur Operarii. *Decr.* 46.

Quae potestas Congregationis provincialis. *P. 8 c. 3 n. 1. P. 8 c. 5 n. 3.*

15. Provincialibus Congregationibus nulla alia potestas concedenda est, praeter eam, quam habent in Formula Congregationis provincialis, in quarta Congregatione generali confecta et approbata. *Decr.* 32.

Numerus congregandorum contractus. *P. 8 c. 3.*

16. Decrevit Congregatio numerum congregandorum in Congregatione provinciali hoc modo contrahendum esse, ut, pro eligendo Procuratore conventuri, quadragesimum numerum non excedant; nec quinquagenarium, quando ad Conventum generalem convocatur provincialis Congregatio. Et in utroque casu duae tertiae Congregatorum partes sint Professi; ita ut, praeter Provincialem et Superiores omnes locales et Procuratorem Provinciae vel maximi Collegii, conveniant tot Professi antiquiores illius Provinciae, quot ad praefixum numerum explendum sufficiant. Quod si contigerit numerum Superiorum, qui Professi non sint, ita excrescere, ut tertiam suffragiorum partem superent, tunc tot Professi addantur, servato antiquitatis ordine, quousque duas tertias partes, ut dictum est, conficiant, etiamsi hoc modo praefixus numerus excederetur. Rectores tamen Seminariorum quorumcumque in Congregatione locum non habeant. *Decr.* 38, 60 *et* 81.

Substantialia nostri Instituti. *P. 8 c. 7. C. 1 d. 16. C. 2 d. 6. Form. Congr. gen. n. 66, 68.*

17. Substantialia nostri Instituti ea in primis sunt, quae in Formula seu regula Societatis, Iulio III, Summo Pontifici, proposita et ab eo aliisque eius successoribus confirmata, continentur. Deinde ea, sine quibus illa aut nullo modo aut vix constare possunt; cuiusmodi sunt: esse aliqua impedimenta essentialia in admittendo; non esse necessarium, ut in dimittendis forma iudicialis servetur; reddendam esse Superiori conscientiae rationem; contentum esse debere unumquemque, ut omnia, quae in eo notata fuerint, per quemvis, qui extra confessionem ea acceperit, Superio-

ribus manifestentur; paratos esse debere omnes, ut se invicem manifestent debito cum amore et charitate. Et alia similia. *Decr.* 44, 45 *et* 58.

Officialium mutatio tempore Congregationis. *P. 9 c. 3 n. 3, 14, 15.*

18. Quod in can. 32 primae Congr. statuitur, non licere Generali Praeposito mutare Officiales, qui ab ipso creantur, usque ad dissolutionem Congregationis; absolute de omni Congregatione generali, quibuscumque in casibus congregata, intelligendum est. *Decr.* 23.

Assistentium votum decisivum, sicut Provincialium. *P. 9 c. 5 n. 3.*

19. Assistentes Praepositi Generalis suffragium habeant decisivum in iis omnibus, in quibus illud habent Provinciales extra Congregationem generalem. *Decr.* 16. *P. 9 c. 6 n. 10.*

Revelandi machinantes contra Institutum. *P. 10.*

20. In virtute sanctae obedientiae praecipitur omnibus, qui resciverint aut deprehenderint quoscumque machinari aliquid aut machinatos fuisse contra Institutum Societatis, ut, quam primum poterunt, Praeposito Generali tam auctores, quam vere complices fideliter deferant, ut ille pro suo officio et Congregationis generalis voluntate eos debitis poenis afficiat et a Societate dimittat. *Decr.* 54.

CANONES SEXTAE CONGREGATIONIS,

AUCTORITATE EIUSDEM CONFECTI.

(Decr. 47.)

Contra perturbatores.

* *Hic decr. 54.*

1. DECRETUM quintae Congregationis generalis septuagesimum* contra Societatis perturbatores, nuper a Sanctissimo Domino nostro Paulo v confirmatum, non modo ab hac Congregatione probatur ac renovatur; verum etiam ita extenditur, ut Nostros complectatur omnes, qui cuiuslibet, sive de Societate sive externi, opera utantur ad eiusdem Societatis pacem perturbandam. Ad haec omnibus Provincialibus praecipitur in virtute sanctae obedientiae, ut in huiusmodi homines inquirant, reosque certi criminis ad Generalem Praepositum deferant, dentque operam, ut Societas intelligat ipsos, non minus strenue quam fideliter, suo ea in re munere fungi. *Decr.* 2.

Quae suffragia ad immutandas Constitutiones.

2. De Constitutionibus immutandis si quando in Congregatione generali agendum esset, pro eo quanti illas facere par est, quae tot lacrimis tamque assiduis orationibus a B. Patre Nostro sunt conditae, tractare deinceps minime liceat, nisi prius plus quam media suffragiorum pars ea de re agendum decernat; non obstante decreto 2 * primae Congregationis generalis, tit. 2, et Congregationis secundae decreto ** 9 et 10. Ipsum vero decretum nequaquam conficietur, nisi ex tribus eorumdem suffragiorum partibus duae minimum convenerint. *Decr.* 11.

* *Hic decr. 16.*

** *Hic decr. 6, 7.*

De proponentibus contra substantialia.

3. Si quis in Congregatione provinciali aliquid fortasse proposuerit tractandum, quod vel aperte substan-

tialibus Instituti adversum sit, vel certe dubium, utrum iis aliquo modo repugnet; si etiam, ubi audiverit id, quod proponitur, Instituto plane esse contrarium, aut dubium an sit videri, iuxta Formulam Congregationis provincialis, § 30, adhuc urgeat ut de ea re agatur; in eum Praepositi Generalis iudicio animadvertendum erit. *Decr.* 12.

Hic n. 44.

Quomodo generali Congregationi proponendum.

4. Nulla provincialis Congregatio de tollendis aut immutandis Constitutionibus, vel Congregationum generalium Decretis, generali Congregationi agendum proponat, nisi aut omnibus, qui eidem Congregationi provinciali intersunt, aut ex tribus partibus duabus saltem visum fuerit proponendum. Si autem hac ratione consenserint suffragia de huiusmodi aliquo esse tractandum, nequaquam postulabitur ut Constitutiones vel Decreta tollantur immutenturve; sed solum adferentur incommoda, quae vel secuta ex eorum observatione, vel secutura videantur; ad eaque vitanda, a Congregatione generali remedium simpliciter quaeretur. *Decr.* 13.

De iuniorum segregatione.

5. Cum magnus ex iuniorum a reliquis segregatione in iis Provinciis fructus constet, in quibus ea fieri coepta est, tum ad spiritus primitias ac fervorem, quem initio hauserunt, conservandum; tum ad eos, quales Institutum nostrum postulat, effingendos; segregatio eadem huius auctoritate Congregationis approbatur et confirmatur. Commendatur praeterea Provincialibus, ut tam utile iuniorum seorsim a caeteris habitandi vivendique institutum, sicubi forte nondum coepisset, invehi atque observari curent, tum in Seminariis maxime illisque Collegiis, in quibus numerus eorum maior est; tum vero etiam in aliis, ubi commode fieri posse iudicaverint. Atque ad huius rei feliciorem facilioremque progressum Generali Praeposito commendatur, ut Instructionem aliquam conficiat. *Decr.* 16.

Ord. Gen. c. 18.

De Collegiis, quae Seminaria non habent.

6. Etsi, ad tollendos omnes scrupulos, de Collegiis, in quibus nostrorum Studentium Seminaria non sunt, retinendis, satis esse poterat perpetua atque ab ipso B. Fundatoris tempore ad hanc usque diem continuata eorumdem tum instituendorum tum retinendorum consuetudo, optima legum interpres; nihilominus tamen, cum Societas ex communicatione privilegii, a fel. rec. Iulio II Ordini Praedicatorum concessi, atque ex proprio privilegio fel. rec. Iulii III, quae in Instituto eiusque Formula dubia sunt, declarare possit: ne ullus in posterum rem eiusmodi in controversiam vocet, declarat in praesentia Congregatio, non solum Collegia, ubi Seminaria Nostrorum sunt, sed etiam alia, in quibus litterarum studia tractantur, atque ubi scholae ad proximorum utilitatem apertae sunt, Societatis Constitutionibus Institutoque esse consentanea. Et Professos atque Coadiutores formatos (de quibus maior esse poterat dubitatio; nam de caeteris scrupuli nihil subest), qui eiusmodi Collegiis, etiam ut Operarii, necessarii aut utiles sunt, in eis sustentari posse: neque propterea fieri, ut Societas professa ex Collegiorum reditibus (quod Domibus tantum Professis interdictum est) iuvetur. Curandum tamen omnino, ut Collegia inchoata perficiantur, quo vel Nostri Scholastici ibi aliquot ali, vel, si commodius Societati fuerit, in aliquibus Seminariis ex illorum contributione sustentari, vel alia ratione huic negotio prospici possit, ut R. P. Prae-

De Professorum in Collegiis habitatione.

posito Generali ad maius DEI obsequium, Societatis utilitatem, et commune Ecclesiae bonum expedire visum fuerit. *Decr.* 18.

Instructio pro Confessariis Principum confirmatur.

7. Instructio pro Confessariis Principum, a R. P. N. Generali confecta, huius auctoritate Congregationis approbatur et confirmatur. Ut autem illi integre suum obeant munus, utque nullum in Societatis ministeriis paupertatis nostrae puritas detrimentum patiatur, statuitur: Nostris, eo maxime nomine, quod cum Principibus ac viris primariis agunt vel eorum Confessarii sunt, ab iis quidquam ad proprium usum dispositionemque accipere minime licere; neque Superiores ad eam rem facultatem concedere posse; eosque, a quibus huiusmodi aliquid procuratum constiterit, esse puniendos. Idem Congregatio de aliis Confessariis, de Concionatoribus, Praeceptoribus et similibus erga poenitentes, devotos, consanguineos et amicos intelligi, maximeque ab iis observari voluit, qui in missionibus versantur. Quod si sponte ab aliquo quid offeratur, aut alicui ex Nostris mittatur; id, iuxta Regulas, in communem usum accipi ac dispensari par est. Superiorum deinde prudentiae erit videre, quid in casibus particularibus sit faciendum; ac, si qua in re dubium incidat, ad R. P. Generalem referri oportebit. *Decr.* 21.

Triduana recollectio.

8. Ante votorum renovationem vacatio per triduum instituatur. Ea huiusmodi erit, ut cessent ab omnibus occupationibus, qui ea renovaturi sunt, etiam litterariis, praeterquam a consuetis lectionibus, ubi eae habentur. Exercebunt autem se eo tempore in rebus spiritualibus iuxta Instructionem, quam ut confici curet, Congregatio R. P. Generali commendat. *Decr.* 29.

Quotannis Exercitia singuli obibunt.

9. Nostri omnes quotannis continenti octo vel decem dierum spatio Spiritualibus Exercitiis vacent. Porro illorum usus summopere Nostris a Congregatione commendatur, praecipue vero Superioribus; qui non modo caeteros suo exemplo praeibunt, sed, omnibus superatis difficultatibus, tempus singulis commodum attribuent, quo cum fructu peragantur. *Decr.* 29.

Declaratio regularum 9 et 10 Summarii. *Comp. Privil. n. 147-149.*

10. Cum observatio regularum 9 et 10 Summarii, ex cap. 4 Exa., § 8, desumptarum, ad disciplinam religiosam conservandam maxime conducat, Congregatio haec circa illas declarat:

Licet manifestare Superiori, ut patri, quodcumque delictum.

§ 1. Licitum esse omnibus Nostris manifestare Superiori, ut patri, quodcumque delictum alterius, sive leve sive grave; et hunc esse sensum regulae, cum ex illis verbis cap. 4 Exa. constet Nostros cedere cuicumque iuri famae, quod huic manifestationi obstare posset; et facultatem facere omnibus deferendi ad Superiores quaecumque de illis notata fuerint;

Quomodo defectus manifestandi.

§ 2. Verba autem illa regulae: *Per quemvis, qui extra confessionem ea acceperit,* intelligi de illis, quae ab aliquo alio notata et observata fuerint; non autem de iis, quae ipsimet secreto et consilii petendi gratia, ut dirigantur vel iuventur, alteri communicaverint;

Quando Superiori aperiendi.

§ 3. Nec opus esse Nostros exspectare ut rogentur a Superioribus ut ea manifestent, cum verba illa: *Praesertim ubi a Superiore fuerit ita praescriptum*, satis declarent debere eos esse paratos ad hanc manifestationem, non exspectato Superioris praescripto;

Ad quae aperienda teneantur.

§ 4. In delictis vero, quae vergunt in detrimentum boni communis aut damnum imminens tertiae personae (qualia sunt infectiva aliorum, et nociva bono Religionis, ut sunt lapsus

carnis cum complice, seminatio discordiarum inter Fratres, furtum, impugnatio vel machinatio contra Institutum vel Superiores, praesertim Generalem, detrahendi vel susurrandi consuetudo, et similia), non solum posse, sed etiam teneri quemque ea manifestare Superiori, ut patri, ut provideat secreto et prudenter, tam bono subditi, quam Religionis;

Quando opus erit iudiciali denuntiatione.

§ 5. Quando autem prudenter iudicaretur non posse adhiberi sufficiens remedium, quo provideatur bono communi vel tertiae personae, nisi assumatur in ea re officium Iudicis; tunc tenebitur subditus ad denuntiationem iudicialem Superiori faciendam. Quomodo autem ea in re se gerere debeat Superior, dicetur in Instructione;

Novitiis declarentur.

§ 6. Haec, quae sancita sunt a Congregatione circa regulam nonam et decimam Summarii, Novitiis ostendantur, iisdemque declarentur, iuxta regulam decimam quintam Magistri Novitiorum, inter alia, quae ipsis paulatim explicantur. *Decr.* 32 *et* 34.

CANONES SEPTIMAE CONGREGATIONIS,

AUCTORITATE EIUSDEM CONFECTI ET RECOGNITI.

(Decr. Ms. 130.)

Dies confirmationis Societatis.

1. VIGESIMUS septimus dies Septembris, Divis Cosmae et Damiano sacer, in memoriam natae confirmataeque tunc primum Societatis, ea a Nostris veneratione colendus erit, ut Patres Sacra omnia eo die peragenda, reliquique rosarium aliasque preces ac communionem sacram DEO pro tam felicibus initiis prosperisque successibus offerant. *Decr.* 54.

Ieiunium in pervigilio B. P. Ignatii.

2. In pervigilio B. Patris Nostri ieiunium per universam Societatem servetur. *Decret.* 16.

Reliquiae.

3. Nemo localium Superiorum, Provincialium, aut Visitatorum etiam, Sanctorum reliquias, Domibus Collegiisque applicatas, quacumque ex causa Nostris aut externis largiatur, aut sibi usurpet. Si quis aliud fecisse deprehensus fuerit, iudicio Patris nostri pro rei gravitate puniatur. *Decr.* 28.

Exercitia Spiritualia.

4. In annua recollectione, quae ab omnibus fieri debet, ab omni occupationum genere abstineant; caveantque Superiores, ne vel ipsi vel alii eo tempore ullis negotiis, ac ne confessionibus quidem excipiendis, aut habendis concionibus occupentur. *Decr.* 25, § 4.

Quadrans ante examen.

5. Ante nocturnum conscientiae examen integer supersit quadrans, qui lectioni spiritualis libri praeparationique ad matutinam meditationem ab omnibus impendatur. *Decr.* 25, § 3.

Nemo ad ianuam tempore examinis.

6. Nemo, orationis aut examinis tempore, ad portam aut ecclesiam sine expressa Superioris facultate evocetur, nisi solemnioribus diebus, quibus confessionibus in templo vacatur. Omnes vero orationis tempore, quantum negotiorum magnitudo pa-

tietur, ab omnibus se occupationibus expediant, et tempore ad orationem se recipiant. *Decr.* 25, § 2.

Visitatores in oratione.

7. In singulis Domibus designandus vir fidus, qui orationis tempore omnes visitet, etiam illos, quibus quiescendi tempus a Superioribus prorogatur; nullius autem voluntati prorogatio haec permittenda erit, sed certum omnibus surgendi orandique tempus statuendum; iis etiam, qui domesticis occupationibus orationis tempore distinentur (quales sunt coquus, ianitor, aedituus similesque) certa meditationis hora assignetur, certusque a quo id temporis visitentur. *Decr.* 25, § 1.

Cessatio recreationis.

8. Feria Quarta, post decantatas tenebras, usque in Feriam Sextam Hebdomadae Sanctae inclusive, in Dominicae Passionis venerationem ab omni recreatione abstinendum erit. *Decr.* 34.

Exsequiae in obitu Generalis.

9. Ubi primum certi aliquid de Generalis morte per Provincias constiterit, officium pro defunctis Sacrumque in singulis domiciliis solemne, consueto Societatis locique more, cantandum vel dicendum; Sacrumque eodem etiam die, praeter ea, quae a Vicario indicta, a reliquis faciendum, cenotaphio pro religiosa Societatis modestia in templo excitato. *Decr.* 5.

Ordinationes et concessiones Generalis.

10. Demortui Generalis Ordinationes, responsa ad Provincias, privilegia, particulares concessiones, eiusque generis alia, eamdem vim habent, quam vivo Generali habebant, donec a successore revocentur. *Decr.* 72.

Facultates a Superioribus concessae.

11. Qui Superiorum munus obeunt, maxime vero Provincialium, tenebuntur, uti primum illis commodum fuerit, subditos praesentes et coram monere, ut privilegia et facultates a praedecessoribus concessas aperiant, ut illas ipsi vel confirment vel abrogent, prout in Domino expedire iudicaverint. Usque ad quam denuntiationem facultates omnes in suo robore manebunt: qua peracta, si subditi illas non aperiant, pro abrogatis de facto habendae erunt. Facultates, etiam a Visitatoribus concessas, tenebitur quisque Provincialibus rogantibus aperire. Has tamen illi, nisi Generali admonito, revocare non poterunt. *Decr.* 36.

Annui reditus pro Domibus Professis.

12. Si quis annuos perpetuos reditus aut stabilia quaecumque bona Collegio donaret aut legaret, cum onere partem aliquam proventuum illorum annue in perpetuum Professae Domui numerandi; nullo modo proventus hi perpetui a Professa Domo admittendi essent, quod ea res cum peculiari paupertatis Professorum voto illiusque puritate pugnare, ianuamque laxandae paupertati aperire videatur. *Decr.* 50.

Negotia ad rationem Status pertinentia.

13. Inter negotia ad rationem Status pertinentia, quibus miscere se Nostri canone 12 Congregationis quintae generalis sub praecepto prohibentur, iuxta explicationem R. P. Claudii, numerari non debent quae pertinent ad solam conscientiam directionemque Principum, qui consilium a Nostris petunt; sed illa omnia, quae a spirituali instructione diversa sunt, qualia sunt: quae ad Principum inter se foedera, vel ad regnorum iura et successiones pertinent, vel ad bella tam civilia quam externa. Ac si quis publicis harum similiumque rerum consiliis interesset, aut tractandis iis operam re ipsa impenderet, contra 12 canonem Congregationis quintae fecisse censendus esset. *Decr.* 46.

Nulli certus socius.

14. Nulli Patrum quacumque ex causa certus stabilisque Coadiutor

concedatur; sed quandocumque contigerit aliquem alicuius opera egere, talem Superiores, pro negotiorum temporumque ac occurrentium necessitatum varietate, e domesticis assignent, quem ad id muneris commodissimum iudicaverint, ita ut nec ad egrediendum quidem Domo idem semper tribuatur. Visitatoribus tamen et Provincialibus stabilis Coadiutor negandus non erit. *Decr*. 29.

Gradus acceptatio quando obligat.

15. Omnes, vi quarti voti in Congregatione quinta explicati, Praeposito Generali, certum gradum imponenti, obedire tenentur. Rationes tamen, quas consueto Societatis more quilibet proponere volet, scripto proponendae in posterum erunt. Quibus examinatis, si in sententia Generalis perseveraverit, certumque absolute gradum statuerit, licet non addat obedientiae praeceptum, tenebitur talis imperatum gradum suscipere, ut, si non fuerit obsecutus, censendus sit in malo statu esse, et a Sacramentorum usu ac administratione repellendus. *Decr*. 32.

Evulgatores rerum secretarum.

16. In eos, qui in consultationibus, examinibus ad studia et professionem, in informationibus ad gradus et gubernationem, in Congregationibus tam provincialibus quam generalibus peracta evulgant, diligenter inquirant Superiores; repertosque pro rei gravitate culpaeque magnitudine pro arbitrio suo puniant, etiam usque ad muneris Consultorum aliorumque non inferiorum privationem. *Decr*. 23.

17. § 1. Omni omnino bonorum administratione, ut primum Novitiatum ingressi fuerint Nostri, se exuant; quorum administratio ei Provincialis iudicio committenda, qui maiori eam fide tractaturus videbitur.

§ 2. Quo tempore nihil Nostri ex annuis suorum censibus sola voluntate sua in proprios, in Nostrorum, in Collegiorum usus convertere poterunt; ad pias tamen causas locaque per modum eleemosynae, Provinciali annuente, quaedam e proventibus annuis donare non vetantur.

§ 3. Bonorum vero quorumcumque dominio sive realium sive personalium, eorumque sive perpetuorum sive vitalitiorum, quando per aetatem patriasque licebit leges, iureque etiam successionis omni, cum id Pater noster imperaverit, exuere se Nostri teneantur.

§ 4. Pensionibus tamen ecclesiasticis et similibus generum horum, cum ita personalia sint, ut super Nostrorum personis constituantur, abdicare se in solidum Nostros non expedit: Patris tamen nostri iudicio annua illorum distributio committenda, nullaque talium administratio possessoribus admittenda.

§ 5. Quadriennio tamen a Societatis ingressu, bonorum Nostris possessio conceditur; quam nulli, praeterquam Generali, idque in gravibus causis prorogare liceat. Cuius prorogationis tempore nihil ex annuis proventibus possessionibus illorum accrescet, sed in pias causas annui hi fructus, Provincialis iudicio, impendentur.

§ 6. Si, ante quadriennii expletionem, perfectionis studio abdicare se quis in solidum bonis in Nostrorum usum voluerit; solius Patris nostri iudicio abdicatio talis permittitur. Quod si id temporis ad pias externorum causas proprietate aut annuis proventibus exuere se vellet, impediendus non erit. *Decr*. 17.

Tribunalia.

18. § 1. Nemo Nostrorum, ex quacumque propinquorum aliorumve

causa, tribunalibus se sistat, litesve dirigat aut prosequatur, curam administrandi illorum bona suscipiat, ad ecclesiasticas aut saeculares dignitates muniave promoveat sine expressa Generalis Praepositi facultate, quam illi soli Congregatio voluit reservatam.

Pia negotia.

§ 2. In aliis piis propinquorum, benefactorum Societatis, pauperum similiumve commendationibus, nihil sine Superioris loci facultate tentandum erit: qui in rebus alicuius momenti de iis, quae moram non patiebantur, a se concessis certiorem Provincialem faciet; in iis autem, quae moram patientur, pro impetranda facultate referet ad Provincialem: qui et ipse, si tantam res moram ferant, in gravioribus ad Generalem recurret; si acceleratione opus erit, permittere rem poterit; permissionis tamen causam remque ipsam Generali prima data opportunitate indicabit. *Decr.* 13.

Patrocinia et intercessiones externorum.

19. § 1. Licet peculiari praecepto, sub mortali obligante, aut gravioribus censuris, ne Nostrorum quispiam apud Superiores externorum sibi patrocinia aut intercessiones paret, non visum fuerit in praesentiarum inhibere: pro delicti tamen qualitate graviter a Superioribus tales puniendi; ut a re praetensa, atque certum etiam tempus ab omni in Societate digniore munere obeundo, vel vocis tam activae quam passivae iure, si quod habent, excludantur.

§ 2. Quod si qui, inscii, patronos hos patiantur, ubi primum studia molitionesque talium intellexerint, teneantur illorum consilia Superioribus aperire conatumque quantum poterunt impedire; quod si neglexerint, erunt pro rei magnitudine Superiorum arbitrio puniendi, iisdemque legibus ac poenis subiacebunt, qui, intercessionum harum conscii, silentio eas premunt, nec ad Superiores deferunt. *Decr.* 20.

Delatores.

20. Qui temere et ex inanibus suspicionibus, vel ex alia quapiam minus probata causa, verbo scriptove falsum alteri crimen imponunt; quique graves Nostrorum defectus occultos aliis quam Superioribus aperiunt; severe pro delicti qualitate puniantur: qua in re Superiorum conscientia oneratur, ut serio in auctores inquirant, nec publice etiam in publicis delictis parcant. Qui vero auctores manifestare recusaverint, pro auctoribus habendi, eademque poena mulctandi erunt. Caveant etiam Superiores, ne faciles delatoribus aures praebeant; disquirant singula, donec in delatae rei cognitionem veniant, ut aut innocentem liberent, aut noxium falsumque delatorem pro rei magnitudine puniant. *Decr.* 12.

Quomodo scribendum ad mediatos.

21. Nemo ad mediatos Superiores dicta factave aliorum deferat, ni prius immediatos per se aliosve iuxta bene ordinatae charitatis et prudentiae leges monuerit; addatque in iis, quas scribit litteras, monuisse se, nec emendationem secutam: nisi graves causae ordinem hunc suaderent invertendum, quod ubi acciderit, ordinis transgressi causas aperiet. *Decr.* 12.

Dimissionem petentes.

22. § 1. Qui, ad Societatis ministeria idonei, dimissionem ab ea, nulla iusta adducti causa, petunt, praetensae suae dimissionis rationes cum propriae manus subscriptione Provinciali tradent, addentque nullas sibi alias superesse. Quas Provincialis serio cum Consultoribus examinatas, iudicioque suo et illorum addito, ad Praepositum Generalem mittet, quas si non probaverit, perpetuum talibus sub praecepto silentium Provincialis

indicat; non obtemperantes pro delicti qualitate puniat, publica etiam in publicis culpis animadversione: certoque sibi persuadeant tales, ni Superioribus acquiescant, securos se in conscientia esse non posse, sed mortali culpae, quamdiu illa animi obstinatione tenentur, subiacere. *Decr.* 22.

Recursus ad externos.

§ 2. Imponitur praeceptum, lataeque infertur sententiae excommunicatio, Provinciali reservata, tam in illos, qui inconsulto Provinciali externos de dimissione sua in consilium adhibent, quam in illos, qui externorum auxilio et intercessione ad dimissionem a Superioribus impetrandam utuntur. Addanturque pro Provincialis arbitrio poenae; longeque illis difficilior ad dimissionem pateat aditus. *Decr.* 22.

Cogendi ad aliam Religionem.

§ 3. Illis, qui sola importunitate, cum alia nulla iusta causa subsit, dimissionem deposcunt, nulla in posterum, nisi cum obligatione aliam Religionem intrandi, in qua regularis vigeat observantia, concedatur, quod et patentibus inseratur; ac non nisi rarissime et ob gravissimas omnino causas permittendum, ut, liber ab omni votorum obligatione, ad saeculum redeat. *Decr.* 22.

Obtendentes causas falsas.

§ 4. Quicumque e causis aut non veris, aut, si veris, e gravibus delictis ea mente perpetratis dimissionem impetrarunt; certo sibi persuadeant nullo se modo tutos in conscientia fore; omnemque hanc facultatem in conscientiae foro irritam ac nullam esse; omnibusque se apostatarum poenis ac censuris subiacere. Quae res si in exteriori foro constiterit, poterunt Superiores in illos, tamquam veros apostatas, iuxta Societatis privilegia et sacrorum canonum dispositionem procedere. *Decr.* 22.

Obtendentes causas secretas.

§ 5. Qui ad dimissionem secretas obtendunt causas, quibus se ineptos ad religiosae disciplinae votorumque observationem contendunt; illas ipsi, iudicio Patris nostri, Provinciali et immediato Superiori suo vel alteri indicare tenebuntur; quo, rebus omnibus serio examinatis, maturius certiusque aliquid de neganda vel concedenda dimissione statuere Pater noster possit; qui, si renuant praedictis Patribus secretas illas causas aperire, omni obtinendae dimissionis spe careant. *Decr.* 22.

Puniantur ante dimissionem.

§ 6. Qui ob grave delictum publicum e Societate dimittuntur, pro culpae prius qualitate Superiorum arbitrio puniantur, etiam inclusione, ubi id usus et consuetudo obtinuit. *Decr.* 22.

Profugi a Societate.

§ 7. Profugientes a Societate quo facilius dimissionem obtineant, nec Romae facile a Patre nostro audiendi, nec sine poena, pro delicti qualitate Patris nostri iudicio in Provincia infligenda, dimittendi. *Decr.* 4.

Votum quartum spectat etiam ad Coadiutores.

23. Promissio Societatem ingrediendi, quae simplicium votorum Formula continetur peculiarisque voti vim habet, Coadiutores etiam temporales complectitur. *Decr.* 39.

Coadiutorum pileus et vestitus.

24. Servetur in Coadiutoribus regula custodis vestium, ut sottana dimidio palmo breviore, pallio sottanis etiam breviore utantur. Iis vero, qui in posterum ad Societatem venturi sunt, omnis clericalis pilei usus, quo Sacerdotes et Scholastici utuntur, interdicitur, adempta Superioribus omnibus, etiam Generali, dispensandi facultate; ita ut indispensabilis haec res decreti vim obtineat. *Decr.* 24 *et* 27.

Canonum conciliatio.

25. Cum canon tertius Congregationis primae dicat, Generalis esse Regulas condere, intelligendus de

Regulis est, quae ordinationum vim habent, et non uno Constitutionum loco pro eodem sumuntur; quas ut condere, ita et abrogare a Generalis voluntate pendet. Cum vero canon 21 Congregationis quartae generalis, Congregationis esse dicat leges condere, de iis loquitur, quae vim Constitutionum et Decretorum generalium habent; quorum, universam Societatem obligantium, abrogatio a sola generalis Congregationis potestate dependet. Atque ita duo hi canones, qui a nonnullis pugnantia continere videbantur, nullo negotio conciliantur. *Decr.* 76.

Impedimenta irritantia.

26. Impedimenta primi generis et ordinis quinque, quae essentialia Societatis impedimenta quinta Congregatio vocat, irritantia sunt vota simplicia et quamcumque insequentem professionem aliam; quo fit, ut, qui illis tenentur, inhabiles et incapaces ipso facto ad Societatis ingressum et admissionem sint, et ad quamcumque valide edendam in illa professionem. *Decr.* 42.

CANONES OCTAVAE CONGREGATIONIS,

AUCTORITATE EIUSDEM CONFECTI ET RECOGNITI.

(Sess. 128, die 13 April.)

Munus docendi.

1. Munus docendi Grammaticam et Litteras Humaniores, eo fine ac modo, quo Societas suscepit docendas, proprium est ipsius ministerium, nec certo temporis spatio definitum, nec certis personis addictum; sed, quamdiu Superioribus in Domino videbitur, etiam a Sacerdotibus, atque etiam Professis exercendum. *Decr.* 8.

Cogantur Congregationes provinciales more solito.

2. Cogantur Congregationes provinciales quolibet triennio, more solito; et in tertio, quo post ultimam generalem coacta fuerit, eligantur Deputati Romam ituri cum suo Provinciali ad Congregationem generalem, ex Constitutione Summi Pontificis quolibet novennio convocandam. *Decr.* 10.

Non electo Superiore, loco ipsius Minister.

3. Absente vel moriente Superiore alicuius loci, huius cura ad Ministrum pertinet, etiam in Domibus Professis, quamvis ipse Professus non sit. Licebit nihilominus Superiori, cum Domo aut vita excedit, alium nominare, qui eam curam habeat, si Provincialis cito moneri non possit, aut alia gravis causa id suadeat. *Decr.* 20.

Renovatio votorum potest habere vim primae nuncupationis.

4. Quod in Constitutionibus dicitur: *Renovare vota non est obligatione nova se obstringere, sed eius, qua obstricti sunt, recordari;* intelligendum est (ut hactenus intellectum fuit) quando renovatio priori supervenit obligationi; non vero quando nullam invenit obligationem. Et hoc ipsum in regulis Magistri Novitiorum exprimendum est, et ab eodem Magistro aperte explicandum Novitiis, cum vota post biennium debent emittere; ut intelligant renovationes votorum, a se deinceps de more Societatis

faciendas, habere vim primae nuncupationis, si forte, ex defectu aetatis, biennii aliisque similibus iam cessantibus, prima vota vim suam non obtinuerint. *Decr*. 22.

Absolutio reservatorum in parvis Collegiis et Residentiis.

5. Cum in parvis Collegiis aut Residentiis, in quibus quatuor aut quinque morantur ex Nostris, difficile possit Confessarius, salvo sigillo, ad Superiorem recurrere pro facultate absolvendi a reservatis; absolvat cum onere praesentandi se Provinciali aut alteri Superiori, si brevi sit in eius Collegium aut Domum discessurus. *Decr*. 25.

Professio in manibus Praelati.

6. Professio emissa in manibus alicuius Praelati, cui honoris causa Provincialis id detulit, cum ipse praesens esset, vel praesentes alios Professos haberet, nullius est valoris ob defectum potestatis in admittente; quia facultas Provincialibus delegata, ex Generalium intentione non semel eorumdem responsis expressa, ad eiusmodi casum non extenditur. *Decr*. 34.

Absolutio reservatorum quoad Superiores locales.

7. Facultas absolvendi a reservatis Superiores locales, si quando (quod Deus avertat) in aliquem inciderent, committatur libere uni ex Confessariis Collegii vel Domus, a Provinciali designando. *Decr*. 25.

Quoad Provincialem.

8. Denique similis facultas absolvendi Provincialem eius Socio absolute conceditur. *Decr*. 25.

Quando Provincialis admittere potest ad Probationem et ad vota.

9. Provinciales sine Generalis dispensatione non habent facultatem admittendi ad probationem ante 15, nec ad vota Societatis ante 17 expletos annos; ita ut irritum sit defectu potestatis quidquid contra fuerit factum. *Decr*. 35.

Examinatores ad professionem explicent suffragium.

10. Examinatores ad professionem suo in suffragio explicent, an saltem mediocritatem attingant illi, qui non habent tantum doctrinae, quantum necessarium est ad professionem quatuor votorum; ut videant Superiores, num habenda sit ratio aliorum talentorum. *Decr*. 37.

De iuramento circa aptitudinem docendi.

11. Quod dicitur in Formula iuramenti eorumdem Examinatorum de doctrina necessaria ad Philosophiam ac Theologiam cum satisfactione docendam, intelligendum est in iis locis, in quibus est idoneorum auditorum ac disputantium concursus. *Decr*. 37.

Suffragia quae ad professionem et Theologiam.

12. Nemo deinceps censeatur habere doctrinam necessariam ad professionem quatuor votorum, qui non tulerit quatuor Examinatorum tria suffragia clara, et minime dubia. Totidemque requirantur, ut auditores Theologiae a secundo ad tertium, et a tertio ad quartum annum pergere possint. Nam, ut a primo ad secundum transeant, duo sufficient. *Decr*. 37.

Theses professionis.

13. In examine ad professionem assignandae sunt theses a Superiore cum Praefecto; et omnibus ad sese parandos praescribendi quatuor menses: ultra quos si differatur examen, conclusiones ab eodem Superiore cum Praefecto mutandae erunt. Singuli autem (licet non necessario a singulis) tam in Philosophia quam in Theologia examinandi erunt. *Decr*. 37.

Mediocres in Theologia.

14. Provinciales statuere possunt, ut, qui in Theologia mediocritatem attigerint, in eo studio progrediantur, modo praeclara ad gubernandum aut concionandum talenta habeant. *Decr*. 37.

Examen metaphysicorum.

15. In examine Metaphysicorum, quinque de eorum doctrina iudicium ferent; et necessaria erunt tria suffragia, ut ad Theologiam admittantur. *Decr*. 37.

Exercitia Spiritualia.

16. Superiores locales nemini ab Exercitiis Spiritualibus quotannis per octiduum obeundis immunitatem dare

possunt; et soli Provinciales rationes audiant, quibus aliquis videatur excusandus. *Decr.* 38.

Puncta meditationis pro Fratribus. 17. Puncta matutinae meditationis omnibus Fratribus Coadiutoribus dentur a Praefecto rerum spiritualium, vel alio a Superioribus designato. *Decr.* 38.

Commutatio legatorum. *Comp. Privil. n. 119, 120.* 18. Facultas commutandi legata, vel etiam a viventibus donata, de qua est mentio in Compendio privilegiorum verbo *Commutatio*, § 4, reservatur Generali. *Decr.* 41.

Mortuo vel impedito electo pro Congregatione generali. 19. Mortuo vel legitime impedito et declarato, durante Congregatione provinciali, aliquo ex electis pro Congregatione generali, eligendus est alius, postremo loco substituendus. *Decr.* 42.

Triennium Superiorum localium. 20. Officium et auctoritas Superiorum localium, atque adeo triennium eiusmodi praefecturis definitum inchoatur a die authenticae renuntiationis ipsorum in Collegio vel Domo, quibus praeficiuntur; sive ipsi praesentes sint, sive absentes. *Decr.* 43.

Dimissiones quoad Vicarium. 21. Mortuo Generali, Vicarius habeat potestatem dimittendi e Societate Professos et Formatos; qua non nisi ex causis gravissimis, et ad plura cum Assistentibus suffragia uti possit. *Decr.* 46.

Procurator Generalis supra numerum. 22. Procurator Generalis Societatis in Congregatione provinciali suffragium activum habeat supra numerum. *Decr.* 48.

Superior primariae Indiarum Residentiae. 23. Ex omnibus Superioribus Residentiarum indicarum (quas alicubi vocant Doctrinas), ei, qui primariam, Provincialis iudicio designandam, administrat, liceat adesse Congregationi provinciali supra numerum, quando iure antiquitatis interesse non potest. *Decr.* 51.

Superior Missionis hollandicae. 24. Id ipsum, et eadem ratione conceditur Superiori totius Missionis hollandicae. *Decr.* 51.

Iudicium de impedimentis. 25. Cum Provincialis cum suis Consultoribus, qui aderunt, et caeteris omnibus praesentibus, qui in Congregatione provinciali ius suffragii habent (excluso iuxta Formulam eo, de cuius impedimento agitur, et in posterum etiam eo, qui proxime subrogandus est, si prior impeditus censeatur), iudicat impedimentum adeundi Congregationem generalem esse legitimum, et adesse congruum tempus ad hoc ipsum iudicium de impedimento ferendum, tali iudicio acquiescendum est, nec censendum ius ullum ad Congregationem generalem aut Procuratorum sic iudicatis relinqui; uti etiam, qui ab adeunda Congregatione provinciali praedicto modo censentur impediti, omni iure excidunt ad eam accedendi; et, si re ipsa veniant, admitti non debent. *Decr.* 52.

Qui admitti non debeant in Congregatione provinciali. 26. Procuratores Indiarum, qui in Provinciis Lusitaniae ac Baeticae commorantur, minime admittendi sunt ad Congregationem provincialem pro generali futura convocatam, eo solum nomine, quod Procuratores sunt. At vero admitti debent, si sint quatuor votorum Professi, et ratione antiquitatis haberent ius suffragii in illis Provinciis, in quibus versantur, et in suis etiam, si adessent. *Decr.* 53.

Contractus quoad Provinciales. 27. Provinciales facultatem habent faciendi contractus in bonum Provinciae, vel Collegiorum, aut Residentiarum suarum; sicque intelligenda est regula Provincialis 9. At, quamvis id valide possint, nullo tamen modo facere debent, contradicente aut etiam inconsulto Superiore locali, nisi urgens necessitas contrarium suaderet; in quo casu monere

debebunt Generalem quas ob causas id fecerint. *Decr.* 54.

Declaratio cap. primi § 14 Ord. Generalium.

28. Quod praescribitur capite 1, § 14 Ordinationum Generalium, Collegia, quae possunt alere 12 Scholares, nullas eleemosynas admittere posse, non aliam obligationem, quam simplicis Constitutionis inducit. *Decr.* 59.

CANONES NONAE CONGREGATIONIS.

Perturbatores Societatis.

1. Qui Societatem eiusque vivendi aut gubernandi modum, vel Superiores libellis scriptis aut impressis traducunt; quique ita palam ac passim de Instituto obloquuntur, ut censeri possint velle alios in suam sententiam pertrahere; Societatis perturbatores, et poenis in perturbatores constitutis obnoxii censeantur. Idem statuendum de iis, qui per factiones et auxilia externorum novas Provinciarum divisiones extorquere, aut legitimas impedire conantur. *Decr.* 5 *et* 25.

Fugitivi excommunicati ipso facto.

2. Fugitivi Societatis ipso facto excommunicationem incurrunt. *Decr.* 27.

Professi tenentur ad denuntiandos ambientes, etiam non Professos.

3. Professi omnes, vi voti, quod emittunt, denuntiandi ambientes, tenentur ad denuntiandos omnes, etiam non Professos. *Decr.* 13.

Praecepta Superiorum durant, donec revocentur.

4. Praecepta in virtute sanctae obedientiae particularibus personis imposita, mortuis vel officio defunctis iis, qui imposuerant, vim suam retinent, donec a successoribus vel eorum Superioribus revocentur. Monentur tamen Superiores, ne sine gravi causa talia praecepta imponant. *Decr.* 12.

Casus reservati.

5. Intelligant Nostri, casus omnes in decreto Clementis VIII reservari permissos, esse et hactenus fuisse in Societate reservatos. *Decr.* 43.

Declaratio authentica Superiorum.

6. Authentica Superioris declaratio, unde triennium incipit, si in loco, ubi praeficitur, fieri non possit, et necessitas urgeat; fiat ubi maior pars subditorum reperitur; vel, si id nequeat, ubi Provinciali videbitur. *Decr.* 10.

De Provinciali inutili intra Europam.

7. In Provinciis Europae, extra Italiam et insulas adiacentes constitutis, si Provincialis inutilis ad gubernationem Provinciae indubitato omnium Consultorum iudicio censeatur, nec possit aut velit Vice Provincialem nominare, regendam Provinciam suscipiat qui de iure mortuo succederet: qui tamen in iudicio eiusmodi, etiamsi Consultor sit, locum non habebit. Ad Consultores, si absint a loco, ubi Provincialis degit, Superior eiusdem loci et socius Provincialis informationem mittent. *Decr.* 11.

De Provinciali vel Visitatore inutili in Indiis.

8. § 1. In Indiis, si eiusmodi casus accidat, Visitator de tota re, auditis Consultoribus, iudicet: nullo autem Visitatore exsistente, Consultoribus addantur tot Professi antiquiores praesentes aut viciniores, quot ad conficiendum septenarium necessarii erunt; monente caeteros socio Provincialis, vel, si is absit, inter praesentes Professos antiquissimo.

§ 2. De Visitatore, in simili casu,

totidem eodem modo iudicent; inter quos, quoad fieri poterit, sit Provincialis, cum unico tamen suffragio, cuius erit monere caeteros; eique iudicio omnes Provinciae, quarum Visitator est, acquiescant.

§ 3. Ut vero Provincialis in hoc iudicio seu Visitator censeatur inutilis, quinque saltem consentire debent: quo casu aperiantur ab iisdem litterae sequentis gubernationis, et exsecutioni mandentur; quae si nullae sint, in Provincialis munere succedet qui de iure debet; Visitatoris vero munus omnino cessabit. *Decr.* 40.

Declaratio muneris ordinarii.
* *Hic decr. 59.*

9. Munus illud ordinarium, quo Congregatio septima, decreto 72 * Ms., ait aliquem alicui Provinciae a Patre nostro applicari; est quodcumque Societatis fixum et stabile ministerium ab eodem impositum, ad eam tamen Provinciam, cui fit applicatio, proprie spectans: sive ad definitum tempus imponatur, quale est Provincialis, Praepositi, Rectoris, etc., sive ad tempus indefinitum, quale est munus Procuratoris, Lectoris Theologiae, etc. Absoluto autem munere, quod praefixum a iure vel consuetudine terminum habet, applicatio cessabit: ex mutatione aliorum non item. *Decr.* 33.

Vice Praepositi vel Vice Rectores non succedunt Provinciali morienti.

10. Mortuo Provinciali sine designatione Vice Provincialis, non succedit illi Vice Praepositus, aut Vice Rector maximi Collegii: succedent alii, quibus id de iure competit, ac si ipsi non essent. *Decr.* 35.

De Electoribus Vicarii.

11. Mortuo Generali sine nominatione Vicarii, ius eligendi Vicarium habent Professi, qui apud Generalem sunt, hoc est, qui in eadem urbe fuerint. In eiusmodi vero electione Assistentes, quotquot praesentes ibidem aderunt, seclusa etiam professionis antiquitate, locum intra numerum habent. *Decr.* 34.

De supplendo loco Provincialis absentis in Congregatione generali.

12. In Congregatione generali, absente ab initio quacumque ex causa Provinciali, in eius locum succedat ex praesentibus Electoribus et inter Provinciales sedeat, qui de iure illi mortuo succederet; servato tamen loco Provinciali et cuicumque alteri potius ius habenti, si postea advenerit. *Decr.* 16.

De Procuratoribus Indiarum.

13. Procuratores Indiarum, quamdiu ex consensu Patris nostri in Europa manserint, officium retinebunt, et ius ad Congregationes generales, etiamsi uni interfuerint. At, ubi alius Procurator ex eadem Provincia advenerit, prioris procuratio cessabit, et omne ius, quod illi competit, ut Procurator est, abstrahendo ab omni alio iure, si quod est. *Decr.* 36.

Subrogatio in locum absentis in Congregatione provinciali.

14. Subrogatio in locum absentis, in Congregatione provinciali locum habeat, donec omnes omnino electiones perfectae sint, etiam Substitutorum. *Decr.* 9.

De Assistentibus officio defunctis.

15. Assistentes officio perfuncti ad Congregationes omnes provinciales suae Assistentiae admitti debent, etiamsi forte per antiquitatem professionis locum in illis non haberent: sed in hoc tamen casu, extra numerum. *Decr.* 15.

De iure Visitatoris ad Congregationem provincialem.

16. Visitator, Generali demortuo, si adire voluerit Congregationem Provinciae, in qua tum fuerit, extra numerum ingredietur. Admitti vero in illam tum solum debet, quando et in illa Provincia, si ex ea esset, suffragii ius ratione professionis haberet, et in sua itidem, si adesset. Rediens ad suam, non nisi posita professionis antiquitate, et intra numerum in Congregatione locum habebit. *Decr.* 28.

De appellatione

17. Si contingeret aliquem esse

vel recusatione Iudicum in Congregatione provinciali.

reum de ambitu in Congregatione provinciali, Iudicum sententiae sine appellatione acquiescere debet: de iniuria tamen (si factam sibi existimet) licebit illi apud P. Generalem expostulare. Recusans aliquos ex Iudicibus ordinariis, a reliquis (vocatis in recusatorum locum totidem antiquioribus Professis) de recusandi causa audiatur; et, si haec iusta videbitur, ab iisdem de ambitu iudicetur: alioqui ad Iudices designatos in Formula reiiciatur. *Decr.* 20.

Informatores quatuor tantum.

18. Cum usus habeat, ut ad informationes, tam ad gubernandum quam ad gradus, quaterni tantum informatores adhibeantur; hic numerus retineatur. *Decr.* 37.

Proponendi ad professionem quatuor votorum superent mediocritatem in virtute.

19. In conficiendis informationibus ad gradum, illud accurate ab omnibus expendatur, an is, de quo agitur, in virtute mediocritatem excedat, deque eo capite privatis in litteris Provincialis et Consultores distincte Patri nostro perscribant. Excedere autem ille tantum censendus est, qui, ut plurimum, secundum virtutem operatur, et putatur in difficilioribus idem servaturus; leviores culpas vitat, admonitiones et poenitentias libenter sustinet, iisque corrigitur; Superioribus denique ac domesticis in moribus satisfacit. *Decr.* 6.

Tempus proponendi ad professionem quatuor votorum.

20. Provinciales, ordinaria lege, in proponendis ad professionem quatuor votorum hanc regulam observabunt: ut eos, qui ante ingressum in Societatem studia omnia absolverunt, ante decimum annum currentem; eos vero, qui studia omnia in Societate peregerunt, ante decimum septimum annum currentem, non proponant, neque ulterius differant; reliquos, qui studia Philosophiae aut Theologiae, partim ante ingressum in Societatem, partim in Societate decurrerint, intra praedictos duos terminos citius aut tardius proponant, pro ratione annorum integrorum, quibus ante ingressum supra dictis studiis operam dederint. *Decr.* 42.

Cultus quotidianus B. Virginis.

21. Quotidianis Sanctorum litaniis hymnus *Ave maris stella,* antiphona *Sub tuum praesidium,* oratio *Defende* etc. adiungantur. *Decr.* 7.

Ritus romanus servandus ubique.

22. In Missis ac vesperis, quando cantantur in nostris ecclesiis, in sacramentorum administratione et aliis officiis ecclesiasticis, ritus ubique romanus servetur, ita ut nihil illi contrarium fiat. *Decr.* 19.

Suffragia extraordinaria pro Assistentibus, Secretario et Provincialibus.

23. In obitu eorum, qui Assistentes fuere, praeter Sacra ordinaria, tria pro ipsis a Sacerdotibus, totidem vero coronae ab aliis per totam eorum Assistentiam dicantur; pro iisdem in reliquis Societatis Provinciis, pro Provincialibus in Provinciis, quas gubernarunt, pro Secretario Generali in tota Societate unum Sacrum fiat et una corona recitetur. *Decr.* 21.

CANONES DECIMAE CONGREGATIONIS.

Administratio bonorum.

1. NEMO permittatur, ullo praetextu, suorum bonorum nec administrationem nec liberum usum retinere, etiam illo quadriennio, quo cum facultate bonorum dominium retinet. *Decr.* 2.

Substituti in Congregatione provinciali.

2. In quacumque Congregatione provinciali, non solum Electi, qui in Congregatione locum non habuerunt, sed etiam Substituti vocandi sunt, si commode fieri poterit, post electiones ad negotiorum tractationem. *Decr.* 3.

Facultates Vicarii.

3. Habet Vicarius Generalis omnem potestatem et facultates ad gubernandam Societatem, quas habet Praepositus Generalis, exceptis iis, quae in Officio Vicarii excepta sunt, nec a Congregationibus posterioribus sunt concessa: et ad illius intentionem dici debet Missa hebdomadaria, sicuti solet dici ad intentionem Generalis, ipso vivente. *Decr.* 8.

Superiores nominati a Generali defuncto.

4. Nominati ad regimen a Generali demortuo, et, non audita eius morte, onus deprecantes, si videantur Vicario et Assistentibus iustas afferre deprecationis causas, in priori statu maneant, nec ullo fruantur Superiorum privilegio, donec aliud a novo Generali statuatur. *Decr.* 9.

Praeses Congregationis, moriente Vicario.

5. Si contingat ante inchoatam Congregationem, cum iam omnes Electores vel duae tertiae advenerunt, vel, inchoata iam Congregatione, nondum facta electione, P. Vicarium e vivis decedere; antiquissimus Assistentium Congregationi et electioni praesidebit. *Decr.* 10.

Suffragia in Congregatione provinciali.

6. In Congregationibus provincialibus suffragia videri semper debent tam a Secretario, quam a Provinciali; neque umquam publicari, nisi a duobus saltem visa fuerint. *Decr.* 12.

Examinatores ad professionem.

7. Si unus aut alter Examinatorum ex publicis de tota Theologia disputationibus iudicium formare non possit de sufficienti ad professionem doctrina respondentis, quorum tamen suffragium ad hoc definiendum necessarium sit; Provincialis suffragium inquirat ab uno item aut altero ex iis, qui forte disputationibus interfuerunt, viris gravibus, eruditis et iuratis. Quod si ne hoc quidem sufficiat, recurratur ad examen, idque quam primum, iuxta dicta in Decreto 13.

Oratio de SS. Ignatio et Xaverio.

8. Ordinariis Sanctorum litaniis, quae quotidie recitantur, addatur, post orationem *Defende quaesumus*, *etc.* oratio *Deus, qui glorificantes etc.* in honorem sanctorum Ignatii et Francisci Xaverii. *Decr.* 14.

Intercessiones externorum.

9. Primam partem praecepti P. Mutii piae mem. de non procurandis externorum intercessionibus, aliquibus tantum Provinciis impositam, extendit ad omnes Provincias, eamque suo decreto confirmat haec Congregatio cum iis cautionibus, quas adhibuerunt octava et nona. *Decr.* 18.

CANONES UNDECIMAE CONGREGATIONIS.

Obligatio expendendi fructus bonorum.

1. OBLIGATIO expendendi in causas pias, iudicio Provincialis, fructus bonorum, quorum dominium Scholastici nostri retinent, iuxta § 6 decreti 17 Congregationis septimae, nullum imponit Superiori gravamen in materia votove paupertatis; neque elidit valorem actuum, quibus ille de fructibus aliter disponat, vel disponi permittat; sed respectu subditi retinentis dominium manet obligatio paupertatis in suo vigore. *Decr.* 15.

Donatio Scholastici ante mortem.

2. Donatio Scholastici facta Societati paulo ante mortem vel vota ultima, potest admitti seu rata haberi a Praeposito Generali, etiamsi contingat illum prius mori, vel ultima vota emittere, quam donatio rata habeatur. *Decr.* 17.

Imprimentes sine licentia.

3. § 1. Qui libros, libellos vel folia, ut vocant, volantia absque facultate Superiorum, sive proprio, sive alieno, sive etiam suppresso nomine ediderint, poenis gravibus plectantur, puta privatione officii, vocis item activae et passivae, inhabilitate etiam ad dignitates et praelaturas Societatis, et denique poenis corporalibus pro gravitate delicti Superioris arbitrio decernendis. *Decr.* 18.

§ 2. Praeterea haec ipsa poenarum capita ad complices et conscios, etiam Superiores, ea proportione extendantur, qua ipsi magis minusve, vel scriptoris consilia promovendo, vel eadem non revelando, vel ex officio non impediendo peccaverint. *Decr.* 18.

§ 3. Denique praesumptio fraudis contra illos stare censeatur, a quibus accepta scripta externi vulgaverint. *Decr.* 18.

Opiniones laxae evitandae.

4. Ad evitandam laxitatem nimiam in opinionibus moralibus observentur diligenter sequentia:

§ 1. Professores Theologiae moralis in docendo publice vel privatim sint valde cauti; neque, quod aliquid probabile reputent, illico sibi licere arbitrentur illud in publicum scripto verbove protrudere. Sed ad id attendant maxime, quod monet Congregatio quinta decreto 41, an communi scholarum sensui congruant, ac praeterea scandalum vel offensionem uspiam parere possit. Superiores autem, si quos novitatum amantes aut parum cautos in docendo compererint, a munere docendi amoveant, speque omni illius privent; poenis etiam aliis, si opus esse senserint, coerceant.

§ 2. In librorum editione oneratur Censorum fides, ut severos potius quam molles se exhibeant, neque aliquid etiam dubii ad Societatis famam periculi sine gravi censura abire patiantur; et si quid tale occurrerit, Patri nostro sincere et fideliter prodant.

§ 3. In privatis congressibus et responsis diligenter caveant Nostri, ne quid promant, quod vulgari minime vellent; numquam autem scripto respondeant, in rebus praesertim gravioribus, nisi consulto et probante Superiore.

§ 4. Texatur elenchus sententiarum in morali periculosarum, exquisito prius Provinciarum sensu de iis, quae apud singulas scandalum vel offensionem parere possunt; et Romae recognitus communicetur omnibus Provinciis. *Decr.* 22.

5. De examinibus Nostrorum in studiis, ut certi aliquid et ad explorandam Nostrorum doctrinam conveniens statuatur,

Examina Nostrorum.

§ 1. Examinentur spatio unius horae tum Metaphysici iuxta regulam 23 Praefecti Studiorum, tum progressuri a tertio ad quartum annum in Theologia;

§ 2. In reliquis annis, tam Philosophiae quam Theologiae, media minimum hora subeatur examen; sed, si quae Provinciae plus temporis ex longo usu ei tribuere iam consueverint, illae suam consuetudinem retineant;

§ 3. Examinis annui materia sit ea omnis, quae a Magistris toto anni currentis spatio tradita fuerit, exceptis iis, quae sub ipsum examinis tempus decurruntur, Praefecti Studiorum iudicio designandis, idque sive theses adhibeantur ad examen, sive non;

§ 4. Qui ante ingressum in Societatem Philosophiae aliquid vel Theologiae audiverint, examinentur, prout praescribit regula 19 Provincialis in Ratione Studiorum, nisi malint, quod emensi sunt, illorum studiorum iter remetiri, quod ultro poterit illis concedi, nisi Superior iustas ob causas censuerit negandum.

§ 5. Ut ad habendum Actum theologicum magnum vel parvum possit quis admoveri, requirantur tria clara et minime dubia Examinatorum suffragia, quae illius capacitatem ad Actum cum satisfactione habendum speciatim enuntient.

§ 6. Si quis, habiturus Actum magnum, ab argumentaturis conclusionem impugnandam vel argumentum proponendum inquisiverit, nulla habita ratione iudicii ex Actus successu consecuti, ad examen more aliorum pro professione subeundum revocetur. Qui vero in Actu parvo id fecerit, omni spe excidet Actus magni; complices porro sive administri huiusmodi dedecoris, si qui fuerint, pro ratione culpae a Superioribus puniantur. Demum Iudices oneratam sciant conscientiam suam, ut, si aliquid fraudis intervenisse cognoverint, quo de doctrina defendentis iudicium debeat non mediocriter variari, non ex solis responsis praecise vel Actus successu iudicium ferant.

§ 7. Ad haec commendatum, ut de contrahendo numero Actuum theologicorum, et de compescendis nimiis Magistrorum interlocutionibus, quibus difficilius saepe redditur iudicium dandum de doctrina defendentis, quoad eius fieri poterit, satagatur. *Decr.* 24.

6. Qui, Doctoris gradu in celebri aliqua Universitate donati, Societatem ingrediuntur, satis est, si in praevio ad professionem examine mediocritatem excedant, iuxta decretum 96 Congregationis VII, cui per Decretum 37 Congregationis VIII non est derogatum. *Decr.* 14.

Doctores Theologiae.

7. Decretum 18 Congregationis quintae, vetans admissionem in Societatem personae gaudentis iure Maioratus in Hispania sine facultate Praepositi Generalis, non propterea irritam seu invalidam reddit admissionem. *Decr.* 25.

Maioratus in Hispania.

8. Litterae, quae deinceps scribentur ad Electores pro Congregatione generali, et horum responsa ad

Litterae ad electos in Congregatione prov.

illas, a Superioribus inferioribus Generali non aperiantur nec recipiantur; id quod etiam extenditur ad litteras inscriptas Procuratoribus electis in Congregatione provinciali, et horum responsa ad easdem. *Decr.* 27.

Promovendi ad professionem.

9. Qui ex Europa in Indiam traiiciunt virtute, doctrina aliisque de iure nostro requisitis ad professionem quatuor votorum praediti, exspectare non debent ibi alios ad eam emittendam, quamvis antiquiores vocatione, si studia nondum absolverunt; nec uspiam antiquiores exspectari debent a minus antiquis, qui expedita habent omnia, si antiquiores vel ob studia non absoluta, vel ob defectum legitimae aetatis, seu alterius requisiti ex parte ipsorum non sint ad profitendum expediti. *Decr.* 31.

Diversantes in aliena Provincia.

10. Qui in aliena Provincia et loco, ubi non est domicilium Societatis, diversantur, pertinent ad Rectorem vicinioris Collegii, et ad Provincialem cui Rector ille subest. *Decr.* 32.

Congregatio provincialis in medio novennii.

11. Si non abrogetur decretum Innocentii x de Congregationibus novennalibus, duae tantum Congregationes provinciales habeantur pro hac vice intra decursum novennii, scilicet: una in medio ad eligendum Procuratorem, et altera in fine ad electionem mittendorum ad Congregationem generalem. *Decr.* 35.

CENSURAE ET PRAECEPTA

HOMINIBUS SOCIETATIS IMPOSITA,

C. 8 d. 23.
C. 9 d. 24.
C. 17 d. 15.
C. 18 Act. 9, 22.
C. 20 d. 24.

PRIMUM IUSSU CONGREGATIONIS VIII COLLECTA,
DEINDE A CONGREGATIONE XVII ET XVIII RECOGNITA,
DEMUM A CONGREGATIONE XX CONFIRMATA.

MONITUM.

Censurae et Praecepta, quae capite primo continentur, eo solum tempore legantur ad mensam, quo Comitia, ad quae illa pertinent, celebranda sunt; reliqua vero, in aliis capitibus exposita, singulis annis saltem semel praelegantur in mensa ex decreto 23 et sessione 114 Congregationis VIII.

CAPUT I.

QUAE PERTINENT AD ELECTIONEM PRAEPOSITI GENERALIS, VICARII ET ASSISTENTIUM, ET AD CONGREGATIONES GENERALEM, PROCURATORUM ET PROVINCIALEM.

CENSURAE.

1. AB OBITU Praepositi Generalis usque ad novi electionem, sub poena excommunicationis latae sententiae tenetur Vicario manifestare, vel alicui ex antiquioribus Professis, quicumque scit aliquem Generalatum affectasse, vel etiam tunc affectare, directe vel indirecte id procurando, vel signo aliquo id declarando. *Const. part. VIII, cap. 6, § 2, et in Formula Congr. gen. § 21.*

2. Qui, in iudicio de cuiusquam ambitu, aliter atque in animo sentit, sententiam dicit, ipso facto excommunicationem incurrit. *Const. loc. cit. in declar. lit. A.*

3. Qui, post promulgationem Generalis electi, suffragium suum mutat, vel peracta electione aliam tentat, incidit in poenam excommunicationis latae sententiae, aliasque graves censuras subibit, arbitrio Societatis. *Ibid. part. VIII, cap. 6, § 8, et in Formula Congr. gen. § 51.*

4. Excommunicatio, proposita numero 1, extenditur: primo, in omnes de Societate, quicumque vel ubicumque sint, qui, ab obitu Praepositi Generalis ad electionem usque, pro se vel pro aliis ambierint, aut qui cum personis Societatis aut cum externis, cuiuscumque status aut conditionis sint, egerint aut tractaverint, vel litteras aut favorem Praelatorum, Prin-

cipum, aut aliorum procuraverint ad quamvis nationem vel particularem personam promovendam ad Generalatum, vel excludendam. *Formula Congr. gen. § 21.*

Extenditur secundo, in illos, qui sinceritatem vel libertatem electionis iuxta Institutum Societatis nostrae quoquomodo, directe vel indirecte, impedire vel corrumpere conati fuerint. *Ibid. § 21.*

Extenditur tertio, ad informationem non sinceram, eam scilicet, quae studiose mendax est, mala cum intentione, et in re gravi. *Formula Congr. gen. § 21.*

Demum ipso facto ambitiosos pro se vel pro aliis eo modo, quo supra dictum est, in excommunicationem incidere decernitur, a qua non possint absolvi ante electionem nisi a P. Vicario, post electionem vero a R. P. Generali. *Ibid. § 21.*

5. Quicumque, vel ex Congregatione fuerit vel non, in informationibus vel extra illas ambitiose egerit ut vel ipse vel alius Assistens eligatur, aut etiam alius excludatur, excommunicatur ipso facto, et absolutio reservatur Praeposito Generali. *Formula Congr. gen. § 82.*

6. In electione Vicarii eadem censura includuntur ambientes pro se vel pro aliis, quae dicta est in electione Praepositi Generalis, cum extensione prima, secunda et tertia, de qua dictum est numero 4. *Formula ad elig. Vic., § 6.*

PRAECEPTA.

1. Qui grave aliquid in informationibus ad Generalem eligendum, quod secretum requirat, intellexerit, in virtute sanctae obedientiae secretum teneat, praeterquam cum Electoribus. *Formula Cong. gen. § 34.*

2. Qui sciverit quempiam Assistentis officium vel sibi vel aliis ambire, sive agere ut alius excludatur, in virtute sanctae obedientiae tenetur ad Generalem deferre. *Ibid. § 82.*

3. In virtute sanctae obedientiae praecipitur, ut, quod in informationibus intellectum est in electione Assistentium in re gravi, quae Societati vel alicui eius personae aliquid ignominiae vel detrimenti afferre possit, secretum teneatur. *Ibid. § 83.*

4. Patres, a Congregatione generali deputati ad detrimenta cum Praeposito Generali, sub praecepto obedientiae tenentur, ne quis eorum, ad quem fuerit aliquid delatum, manifestet quovis modo directe vel indirecte personam deferentem, nec Congregationi ipsi nec ulli prorsus, sive de Congregatione sive extra Congregationem, neque etiam ulli collegarum suorum, nisi ipso, qui detulerat, volente. *Cong. v, decr. 3.*

Quod praeceptum eodem pacto extenditur ad Vicarium Generalem, ad Secretarium et ad omnes, qui, sive iure suo sive consilii causa, vel ante vel post electionem ad eam deputationem admissi, habebunt quovis modo notitiam delatoris. *Cong. XIV decr. 11.*

5. In Congregatione Procuratorum, dum capitur informatio de statu Societatis, ut videatur sit, necne, cogenda Congregatio generalis; si quis audierit aliquid, quod secretum teneri debeat, cum aliis, praeterquam cum iis, qui suffragium habent, iubetur in virtute sanctae obedientiae silentium tenere; in re tamen tantum gravi, non in qualibet. *Formula Congr. Proc. cap. I, § 7.*

6. Praecipitur omnibus Nostris in virtute sanctae obedientiae ne quis a die indictae Congregationis provincialis, vel per se vel per alium, directe vel indirecte procuret, ut in Electorem vel Substitutum pro Congregatione generali, vel in Procuratorem aut Substitutum pro Congregatione Procuratorum ipse vel alius eligatur, aut alius excludatur; et ne quis pro se suffragium ferat. *Congr. IX decr. 24; Formula Congr. prov. cap. III, § 23.*

CAPUT II.

QUAE PERTINENT AD INSTITUTI NOSTRI CONSERVATIONEM.

CENSURAE.

Litt. Apost. pag. 90.

1. Quicumque, sive extra sive intra Societatem, Institutum ipsius, seu Constitutiones, vel constitutionem Gregorii XIII, quae incipit ASCENDENTE, vel aliquid ex his quovis quaesito colore, directe vel indirecte, impugnare, vel eis contradicere ausus fuerit, incidit in poenam excommunicationis latae sententiae, et inhabilitatis ad officia et beneficia saecularia et quorumvis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendam, Sedi Apostolicae reservatam. *Greg. XIII, Const. ASCENDENTE.*

Litt. Apost. pag. 90.

2. Item qui Societatis Institutum, Constitutiones aut Decreta, vel ex eis quidpiam, vel aliud quid praedicta concernens, maioris boni aut zeli aut quovis alio quaesito colore aut praetextu, directe vel indirecte impugnaverit, vel curaverit ut immutetur, alteretur, aut forma alia seu ratio circa ea inducatur, vel contra aut praeter ea, seu quaevis alia ipsius Instituti substantialia agat, vel quidpiam ulli alii, praeterquam seu Romano Pontifici (idque immediate, vel per Legatum aut Nuntium Apostolicum) seu Congregationi aut Praeposito Generali, addendum, minuendum, aut immutandum, sive alterandum, proponere quoquomodo ausus fuerit. *Greg. XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE. — Quae autem sint substantialia Instituti, vide in Congr. V decr. 44, 45 et 58.*

Litt. Apost. pag. 118.

PRAECEPTA.

1. Districtius inhibetur, ne quis, sive extra sive intra Societatem, nisi de Praepositi Generalis aut inferiorum Praepositorum licentia, notationes, declarationes, glossas, vel scholia ulla super Instituto, Constitutionibus, Privilegiis, aut aliis contentis in Constitutione Gregorii XIII supra dicta, facere, vel ea (nisi quantum verba sonant) interpretari, aut de eis disceptare, seu scrupulum cuiquam iniicere, vel in controversiam aut dubium revocare audeat quoquo modo; nec glossas aut interpretationes, sive impressas sive scriptas, ad id pertinentes legere, docere, aliisve tradere, vendere, vel apud se retinere

Litt. Apost. pag. 90.

praesumat. *Greg. XIII in ead. const.* *ASCENDENTE.*

2. Quicumque resciverint aut deprehenderint quoscumque machinari aliquid aut machinatos fuisse contra Institutum Societatis, quam primum poterunt Praeposito Generali, tam auctores quam vere complices, fideliter deferant. Ita praecipitur omnibus in virtute sanctae obedientiae. *Cong. V decr. 54 et can. 20.*

3. Extenditur hoc decretum, ut et Nostri omnes comprehendantur, qui quorumcumque hominum, sive de Societate sint sive de ipsa non sint, opera utuntur ad Societatis pacem perturbandam. Et Provincialibus praeceptum imponitur, ut in eiusmodi perturbatores inquirant, et ad P. Generalem deferant, nec minus fortiter quam fideliter in ea re munere suo fungantur. *Congr. VI decr. 2.*

CAPUT III.

CENSURAE, QUAE PERTINENT AD RELIGIONEM ET RELIGIOSA VOTA IN COMMUNI.

1. Quicumque de Societate, etiam Professi, quos iudicaverit Praepositus Generalis a Societate dimitti, possunt de ipsius licentia, non tantum ad Carthusiensium, sed ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium, paris, laxioris, aut arctioris observantiae Ordinem, per ipsum Praepositum Generalem illis praescribendum, de consensu tamen Superiorum loci illius, quo destinabuntur, demigrare; in eisque professionem, per illius Monachos aliosque Regulares emitti solitam, emittere, habitum suscipere, eorumque consueta uti disciplina. Ipsis ergo inhibetur sub poena excommunicationis latae sententiae, ne quid contra praesentium tenorem audeant attentare. *Greg. XIII diplomate de transferendis, CUM ALIAS.*

Litt. Apost. pag. 84.

2. Si quis, post emissa vota secundum Societatis Constitutiones, ab ea ad saeculum recesserit, etiam praetextu cuiusvis indulti concessi aut concedendi, absque expressa sui Superioris licentia ad id ab eo specialiter obtenta, ipso facto est excommunicatus, et absolvi nequit nisi a Romano Pontifice vel Superiore Societatis. *Pius V, bulla contra apostatas, AEQUUM REPUTAMUS.*

Litt. Apost. pag. 88.

3. Deficientes a Societate post tria vota, etsi simplicia, elapso biennio probationis emissa, tamquam veri apostatae puniri possunt, et excommunicationi latae sententiae atque aliis apostatarum poenis subiacent, Sedi Apostolicae vel Praeposito Generali Societatis reservatis. *Habetur in Const. ASCENDENTE, Gregorii XIII.*

Litt. Apost. pag. 90.

4. Nostri ab Ordine recedentes, nisi, post mandatum cuiusvis Superioris eisdem factum, intra octo dies proximos ad obedientiam redierint, excommunicationis latae sententiae poenam incurrunt, soli Summo Pontifici reservatam; eidemque sententiae subiacent omnes, qui iis auxilium, consilium vel favorem praestite-

rint. *In Compendio Privilegiorum, verbo* Apostatae, *§ 3, per communicationem, ubi Provincialibus committitur absolutio.*

Comp. Privil. n. 37-40.

5. Nemo, post emissa vota secundum Societatis Constitutiones, sive Professus sive Scholaris sive Coadiutor sit, ad alium Ordinem, praeterquam Carthusiensium, nisi de expressa licentia ipsius Praepositi Generalis aut Sedis Apostolicae, transire potest. *Paulus III, in indultis et privilegiis.* Idem cavetur et latius confirmatur a Pio IV, *in litteris contra apostatas per Pium V editis*, proposita poena excommunicationis ipso facto incurrendae, Romano Pontifici vel Superiori Societatis reservatae, tam in Religiosos recipientes, quam in ipsos receptos.

Comp. Privil. n. 527, 528.

6. Iam vero, qui sine Praepositi Generalis facultate ad Carthusienses transiret, easdem poenas incurreret, per communicationem privilegii Carmelitarum Discalceatorum. *Concessit eis Paulus V; in Compendio, verbo* Apostatae, *§ 10.*

Comp. Privil. n. 529, 530.

7. Transeuntes ad Carthusienses, intra tres menses, ad alium vero Ordinem intra tempus eis a Superiore suo praefigendum, dictos Ordines actualiter ingredi, et, si in eis permanere nolint aut non possint, absque ulla mora ad Societatem regredi tenentur sub poena 'excommunicationis eodem modo reservatae; quam tam ipsi, quam illos recipientes, vel eis auxilium, consilium vel favorem praestantes, etiam incurrunt. *In Compendio, verbo* Apostatae, *§ 9, ex litteris Pii V contra apostatas.*

Comp. Privil. n. 527.

8. Qui vult transire ad Carthusiensium Ordinem tribus mensibus ei a Superiore praescriptis, si intra eos non ingrediatur vel non admittatur vel non perseveret, non solum redire tenetur ad Societatem, sed etiam ei non licet amplius, respectu Carthusiae, a Societate sine Praepositi eius consensu recedere. Qui secus fecerit, in excommunicationis et alias apostatarum censuras et poenas eo ipso incurret; a quibus non nisi a Romano Pontifice vel a Generali Societatis absolvi poterit. *Gregorius XIII, in litteris propriis de hac re,* EXPONI NOBIS.

Comp. Privil. n. 536.

9. Omnibus etiam apostatarum poenis ac censuris in foro conscientiae subiacent quicumque, aut causis non veris, fraude ac dolo, aut delictis gravibus ea mente perpetratis, dimissionem impetrant; et irrita est dimissio. *Congr. VII decr. 22, § 4.* Et, si hoc in exteriori foro constiterit, possunt Superiores contra eos agere, tamquam contra veros apostatas. *Ibidem.*

10. Excommunicantur qui, inconsulto Provinciali, externos de dimissione sua consulunt, et qui eorum auxilio et intercessione ad eam impetrandam utuntur. Reservatur excommunicatio Provinciali. *Decr. eod., § 2.*

11. Fugitivi nostrae Societatis ipso facto excommunicationem incurrunt. *Congr. IX decr. 27 et can. 2.*

CAPUT IV.

CENSURAE ET PRAECEPTA, QUAE PERTINENT AD VOTA IN PARTICULARI.

AD VOTUM OBEDIENTIAE.

Nostri non possunt a Praeposito Generali, aut Visitatoribus per ipsum deputatis, ab eorum reformationibus seu correctionibns appellare, etiam ad Sedem Apostolicam, nisi in generali Congregatione, et in casu denegatae iustitiae, aut pro notoria iniustitia, sub poena excommunicationis Sedi Apostolicae reservatae. *Concessum est Cisterciensibus, et Societati per communicationem; in Compendio, verbo* Appellatio, *§ 2.*

Comp. Privil. n. 53-54.

AD VOTUM CASTITATIS.

In virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis, et privationis lecturae, vocis activae et passivae, nec non inhabilitatis ad quaelibet officia, aliisque poenis arbitrio Praepositi Generalis infligendis praecipitur ne quis in Societate publice vel privatim, non modo ut veram et probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem ulla ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt in re venerea exiguam aliquam delectationem, deliberate quaesitam, propter levitatem materiae excusari a mortali, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det. Itemque, si quis aliquem ex Nostris contra praedicta deliquisse noverit, tenetur in virtute sanctae obedientiae aperire. *P. Claudius Aquaviva anno 1612, die 24 Aprilis.* Idem praeceptum extenditur ad delectationem veneream deliberate admissam. *Congr. IX decr. 24.*

AD VOTUM PAUPERTATIS.

Ut variis periculis et incommodis occurratur, prohibetur Nostris in virtute sanctae obedientiae ne quis sine expressa facultate Superioris pro se vel pro aliis ab ullo externo mutuam accipiat pecuniam, etiam in usus pios expendendam. *Cong. XVI decr. 28.*

CAPUT V.

RELIQUAE CENSURAE ET PRAECEPTA.

CENSURAE ET PRAECEPTUM

De Tyrannicidio.

1. Praecipitur in virtute sanctae obedientiae sub poena excommunicationis, et inhabilitatis ad quaevis officia, suspensionis a divinis, et aliis Praepositi Generalis arbitrio reservatis, ne quis nostrae Societatis, publice vel privatim, praelegendo seu consulendo, multo etiam minus libros conscribendo, affirmare praesumat li-

citum esse cuicumque personae, quocumque praetextu tyrannidis, Reges aut Principes occidere, seu mortem eis machinari. Provinciales autem, qui aliquid eorum resciverint, nec emendaverint, aut non praevenerint incommoda, quae ex contrario sequi possent, efficiendo ut hoc decretum sancte observetur, non modo praedictas poenas incurrere, sed etiam officio privari voluit P. Claudius. *Epist. ann. 1614, die 1 Aug.*

PRAECEPTUM PROVINCIALIBUS

Circa editionem librorum.

2. In virtute sanctae obedientiae commendatur Provincialibus ne in sua Provincia quidquam, quacumque occasione aut lingua, evulgari patiantur a Nostris, in quo de potestate Summi Pontificis supra Reges et Principes, aut de tyrannicidio agatur, nisi prius recognitum Romae et probatum sit. *Ex Epist. P. Claudii anno 1614, die 2 Aug.*

PRAECEPTUM OMNIBUS

De non edendis in lucem libris, etc.

3. Iuxta Ordinationem P. Claudii bo. me. factam 5 Ianuarii 1613 (ne libelli et opuscula de potestate Summi Pontificis super Principes, eos deponendi, etc. edantur in lucem, nisi prius Romae recognita et approbata) iterum ordinamus in virtute sanctae obedientiae ne quis in posterum hanc materiam tractet, aut libris editis aut scriptis quibuscumque, nec publice disputet aut doceat in scholis, ut occasiones omnes offensionis et querelarum praecidantur. Quam Ordinationem, et legi volumus Magistris et Patribus, et tradi librorum Censoribus in Provincia constitutis, servarique penes ordinarios Revisores. *Ex Epistola P. N. Mutii anno 1626, die 13 Augusti. Vide tamen Congr. 23 decr. 14.*

PRAECEPTUM OMNIBUS

De non tractandis negotiis Principum.

4. In virtute sanctae obedientiae praecipitur Nostris omnibus ne quis publicis et saecularibus Principum negotiis, quae ad rationem status pertinent, ulla ratione se immisceat, nec, quantumvis per quoscumque requisitus aut rogatus, eiusmodi politicas res tractandas suscipiat. *Congr. v decr. 47 et 79 et can. 12. Quae autem sint haec negotia, vide in Congr. vii decr. 46.*

PRAECEPTUM

De non procurandis externorum intercessionibus.

5. Praecipitur in virtute sanctae obedientiae Nostris omnibus ne quis procuret externorum intercessiones, quae liberam Superioribus gubernationem non relinquant. *P. Mutius an. 1643, die 7 Febr.; Congr. viii decr. 24; Congr. ix decr. 24; Congr. x decr. 18.*

Transgressio huius praecepti est casus reservatus Superiori. *Congr. xvi decr. 17.*

Excipiuntur tamen intercessiones eorum, qui ratione universalis regiminis in Ecclesia etiam in Societatem nostram habent auctoritatem. *P. Oliva anno 1662, die 17 Iunii.*

Alia praecepta, quae hic non leguntur, vel sunt abrogata, vel totam Societatem non obligant. Ex Congr. xvii decr. 15.

FORMULAE
CONGREGATIONUM

FORMULA

CONGREGATIONIS GENERALIS

C. 4 d. 44, 48, 50.

IN IV CONGREGATIONE CONFECTA ET APPROBATA,
IN VI, VII, VIII, X, XI, XII, XIII, XVIII RECOGNITA ET AUCTA.

CAPUT I.

In quibus casibus cogenda sit Congregatio generalis.

Quibus in casibus cogenda Congregatio.

1. Quatuor in casibus cogenda est necessario Congregatio generalis. Primus est, cum Generalis Praepositus eligendus est in locum demortui, nisi ille obierit tempore alicuius generalis Congregationis, aut paulo post, ut inferius a] dicetur. Secundus, si (quod Deus avertat) aliquid accidat eorum, propter quae de alio Generali eligendo in locum viventis deliberandum esse dicitur in nona b] Constitutionum parte. Tertius, si quando Assistentes c] cum Provincialibus et Praepositis localibus, pluribus inter se suffragiis, cogendam iudicarent, ut est in declaratione octavae partis, et in d] decreto 29 Congregationis octavae. Quartus, si Generalis cum Assistentibus et Procuratoribus, qui tertio quoque anno ad Generalem veniunt, cogendam esse statuant iuxta ea, quae in secunda e] Congregatione definita sunt. Praeter hos autem casus, in quibus illa necessario cogenda est, poterit etiam aliquando convocari f] arbitrio Generalis, ut de aliquibus rebus magni momenti tractetur, iuxta ea quae in octava parte Constitutionum habentur.

a] Cap. 5.
b] P. 9 c. 4 n. 7.
c] P. 8 c. 2, C.
d] C. 8 d. 29.
e] C. 2 d. 19 can. 29.
f] P. 8 c. 4 n. 2.

CAPUT II.

De iis, quae in Congregatione generali pro eligendo Generali Praeposito in locum demortui ante quatriduum informationum agenda sunt.

In primo casu est Vicarii convocare.

2. In primo casu (de quo tamquam ordinario fusius agendum est) a] ad solum Vicarium Generalem spectat Congregationem indicere, convocare, et usque ad electionem novi Praepositi dirigere; aut, si Praepositus paulo post Congregationis dissolutionem moriatur, ex iisdem congregatis redintegrare; b] tempusque ac locum ad eam celebrandam praescribere cum PP. Assistentibus, uti in c] Officio Vicarii explicatius habetur. Porro locus, d] quo conveniet Societas ad Generalis electionem, videtur ordinarie curia Summi Pontificis esse debere, ubi, ut plurimum, erit ipsius Generalis residentia.

a] P. 8 c. 4 n. 1.
b] C. 6 d. 35 n. 19.
c] n. 3.
d] P. 8 c. 5 n. 1. C. 6 d. 35 n. 21.

3. Cum Congregatio in hoc casu fuerit indicta, et spatium temporis convocandi Societatem iuxta Consti-

e] P. 8 c. 5 n. 2. tutiones e] fuerit elapsum, inchoari poterit Congregatio, si iam duae tertiae partes Electorum praesentes adfuerint.

Acta exhibeantur Vicario.

4. Antequam inchoetur, singuli Provinciales exhibeant P. Vicario Acta suarum Congregationum, ut ea cum Assistentibus videat, ut, si quid dubii de aliquorum particularium legitima electione aut vocatione invenerint, id totum ad Congregationem generalem quam primum deferant; non admissis iis, de quibus legitime dubitatur, donec ipsa Congregatio de illis constituerit.

Quinam admittendi.

5. Ad Congregationem generalem ante electionem admittentur et in ea suffragium habebunt: Pater Vicarius, f] Assistentes, et g] omnes Provinciales seu Vice Provinciales, ac Electores a Provinciis missi, h] Procuratores quatuor votorum Professi Provinciarum extra Europam, si sint electi a suis Provinciis, vel a Provinciali cum suis Consultoribus, qui aderunt, et caeteris omnibus praesentibus, qui in Congregatione provinciali ius suffragii habeant iuxta decretum 41 Congregationis quartae, et horum Procuratorum substituti, i] si mittantur, modo requisitis in Procuratore conditionibus non careant, iuxta decretum 20 Congregationis duodecimae (his enim si careant, ad negotia tantum erunt admittendi), de quorum omnium legitima electione et iure suffragii nihil erit dubii.

f] C. 4 d. 41, 45 can. 13, 14.
g] P. 8 c. 3 n. 1.
h] C. 4 d. 41. C. 22 d. 29. C. 23 d. 11.
C. 24 d. 26.
i] C. 12 d. 20.

Praedicti Procuratores k] eo iure non excidunt, donec in Europa subsistunt ex consensu Patris nostri, et alius eiusdem Provinciae Procurator non advenerit. Si tamen l] substiterint in Europa propter aliud munus sibi a Generali traditum, ius hoc exspirat; quod et de eorum substitutis dicendum, cum eodem iure suffragii gaudeant.

k] C. 9 d. 36. C. 10 d. 9.
l] C. 12 d. 46.

Porro m] si iustam ob causam Congregatio provincialis cogi non potuerit, nihilominus Provincialis ius habet veniendi ad Congregationem generalem, eoque uti potest, quandoquidem illud ex officio habet; et, si impeditus fuerit, alium ex sua Provincia idoneum, quemcumque voluerit, suo loco mittere poterit, suis ad summum Consultoribus, si adsint, auditis, aliisque praesentibus, qui in Congregatione ius suffragii haberent.

m] C. 12 d. 51.

Procuratores autem, n] si qui ex Provinciis legitime vocati fuerint ad tractanda negotia post electionem, non admittentur ad Congregationem ante electionem, neque ad acta, quae in illà fiunt; sicut nec o] Secretarius, nec p] Procurator Generalis: nisi q] forte accidat, ut de aliis negotiis non spectantibus ad electionem agi oporteret; nam tunc illi quoque ad ea vocandi essent, ut statutum fuit in Congregatione octava et duodecima. Vocandi tunc r] etiam Procuratores Provinciarum, etsi non sint vocati a Generali nec missi a Congregatione plena aut abreviata, si missi sint a Provincialibus cum approbatione Generalis saltem subsecuta missionem eorum; praecipue si ex Provinciis extra Europam sitis missi essent, ad quos sufficit approbatio Vicarii cum Assistentibus.

n] C. 4 d. 35 can. 16.
o] C. 4 d. 11 can. 15.
p] C. 8 d. 44 can. 16.
q] C. 8 Act. 10. C. 12 Act. 1.
r] C. 18 d. 4.
C. 22 d. 2, 40, 41.

Ordo sedendi et dicendi sententias.

6. Ordo sedendi in Congregatione et dicendi sententias huiusmodi erit: ut ad dexteram P. Vicarii sedeant s] PP. Assistentes et Provinciales, vel, absente t] Provinciali aliquo ab initio et ante electionem, qui de iure illi mortuo succederet, iuxta decretum 16 Congregationis nonae; ordine anti-

s] C. 2 d. 20, 85 can. 31.
t] C. 9 d. 16.

quitatis in sua professione inter ipsos servato. Ad sinistram vero eodem ordine reliqui Professi Electores. Atque ad hunc finem affigetur in loco Congregationis catalogus omnium Electorum cum anno et die, quo quisque professionem emisit.

Post Vicarii relationem,

7. Elapso die indictae Congregationis, postridie, mane, convocatis iis tantum Patribus, de quorum iure suffragii nihil fuerit dubii, et hymno de Spiritu Sancto cum sua oratione flexis genibus recitato, P. Vicarius rationem reddet eorum, quae facta sunt post mortem Generalis ad Congregationem pertinentia. Tum decernatur ad plura suffragia eos, qui adsunt, plenam et legitimam Congregationem conficere.

an Congregatio legitima et plena?

Dubia referet Vicarius ad Congregationem.

8. Deinde, si de aliquorum legitimo iure suffragii a P. Vicario et Assistentibus dubitatum fuerit, P. Vicarius id referat ad Congregationem, ut haec de illis statuat quid agendum; et, qui iudicati fuerint admitti debere, vocentur et suo loco sedeant.

An supplendi defectus.

9. Proponatur Congregationi, an suppleri debeant omnes defectus, si qui forte acciderint, tam in Congregationibus provincialibus, quam alii quicumque.

Electio Secretarii.
u] *P. 8 c. 6*, D.
C. 3 d. 2 ante elect.

10. Secretarium *u*] per scrutinium secretum ad plura suffragia (sicut et caeteros omnes, qui ante electionem Generalis eliguntur) eliget Congregatio, qui tam generali quam particulari Deputatorum Congregationi, et Praepositi Generalis electioni subserviat; cuius officium finis electionis terminabit. Suffragia autem *v*], quae in quolibet secreto scrutinio prius elata voce numeranda sunt, in electione Secretarii videbunt duo antiquiores Professi una cum Vicario iuxta decretum 7 Congregationis x. Quod si paritas sit suffragiorum, tres ipsi denuo secreta ferent suffragia inter eos, qui paria habuerint; et, qui duo habuerit ex eis, Secretarius erit. Idemque servetur in eligendo Assistente electionis, iuxta Const. part. 8, cap. 6, D. Et universe in quavis secreta suffragatione inspicient suffragia cum Praeside Congregationis duo illi, qui tum ad eius dexteram assident ac sinistram. In hac autem electione *x*] et in omnibus, quae fiunt ad plura suffragia, non erunt exquirenda suffragia Electorum infirmorum extra locum Congregationis; sed tantum in iis, quae fiunt ad plura medietate, si infirmi sint in eadem Domo.

v] *C.18 d.11 n.1.*

x] *C. 8 Act. 2.*

Vicarii suffragium.
y] *P. 8 c. 8 n. 2.*
C. 1 d. 4 ante elect.

11. In actis omnibus, quae ante electionem fient, *y*] Vicarius unicum tantum habebit suffragium, cum qualitate praecedendi in casu paritatis, quandocumque agetur publicis suffragiis.

Quinam ad benedictionem petendam mittendi.

12. Si Congregatio Romae habebitur, proponatur quinam cum P. Vicario adire debeant Summum Pontificem ad petendam ab ipso benedictionem, et ad electionem Praepositi, et ad alia, quae in Congregatione tractanda erunt.

A quo habenda oratio.
z] *P. 8 c. 6 n. 4.*

13. Eligatur unus ex Electoribus per scrutinium secretum *z*], qui secundam sit habiturus orationem sive exhortationem ipso die electionis; eam autem, prius quam recitet, Patri Vicario et Assistentibus ostendet, qui, si quid sit mutandum, corrigendum vel adiiciendum, eum tempestive admonebunt.

Inclusor eligendus.
a] *P. 8 c. 6 n. 4.*
C. 7 d. 64.

14. Eligatur etiam *a*] unus extra numerum Electorum per secreta suffragia ex Praepositis, Rectoribus, vel aliis de Societate, qui curam habeat includendi Electores ipso die electionis; cui quatuor alii adiungentur

Vicarii arbitrio, sive ex Procuratoribus, qui vocati sunt ex diversis Provinciis, si qui tales venerint, sive ex aliis Patribus de Societate.

Deputati ad detrimenta eligendi.

b] C.18 d.11 n.6.

c] C. 12 d. 5. C. 14 d. 28.

d] C. 3 d. 4 ante elect. C. 6 d. 35 n. 15.

e] C. 18 d. 10. C. 22 d. 11.

f] C. 2 d. 22.

15. Deinde Congregatio per secreta scrutinia eligat et deputet Patres, *b*] ex singulis Assistentiis singulos (ut autem dicatur *c*] aliquis ad aliquam Assistentiam pertinere, non sufficit quod alicui ex illis Provinciis ad certum aliquod tempus a Praeposito Generali addictus sit), *d*] italica nempe, gallica, germanica, hispanica, lusitanica, et *e*] polonica, de numero Congregatorum, qui cum P. Vicario et Assistentibus, praesente Secretario Congregationis, videant, an aliquid sit, *f*] in quo insigne detrimentum passa sit Societas vel passura esse timeatur, quod singulari providentia atque industria vel resarciendum vel curandum sit. De quo, si quid fuerit, conficient opera Secretarii ad Electorum usum interrogatorium, in quo ea tantum inserantur, in quibus certo constiterit Patribus Deputatis passam fuisse Societatem, aut timeri ne proxime patiatur. Porro de quibus agent hi Deputati, ea ad plura suffragia transigent; nec duo suffragia habebit Vicarius Generalis, sed solum suffragii praerogativam; ac totum huius deputationis negotium intra quatuor dies ad summum absolvent. Congregatio XIV decreto 11 statuit, ut *g*] praeceptum obedientiae, impositum PP. Deputatis ad detrimenta cum Praeposito Generali a Congregatione quinta decreto 3 (ne scilicet quis eorum, ad quem fuerit aliquid delatum, manifestet quovis modo directe vel indirecte personam deferentem, nec Congregationi ipsi, nec ulli prorsus, sive de Congregatione sive extra Congregationem, neque ulli collegarum suorum, nisi ipso, qui detulerat, volente) extendatur ad Vicarium Generalem, ad Secretarium et ad omnes, qui sive iure suo sive consilii causa, vel ante vel post electionem, ad eam Deputationem admissi, habebunt quovis modo notitiam delatoris.

Interrogatorium conficiendum.

g] C. 14 d. 11. C.18 d. 11 n. 2.

Quinam referent ad Deputatos, et quae.

h] C. 3 d. 5 ante elect.

16. Ad hos autem Deputatos singuli Electores et caeteri, qui post electionem Praepositi ius suffragii habent, intra biduum a Deputatione facta ferent quae habent a suis Congregationibus provincialibus, vel quae ipsi notarunt ad hoc negotium pertinentia. Si qui vero *h*] ex Nostris extra horum numerum aliquid eiusmodi Deputatis proponerent, non erunt reiiciendi, tametsi non erunt provocandi ut hoc faciant. Verum informationes eorum, qui ius suffragii non habent, non nisi subscriptae ab ipsis recipiantur. Qui autem ius suffragii habent, quamvis sine subscriptione suas informationes dare possint, aliorum tamen, etiam Electorum, non nisi subscriptas dare poterunt, ut dicetur in § 64.

Proposita digerenda.

De personis nil admittendum, nisi post electionem,

17. Quae proposita fuerint, duo ex Deputatis electi a Vicario cum Secretario ad certum aliquem ordinem redigent, ut ea, quae ad eamdem rem pertinent, suo loco legantur, et excutiantur in Congregatione Deputatorum, qui praecipua seligent, reiectis aliis, quae leviora esse, vel ad interrogatorium conficiendum non pertinere videbuntur. Neque enim admittenda sunt, nisi quae ad electionem pertineant, non item quae agunt de personis, nec etiam de rebus, quae ad particulares personas referantur, ut sunt querelae, purgationes, accusationes et alia huiusmodi, quae a Deputatis et a tota Congregatione (si forte illi proponantur)

reiicienda sunt ad deputandos post Generalis electionem: nisi sint ex iis, quae cognoscenda sunt a Iudicibus de ambitu, ut infra dicetur, § 24.

nisi spectet ad ambitum.

Interrogatorium communicetur Electoribus.

18. Interrogatorium a Deputatis confectum non oportebit ut publice in Congregatione legatur; sed satis erit, si singulis Electoribus ante inceptum quatriduum, vel saltem initio quatridui communicetur. Necesse tamen erit, ut Deputati, ab Electoribus interrogati circa intelligentiam vel explicationem interrogatorii, eos informent de statu Societatis in huiusmodi rebus, et de iis, quae ipsa passa est vel passura timetur, quatenus ad bonam electionem futuri Generalis utile erit.

Nihil tum proponendum Congregationi, nisi ad electionem pertineat.

19. Congregationi generali ante electionem nihil omnino erit proponendum, quod non ad ipsam electionem pertineat; et, quae proponenda videntur, prius a P. Vicario cum Assistentibus et Deputatis ad plura suffragia determinentur; si quis vero postea non fuerit contentus, licebit illi proponere Congregationi. Ipsa vero Congregatio, etsi ante electionem decreta condere non possit, poterit tamen omnia definire et facere, quae ad ipsam electionem pertinere vel conducere iudicabit.

Proposita altero vel eodem die ad plura suffragia decernantur.
i] C. 1 d. 4.
k] C. 2 d. 88.

20. Si quaedam maioris momenti, ad electionem spectantia, Congregationi proponenda sunt, *i*] uno die proponantur, rationibus utrimque adductis; in quibus si maior informatio desideraretur, *k*] ea a Vicario vel aliis Electoribus petatur, et sequenti die dicantur sententiae. Haec vero et omnia, quae ante electionem tractanda erunt, ad plura suffragia decernantur. Si quae autem leviora proponerentur, pro arbitrio P. Vicarii, non contradicente Congregatione, aut eodem die aut alio tractentur.

Crimen ambitus quibus manifestandum.
l] P. 8 c. 6 n. 2, A.
m] C. 4 d. 49. C. 7 d. 65. C. 18 d. 11 n. 6.

21. Super illud sexti capitis octavae partis eiusque declarationis, *l*] quod sub poena excommunicationis latae sententiae quisque teneatur Vicario manifestare vel alicui ex antiquioribus Professis, si sciret aliquem hoc munus affectasse vel etiam tunc affectare, directe vel indirecte id procurando, vel signo aliquo declarando etc., haec declaratio adhibetur: quod per antiquiores Professos intelliguntur antiquiores, *m*] singuli ex singulis Assistentiis diversis ab illa, ex qua est Vicarius; et hi cum Vicario eos, qui ob ambitum delati fuerint, iudicabunt iuxta Constitutiones et Declarationes.

Crimen ambitus ante Congregationem qui incurrant.
n] C. 7 d. 55. C. 6 d. 85 n. 1. C. 4 d. 2 ante elect.

Eadem censura extenditur in omnes de Societate, quicumque et ubicumque sint, qui ab obitu P. Generalis ad electionem usque pro se *n*] aut pro aliis ambierint; vel qui cum personis Societatis aut cum externis, cuiuscumque status et conditionis sint, egerint aut tractaverint, vel litteras aut favorem Praelatorum, Principum aut aliorum procuraverint ad quamvis nationem vel particularem personam promovendam ad Generalatum vel excludendam. In illos etiam, qui sinceritatem vel libertatem electionis iuxta Institutum Societatis nostrae quoquo modo directe vel indirecte impedire vel corrumpere conati fuerint. Extenditur etiam *o*] ad informationem non sinceram, eam scilicet, *p*] quae studiose mendax est, mala cum intentione, et in re gravi. Demum ipso facto ambitiosos pro se vel pro aliis eo modo, quo supra dictum est, in excommunicationem incidere decernitur, a qua non possint absolvi ante electionem *q*] nisi a

Excommunicantur ipso facto impedientes libertatem electionis, item falso informantes.
o] C. 1 d. 7 ante elect.
p] C. 2 d. 19 ante elect. C. 7 d. 55.
A quo absolvendi.
q] C. 1 d. 20 ante elect. C. 2 d. 27 ante elect.

P. Vicario, post electionem vero a R. P. Generali.

Obtrudentes informationem apud quos deferendi.

22. Qui informationes Electoribus ante coeptam Congregationem obtruserint, illos ad P. Vicarium ipsi Electores deferre teneantur, et, postquam coepta fuerit Congregatio, ad ipsos Iudices ambitionis, ut eos pro criminis eorum gravitate suo arbitrio puniant.

Iudices ambitus. P. 8 c. 6, A.

r] C. 18 d. 11 n. 6.

23. Si ipsemet Vicarius vel aliquis ex praedictis antiquioribus Professis diversarum Assistentiarum notaretur de ambitu, semper ex singulis r] Assistentiis singuli, ex iis, qui inter praedictos Professos antiquiores erunt, de proposita causa iudicabunt; excluso eo, qui notatus est ambivisse pro se aut pro aliis: et eorum quisque, ad cuius aures huiusmodi infamia perveniret, reliquos vocet, ut de ea cognoscatur. Quod si Vicarius in culpa esse iudicaretur, Congregationi ante electionem et ipsi electioni praeerit antiquissimus eorum, qui ad eius dexteram sedebunt. Horum autem Iudicum sententiis sine ulla appellatione omnino acquiescendum est. Quod si alicui videretur sibi ab illis iniuriam factam esse, ei licebit post electionem apud Congregationem agere. Qui tamen, si se sufficienter non purgaverit, iudicio Congregationis punietur.

Ab his, an sit appellatio.

Iudicium de ambitu ante quatriduum.

24. Delationes de ambitu omnes ante coeptum quatriduum iudicentur (nisi in ipso quatriduo deprehensus esset aliquis ambitiose egisse aut agere), nemine vocato consilii capiendi gratia, qui non sit ex ipsa Congregatione. Omnes autem, etiam delatores ac testes, teneantur secretum servare cum omnibus, praeterquam cum Electoribus in informatione tempore quatridui. Quin etiam Iudices, antequam sententiam ferant, non debent Electoribus in informatione dicere quae tamquam Iudices cognoverint. Si quis autem ex Iudicibus secretum non servaverit, Iudicis officio, ipso facto, privatus sit, et ab aliis Iudicibus excludatur, suffecto in eius locum alio antiquissimo, iuxta praedicta; et post electionem pro Congregationis arbitrio puniatur, sicut et ii, quos ad consilium suum ipsi Iudices vocaverint, et delatores ipsi ac testes secretum non servantes; ac multo magis, si calumniose egisse deprehensi fuerint. Porro Iudices s] hi, quorum erat de ambitu ante electionem cognoscere, post eamdem reliquo Congregationis tempore de iis etiam cognoscent (sed Vicario retinente inter eos locum iuxta ordinem, qui servatur in Congregatione), quae ab obitu Generalis usque ad novi creationem contra Constitutiones et Formulas commissa videbuntur; cum potestate in reos inquirendi, compertosque pro delicti modo puniendi, non solum privando illos ad tempus vel in perpetuum voce activa aut passiva, sed inhabilitando etiam ad munia quaelibet et officia, aliisque pro arbitrio poenis afficiendo: praesente semper, et iudicium pro sua prudentia paternoque in omnes affectu dirigente Praeposito Generali, qui, si ante electionem erat unus t] ex Iudicibus, de iisdem causis debet cognoscere tamquam Iudex, de quibus prius cognoscere debuisset; sin autem ante electionem Iudex non erat, debet solum praesidere et iudicium dirigere. Quod si agatur de ambitu in electione Assistentium, ut dicetur § 82, est Iudex ipse Generalis. In u] quem quidem, aut in eius electionem, nullam disquisitionem inire, nec ullam

Secretum in hac causa.

s] C. 7 d. 89.

t] C. 12 d. 47.

u] C. 7 d. 89.

cuiusquam delationem admittere licebit.

25. Proponatur ante quatriduum an exspectandi sint absentes, si qui abfuerint, ad electionem Praepositi faciendam ; et, si decernatur non esse exspectandos, nihilominus suus illis locus servandus erit in Congregatione, si venerint.

CAPUT III.

De iis, quae in quatriduo ante electionem fieri debent.

Electio Assistentis electionis.
a] P. 8 c. 6, D.
b] C. 10 d. 7. C. 18 d. 11 n. 8.

26. Primo die *a*] quatridui, mane, eligatur Assistens electionis per scrutinium secretum, videntibus suffragia Vicario *b*] et duobus Professis antiquioribus, ac servatis reliquis, quae supra, § 10, dicta sunt in electione Secretarii; post electionem autem Assistentis *c*] P. Vicarius ex eo loco, ubi sedet, suam habebit orationem.

c] P. 8 c. 6 n. 1.

In quatriduo nullus Domo egrediatur.

27. In ipso quatriduo nullus de Congregatione egredietur Domo sine licentia P. Vicarii, qui eam non concedet, nisi re prius collata cum omnibus Assistentibus; cum quibus etiam ipse rem communicabit, si foras ire velit ; et utroque in eventu duorum Assistentium assensus exspectandus erit. Sed neque *d*] aliorum quisquam permittatur a Superioribus egredi Domo qualibet aut Collegio loci, ubi Congregatio celebrabitur, nisi urgente necessitate ; ut *e*] Electores informationibus, et tum ipsi tum alii Missis dicendis, ieiuniis et corporis afflictionibus omnes vacent: partitionem autem ieiuniorum, disciplinarum et orationum, quae tunc fieri debebunt, P. Vicarius pro suo arbitrio faciet.

d] C. 4 d. 2 ante elect.
e] P. 8 c. 6 n. 1.

f] C. 18 d. 11 n. 4.
g] C. 1 d. 6 ante elect., c. 1.
Quinam et a quibus petent informationem.

28. In eodem *f*] dumtaxat quatriduo *g*] omnes Electores, nemine excepto, informationem petent, idque solum *h*] ab Electoribus et caeteris, qui post electionem ius suffragii in Congregatione generali habent; ita *i*] tamen, ut hi easdem leges subire in ipsis informationibus teneantur, quas Electores.

h] C. 2 d. 89. C. 4 d. 11 can. 15.
i] C. 2 d. 14 ante elect.

De quibus personis petenda informatio.
k] C. 1 d. 6 ante elect., c. 3.

29. Peti autem informationes debent *k*] de iis, de quibus venit in mentem unicuique quod possent esse idonei ad munus Praepositi Generalis , sive absentes sive praesentes sint, inter Professos tamen quatuor votorum.

Quinam defectus petendi.
l] C. 1 d. 6 ante elect., c. 5.

30. Defectus *l*], qui bonae electioni adversari possunt, et peti et dici debent, omissis illis, quae ad eam non faciunt; atque haec iuxta Constitutiones, et praecipue *m*] iuxta secundum caput nonae partis, et iuxta interrogatorium, quod a Deputatis conficietur, ut dictum est. Sed et habenda est ratio eorum, *n*] quae in secundo et tertio capite Examinis, et similiter in secundo et tertio capite primae partis *o*] Constitutionum dicuntur, quatenus ad bonam Praepositi electionem faciunt. Ex iis enim quisque sibi interrogatorium ad informationem conficere potest; nemo tamen arctandus videtur, quin interrogare possit alia, quae interroganda praeterea iudicaverit.

m] P. 9 c. 2.
n] Exa. c. 2, 3.
o] P. 1 c. 2, 3.

Quae alia petenda.
p] C. 1 d. 6 ante elect., c. 4.

31. Peti etiam *p*] debebit ab eo, qui reddit informationem, an quid aliud habeat dicendum de persona , de qua interrogatur ; et an de alia sentiat capiendam esse informationem, et an ab alio quopiam aliqua in re clariorem ac certiorem informationem habere possit inter eos, a quibus ea peti debet.

Ut petenda informatio.
q] C. 1 d. 6 ante elect., c. 5. C. 3 d. 16 ante elect. C. 3 d. 90.

32. Non petatur, *q*] an hic vel ille aptus videatur ad hoc munus , nec ne ; sed de rebus illis, ex quibus id iudicari possit. Sit porro intentio

eius, qui informationem petit, pura ab affectibus inordinatis, neque se permittat ab humanis, nedum vitiosis, duci; et solum Dei gloriam et meliorem Societatis gubernationem (quae ad commune bonum animarum ordinatur) prae oculis habeat.

Perversa intentio cavenda. r] C. 1 d. 6 ante elect., c. 5.

33. Nec solum r] ab omni ambitione pro se vel pro aliis sit liber, sed diligenter observare debet, ne voluntatis propensionem ad hunc vel illum excludendum vel admittendum habeat, aut prae se ferat, etiam cum de Secretarii et Deputatorum electione agitur. Cum autem informationem de aliquo accipit, servet alteram aurem aliis, et cor Deo, memor quod cum iuramento est electurus quem aptissimum duxerit.

Secretum servandum. s] C. 1 d. 6 ante elect., c. 5. C. 2 d. 16 ante elect.

34. Si quis s] grave aliquid in informationibus intellexerit, quod secretum requirit, teneatur in virtute sanctae obedientiae, praeterquam cum Electoribus, secretum servare; memorque charitatis caveat ne ulla ratione cuiquam significet defectus, si quos de illo audiverit, nominata potissimum persona, a qua narrati sint, aut aliquo modo indicata.

Post captam informationem quid faciendum.

35. Post informationem consideratio et discussio necessaria est, et multo magis oratio, quae illustrationem impetret a Deo, sapientiae fonte, ad bene iudicandum, et eligendum eum, qui Deo maxime sit placiturus; et in hac divina gratia, potius quam in humana diligentia, spem constituat. Proinde meminerit t] non solum voluntatem, sed iudicium cohibendum esse ab ultima definitione, donec in locum inclusionis ingrediatur, ubi post orationem quisque statuere debet quem sit electurus.

t] P. 8 c. 6 n. 1.

u] C. 1 d. 6 ante elect., c. 6. Deferatur obtrudens.

36. Nemo u] obtrudat informationem non petenti, et, qui obtruserit, deferatur ad Iudices de ambitu: caveat et is, qui petenti respondet, affectus humanos, non solum ambitionis, sed etiam cuiuscumque propensionis, quae non ducatur ex intentione honoris Dei, communis boni et bonae gubernationis Societatis.

Ratio dandi informationem. v] C. 1 d. 6 ante elect., c. 6.

37. Non solum v] mendacia, sed amplificationes et exaggerationes relinquantur; nihil temere, sed considerate et mature, certa pro certis, opinata pro opinatis, audita pro auditis referat; ut qui coram Deo agit, et ei rationem est redditurus eorum, quae in sua informatione dixerit. Qui vero alicuius defectum ab aliquo ex informatoribus audivit, aut aliis explicet interrogatus (nominato tamen eo, a quo audivit), aut interrogantem ad illum remittat.

Litterae caecae. x] C. 12 d. 44.

Postremo, si cui x] darentur epistolae, quas caecas vocant, sine subscriptione ac nomine, ad aliquem excludendum vel includendum; has ille quam primum supprimat, nec cuipiam manifestet, nisi pro rerum scriptarum gravitate rem ad Vicarium vel ad Praepositum Generalem deferendam esse, aut sub sigillo secreti uni vel alteri ex congregatis, consilii capiendi gratia, communicandam iudicaret.

Necessaria in loco Congregationis pro electione.

38. Pridie electionis, vesperi, in loco electioni deputato parentur altare cum Crucifixo, suggestus et mensa, in y] qua Vicarius, Secretarius et Assistens sedebunt) et urna, in qua coniicienda sunt suffragia; parentur item schedulae, quotquot erunt necessariae, in quibus ex una parte scriptum sit iuramentum, ut est in Constitutionibus z], hoc pacto; *Ego N. testem invoco Iesum Christum, qui est Sapientia aeterna, quod eum eligo et nomino in Praepositum Generalem*

y] P. 8 c. 6, F.

Formula iuramenti pro electione. z] P. 8 c. 6 n. 6, F.

Societatis IESU, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum. Ex alia vero parte ponantur haec verba: *Eligo in Praepositum Generalem Societatis IESU N.*, ita ut nihil desit Electori scribendum, nisi nomen electi et eligentis. Quod autem omnes iurent se eum eligere, quem senserint in Domino aptissimum ad hoc onus ferendum etc., declaratum est, a] quod, si quis duos aut plures pares omnino iudicaret, integrum sit ei dare, cui voluerit, suffragium.

Quid agendum, cum quis plures pares iudicat.

a] C. 1 d. 16 ante elect.

CAPUT IV.

De iis, quae ipso die electionis observanda sunt.

Missa et communio.
a] P. 8 c. 6 n. 3.

39. Ipso die electionis a] Missa de Spiritu Sancto celebrabitur a P. Vicario, vel ab eo, quem elegerit, et quidem publice in ecclesia, ac in aurora, et coram omnibus Electoribus; qui post eius communionem statim omnes communicabunt; et eumdem ordinem in eundo ad eam, et communicando, et redeundo, de quo b] supra dictum est, servabunt. Incedant autem bini, et ad c] campanae domesticae pulsum, quae post communionem usque ad inclusionem in loco Congregationis sonabit. Ii, qui suffragium habent, ad locum Congregationis se conferent, Cruce praecedente, aliis de Societate interim canentibus *Veni, Creator Spiritus;* quem hymnum alternatim submissa voce omnes Electores in ipso Congregationis loco dicent, et, post inclusionem Electorum, iidem de Societate in ecclesia vel alibi dicent litanias, et continuam orationem, quae usque ad electionem durabit, habebunt.

b] n. 6.

c] P. 8 c. 6 n. 4.

Ordo eundi ad Congregationem.

Includantur Electores.
d] P. 8 c. 6 n. 4.

40. Includantur autem d] Electores in loco Congregationis per Deputatos iam antea ad hoc electos; ita ut nec inde egredi, nec aliquid ad victum, praeter panem et aquam, dari possit, donec Praepositum Generalem elegerint. Quo in loco e] servabunt omnes silentium, ita ut unus cum alio non colloquatur in iis, quae ad electionem pertinent, nisi quid esset, quod necessarium videretur: et id quidem coram omnibus dicendum esset. Nulla tamen protestatio in eo loco admittenda erit; nec quidquam aliud a quocumque proponatur, quod electionem impedire, perturbare, aut differre ullo modo possit.

Silentium servandum.
e] P. 8 c. 6, C.

Nulla protestatio fiat.

41. Inclusis Electoribus, primum habeatur f] concio a Deputato per Congregationem, qua in genere exhortetur ad electionem eius Praepositi, qui ad maius DEI obsequium conveniat, nullo dato signo, quo particularis aliqua persona significetur. Deinde g] unusquisque seorsim orabit DEUM per horam; et, cum nullo alio loquendo, in Creatoris sui ac Domini conspectu ex iis, quae prius intellexit, apud se statuet quem sit electurus, absque novis informationibus, quae nullae sumendae sunt in loco inclusionis; sed ex praecedentibus, cum gratia tam illustrationis quam discursus accepta a DEO et prius et eodem loco, electionem faciet Praepositi Generalis, quem inter absentes et praesentes, Professos tamen quatuor votorum, eligi oportet.

Habeatur concio ad congregandos.
f] P. 8 c. 6 n. 4.

Orent per horam.
g] P. 8 c. 6 n. 6.

42. Peracta oratione, h] P. Vicarius stans caeteris omnibus hanc absolutionem dabit: *Ego N., Vicarius Generalis Societatis IESU, auctoritate DEI omnipotentis mihi, licet indignissimo, per Sedem Apostolicam concessa, absolvo vos a quavis sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, et a quibusvis aliis sententiis, censuris*

Absolutio a censuris danda a Vicario caeteris.
h] P. 8 c. 6 n. 6.
C. 1 d. 15 ante elect.

i] P. 8 c. 6, E. C. 2 d. 28 ante elect.

et poenis, et, quatenus sit opus, dispenso vobiscum super irregularitate quavis i] *(dummodo sententias, censuras, et poenas, ac irregularitatem huiusmodi ob defectus ad electionem hanc pertinentes non incurreritis) ad effectum legitimae electionis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Quam eamdem absolutionem dabit Vicario is, qui fuerit Professione antiquissimus. Quod si forte post absolutionem constiterit aliquem ex Electoribus ipso electionis tempore censura aliqua aut irregularitate fuisse innodatum ob defectum aliquem ad electionem pertinentem, nulla ratione id Praeposito nocebit, quominus legitime electus censeatur.

Ipsi quoque Vicario ab alio.

Modus eligendi per inspirationem.

k] P. 8 c. 6 n. 5.

43. Data absolutione, *k*] si omnes communi inspiratione, non exspectato ordine suffragiorum, quempiam eligerent, ille sit Praepositus Generalis: omnem enim ordinem et eligendi formulam Spiritus Sanctus, qui ad eiusmodi electionem eos movet, facile supplet; eaque acceptari debet, modo adeo luculenta esset et notoria, ne ullo quidem dempto, ut nulla tergiversatione negari posset divinam esse inspirationem.

Quomodo scribendum suffragium.

l] P. 8 c. 6 n. 6.

44. Quando *l*] eo modo non peragetur electio, unusquisque in charta, propria manu, scribet nomen personae, quam eligit in Praepositum Generalem; sed mutato, quantum fieri poterit, charactere, ne agnosci possit a tribus illis, qui suffragia visuri et lecturi sunt; et nomen suum subscribat, quod maneat obsignatum iuxta decretum *m*] Concilii Tridentini, in quo praecipitur Generales eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur.

m] Sess. 25 de Reg. c. 6.

Iuramentum Vicarii, Secretarii et Assistentis.

45. Deinde, cum ad sedes suas omnes convenerint, P. Vicarius, Secretarius et Assistens, stantes ad mensam, singuli coram Deo, ut singulis quadrat, se sincere accepturos et publicaturos suffragia iurabunt in hunc modum: *n*] *Testem invoco Deum, cuius oculis omnia nuda sunt, me fideliter accepturum et publicaturum suffragia; et, quae ad officium meum pertinent, sincera cum intentione me praestiturum.* *o*] *Protestor etiam in divinae Maiestatis conspectu et universae Societatis, quam hic repraesentamus, me neminem admittere velle, qui non sit admittendus, nec excludere, qui non sit excludendus.*

n] C. 1 d. 15 ante elect.

o] P. 8 c. 6 n. 6. C. 1 d. 15 ante elect.

Ratio ferendi suffragium.

p] P. 8 c. 6 n. 6. C. 1 d. 16 ante elect.

46. Hac protestatione facta, statim tentandum erit primum scrutinium. Quocirca *p*] Secretarius, stans ad mensam, dicet P. Vicario: *Pater, da tuum suffragium in nomine Iesu.* Mox Vicarius, surgens ad altare, flectet genua coram Crucifixo, et signans se Cruce, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, legat iuramentum a tergo schedulae scriptum: deinde surgens, et duobus digitis clausum suffragium suum ostendens, in urnam mittet; et se rursum inclinans coram Crucifixo, redibit ad locum suum, et mox dicet duobus sociis suis et caeteris: *Omnes ordine ferant sua suffragia in nomine Iesu.* Deinde surgens Secretarius, tum Assistens, et postea reliqui suo ordine singillatim iuramentum facient, et sua suffragia ferent ad exemplum P. Vicarii.

Modus legendi suffragia.

47. His peractis, Secretarius ex urna, in qua prius mixta fuerint suffragia, ea extrahat, et numeret alta voce; et, si iustus fuerit numerus, singillatim accipiens tradat P. Vicario: ille autem visa et utrique socio ostensa leget publice, vel Secretario

legenda reddet: et in hac promulgatione electus tantum nominetur, obsignato manente nomine eligentis, ut dictum est. *

* n. 44.

Quot suffragia pro electione Generalis.

q] P. 8 c. 6 n. 6.

48. Post singulorum q] suffragiorum publicationem conferentur numeri, si plures nominati fuerint; et, qui plus quam mediam partem omnium suffragiorum habuerit, Generalis Praepositus erit; si tamen numerus omnium Electorum impar fuerit, ac proinde mediam partem non habuerit, is censeatur habere plus quam mediam partem suffragiorum, cui ex duabus partibus maior obtigerit. Si vero in primo scrutinio nullus habuerit amplius quam medietatem suffragiorum, ante Compromissariorum electionem tentandum eodem pacto erit secundum scrutinium inter omnes, qui habuerint suffragium aliquod; sed iuramentum in primo scrutinio emissum non erit repetendum, iuxta declarationem r] Congregationis decimae. Si autem neque in secundo crearetur Praepositus, eodem modo tertium tentandum erit; et, si opus erit, quartum, aut etiam quintum. Quod si ne tum quidem crearetur Praepositus, Congregatio, si ei videatur, ulterius progredi poterit in scrutiniis, donec Generalis electus sit; sin vero s] post quintum scrutinium Congregatio ad duas saltem tertias suffragiorum partes censuerit Compromissarios esse faciendos, tunc Electores, t] ex singulis Assistentiis singuli, ad plura medietate suffragia eligendi erunt; et ad quem maior pars eorum inclinabit (servata ab his eadem electionis forma), ille Praepositus Generalis erit.

r] C. 10 d. 15.

s] P. 8 c. 6 n. 7.

Compromissarii eligendi.

t] C. 18 d. 11 n. 6.

Iuramentum, et modus eligendi Electores.

49. Ad hos Electores eligendos danda est una hora; et servanda est in eorum electione haec forma iurandi: u] *Testem invoco* IESUM *Christum, qui Sapientia est aeterna, quod ego N. illum eligo et nomino in Praepositum Generalem Societatis* IESU, *quem Electores ad id constituti elegerint et nominaverint; quodque ad hoc illos eligo in Compromissarios, quos sentio ad id munus aptissimos.* Deinde scribentur suffragia pro singulis Compromissariis eligendis, servata eadem ferendi et publicandi forma, quae servatur in electione Generalis, excepto iuramento. Si vero contingeret hos Compromissarios ita suum dare suffragium, ut pars ex duabus maior in neminem conveniret; tunc decidetur a Congregatione quid erit agendum. Eligent autem hi Compromissarii Praepositum Generalem ex iis, qui v] aliqua suffragia habuerint, sepositis illis, qui ad tria non pertigissent. Quod si duo vel tres valde magno excessu plura suffragia habuerint quam alii; illi nec activam nec passivam vocem ad electionem Compromissariorum habebunt.

u] P. 8 c. 6, B.

v] C. 1 d. 17 ante elect.

Formula decreti in electione Generalis.

50. Quovis modo ex praedictis suffragiorum numerus sufficiens ad creandum Generalem exierit, P. Vicarius, si ipse electus non fuerit, significabit publice plura esse medietate suffragia eius, qui eligitur, et mox conficiet decretum in hanc formam: x] *Cum in plena et legitima Congregatione, collato numero omnium suffragiorum, plus quam media pars omnium Reverendum Patrem N. nominaverit et elegerit; ego N. auctoritate Sedis Apostolicae et universae Societatis eligo praedictum Reverendum Patrem N. in Praepositum Generalem Societatis* IESU, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.* Romae, vel alibi. Si Vicarius ipse electus esset, publicabit suffragia et

x] P. 8 c. 6 n. 6.

formabit decretum Secretarius, scribeturque a Secretario decretum, et subscribetur ab eo, qui id formaverit, sigilloque Societatis obsignabitur.

Post promulgationem nihil tentandum. y] *P. 8 c. 6 n. 8.*

51. Post promulgationem y] nulli integrum erit aliam electionem tentare: et hoc observet, qui schismaticus et ruinae Societatis auctor haberi nolit, et in poenam excommunicationis latae sententiae incidere, aliasque graves censuras subire pro arbitrio Societatis, cui unio et conformitas omnimoda ad Dei gloriam convenit. Deinde statim z] omnes ad reverentiam electo Praeposito exhibendam accedant, incipiente Vicario cum Secretario et Assistente, ordine prius dicto, nisi aliquis ex ipsis electus esset: et, flexo utroque genu, manum eius osculentur. Qui vero electus fuerit, nec electionem nec exhibitam reverentiam (memor cuius nomine eam admittere debet) recusare poterit. Caeterum, a] si absentem eligi contingat, eumque in urbe esse, in qua fit electio, non est e Congregationis loco egrediendum, donec evocetur, et reverentia illi exhibeatur. Dum evocatur autem, neque ipsi neque aliis quidquam est de electione indicandum. Similiter, si ab urbe absit non amplius octo vel decem dierum itinere, vocandus est statim, vacandumque interim Congregationi ab omni rerum tractatione. At si longius abest, ita ut longiore spatio temporis exspectari necesse sit; perget interim cum Vicario Congregatio in rerum tractatione, sola Assistentium et Admonitoris electione in finem reservata.

Reverentia exhibenda electo Generali. z] *P. 8 c. 6 n. 6, G.*

Quid, si eligatur absens. a] *C. 7 d. 38.*

Moneantur inclusores. Comburantur suffragia. b] *C. 2 d. 21 ante elect.*

52. Post exhibitam reverentiam, moneantur inclusores a Secretario de Generalis electione, et in ipso Congregationis loco b] statim comburantur suffragia. Deinde omnes c] ad ecclesiam se conferant, canentibus aliis de Societate *Benedictus Dominus Deus Israel*, etc. inter eundum, et in ipsa ecclesia *Te Deum laudamus;* et unus Sacerdos dicet tres orationes, primam de Trinitate, secundam in gratiarum actionem, tertiam de die, vel de Beata Virgine; et quartam d] de S. Ignatio P. N. ad ipsius depositum seu altare, si Romae electus fuerit Generalis; et usque ad egressum de ecclesia Praepositus non admittat oscula manuum ab aliis, quam ab Electoribus.

Ordo eundi ad ecclesiam. c] *C. 1 d. 16 ante elect.*

d] *Praxis in C. 9, 10, 12, etc.*

CAPUT V.

Quid agendum, si Generalis in ipsa Congregatione aut paulo post e vivis decedat.

Quid, si Generalis moriatur ipso Congregationis tempore, vel ea vix absoluta?

53. Si Praepositum Generalem e vivis decedere contingat ipso generalis Congregationis tempore, vel certe statim post dissolutam Congregationem, Patribus Congregationis adhuc in eo loco, ubi habita est Congregatio, consistentibus; tunc, si nullus a Generali demortuo Vicarius nominatus fuerit, antiquissimus professione veterum Assistentium Congregationi et electioni praesidebit: (quo a] praesidendi iure gaudebit etiam ex Assistentibus professione antiquissimus iuxta decretum 10 Congregationis decimae, si contingat Vicarium e vivis decedere, quando iam advenere omnes Electores, vel duae tertiae illorum partes). Ad summum autem biduo post sepulturam absolventur informationes, ut die tertio post illam electio successoris fiat. Post electionem vero non erit opus eligere novos Assistentes et Admo-

a] *C. 18 d. 11 n. 5.*

nitorem novum; satis enim erit, si Assistentes et Admonitor praedecessoris confirmentur, nisi eorum aliquis in Generalem electus esset. Quod sic intelligendum est, b] ut integrum Congregationi sit, vel novos eligere vel antiquos confirmare. Proinde per secreta suffragia videndum erit, an priores confirmandi sint, an alii eligendi.

b] C. 6 d. 27 n. 4.

Quid, si moriatur postquam Electores abierint?

c] C. 12 d. 48.

54. Si Praepositus Generalis moriatur c] postquam aliqui ex Electoribus abierint ex eo loco, in quo habita fuit Congregatio, nova tunc Vicarii electio facienda est, et quidem iuxta Formulam Congregationis ad eligendum Vicarium Generalem, si nullus tunc Vicarius nominatus fuerit a Generali demortuo. Neque eo nomine, quod in Congregatione generali fuerint Electores, qui adhuc supersunt, ius illis ad Vicarium eligendum supererit; sed ad hanc electionem erunt admittendi solum iuxta professionis antiquitatem; et si, qui abierunt, intra breve tempus revocari posse videbuntur Vicario et congregatis, qui remanserunt, revocentur, et procedatur statuto die ad electionem novi Generalis: et, ubi redintegrata fuerit Congregatio, sedeant omnes et sententias dicant quemadmodum antequam Congregatio dissolveretur; etiamsi alii ad alia officia mutati sint, aut aliis Provinciis assignati. Quod d] si Electores in Provincias suas iam reversi, aut prope easdem in reditu fuerint constituti, tum cogendae rursus erunt provinciales Congregationes, et ad mittendorum electionem procedendum.

d] C. 7 d. 38.

e] C. 12 d. 54.

Porro e] si Praepositum Generalem, nullo Vicario nominato, mori contigerit extra Romam; si suam sedem Romae habuerit, quocumque intra Provinciam romanam loco obierit, Romae celebranda erit Vicarii electio; sin autem extra Provinciam romanam decesserit, servanda erit Formula Congregationis ad eligendum Vicarium, § 3. Quod vero ad Assistentes spectat, f] standum erit decreto 34 Congregationis nonae, ubi declaratur ius illis competere, si praesentes fuerint, seclusa etiam professionis antiquitate. Praesentes g] autem non censentur, si, cum extra Provinciam romanam obierit Generalis, ipsi Romae tunc fuerint, uti decreto 54 Congregationis duodecimae fuit declaratum.

f] C. 9 d. 34.

g] C. 12 d. 54.

CAPUT VI.

*Quo pacto procedendum sit in caeteris casibus initio * propositis.*

* n. 1.

Quid in secundo casu faciendum.

55. Si secundus casus initio propositus (qui cum Dei gratia speratur non eventurus) incidisset, ut Generalis Praepositus propter quaedam, a] quae in capite quarto nonae partis Constitutionum continentur, officio privandus videretur, ad Assistentes spectat Congregationem generalem cogere; nisi res adeo manifesta esset, ut Provinciales, non exspectata Assistentium convocatione, alii alios vocando, singuli cum duobus sociis per Congregationem provincialem electis convenirent. Quo autem pacto in hac Congregatione et cogenda et celebranda procedendum esset, b] capite quinto eiusdem partis, paragrapho quarto et quinto praescribitur.

a] P. 9 c. 4 n. 7.

b] P. 9 c. 5 n. 4, 5, B, C.

Quid in tertio casu.

c] P. 9 c. 4 n. 6.

56. Tertius casus evenire potest, c] si Generalis Praepositus valde negligens vel remissus fuerit in rebus magni momenti ad eius officium pertinentibus, propter corporis gravem

aegritudinem, aut senium, spe emendationis ea in parte sublata, unde multum detrimenti publicum bonum pateretur. Tunc, si Generalis Vicarium sibi substituere, aut non possit, aut nolit; d] Assistentes, quorum est iudicare quando sit substituendus Vicarius, curabunt eligi Vicarium iuxta Formulam eligendi demortuo Generali: neque necessarium est e] ut Assistentes prorsus omnes, sed satis est, si pars illorum maior in hoc iudicio consentiat: eam vero Congregationem cogere ad eos spectabit, qui designati sunt in paragrapho secundo et tertio Formulae Congregationis ad eligendum Vicarium, quemadmodum f] a Congregatione duodecima fuit definitum. Vicarius autem sic electus g] quam primum, consultis Assistentibus, monebit Societatem de statu Generalis, prout statuitur in decreto 29 Congregationis octavae. Quod si maior pars habentium ius suffragii in eo casu iudicaverit cogendam esse Congregationem generalem, ita fiet; et tenebitur Vicarius eam indicere, et dare operam ut magna cum diligentia celebretur, procedeturque in ea celebranda eodem modo, quo h] in Constitutionibus capite quinto nonae partis, paragrapho sexto praescribitur; et fient pro bono eius successu, quemadmodum et in secundo casu, Sacrificia et orationes in Societate, prout Vicario et Assistentibus in Domino videbitur.

d] C. 8 d. 28.
e] C. 12 d. 55.
f] C. 12 d. 55.
g] C. 8 d. 29.
h] P. 9 c. 5 n. 6.

Quid in quarto casu.

57. In quarto etiam casu, quando videlicet in Congregatione Procuratorum id decernetur, ad eumdem Generalem Praepositum spectat Congregationem indicere; quemadmodum et quandocumque ipse per se cogendam iudicaverit, i] ut in octava et nona Constitutionum partibus dicitur. In utroque autem casu (sicut et in omnibus praedictis), postquam absoluta fuerint illa, propter quae praecipue Congregationes coactae sunt; de iis rebus tractabitur, quae et graves sint, et ad statum Societatis pertineant, aut difficiles admodum videantur, et quae a Generali cum suis Assistentibus expediri nequeant. Quoties k] vero et quacumque ex causa generalis Congregatio cogetur, electi a Congregatione provinciali censendi sunt semper electi, tum ad negotia tractanda, tum ad Praepositi Generalis et Assistentium electionem, si eo tempore eligi debeant, nec opus est provinciales Congregationes denuo convocare. Porro in rebus tractandis sequens methodus servabitur.

i] P. 8 c. 4 n. 2. P. 9 c. 8 n. 12.
k] C. 6 d. 35 n. 18.

Electi in Congr. prov. censentur electi tum ad negotia, tum ad electionem Praep. Gen. et Assist.

CAPUT VII.

Methodus procedendi in Congregatione generali, quandocumque in ea, peracto principali negotio, aut statim a principio de aliis rebus agitur.

C. 4 d. 44.

Generalis suffragium et ius in Congregatione.

58. Praepositus Generalis praeest Congregationi generali post electionem, ad quem pertinet eam in omnibus dirigere, et, si a] ea corporis valetudine non esset, ut posset rebus omnibus tractandis interesse, posset alium suo loco substituere: in illa autem ipse duo suffragia habet, in secretis b] etiam scrutiniis, et praeterea qualitatem praecedendi caeteris paribus c] iuxta Constitutiones, quando agetur publicis suffragiis. Quod vero in canone trigesimo secundo primae Congregationis statuitur, non licere Praeposito Generali mutare Officiales, qui ab ipso creantur, usque ad dissolutionem Congre-

a] P. 8 c. 7 n. 4.
b] C. 18 d. 8.
c] P. 8 c. 3 n. 2.

Mutatio Superiorum tempore Congregationis. C. 1 d. 1 can. 32.

gationis, absolute de omni generali Congregatione, quibuscumque in casibus congregata, intelligendum est; et ut Provinciales mutari non possint *d*] iuxta decretum sexagesimum sextum Congregationis septimae, non tantum post inchoatam Congregationem, sed nec post decretam, non obstante *e*] decreto trigesimo quinto, numero vigesimo, Congregationis sextae. Mutare *f*] tamen potest Rectores Seminariorum externorum, Magistros Novitiorum et Instructores Patrum tertiae probationis, qui simul Rectores non sunt. Quod si Congregatio generalis cogenda decernatur in Procuratorum Congregatione, *g*] non est censenda decreta eo ipso die, quo in Congregatione Procuratorum id statuitur, sed a die tantum indictionis factae a Generali; post quem ab illo Provinciales mutari non poterunt, nisi in certis casibus, in quibus potest et ipse *h*] Vicarius ex septima sua regula.

Praeterea si contingeret ut quae a P. Generali, *i*] antequam ab illo indicta esset Congregatio, missae fuerant litterae, quibus novum Provincialem designabat, non antea, sed solum post factam indictionem Congregationis generalis pervenirent in Provinciam; Provinciali antiquo novus ille deberet substitui, eritque legitima haec mutatio, etiamsi, antequam fieret, sciretur indicta Congregatio generalis: nisi tamen *k*] ante indictam Congregationem antiquus Provincialis triennium non explevisset, et constaret Generalem non voluisse illum ante tempus exauctorare.

Rectores *l*] vero aliosque Superiores locales, qui sui regiminis tempus absolverunt, mutare potest Generalis, etiamsi decreta iam sit aut indicta Congregatio generalis; neque solum post, sed etiam ante Congregationem provincialem. Provinciales *m*] denique ac Superiores locales, a defuncto Generali nominati in locum eorum, qui suum moriente Generali triennium nondum expleverunt, quosque constat ipsum non voluisse ante tempus exauctorare, non poterunt a Vicario Generali renuntiari; cum nec Praepositus ipse Generalis vivens possit post indictam Congregationem generalem Provinciales mutare: secus vero si ante Generalis obitum elapsum fuerat triennium eorum, quibus successores fuerant destinati. Si tamen *n*] contigerit ante obitum Generalis missas iam fuisse litteras pro successore eius, qui suum triennium paulo post obitum Generalis solum expleverit, fuisseque iam successorem illi substitutum, antequam quidquam de morte Generalis seu de indicta Congregatione innotuerit; valida ac legitima erit mutatio: contra autem, si, priusquam mutatio fieret, de morte Generalis aut indicta Congregatione notitia habeatur, sive a Provinciali sive a Rectore aut eius futuro successore, et quacumque tandem via, sive ex litteris Vicarii Generalis sive aliunde, nulla in eo casu facienda est mutatio; et, si fiat, nulla erit ac irrita. Porro quae de non mutandis a Generali Provincialibus post indictam Congregationem generalem dicta sunt, non esse intelligenda de Provincialibus extra Europam declaravit *o*] Congregatio duodecima, actione quadragesima nona, numero primo.

Quae in Congregatione tractanda.

59. In Congregatione generali, post electionem, *p*] de rebus gravioribus, de quibus in ea necessario tractandum est, quam expeditissime fieri poterit, tractetur. Ea vero sunt, quae

d] C. 7 d. 66.
e] C. 6 d. 35 n. 20.
f] C. 16 d. 7.
g] C. 12 d. 32.
h] Offic. Vic. n. 7.
i] C. 12 d. 33.
k] C. 13 d. 21.
l] C. 12 d. 31.
m] C. 12 d. 30.
n] C. 12 d. 30.
o] C. 12 Act. 49 n. 1.
p] P. 8 c. 4 n. 2. P. 8 c. 7 n. 1.

a Generali cum Assistentibus definiri non possunt.

Oratio in principio et fine cuiusque sessionis. q] C. 6 d. 35 n. 9.

Ante omnia autem ad bonam rerum omnium determinationem q] divinum auxilium initio singularum sessionum privata aliqua brevi oratione est implorandum iuxta consuetudinem; eodemque r] etiam modo singulae sessiones concludendae. In prima tamen sessione dicatur simul ab omnibus alternatim et submissa voce hymnus *Veni, Creator Spiritus,* cum sua oratione.

r] C. 7 d. 79.

Secretarius Societatis et Procuratores vocandi ad Congregationem. s] C. 3 d. 44. t] C. 4 d. 35. u] C. 4 d. 11.

60. Praeter eos, qui habuerunt suffragium in electione Praepositi Generalis, vocandi sunt Procuratores, s] Generalis et t] Provinciarum, si qui praesentes fuerint, et u] Secretarius Societatis, et si quis alius habeat suffragium in Congregatione post electionem iuxta Constitutiones et Decreta, si de illis omnibus constet quod legitime ad Congregationem accesserint. Quod si de aliquo erit dubitatio, non admittatur donec Congregatio de illo constituerit.

v] C. 13 d. 4.

Porro etiam v] illi Procuratores Provinciarum censebuntur legitime ad Congregationem accessisse, qui, etsi non sint missi ab aliqua Congregatione Provinciae, vocati tamen sunt a Praeposito Generali ad tractanda negotia, vel missi a Provincialibus cum approbatione Generalis saltem subsecuta missionem ipsorum. Sufficiet quoque intervenisse auctoritatem Vicarii Generalis cum iudicio et suffragatione PP. Assistentium, agendo de Procuratoribus Provinciarum extra Europam.

x] C. 13 d. 6.

Admittendi x] similiter erunt Procuratores Vice Provinciarum, modo electi fuerint a Vice Provinciali, et Consultoribus, ac Professis quatuor votorum, qui eo in loco, ubi aderat Vice Provincialis, fuerint.

y] C. 4 d. 64 can. 19.

Iidem omnes y] in suo gradu et ordine sedeant: sic scilicet, ut, si Professi fuerint quatuor votorum, sedeant inter Electores iuxta ordinem antiquitatis suae professionis, reliqui vero omnes post Electores hoc ordine sequantur: ut primo loco sint Professi trium votorum; secundo Coadiutores formati; tertio caeteri; omnes iuxta antiquitatem sui gradus in Societate.

Eorum suffragium.

z] C. 13 d. 5.

Habebunt denique iidem omnes ius suffragii activi ad omnia, praeterquam ad electionem Assistentium; ius z] autem suffragii passivi non habebunt in electione Secretarii Congregationis eiusque Sociorum, ac neque in electione Deputatorum.

Secretarius Congregationis eligendus. a] C. 2 d. 80. cui duo socii adiungendi. b] C. 2 d. 81.

61. Denique ad plura suffragia secreta eligendus est Secretarius a] Congregationis; cui adiungendi sunt b] duo alii Patres eodem modo electi, qui eum ad numeranda suffragia et conficienda Decreta adiuvent.

Deputati ad seligenda proposita. c] C. 18 d. 11 n. 8. d] C. 2 d. 4. C. 3 d. 8.

62. Item deputandi sunt c] Patres, e singulis Assistentiis singuli, ad plura ac secreta suffragia, d] maxime ex ordine Provincialium et Assistentium (aliis tamen non exclusis), qui una cum P. Praeposito decernent, ad plura suffragia, quae reiicienda, quae ad ipsum P. Praepositum referenda, et quae in Congregatione proponenda erunt. Quae autem proponenda visa fuerint, Secretarius cum aliquo ex Deputatis in unum colligat, et in ordinem redigat.

Generalis suffragium in Deputatione. e] C. 1 d. 8.

Porro ipse e] P. Praepositus in hac et aliis Deputationibus, ut Definitorum, unum tantum suffragium habebit, cum praerogativa praecedendi ubi vota fuerint paria. Adsit etiam Secretarius, aut alter eius sociorum, qui, quae opus fuerint, scribat.

Diversi sint hi Deputati ab aliis pro detrimentis. f] C. 12 d. 49.

Hi vero Deputati, ad seligenda postulata electi, f] diversi omnino esse debent ab aliis pro detrimen-

tis cognoscendis, paragrapho decimo quinto designatis, non tamen a PP. Assistentibus, g] quos etiam tam antiquos quam novos, quando Deputati non erunt, ad consultationes illas advocari conveniet consilii causa. Et Deputati quidem ad detrimenta cognoscenda, in omni Congregatione generali, quacumque ex causa indicta haec fuerit, eligi debent, h] iuxta decretum septuagesimum octavum Congregationis septimae; non tamen facienda est duplex Deputatio pro detrimentis, sed i] unica omnino eademque sufficiet, cum ante tum post electionem Generalis; adeoque illi iidem, qui prius de detrimentis una cum Vicario Generali et Assistentibus cognoverant, de iis una cum Praeposito Generali, k] adhibitis etiam, si huic placuerit, Assistentibus, postea cognoscent; diversi tamen omnino erunt, ut dictum est, ab aliis ad seligenda postulata post electionem Generalis Deputatis, quemadmodum Congregatio duodecima decreto quadragesimo nono declaravit. De praecepto autem illis imposito, ne quovis modo manifestent delatorem, videatur § 15.

g] C. 18 Act. 6, 21.

Deputati ad detrimenta eligantur in omni Congregatione generali.

h] C. 7 d. 78.

Unica Deputatio pro detrimentis.

i] C. 12 d. 49.

k] C. 18 Act. 23.

Nemo, qui non sit de Congregatione, se immisceat.

63. Nec quisquam eorum, qui non sunt de Congregatione, ea durante, in rebus, quae in illa tractantur, se immisceat; aut earum statum ac progressum a Congregatis interroget, illisque vel memorialia vel informationes obtrudat; aut, ut hanc vel illam sententiam sequantur, sollicitet (de qua re congregati eos, quos sic agere deprehenderint, admonere tenebuntur); sed, si quis aliqua proponere voluerit, ea a se subscripta ad Secretarium Congregationis aut ad aliquem ex Deputatis ad seligenda ea, quae proponenda sunt, deferat.

Ordo proponendi.

l] P. 8 c. 7 n. 2. C. 7 d. 78.

64. Proponantur Congregationi primo loco l] quae P. Praepositus attulerit; deinde quae Provinciae singulae proponenda miserint, habita inter eas ratione antiquitatis Provincialium in professione; tum quae Assistentes, Provinciales eorumque socii; denique quae Procuratores et alii de Congregatione, servato inter eos simili ordine antiquitatis iuxta Constitutiones, et tunc nomen suum subscribant oportet, alioquin suo iuri quoad ordinem in proponendo cedere censeantur; tum quae ab aliis, qui de Congregatione non sunt, proposita fuerunt Deputatis, et ab ipsis digna iudicata quae proponantur; postremo, quae quisque Congregatorum voluerit de iis, quae a se proposita Deputatis, et ab illis reiecta fuerint, si minus illorum iudicio acquieverit. Sed, prius quam de reiectis tractetur, decernendum erit, utrum de illis agendum sit, nec ne? m] non proponendo in genere, an sit agendum de reiectis; sed, ubi aliquis Congregatorum proposuerit unum reiectum, decernatur, an de illo agendum sit?; tum sic de alio, si aliud propositum fuerit; et sic singillatim de singulis.

Reiecta ultimo loco, et qua ratione proponenda.

m] C. 12 d. 56 n. 8.

Dies pro electione Assistentium et Admonitoris.

65. Post electos Deputatos, assignetur dies ad electionem Assistentium et Monitoris iuxta formam electionis eorum inferius praescriptam; n] ut quam primum circa P. Praepositum suo munere fungi possint. Interim de negotiis agi poterit.

n] C. 2 d. 20 can. 21.

Nihil de substantialium Constitutionum mutatione agendum. Quid de aliis.

o] C. 1 d. 15, 16. C. 2 d. 6.

66. Non solum o] in universum, sed nec particulatim de Constitutionum substantialium nostri Instituti mutatione agendum est. De aliorum mutatione in Congregatione tractari poterit; sed sine experimento vel ratione clarissima nihil mutetur. Li-

cet tamen de omnibus declarationem petere referendo ad Congregationem, ut ipsa censeat qua declaratione sit opus.

Quomodo res proponendae Congregationi.

p] C. 1 d. 4.

67. In rebus gravioribus, cuiusmodi sunt quae in Congregatione generali necessario veniunt tractandae, p] uno die rem proponi, et alio confici oportet: ita tamen, ut eorum, quae proponentur, rationes ab iis, qui proposuerint, verbo, si videbitur, explicentur; sed q] omnino scriptae in medio relinquantur, ut omnes considerare possint: si quae alia proponenda erunt, eodem aut alio die pro arbitrio P. Praepositi tractabuntur. Curabunt autem Deputati, ne aliquando desit quod in Congregatione tractetur.

q] P. 8 c. 7 n. 2.

Quaenam substantialia.
r] C. 1 d. 16.
C. 2 d. 6.

68. De substantialibus r] nostri Instituti, quemadmodum in prima et secunda Congregatione statutum fuit, nihil omnino agendum est in Congregatione. Ea autem in primis sunt, quae in Formula s] seu regula Societatis Iulio III, Summo Pontifici, proposita, et ab eo aliisque eius successoribus confirmata continentur. Deinde ea, sine quibus illa aut nullo modo aut vix constare possunt, cuiusmodi sunt: esse aliqua impedimenta essentialia in admittendo; non esse necessarium ut in dimittendis forma iudicialis servetur; reddendam esse Superiori conscientiae rationem; contentum esse debere unumquemque, ut omnia, quae in eo notata fuerint, per quemvis, qui extra confessionem ea acceperit, Superioribus manifestentur; paratos esse debere omnes, ut se invicem manifestent debito cum amore et charitate; et alia similia. De iis vero, quae pertinent t] ad alias Constitutiones condendas, et aliis gravioribus, ut alienare vel dissolvere Domos vel Collegia semel erecta, et similia, semper ad plura medietate suffragia decernendum est. De caeteris vero minus u] gravibus ad plura suffragia definire possit Congregatio. Caeterum si de immutandis abrogandisque Constitutionibus in Congregatione proponatur, minime de iis tractare licebit, nisi prius ad plura medietate suffragia de iisdem agendum statuatur. Ipsa v] vero deliberatio et decretum non fiat, nisi ad duas tertias partes, non obstantibus Decretis in prima Congregatione generali, uti habetur ex canone secundo sextae Congregationis.

s] C. 5 d. 44, 45, 58 can. 17.

t] C. 2 d. 7.
De gravioribus ad plura medietate suffragia decernendum.

De minus gravibus ad plura.
u] C. 2 d. 7.

De mutatione Constitutionum ad duas tertias.
v] C. 6 d. 11 can. 2.

Quomodo dicendae sententiae.

69. In dicendis sententiis curandum est, ut breviter, libere et sincere, coram Deo re considerata, cum modestia dicatur; nec, qui posteriores dicunt, priorum dicta inutiliter cum iactura temporis et aliorum taedio repetant.

Deputationes quando faciendae.

70. Si negotiorum multitudo aut qualitas ita exiget, Deputationes fieri poterunt a Congregatione, vel ex commissione a P. Praeposito, ad ea tractanda et ordinanda, ad quae fuerint deputati, qui postea ad Congregationem referant, ut ea de illis diiudicet, statuat, aut ad Definitores reiiciat, si eligantur.

Definitores quomodo et quando eligendi.
x] C. 4 d. 42 can. 20.

71. In iis casibus, in quibus Definitores eligi oportebit, x] servetur decretum quadragesimum secundum Congregationis quartae, ut scilicet ad duas saltem tertias partes suffragiorum statuatur, an eligendi sint Definitores, de quibus y] Constitutiones parte octava, capite septimo, paragrapho tertio loquuntur. Definitores vero ad celeriorem negotiorum expeditionem z] an eligendi sint, ad plura medietate suffragia statuatur;

y] P. 8 c. 7 n. 3.

z] C. 12 d. 22.

et in utroque casu utriusque generis Definitores ad plura medietate suffragia eligantur; et posterioris quidem generis Definitores ad ea definienda, quae Congregatio specialiter illis commiserit, et cum ea potestate, quam eadem Congregatio tunc illis dandam esse iudicaverit.

Definitores sint ex variis Assistentiis.

72. Quoties autem eiusmodi Definitores eligendi erunt, ii ex variis Assistentiis, quantum fieri poterit, eligantur: qui quidem cum P. Praeposito de omnibus specialiter sibi commissis ad plura suffragia definiant a] iuxta Constitutiones et facultatem a Congregatione sibi traditam. Porro decreta, quae ab eis conduntur, parieti affigenda sunt, ut melius considerari possint, et postea Congregationi publice proponenda.

a] *P. 8 c. 7 n. 8.*

Intercessio quando et quoties permittenda. b] *C. 1 d. 9. C. 7 d. 87.*

73. Post decretum Congregationis plenae b] conceditur cuivis tridui spatio (nam intercedere post triduum non licet) una intercessio, id est facultas contradicendi in re quavis. In abrogatione autem alicuius veteris Constitutionis, vel novae introductione, etiam duae intercessiones permittuntur. Sed cum de decretis Definitorum agitur, apud eosdem Definitores interceditur, nisi Congregatio id sibi in aliqua re particulari reservaverit. Standum est nihilominus, sive semel sive bis intercedatur, eorum definitioni, penes quos fuerit definiendi facultas.

Acta scribenda et legenda in Congregatione. c] *C. 2 d. 79.*

74. Librum habeat c] Secretarius Congregationis, in quo, quae confirmata erunt, Decreta contineantur; et ea quidem ante dissolutionem Congregationis simul leget in plena Congregatione, et sua manu subscribet, et sigillo Societatis muniet.

d] *C. 1 d. 145.* Cuius auctoritate dissolvenda Congregatio.

75. Non est dissolvenda Congregatio d] pro solius Praepositi Generalis arbitrio, sine consensu ipsius Congregationis, quae Generali superior est. Porro etsi minime necesse sit generalium Congregationum Acta Provinciis communicare; Decreta tamen e] typis excudenda sunt, et *f*] Provincialibus danda, ut in singulis exstent Provinciis: *g*] nec in posterum excerpendi erunt aut imprimendi canones; quandoquidem iam ipsa Decreta typis impressa omnibus communicantur.

Congregatio Generali superior est. *C. 1 d. 145.* Decreta Provinciis communicanda. e] *C. 7 d. 6.* *f*] *C. 6 d. 27 n. 3.* Canones non extrahendi. *g*] *C. 12 Act. 48 § ultimo.*

Praedicta methodus in omni Congregatione generali servanda.

76. Quotiescumque tractatur de negotiis in Congregatione generali, quacumque ratione illa cogatur, praedicta methodus servanda erit.

Te Deum laudamus in fine.

77. Absoluta Congregatione, omnes alternatim submissa voce dicant *Te Deum laudamus;* et in fine aliquis eorum unam aut plures orationes in gratiarum actionem recitabit.

CAPUT VIII.

De electione Assistentium.

C. 4 d. 48.

Quando et quales Assistentes eligendi. a] *P. 9 c. 5 n. 8. C. 1 d. 80.* b] *C. 18 d. 11 n. 6.* c] *C. 2 d. 20.* d] *C. 6 d. 1, 14.* e] *C. 18. d. 10, 15. C. 22 d. 11.* *f*] *C. 1 d. 80.*

78. Assistentes post electionem Generalis, paucis interiectis diebus, a] ab eadem Congregatione, quae Generalem elegerit, eligantur, viri b] ex singulis Assistentiis singuli (ex c] italica unus, alter ex germanica, alius ex d] gallica, alius ex hispanica, alius ex lusitanica, alius e] ex polonica, ac denique alius ex anglica, Congr. 22 decr. 11), Professi quatuor votorum, *f*] boni, fideles, Societatis et boni communis amatores, discretionis dono praediti, in rebus agendis versati, et ad conversationem cum hominibus idonei, ad conservandam inter se et cum Superiore pacem et unionem apti, et omnino tales, quales in ipsorum Regulis describuntur, sive presentes sive absentes sint, ut in prima Congregatione decretum est.

Quatriduum in electione Assistentium. g] C. 2 d. 8.

Quinam et a quibus capiant informationes.

79. Ad capiendas informationes g] quatuor dierum spatium concedatur, ante quod tempus nemo informationem petet, nemo dabit: ipso vero quatriduo, et petere Electores omnes et soli debent, de quibus et a quibus in Domino visum fuerit, modo ab iis tantum, a quibus peti potest pro electione Generalis, ut dictum est paragrapho vigesimo octavo; et interrogati informationem negare non poterunt.

Unde faciendum interrogatorium.

80. Quas informationes ut melius capiant, ex iis, quae initio huius capitis dicta sunt, quaeque in Regulis Assistentium fusius explicantur, tum etiam ex nona parte Constitutionum, capite quinto, paragrapho secundo, et ex secundo et tertio capite primae partis et Examinis, sibi quisque interrogatorium conficiet, et ex interrogatorio etiam confecto ad electionem Generalis sibi sumere poterit quae ad hanc electionem pertinere iudicaverit.

Quomodo danda informatio.

81. Et qui petet, et qui dabit informationem, puram ac sinceram intentionem habeant, solam maiorem Dei gloriam et meliorem Societatis gubernationem intuentes; et caveant ne humanis et inordinatis affectibus in informatione ducantur. Nemo igitur non petenti informationem obtrudat; nemo mendaciis aut amplificationibus et exaggerationibus utatur; sed omnia considerate, mature et fideliter, certa pro certis, opinata pro opinatis, audita pro auditis referat; eum, a quo audiverit, nominando; et ad ipsum eum, qui informationem petit, remittendo.

Excommunicatio, et poena in ambientes. C. 7 d. 88.

82. Si quis autem, sive ex Congregatione sive non ex Congregatione fuerit, aut in ipsis informationibus aut extra illas ambitiose egerit ut vel ipse vel alius eligatur, aut etiam alius excludatur; excommunicationis latae sententiae poenam eo ipso incurrat, a qua a solo Generali obsolvi possit. Qui vero id sciverit, in virtute sanctae obedientiae teneatur ad Generalem deferre. Quod si probatum fuerit sufficienter, activa vel passiva vel utraque etiam voce privetur, aliave maiore vel minore afficiatur poena, prout delicti gravitas et probationis certitudo postulabit, iuxta Constitutiones octavae partis, capite sexto, paragrapho 2. Iudices autem eius causae erunt Generalis et reliqui omnes, ad quos pertinet iudicare de ambitu, iuxta paragraphum 24 supra citatum. Sed non nisi maiore Iudicum parte in eamdem sententiam conveniente condemnari poterit. Non deferentes vero, sive fuerint ex numero Congregatorum sive non, praeter poenam peccati mortalis, arbitrio Generalis punientur.

Iudices ambitus.

83. Si quid quis intellexerit in informationibus, quod secretum teneri debeat, nemini, praeterquam Electoribus in informationibus, specialiter aut generaliter interrogatus indicabit. Et quod de servando silentio dictum est, in virtute sanctae obedientiae praeceptum esse intelligatur, in re tamen gravi, id est si res eiusmodi fuerit, ut aut Societati aut personae alicui Societatis aliquid ignominiae vel detrimenti afferre posse eius conscientia iudicaverit.

Quale secretum in informationibus.

84. Ultimo die quatridui, mane, Congregatio conveniat, et, praemissa per aliquantulum temporis arbitrio Generalis oratione, electio Assistentium fiat. Eligentur autem singuli per scrutinia secreta ad h] plura medietate suffragia; ita tamen, ut, si primo vel secundo scrutinio nemo

Electio Assistentium.

h] C. 2 d. 22. C. 3 d. 17.

erit electus, in tertio et deinceps in caeteris inter tres tantum illos, qui in proximo scrutinio plura suffragia habuerint, suffragia dari possint. Si qui autem alii alicui ex tribus aequales suffragiis fuerint, simul etiam cum tribus ius habeant passivi suffragii. i] C. 14 d. 2. Si numerus i] suffragiorum omnium fuerit impar, is censeatur habere plus quam mediam partem, cui ex duabus partibus maior obtigerit.

Iuramentum Assistentium.

85. Facta electione, singuli Assistentes ad mensam, ad quam P. Generalis sedebit, accedent, et flexis genibus coram imagine Crucifixi, quam supra mensam ad hanc rem k] P. 9 c. 5 n. 4. esse oportebit, his verbis k] iurabunt: *Testem invoco Deum, cuius oculis omnia nuda sunt, si acciderit aliquod ex iis, quae sufficiunt ad Praepositum officio suo privandum, simul atque res per testimonia sufficientia vel ipsius affirmationem constaret, me fideliter Societati denuntiaturum, et Congregationem convocaturum iuxta Constitutiones.* Si quando vero extra tempus Congregationis eligendi sint Assistentes at- l] P. 9 c. 5 n. 3. que Admonitor, servanda erit l] Con- m] C. 6 d. 27 n. 2. C. 4 d. 24, 25. stitutio, ut m] Generalis Praepositus cum approbatione Provincialium unum substituat, aliquam de illo ad eos informationem mittens, quibus minime cognitus esset is, qui proponitur, ut hactenus factum est. **Iuramentum Assistentium quando eliguntur extra Congregationem.** n] C. 6 d. 27 n. 2. Qui vero n] fuerit electus, iuramentum praestabit coram iis, qui ius habent in Congregatione generali, hoc est coram Praeposito Generali, Assistentibus, Secretario et Procuratore Generali.

CAPUT IX.

a] P. 9 c. 4 n. 4.
b] C. 2 d. 22.
C. 4 d. 15 can. 24.

De electione Admonitoris.

Admonitor qualis eligendus.

86. Electis Assistentibus, a] Admonitor eligendus est, b] Professus aliquis quatuor votorum, sive ex praesentibus sive ex absentibus, aut ex numero Assistentium aut ex aliis, homo religiosis moribus, c] Deo in c] C. 1 d. 81. oratione familiaris, provecta iam aetate, iudicio bono atque maturo, et affectibus minime turbato, in Instituto et rebus Societatis bene versatus, et illius magnum zelum habens cum discretione et prudentia coniunctum, minime credulus, minime timidus, et prorsus eiusmodi, ut Generali gratus credatur fore, et officio tamen suo bonoque Societatis nullo humano respectu defuturus.

Idem interrogatorium de Admonitore, quod de Assistentibus.

87. Itaque, cum omnibus fere rebus Assistentibus similis esse debeat, Assistentium interrogatorium ad capiendam de illo informationem accomodari poterit, adiunctis iis, quae cuique ex nona parte Constitutionum capite quarto, paragrapho quarto, et ex capite secundo et tertio Examinis, et ex Regulis Admonitoris, atque ex his, quae hic dicuntur, colligere licebit.

88. Capietur autem informatio de illo eodem tempore et eodem modo, quo de Assistentibus, atque ab eisdem personis et eadem servandi secreti lege.

Electio Admonitoris.

89. Eodem die, quo Assistentes electi fuerint, aut cum primum poterit, Congregatio conveniat, d] vocatis etiam Procuratoribus et e] Secretario, qui in Admonitoris electione suffragii ius habent; et cum omnes ad arbitrium Generalis aliquantulum oraverint, per scrutinia secreta, et f] ad plura medietate suffragia, et eodem prorsus modo, quo Assistentes eliguntur, Admonitorem eligent.

d] C. 2 d. 22.
C. 5 d. 68.
e] C. 4 d. 11.
Secretarii et Procuratorum suffragium in electione Admonitoris.
f] C. 5 d. 68.

FORMULA

CONGREGATIONIS PROVINCIALIS,

C. 18 d. 14.

PLURIUM CONGREGATIONUM GENERALIUM, AC POSTREMO XVIII AUCTORITATE PROBATA ET AUCTA.

CAPUT I.

Quando et per quem Congregationes provinciales cogendae sunt.

Quibus in casibus cogenda Congregatio Provincialis?

a] P. 8 c. 2, B. C. 2 d. 19, 67. C. 23 d. 18.

b] P. 8 c. 3 n. 1. P. 8 c. 5 n. 8. C. 2 d. 67. C. 4 d. 37, 89.

1. Casus, in quibus cogendae sunt Congregationes provinciales, reducuntur ad duos. *a*] 1. Ad eligendos Procuratores, qui tertio quoque anno, a 15 die Novembris post finem ultimae Congregationis generalis computando, ad Praepositum Generalem debent convenire. *b*] 2. Ad eligendos illos, qui comitaturi sunt Provincialem vel Vice Provincialem ad Congregationem generalem, quoties et quacumque ex causa generalis Congregatio cogitur. Haec vero in solis Europae Provinciis locum habere intelligenda sunt; nam caetera extra Europam, neque tertio quoque anno Procuratores mittere tenentur, *c*] neque more aliarum ad Congregationem generalem convenire possunt *d*].

c] P. 8 c. 2, B.

d] P. 8 c. 3 n. 1. Vide tamen C. 22 d. 29. C. 23 d. 11. C. 24 d. 9.

Cuius est Congregationem vocare et dirigere?

e] P. 8 c. 5 n. 8.

2. Spectabit *e*] ad Praepositum Provincialem, vel eius loco ad Vice Provincialem huiusmodi Congregationem indicere, quemadmodum et illam dirigere, atque omnino efficere, ut Decreta serventur; eosque coercere, *f*] qui contra Institutum aliquid forte molirentur; et, cum expedire in Domino *g*] iudicaverit et res postulaverit, pro suo munere secreti praeceptum imponere. Quod si casus accidat, ut ob bellum, pestem vel simile impedimentum, *h*] quod tamen regulariter censeri non debet Provinciae egestas, Congregatio difficulter cogi posse videatur; Provincialis cum Consultoribus et aliis, qui ius suffragii in Congregatione habent, praesentibus, decernat ad plura suffragia an exquirendae sint per litteras sententiae absentium simili iure praeditorum, num Congregatio cogenda sit, nec ne? et quorumnam absentium, si forte omnes commode consuli non possint? Tum, si inquirendae videbuntur, horum responsa accepta resignet Provincialis coram praedictis, legatque; et mox, inito scrutinio, quod maior pars numeri absentium simul et praesentium censuerit agendum, id fiat. At si quamcumque iustam ob causam non potuerit cogi Congregatio, ius *i*] nihilominus Provincialis habet eundi ad Congregationem generalem; et, si impeditus fuerit, alium idoneum, quem maluerit ex sua Provincia, suo loco mittendi, suis ad summum auditis Consultori-

f] C. 4 d. 26. C. 6 d. 12.

g] C. 6 d. 25 n. 8.

h] C. 16 d. 8. C. 22 d. 27.

i] P. 8 c. 5 n. 8. P. 9 c. 5 n. 4. C. 12 d. 51.

bus, si adsint, aliisque praesentibus, qui in Congregatione suffragii ius haberent.

Cuius etiam locum et tempus praescribere?

3. Eiusdem erit commodum locum ad eam celebrandam designare, et tempus praescribere, quod et opportunius videatur ad conveniendum, et satis sit, ut electi non solum ad locum et diem, in quo celebranda est Congregatio generalis aut Procuratorum, commode venire possint; sed etiam informationes, si quae illis, antequam proficiscantur, dandae sint, accipere. Et quidem, quoniam Congregationi Procuratorum certum tempus praefixum est, nimirum ad decimum quintum Novembris; ideo pro sua opportunitate poterunt Provinciales suas Congregationes ad electionem Procuratorum cogere, non exspectata admonitione Praepositi Generalis. Ad electionem vero Electorum, si ad eligendum Generalem venturi sunt, poterunt convenire in Provinciis remotis quando illis commodum fuerit, quacumque via de morte Generalis certiores facti fuerint, etiamsi nondum litteras a Vicario accepissent. Non durabit autem Congregatio provincialis ultra decem, aut ad summum duodecim dies.

Duratio Congregationis provincialis.

CAPUT II.

Qui et quot congregari debeant.

Quinam Congregationi interesse debeant?

4. In quocumque casu provincialis Congregatio cogatur, intererunt et ius suffragii in ea habebunt, primum *a*] quidem Provincialis ipse, Praepositi Domorum Professarum, Rectores Collegiorum Societatis, etiam inchoatorum, iuxta decretum 18 Congregationis IX, et Domorum Probationis; sive eorum loco Vice Provinciales, Vice Praepositi, et Vice Rectores, qui toto principalium Superiorum officio funguntur. Tales *b*] non sunt ex decreto 35 Congregationis XII Vice Praepositi et Vice Rectores Praepositorum et Rectorum absentium, sive intra sive extra Provinciam, quamdiu illi Praepositi et Rectores non sunt sua iurisdictione destituti. Ius tamen *c*] in Congregatione haberent illi Vice Praepositi et Vice Rectores, quando Praepositus vel Rector, aut nullum sui loco designasset, aut facta ab illo designatio haberi non posset tempore convenienti. Excluduntur autem Generalis Praepositus, Vicarius Generalis, Assistentes, et Commissarius, aut (nisi simul fuerit eiusdem Provinciae Vice Provincialis) *d*] Visitator. Quamvis huic, Generali demortuo, *e*] liberum erit, aut provincialem Congregationem in ea Provincia adire, in qua tum fuerit, aut redire ad suam, eam *f*] videlicet, cuius erat cum ad visitandum assumptus est, atque in utravis tam activum quam passivum suffragium habebit: ita tamen, *g*] ut ad ingrediendum in alienam, quam visitavit, debeat requisitam professionis antiquitatem habere, tum in illa tum in sua, et ingrediatur extra numerum. Si vero ad suam Provinciam redeat, ut Congregationem ingrediatur, sufficit habere in ea professionis antiquitatem, et intra numerum ingredietur. Rectores *h*] etiam, qui Seminariis quibuscumque aut Convictorum Collegiis praesunt, in Congregatione locum non habent: uti nec Rectores Collegiorum, quae sunt extra Europam, et spectant ad aliquam Europae Provinciam; nec Professi degentes in illis Collegiis, ex decreto 21 Congregationis XII. Quo tamen eodem decreto placuit Congregationi speciatim ac specialem ob

Excipiuntur Superiores aliqui, et Professi.

a] *P. 8 c. 5 n. 3. C. 9 d. 18. De Vice Praeposito Romano vide C. 4 d. 32.*

b] *C. 12 d. 35.*

c] *C. 12 d. 35.*

d] *C. 12 d. 50.*

e] *C. 6 d. 35 n. 6.*

f] *C. 7 d. 68, 70.*

g] *C. 9 d. 28.*

h] *C. 5 d. 81.*

Vide tamen C. 22 d. 28. C. 24 d. 10.

Procurator quebecensis.

causam concedere, ut Procurator Rectoris Collegii quebecensis in America, degens in Gallia, possit supra numerum Congregationi suae Provinciae interesse, nec ad negotia solum, sed ad ipsas etiam electiones.

Professi.

i] P. 8 c. 3 n. 1. P. 8 c. 5 n. 3. C. 20 d. 25 n. 3.

k] C. 18 d. 16. C. 20 d. 25 n. 3.

l] C. 18 d. 17.

m] C. 18 d. 16.

C. 22 d. 22 n. 4.

5. Intererunt deinde quatuor *i*] votorum Professi iuxta numerum infra definiendum, quos inter numerandi sunt etiam ii, quos certo constiterit *k*] Provinciae ante indictam Congregationem applicatos, etiam ad tempus, fuisse; sive voluntate Patris nostri, sive mutuo Provincialium consensu, ad obeunda propria Provinciae munia applicati ad tempus fuerint. Applicati *l*] autem Provinciae censentur ante indictam Congregationem, de quibus constet diem litteris applicationis adscriptum antecedere diem indictae in ea Provincia Congregationis provincialis, sive eligendi in illa sint qui ad generalem, sive qui ad Procuratorum Congregationem mittantur. Hi igitur, *m*] si statuta professionis antiquitate gaudent, intra numerum ingredientur, et cum suffragio utroque, excepta solum romana Provincia, in cuius Congregatione ex decreto 6 Congregationis XV istiusmodi Professi, ad tempus ei Provinciae addicti, suffragium habent aliquando dumtaxat activum.

Procuratores.

n] C. 6 d. 25 n. 2.

Intererit item Procurator Provinciae proprius, et si quis alius plurium Provinciarum Procutor, dummodo ea quoque Provincia eius curae commissa sit. Quod si nullus fuerit proprius eius Provinciae, aut proprius fuerit impeditus, ingrediatur Procurator Collegii maximi; et, si hic etiam fuerit impeditus, ingrediatur qui ratione Professionis ius habet. Si dubium *n*] autem erit, quodnam sit Collegium maximum, petent a Praeposito Generali. Satisque erit, si huiusmodi Procuratores Sacerdotes sint, ut interesse et suffragium habere possint. Procuratores *o*] vero Indiarum, qui in Provinciis Lusitaniae et Baeticae commorantur, minime admittendi erunt ad Congregationem provincialem, eo solum nomine quod Procuratores sint; at si *p*] contingat eos esse Professos quatuor votorum, et ratione antiquitatis habere ius suffragii, tam in illis Provinciis, si ex illis essent, quam in suis, si adessent, admittendi erunt ad Congregationem provincialem, etiam pro generali futura convocatam; sed extra numerum, iuxta § 8 Formulae, inferius. Patres *q*] autem Missionis scoticae et hibernicae, etiamsi alibi tirocinium peregerint; tamen, ubi antiquitatem adepti fuerint requisitam, suffragium activum et passivum habebunt in illa Provincia, in qua morantur et nostris vacant ministeriis.

o] C. 6 d. 35 n. 12. C. 8 d. 53.

p] C. 8 d. 53.

q] C. 16 d. 18. **Patres Missionis scoticae et hibernicae.**

Congregandorum numerus definitur.

r] C. 5 d. 24, 38, 60.

s] C. 5 d. 31.

6. Porro congregandorum in provinciali Congregatione numerus, *r*] quando pro eligendo Procuratore cogitur, quadragesimum non excedat; nec quinquagesimum, cum ad conventum generalem convocatur; et in utroque casu duae *s*] tertiae Congregationis partes sint Professi, ita ut, praeter Provincialem et Superiores locales et Procuratorem Provinciae vel maximi Collegii, tot Professi antiquiores illius Provinciae conveniant, quot ad praefixum numerum explendum sufficiant. Quod si contigerit numerum Superiorum, qui Professi non sint, ita excrescere, ut tertiam suffragiorum partem superent; tunc tot Professi addantur, servato antiquitatis ordine, quousque duas tertias, ut dictum est, conficiant,

etiamsi hoc modo praefixus numerus excederetur. Verum si in aliqua Provincia quamcumque ob causam non possent convenire tot quot dicti sunt, non propterea omittendae sunt Congregationes provinciales, sed tunc accedant quotquot possunt ex habentibus ius, etiamsi duas tertias partes *t*] non attingant, secundum explicationem Congregationis xv decreto 7. Praeterea, si prima die Congregationis non sit completus numerus statutus quadraginta vel quinquaginta vocalium, sed sperentur adventuri alii ius habentes ante diem electionis, non erit necesse ante horum adventum alios substituere.

t] C. 22 d. 27.

7. Etsi autem *u*] suffragium activum eorum tantum erit, qui ad Congregationem provincialem convenire et interesse possunt iuxta numerum et ordinem praedictum; reliqui tamen Provinciae Professi, si qui locum non habuerunt, passivo suffragio minime privantur, cum eligi possint. Et quidem, *v*] si eligantur, post electiones peractas vocandi erunt, si commode fieri poterit, ut Congregationi deinceps ad negotiorum tractationem intersint cum iure suffragii ad negotia; quod etiam *x*] intelligendum est de illorum substitutis.

u] C. 6 d. 19 n. 1.

Professi Provinciae omnes eligi possunt. C. 24 d. 14.

v] C. 7 d. 62.

x] C. 10 d. 8.

8. Extra numerum vero, hoc est supra quadraginta vel quinquaginta ordinarios, admitti ex Professis ad Congregationem debent primum ii, qui Provinciales *y*] illius Provinciae aliquando fuerunt, si qui forte in ea tum erunt, qui locum alioqui per antiquitatem professionis in Congregatione non haberent; nam, si haberent antiquitatem requisitam, ingredi deberent intra numerum. Et quod de Provincialibus, idem quoque dicendum est de *z*] Assistentibus defunctis officio, in Congregationibus provincialibus suae Assistentiae. Visitatores *a*] autem, demortuo Generali, si antiquitatem professionis requisitam habeant, et velint ingredi Congregationem in aliena Provincia, quam visitabant, ut supra dictum est § 4, ingredientur supra numerum. Deinde Professi, quos *b*] certo constiterit post indictam Congregationem applicatos esse Provinciae, dummodo professionis suae ordine non excludantur. Applicati autem *c*] censebuntur post indictam Congregationem, de quibus constiterit diem datae epistolae, qua Provinciae addicti sunt, subsequi diem Congregationis provincialis in ea Provincia indictae. Eodemque *d*] modo Revisores, Substituti Secretarii Generalis, et alii huiusmodi, qui Romae universae Societati navant operam, si professionis suae ratione ius habeant, ingredientur supra numerum in Congregationem romanam cum suffragio activo et passivo, nisi eligendi sint mittendi ad Congregationem generalem; quia *e*] tunc passivam vocem habebunt, non Romae, sed in Provinciis, ex quibus sunt assumpti, ex concessione Congregationis viii. At Secretarius *f*] ipse, qui, modo sit Professus, excludi ab hac Congregatione numquam debet, semper ingredietur cum suffragio activo, sed supra numerum, quando eam antiquitatem professionis non habet, ut ei locus intra numerum debeatur; passivum vero ex Congregationis xiv decreto 16 habebit eo pacto, quo supra a Congregatione viii Revisoribus aliisque universae Societati operam navantibus tributum fuit. Procurator *g*] Generalis supra numerum suffragium habebit, nisi sit ex Professis antiquioribus Provinciae romanae; tum enim

Admittendi extra numerum.

Provinciales. *y*] C. 7 d. 2.

Assistentes.

z] C. 9 d. 15.

Visitatores. *a*] C. 7 d. 58, 70. C. 9 d. 28.

Provinciae applicati post indictam Congregationem. *b*] C. 6 d. 19 n. 2.

c] C. 18 d. 12.

Qui Romae operam navant Societati universae. *d*] C. 6 d. 25 n. 10. C. 24 d. 13.

e] C. 8 d. 57.

Secretarius Societatis. *f*] C. 4 d. 11. C. 6 d. 25 n. 12. C. 18 d. 14 n. 2.

C. 8 d. 57.

Procurator Generalis. *g*] C. 8 d. 48.

C. 17 d. 5. Superiores Missionis hollandicae et Residentiarum primariarum in Indiis. C. 24 d. 10.

iure professionis intra praescriptum numerum ingredietur ex decreto Congregationis XVII. Superiores vero Missionis hollandicae, nec non Residentiarum primariarum in Indiis, supra numerum Congregationibus suarum Provinciarum poterunt interesse iuxta decretum 51 Congregationis VIII, quando iure antiquitatis interesse non possunt.

Professi aliarum Provinciarum. h] C. 7 d. 57.

Denique Professi, *h*] qui ad eam Provinciam non pertinent, sed negotiorum causa in ea versantur, neque in alia Provincia Congregationi interfuerunt, aut ei, quae in propria Provincia celebranda est; interesse possunt sine detrimento negotiorum, quae illis commissa sunt.

i] C. 7 d. 67, 68, 69. C. 8 d. 53.

Verum *i*] hi tunc solum admitti debent, quando et in illa Provincia, si ex ea essent, suffragii ius haberent, et in sua itidem, si adessent, et quando negotia tractant Societatis Provinciarumque aut Collegiorum, sive suae sive alterius Provinciae, non vero sua ipsorum propria vel aliorum quorumcumque. Qua in re si quid ambigatur, iudicium erit Praepositi Generalis, si consuli per tempus liceat, aut proprii ipsorum Provincialis.

k] C. 10 Act. 16. De Confessariis Principum, C. 9 d. 29.

Porro de commorantibus *k*] in aliena Provincia ob bellicas calamitates vel exilium fidei causa, vel ob alias causas legitimas quascumque, an ingredi debeant Congregationem provincialem supra numerum, et cum voce activa tantum, si debitam professionis antiquitatem habeant, Praepositus Generalis vel Vicarius in casibus particularibus statuet quod charitati et aequitati consentaneum iudicabit.

Et hi quidem cum suffragio activo tantum.

9. Si tamen huiusmodi Professi admittantur, quod nec in alia Congregatione fuerint, nec existimentur posse ad suas Provincias tempori pervenire, ut earum Congregationi intersint; activum tantum suffragium ad electionem sive ad Congregationem generalem mittendorum sive Procuratorum habeant. Et, si casu aliquo accidat, ut ad suas Provincias ante earum Congregationes perveniant, habebunt quidem suffragium passivum, sed illis non intererunt, nisi ordinarii Superiores fuerint: hi enim admittendi erunt, sed ad sola negotia, praeter Provinciales, qui ratione praesidentiae et universalis notitiae, quam de rebus et personis suarum Provinciarum habent, etiam electionibus interesse et in eis suffragium habere debent.

De impedimentis congregandorum.

l] C. 7 d. 48.

10. Omnes praedicti Congregationi intererunt, nisi legitime impediti fuerint. De quorum impedimentis ante Congregationem, quo *l*] ei loco et tempore opportunius videbitur, iudicabit ad plura suffragia Provincialis cum suis Consultoribus, qui aderunt, (etiamsi Congregationem ingredi non debeant nec sint Professi) et caeteris omnibus praesentibus, qui in Congregatione ius suffragii habent: exclusa semper ea persona, de cuius impedimentis agetur, et eo, *m*] qui impedito succedere deberet.

C. 23 d. 38 n. 1.

m] C. 8 d. 52. C. 19 d. 8.

Hoc vero iudicium institui debebit (quoad fieri poterit) tanto temporis spatio ante Congregationem, ut, si quis censeatur impeditus, advocari et adesse tempori possit ille, qui proxime succedit, si longius absit.

Congregationis locus et tempus mutari potest. n] C. 12 d. 52.

Cum quibus *n*] pariter et ad plura suffragia poterit Provincialis decernere, ut Congregatio in alium locum a prius designato transferatur, aut differatur ultra indictam diem; si aliqua nempe iusta causa interveniat, qualis, verbi gratia, videri posset, cum aliquot congregandorum legitime impediti pro-

pediem adfuturi sperarentur, etiamsi adsint duae tertiae partes. Qui se o] excusaverant, quod non possent accedere locum Congregationi destinatum, ius habent illam adeundi, si contingat Congregationem transferri in alium locum, quo sine incommodo conferre se possunt; adeoque vocandi sunt, etiamsi iam scriptum fuisset ad alios, qui illis subrogandi erant. Quod si de aliquibus impedimentis post inchoatam Congregationem dubitabitur, ipsius Congregationis iudicium exspectandum erit. In quo, si de impedimentis Provinciali advenientibus agendum fuerit, praeerit eius loco Professus, quem ipse designaverit. Quod si Superiores p] aut ii, qui plene eorum vices gerunt, interesse non posse iudicati fuerint, integrum illis erit alios Sacerdotes ex sibi subditis ac idoneos, etiamsi Professi quatuor votorum non sint, loco sui mittere. Professis sane quatuor votorum, q] qui iuxta Canones interesse Congregationi debebunt, minime liberum erit pro libito abesse; quia, etsi quisque iure suo cedere possit, si venire nolit, non tamen iuri Societatis, cuius illorum opera uti in Congregatione intersit: quamvis in examinandis impedimentis cum aliquibus minus scrupulose agi poterit. Si quis ad Congregationem accedere non poterit nisi immoderatis cum sumptibus aut praeter communem morem, is pro legitime impedito habendus erit; sicut et qui habitant in insulis aut locis valde remotis a Congregatione, iudicio Praepositi Generalis. At si quispiam r] non nisi aliena manu scribere possit suffragium, aut caecus sit, non propterea nolens excludendus erit; sed, si talis se excuset, poterit excusatio admitti. Et quod de caeco dictum est, dictum quoque esse debet de surdastro. Incarcerati, s] vel ob culpam gravem subeuntes gravem poenam et cum infamiae nota coniunctam, nullum ius habent ad Congregationem. Quin, etiamsi poenam t] huiusmodi absolverint a Superioribus Societatis impositam, si adhuc durat gravis infamia, ita sunt impediti, ut nec advocari possint ad Congregationem provincialem, nec ab ea in Procuratorem aut Electorem eligi. Porro u] tam de hoc impedimento gravis infamiae post expletam poenam, quam v] de gravitate poenae atque infamia poenam subeuntium iudicabit Provincialis cum iis, ad quos pertinet ferre iudicium de aliis impedimentis prohibentibus accessum ad Congregationem.

o] C. 16 d. 11.

Superiores impediti alios mittere possunt.
p] P. 8 c. 3 n. 1.

Professis liberum non est abesse.
q] C. 6 d. 35 n. 2.

r] C. 9 d. 17.

s] C. 16 d. 12.

t] C. 17 d. 6.

u] C. 17 d. 6.

v] C. 16 d. 12.

11. In absentium et legitime impeditorum locum subrogandi sunt admittendique ad Congregationem ii, quibus ordine professionis proximum fuerit ius suffragii. Quod si quando x] contingat, ut, superveniente paulo ante Congregationem impedimento, is, qui substitui ordine deberet, longius absit, quam ut tempestive adesse possit ante diem electionis, tunc e proximis is vocandus erit, qui electioni tempori adesse queat.

Quinam impeditorum loco substituendi,

x] C. 7 d. 63.

12. Si quis quacumque y] ex causa, pro legitimo impedimento non allata nec iudicata, ante electionem a Congregatione abesse cogatur, nec adesse posse credatur electioni, admittatur alius Professus, qui proxime ad Congregationem accederet. Quod z] si prior ille ante electionem redeat, excludatur qui fuerat substitutus, etiamsi a] fuisset electus in Secretarium Congregationis vel Deputatum; si post electionem redierit, suo iure

vel cum abesse quis cogitur ante electionem.
y] C.6 d.35 n.15.

z] C. 7 d. 61.

a] C. 11 Act. 7.

admittatur, posteriore non excluso. Post electionem *b*] vero completam, etiam Substitutorum, nemo est pro absente subrogandus.

b] C. 9 d. 9.

Provincialis iudicio de impeditis standum.

13. Etsi Provincialis potest quidem cum aliis, ut dictum est, iudicare, an quis impeditus sit ita, ut ad Congregationem venire non debeat; et is, qui sic iudicatur, acquiescere debebit; nec *c*] revocari aut infringi a Congregatione ipsa poterit hoc iudicium, et, si tales *d*] nihilominus re ipsa venerint ad Congregationem provincialem, admitti non debebunt: nullo tamen modo aut potest aut debet quemquam impedire, qui ante impeditus non esset et ius ad Congregationem haberet, neque ex sua aliorumque sententia, quos consulere solet, ordinare, ut, qui ius habet ad Congregationem provincialem, non veniat, sed remaneat Superior alicuius Collegii loco Rectoris, qui ad Congregationem veniet, vel in re aliqua occupetur ad libitum Provincialis. Potius igitur, nisi sit alius, maneat Rector in suo Collegio, aliumque pro se ad Congregationem mittat.

c] C. 7 d. 58.

d] C. 8 d. 52.

Impedire tamen ipse neminem debet. C. 14 d. 24.

Informationes a Superioribus capiendae.

14. Superiores Domorum et Collegiorum, antequam ad Congregationem provincialem proficiscantur, informatione ab iis accepta, quos ex suis domesticis de rebus tractandis bene sentire iudicabunt (aliis interim non prohibitis quo minus ea, quae volunt, privato nomine vel Consultoribus offerre vel ad Congregationem provincialem mittere possint), ea cum suis Consultoribus conferant, quae ad eamdem Congregationem sunt deferenda.

CAPUT III.

De modo procedendi ante electionem mittendorum.

Duo catalogi affigendi.

15. Elapso die ad conveniendum praefixo, postridie, mane, affigantur parieti duo catalogi, unus eorum, qui Congregationem ingressuri sunt, eo ordine, quo sedere debent et sententias dicere; alter eorum, ex quibus eligi possunt qui ad Congregationem Procuratorum Congregationemve generalem mittendi sunt. Prior ita conficiatur, ut ad dexteram Provincialis describantur Professi quatuor votorum iuxta cuiusque professionis antiquitatem, sive *a*] Superiores sint sive non; ad sinistram vero reliqui omnes, hoc ordine, ut primo loco sint Professi trium votorum, secundo Coadiutores formati, tertio caeteri omnes iuxta antiquitatem sui gradus in Societate. Posterior vero, si agitur de mittendis ad Congregationem generalem, contineat omnes, qui eligi possunt, solos nimirum Professos *b*] quatuor votorum, qui sunt de Provincia *, sive illi praesentes sint sive absentes. Quibus adiungendi in Provinciis, ex quibus assumpti sunt, Revisores, Substituti Secretarii Generalis, aliique, qui Romae universae Societati navant operam, ut dictum est in § 8, et etiam ex concessione Congregationis XII decreto 45 Poenitentiarii, qui sunt in Basilica vaticana et in sacra Aede lauretana; ex Congregatione XIV decreto 16 P. Secretarius Societatis, P. Rector Anglorum in Urbe, caeterique Patres ex anglicana Provincia in illo Collegio degentes; tandem ex Congregatione XV decreto 6 omnes Professi, qui ex quibuscunque Provinciis ad tempus

a] C. 6 d. 25 n. 3.

b] P. 8. c. 3 n. 1, A. C. 22 d. 22 n. 4.

* C. 24 d. 14.

applicati sunt Provinciae romanae; salva iis omnibus voce activa in Provincia romana. Non inseruntur autem huic posteriori catalogo Provincialis aut Vice Provincialis, et Commissarius aut Visitator, nisi is, qui eo munere functus fuerit moriente Generali, suffragium activum et passivum eligeret in illa Provincia, iuxta superius dicta, § 4, nec illi, qui sunt ex aliis Provinciis, praeter proxime exceptos, et denique incarcerati et gravi infamia laborantes iuxta dicta § 10, siquidem nullus eorum eligi poterit. Si vero agitur de eligendo Procuratore, ii tantum in hoc catalogo scribi debent, qui sunt in Provincia, moraliter intelligendo, iuxta dicenda inferius, § 35.

Ad signum campanae convocandi.

16. Eodem die vocentur ad signum campanae quicumque adfuerint ex iis, qui ius suffragii ferendi habent. Congregatisque omnibus, et dicto alternatim ac submissa voce hymno *Veni, Creator*, cum oratione de Spiritu Sancto, habeatur primo brevis sermo a Praeposito Provinciali vel ab alio per ipsum designato, quo, exposita causa cur vocata sit Congregatio, et propositis in genere iis, quae in ea agenda sunt, omnes admoneantur ut sincere, et magna cum pace, quiete et aedificatione in omnibus se gerant. Caeteris c] autem diebus in principio et fine cuiusque sessionis brevis fiat oratio.

c] C. 7 d. 79.

An legitima Congregatio, et an supplendi defectus?

17. Deinde decernatur ad plura suffragia, num Congregatio legitima censenda sit? quod ubi factum erit, videatur num suppleri debeant defectus aliqui circa personas, quae convenerunt, aut circa aliquid aliud, quod ad ipsam Congregationem aut congregandi formam pertineat? Possunt enim Patres legitime congregati (si modo d] duas tertias partes eorum, qui convenire deberent et possent, excedant) ad praesentem e] praxim dubia omnia terminare, quorum explicatio Congregationi perficiendae opportuna videbitur, quoties ea ex Constitutionibus Decretisve aut Generalium responsis colligi non poterit, ac omnino supplere quidquid ad integritatem Congregationis spectare iudicaverint.

Ad praxim dubia decernenda.

d] C. 15 d. 7.

e] C. 15 d. 5. C. 23 d. 38 n. 2.

Electio Secretarii.

18. Tertio loco eligatur ex congregatis Secretarius f] ad plura suffragia secreta, quae a Provinciali et duobus antiquioribus Professis videnda erunt: g] sed antea, tum in hac tum in aliis suffragationibus secretis, elata sunt voce numeranda; electus autem iuxta Provincialem sedeat, et acta omnia Congregationis, et quaecumque ex iis totius Provinciae nomine ad Congregationem generalem vel ad Generalem Praepositum mittenda sunt, scribat; in omnibus autem electionibus, quae postea fient, videantur h] suffragia a Provinciali, et Secretario, et ab altero ad sinistram assidente; Secretarii dein erit ea publice legere, et statim i] post electionem comburere; quamvis necesse non sit in eodem Congregationis loco, sed statim post illam: et in universum k] in eiusmodi Congregatione nulla sunt publicanda suffragia, quae a tribus visa non fuerint: nec obstat decretum 12 Congregationis decimae. Porro Secretario unus ex Patribus eodem modo electus adiungatur, qui ad colligenda suffragia et reliqua scribenda ipsum adiuvet, et iuxta Provincialem pariter consideat.

f] C. 23 d. 38 n. 2.

g] C. 18 d. 14 n. 1, 3.

Secretarii officium.

h] C. 18 d. 14 n. 3.

i] C 6 d. 25 n. 6.

k] C. 18 d. 14 n. 3.

Eligendus socius Secretarii.

Deputati deligendi.

19. Eodem modo eligantur duo Deputati ex primariis Patribus congregatis, quatuor votorum Professis, qui una cum Praeposito Provinciali

C. 24 d. 12.

ad plura suffragia (praesente tamen semper et excipiente Secretario quae definita fuerint) seligant, tam quae post electionem mittendorum Congregationi proponenda sunt, quam si quid occurrerit, quod ad electionem pertineat, de quo proinde ante electionem videatur a Congregatione deliberandum. Porro *l*] in iudicio de rebus, quae proponendae sunt, quemadmodum et de impedimentis personarum ante vel post Congregationem propositis, unum tantum habebit suffragium Provincialis; duo autem in ipsa Congregatione, sive de personarum electione et impedimentis agatur, sive de rebus propositis deliberetur; et quoties, seu in rebus tractandis *m*] seu in impedimentis discutiendis, paria fuerint suffragia, qualitatem praecedendi; et liberum eidem erit sententiam suam dicere primo vel postremo loco, prout libuerit. Ad quemlibet autem dictorum quatuor deferre poterunt, qui ad Congregationem venerint, ab ipso deputationis die, quaecumque Congregationi proponenda attulerint; ita tamen ut * post diem unum vel alterum exclusive ab *n*] eo, in quo facta est electio mittendorum, nihil amplius deferre liceat: sed nec intra hoc tempus poterit solvi Congregatio, nisi singuli dicant se nihil habere quod deferant.

l] C. 6 d. 35 n. 8. P. 8 c. 5 n. 8.

Provincialis suffragia.

m] C. 18 d. 14 n. 4.

C. 24 d. 12.

* C. 22 d. 22 n. 2.

n] C. 18 d. 14 n. 4.

Assignetur dies eligendorum.

20. Simul atque duo Deputati electi fuerint, assignetur dies, in quo mittendorum fiat electio: qui quidem ab eo, in quo Congregatio inchoata fuit, *o*] inclusive tertius sit, aut ad summum quartus. Hoc interiecto tempore petenda est informatio de qualitatibus eorum, qui mittendi sunt, atque ab iis solis, qui ferendi suffragii ius habent; nisi *p*] forte quis sufficientem informationem habuerit. Praeter ea vero, *q*] quae tam de mittendis ad Congregationem generalem quam de Procuratoribus in octava parte Constitutionum et in secunda Congregatione dicuntur, haec fere peti debent. An rerum Societatis notitiam et experientiam habeant; num studio et zelo Instituti nostri conservandi eiusque spiritum promovendi teneantur; an ea iudicii, et in rebus agendis prudentiae, caeterarumque virtutum maturitate polleant, quae decet viros, qui de rebus ad universam Societatem spectantibus deliberaturi sunt; an affectibus inordinatis duci soleant? Intererit etiam plurimum, si ii, qui ad Congregationem generalem eligendi sunt, magnam personarum Societatis cognitionem habeant.

o] C. 7 d. 47.

p] C. 6 d. 25 n. 4.

q] P. 8 c. 2. P. 8 c. 3 n. 1. C. 2 d. 16.

Quales eligendi? C. 6 d. 24.

Quomodo petendae et dandae informationes? r] C. 6 d. 24, 25 n. 4.

21. Porro in informationibus dandis *r*] et accipiendis maxime ratio modestiae et religiosae charitatis habenda est, ne laedatur unio. Quapropter de personis, quae vel ex earum actionibus diuque probatis moribus vel ex administrationibus atque ex muneribus, quibus in Societate perfunctae fuerint, in Provincia notae satis sunt, nulla est informatio capienda; sed de iis tantum, quae plane notae non sunt, et quidem ab illis, qui bene norunt, ac sinceram de iisdem informationem dare possunt. Denique ut, caeteris posthabitis, de iis tantum rebus capiatur ac detur informatio, quae ad id pertinent, cuius maxime causa fieri electio debet, iuxta § 20 praecedentem, nimirum, an rerum Societatis notitiam, etc.

Sincerae sint informationes. s] C. 6 d. 35 n. 1, 5.

22. Cum capietur de persona informatio, *s*] illud praecipue cavendum est, ne ullus per se vel per alium, ne indirecte quidem, se vel alium

eligi, aut alium non eligi suadeat, etiam cum de Deputatorum ac Secretarii electione agitur; sed fiant electiones sincere et candide ex iis, quae Spiritus Sanctus dignabitur suggerere, et ex informationibus cognita fuerint.

Praeceptum in ambientes.

23. Omnibus, etiam illis, qui suffragium in Congregatione non habent, in virtute sanctae obedientiae praecipitur, t] ne quis a die indictae Congregationis provincialis vel per se vel per alium directe vel indirecte procuret, ut in Electorem aut Substitutum pro Congregatione generali, vel in Procuratorem aut Substitutum pro Congregatione Procuratorum ipse vel alius eligatur, aut alius excludatur, et ne quis pro se suffragium ferat.

t] *C. 9 d. 24.*

Poena in ambitiosos.

24. Si quis autem (quod avertat DEUS) ad sui vel alterius electionem, vel ad alterius exclusionem ambitiose agere deprehensus fuerit, idque sufficienter probabitur: activa, vel passiva, vel utraque voce privetur in Congregatione tantum, et aliis poenis (si id merebitur) subiiciatur iuxta delicti gravitatem et probationis certitudinem. Iudicabunt autem causam hanc Provincialis et tres alii professione quatuor votorum antiquissimi. Quod si Provincialis ipse notatus esset, aut alius ex reliquis tribus, etiam tunc quatuor antiquiores huiusmodi Professorum, excluso semper eo, qui notatus esset, de ea re cognoscent; et minimum tres ex illis, ut aliquis damnetur, convenire debebunt. Quod autem de poenis dictum est, in Provinciali ita locum habeat, ut tantum activo suffragio ad electionem privetur; caeteras autem poenas Praepositi Generalis iudicio subibit. Praedictorum Iudicum sententiis sine ulla appellatione omnino acquiescendum est; ita tamen, ut, si quis factam sibi putet iniuriam, possit postmodum apud P. Generalem expostulare, cum Congregatio provincialis in eum iurisdictionem non habeat. Quod si *u*] reus Iudices ordinarios tamquam sibi suspectos recuset, audiendus erit, accersitis in recusatorum locum totidem ex proxime antiquioribus Professis; quibus si videatur iustam causam recusandi habuisse, ab iisdem in causa ambitus iudicetur: sin minus, reiecta recusatione, iudicetur a Iudicibus superius hoc eodem paragrapho designatis. Si vero *v*] post peractas electiones constiterit aliquem reum esse culpae ambitus, deferatur res ad Superiorem, et ambiens poenis ad arbitrium illius subiiciatur, iuxta delicti gravitatem et probationis certitudinem, non tamen privandus erit iure per electionem acquisito.

Iudices qui?

u] *C. 9 d. 20.*

v] *C. 10 Act. 30, 31.*

Nemo obtrudat informationem. Qualis debeat esse informatio.

25. Proinde nullus obtrudat informationem non petenti: caveantque informatores diligenter, non solum mendacia, sed etiam amplificationes et exaggerationes in laudandis vel vituperandis eis, de quorum qualitatibus agitur; certa pro certis, opinata pro opinatis, audita pro auditis referentes, eum, a quo audierint, nominando, et ad ipsum eum, qui informationem petit, remittendo. Item ne, si quid, quod secreto servari oporteat, in informationibus intellexerint, aliis quam Congregatis communicent, memores charitatis, *x*] quae suadet, non modo non indicandam ulli esse personam, a qua de ipso quidquam quis audivisset, sed neque in universum quidem cuiquam aliquid omnino de ipso in informationibus auditum esse deferendum. Et ob id minime visum est opus esse praecepto,

C. 6 d. 24.

Secretum servandum.

x] *C. 6 d. 28.*

neque tam acri remedio viros praesertim Religiosos egere, ubi charitatis et fraternae unionis iactura facienda sit. Quod si quis in huiusmodi errore deprehensus fuerit, deferatur, et iudicio Provincialis puniatur. Postremo, y] si cui darentur epistolae, quas caecas vocant, sine subscriptione ac nomine, ad aliquem excludendum aut includendum; has ille quam primum supprimat, nec cuiquam manifestet, nisi forte pro rerum scriptarum gravitate rem ad Vicarium, vel ad Praepositum Generalem, aut ad Provincialem deferendam esse, aut sub sigillo secreti uni vel alteri ex Congregatis, consilii capiendi gratia, communicandam iudicaret.

Epistolae caecae supprimendae.

y] C. 12 d. 44.

CAPUT IV.

De electione mittendorum.

Dies electionis.

26. Cum advenerit dies ad electionem mittendorum designatus, mane, postquam Patres Sacrum fecerint et in locum Congregationis convenerint, facta brevi coram Crucifixo oratione, in qua lumen divinae illustrationis ad bonam electionem faciendam postulabunt, hunc in modum procedetur.

Per secreta suffragia ad plura medietate electio facienda.

27. Sive eligendi sint qui ad Congregationem generalem, sive qui ad Congregationem Procuratorum proficiscantur, semper electio facienda est per secreta suffragia ad plura medietate; nec a] ulli, suffragia cui data sint, ab ullo manifestetur. Quod si numerus suffragiorum fuerit impar, maior pars ex duabus sufficiet.

a] C.6 d.35 n.11.

Quot scrutinia facienda?

28. Si in primis duobus scrutiniis nullus electus fuerit, dentur in tribus sequentibus usque ad quintum inclusive inter eos tantum suffragia, qui aliquod suffragium habuerunt. In sexto vero et caeteris deinceps sumantur tres, qui plura aliis suffragia habuerunt in b] proximo scrutinio. Et, si qui his pares fuerint in suffragiis, etiam inter eos fiat electio (servato tamen decreto 24 Congregationis XVI, si quis in sexto scrutinio excidat paritate); nisi post decimum scrutinium Congregatio malit compromissione uti: tunc enim eligentur ad plura suffragia secreta tres vel quinque Compromissarii, singuli singulis scrutiniis; et ille, qui ex iis, qui post quintum scrutinium suffragia habuerunt, electus fuerit a maiore parte Compromissariorum, pro electo a Congregatione habeatur.

b] C. 13 d. 22. C. 15 d. 5.

Compromissarii.

Quid. quando Compromissarii non conveniunt.

c] C. 6 d. 19 n. 4.

29. Quod si duo ex quinque Compromissariis c] unum elegerint, alii duo alium, quintus vero ad tertium accesserit; aut si ex tribus Compromissariis singuli singulos elegerint; tunc, in priori quidem casu danda deinceps suffragia erunt inter eos tantum duos, qui plura habuerunt, tertio illo praetermisso, qui ab uno solo eligebatur; in posteriori vero alii duo addendi sunt Compromissarii.

Compromissarii ex quibus eligendi.

30. Porro Compromissarii ex praesentibus eligantur, exclusis iis, quos ipsi eligere possunt; ii enim in electione Compromissariorum neque activam neque passivam vocem habeant. Et quamvis d] infirmi in eodem domicilio habendi sunt pro praesentibus, unde in omnibus electionibus, etiam Compromissariorum, activum et passivum suffragium habebunt; ad negotia vero tractanda, prout Congregationi visum fuerit; fere tamen expedit electionem Compromissariorum ex illis fieri, qui Congregationi intersunt et communem eiusdem sensum vident. Verum quid in singulis

Suffragium infirmorum in eadem domo.

d] C. 6 d. 25 n. 5.

casibus et personis expediat, videat ipsa Congregatio.

Qui Superiorem impeditum supplet, unum habet suffragium; duo vero qui Provincialem.

31. Qui ab ipso Superiore impedito ad Congregationem eius loco missus fuerit, unum tantum suffragium habebit, etiamsi ipse proprium ius suffragandi habeat, excepto eo, qui loco Provincialis impediti adest, cui duo suffragia cum qualitate praecedendi in paritate, quemadmodum et Provinciali, competunt. Provincialis autem ipse, si infirmus fuerit in eodem domicilio, unum suffragium retinebit.

Quinque eligendi ad Congregationem generalem. e] P. 8 c. 3 n. 1, A, B.

32. Si agitur de mittendis e] ad Congregationem generalem, quinque Professi quatuor votorum eligi debent. Primum quidem duo comitaturi Provincialem, deinde tertius, ut ex eo et duobus praedictis conficiatur ille ternarius, ex quo unum Provincialis suo loco mittere debet iuxta declarationem octavae partis capitis tertii, littera B, si impeditus legitime iudicabitur. Postremo addatur quartus et quintus, ut hi tres, qui in Substitutos electi sunt, eodem ordine, quo electi fuerint, subrogentur in locum eorum, qui legitime impediti proficisci non possunt. Sed f] electi quam primum proponant, si quae habent impedimenta, saltem antequam dimittatur Congregatio, quo de illis iudicet, et eligat alium, qui tamen g] inter Substitutos postremum locum teneat. Proponere tamen h] ante Substitutorum electionem non debent. Si vero Provincialis iudicetur impeditus, novum Substitutum eligi non debere censuit Congregatio XVI decreto 23. Si praeter illos quinque i] Praepositus Generalis, qui cogit Congregationem, vel Vicarius Generalis iudicaverit aliquos esse adducendos ad negotia gravia post electionem tractanda, eligendi illi erunt a Congregatione provinciali ad plura medietate suffragia, sive ex Professis quatuor vel trium votorum, sive ex Coadiutoribus spiritualibus formatis.

C. 20 d. 19.

f] C 6 d. 85 n. 10.

g] C. 8 d. 42.

h] C. 7 d. 49.

i] P. 8 c. 3 n. 1, A. P. 8 c. 6, B. C. 2 d. 2. C. 4 d. 85.

Quomodo substituendi in defectu aliorum. k] C. 6 d. 85 n. 3.

33. Cum, Provinciali impedito k] quominus venire ad Congregationem generalem possit, in superiori paragrapho dicatur substitui debere unum ex duobus, qui electi fuerint comitaturi Provincialem, et ex tertio post illos primum electo, non autem ex tribus electis post duorum illorum electionem; in Constitutionibus vero l] simpliciter dicatur ex tribus, quos elegerit Congregatio; dicendum est per Formulam declarari Constitutionem, eamque intelligendam esse de primo ternario. Quare ad generalem Congregationem is veniet, quem ex illo ternario Provincialis elegerit. Quod si Provincialis, nullo nominato Vice Provinciali, mortem obierit; si a Praeposito Generali Vice Provincialis nominatus fuerit, aut aliquis ex illis iure suo succedat in Vice Provincialem, ille veniat; alioqui venire oportebit primum electum, hocque impedito, secundum, deinde tertium.

l] P. 8 c. 3, B.

Ius Electorum. m] C. 6 d. 85 n. 18.

34. Verum quacumque ex causa m] et quoties generalis Congregatio cogitur, electi a Congregatione provinciali censendi sunt semper electi, tum ad negotia tractanda, tum ad Generalis Praepositi et Assistentium electionem, si eo tempore alios eligi contigerit, nec opus esse provinciales Congregationes denuo convocare. Quamvis n] ex Lusitania et Baetica Procuratores pro Indiis Romam ad Congregationem generalem mittendi non sunt, non obstante canone 14 Congregationis tertiae, neque nova electio facienda est, sed unus ex

Procuratores pro Indiis ex Lusitania et Baetica. n] C. 6 d. 85 n. 16.

electis Romam venturis, a Provinciali destinatus, supplere poterit; quem ab illarum Provinciarum Procuratore instrui oportebit. Vice Provinciae *o*] sine Congregatione provinciali mittere possunt Procuratorem ad Congregationem generalem, qui ius habeat ad alia, praeterquam ad electionem Generalis et Assistentium; sed eligendus est a Vice Provinciali et Consultoribus ac Professis quatuor votorum, qui eo in loco fuerint, ubi aderit Vice Provincialis.

o] *C. 18 d. 6.*

Duo eligendi pro Congregatione Procuratorum.
p] *P. 8 c. 2*, **B.** *C. 2 d. 19.*

35. Si vero agitur *p*] de electione Procuratorum, qui tertio quoque anno ad Generalem mittuntur, eligendi sunt duo Professi quatuor votorum, unus primo loco et alter secundo, qui subrogetur in locum prioris, si ille impeditus legitime iudicabitur: *q*] impeditus autem proponet impedimenta eo pacto, quo dictum est de electis in § 32. Etiam *r*] absentes possunt eligi, modo extra Provinciam non sint, moraliter id intelligendo, ita ut Provincialem, antequam Romam adeant, convenire non possint: nam si de mittendis ad generalem Congregationem agatur, eligi quoque poterunt qui eo tempore extra Provinciam sunt, dummodo de Provincia sint. Et praeterea Revisores, Substituti Secretarii Generalis aliique, qui Romae universae Societati navant operam, Poenitentiarii Romae et Laureti, P. Secretarius Societatis, aliique Professi ad tempus applicati Provinciae romanae, ut supra dictum est, § 15. *s*] Caeterum nec Provincialis, nec Commissarius, nec Visitator, nec qui ad aliam Provinciam pertinet in Procuratorem eligi poterit; etiamsi ante tempus proficiscendi Romam Provincialis, Commissarius, vel Visitator suis officiis defuncturi sint; nec gravi infamia laborantes iuxta dicta § 10.

q] *C. 7 d. 49.*

Etiam absentes possunt eligi.
r] *C. 6 d. 25 n. 9.*

C. 24 d. 14.

s] *C. 17 d. 6.*

Electorum impedimenta.
t] *C. 6 d. 25 n. 14.*

36. Quod si *t*] in Provinciis intra Europam, adhuc durante Congregatione provinciali, primo loco electus ad Congregationem Procuratorum ire non poterit, eiusque impedimentum probatum fuerit, succedat electus secundo loco, eligaturque alius loco secundi; nam, si ambo impediti fuerint, duo alii eligendi erunt suo ordine, unus primo, alter secundo loco. Quod si, dissoluta Congregatione, impeditus uterque iudicetur, ut dicitur § 41, aut nullus eo anno mittendus erit, aut Provincialis cum suis Consultoribus, qui tunc aderunt, ac reliquis praesentibus, qui in Congregatione provinciali ius suffragii haberent, alium mittere poterit ad informandum de statu Provinciae; qui tamen nullum Romae tamquam Procurator suffragii ius habebit in Congregatione Procuratorum.

C. 16 d. 19.

Privilegia pro Procuratoribus eligendis extra Europam.
C. 22 d. 11, 28.
C. 24 d. 9.

37. Provinciae extra Europam eodem iure uti possunt in mittendis suis Procuratoribus, quo caeterae utuntur. Verum propter distantiam locorum, navigationisque difficultates et alia impedimenta, sex eis privilegia in hac re conceduntur. Primum, ut non teneantur mittere Procuratorem nisi sexto quoque anno. Secundum, ut una cum Procuratore mitti possit etiam Substitutus ex concessione Congregationis XII decreto 20, qui tamen Substitutus ad Congregationem Procuratorum, ubi Procurator adfuerit, ius nullum habebit ex eodem decreto. Tertium, si commode mittere non possint Professum quatuor votorum, saltem mittant trium votorum Professum, aut Coadiutorem spiritualem formatum, aut denique alium Sacerdotem, quem ad id munus idoneum

iudicent. Quartum, ut ii, qui ius suffragii habent in Congregatione, suffragia sua de cogenda vel non cogenda Congregatione provinciali, Procuratores eligendi gratia, scripto ad Provincialem mittere possint. Quintum, u] ut, si cogenda non videatur, Provincialis cum suis Consultoribus, qui aderunt, et caeteris omnibus praesentibus, qui in Congregatione ius suffragii habent, Procuratorem eligant. Sextum, ut ius ferendi suffragii habeant in iis Provinciis omnes Superiores, quibus Generalis Praepositus ius suffragii pro bono earum Provinciarum concesserit; etiamsi Vice Provinciales sint aliquarum partium suarum Provinciarum, aut Praepositi plurium locorum, aut etiam locales Superiores praecipuarum Residentiarum, prout magis in Domino expedire iudicaverit. Porro Congregatio octava generalis concessit v] ut Superior Residentiae seu primariae Doctrinae in Indiis, a Provinciali designandae, intersit Congregationi provinciali supra numerum quando iure antiquitatis ingredi non posset.

u] C. 4 d. 41.

v] C. 8 d. 61.

Ratio convocandi Congregationes extra Europam.

38. Itaque Provinciales extra Europam convenienti temporis spatio ante futuram singulis trienniis Procuratorum Congregationem scribent ad absentes, qui in Congregatione provinciali suffragii ius habent; modo sint ex iis, a quibus responsum tempore haberi possit. Primum quidem, si nondum expletum est sexennium, an iudicent nihilominus mittendum esse Procuratorem? Deinde, num existiment Congregationem provincialem cogendam esse? Postremo, quisnam illis in Procuratorem, quis etiam in eius Substitutum videantur eligendi, si Congregationem maior pars cogendam non esse censuerit? Tum vero, accepta responsione, convocabunt ex praesentibus Consultores suos, et eos, qui ius suffragii in Congregatione provinciali habent; et, coniunctis omnium votis, ad plura suffragia decernent, num mittendus sit Procurator, nondum expleto sexennio? et, si sit, an eius eligendi causa Congregatio sit cogenda? Quod si cogenda non videatur et tamen mittendus Procurator sit, vocatis, si videbitur, Professis vicinis et Superioribus, proferentur absentium vota de iis, quos mittendos iudicant (quae tamen consultiva erunt, pro maiori praesentium notitia), et ad plura praesentium medietate suffragia Procuratorem eiusque Substitutum unum, aut etiam alterum, eligent. Fiat autem haec electio in aliqua Domo aut Collegio ex celebrioribus Provinciae.

Quot suffragia Provincialis extra Europam.
x]C.6 d. 35 n.13.

39. Sed Provincialibus extra Europam in consultatione, quae habetur iuxta paragraphos 37 et 38, ad eligendum x] Procuratorem Romam mittendum, duo suffragia competunt: cum illa, non ordinaria tantum sit consultatio, sed quasi abbreviata Congregatio provincialis. Ideoque huiusmodi electionem fieri oportebit per secreta suffragia, ut fieri solet in plena Congregatione.

Procuratorum ius extra Europam ad Congregationem generalem.
C. 22 d. 29.

40. Omnibus autem iis Procuratoribus et Substitutis, qui a Provinciis extra Europam praedictis modis electi ad Generalem mittuntur, datur auctoritas, ut interesse et ius suffragii habere possint in quacumque Congregatione generali. Quoniam autem et hi Procuratores ex decreto 41 Congregationi IV et eorum substituti ex decreto 20 Congregationis XII suffragium habent in electione Genera-

lis, si Professi quatuor votorum et ad hoc electi fuerint; ideo semper, si tales Professi fuerint, ad hoc etiam eligantur: et quamdiu ex consensu Patris nostri substiterint in Europa, (nisi *y*] substiterint ad aliud aliquod munus a Generali applicati; tunc enim per illud novum munus exspirat illud aliud Procuratoris munus, nec in illis amplius ad Congregationem generalem ius ullum est) tamdiu ipsorum officium et ius, quod habent ad Congregationem generalem, permanebit, etiam ad plures Congregationes, iuxta declarationem Congregationis IX decreto 36, non *z*] tamen ad plures coetus Procuratorum. Quod si, dum *a*] in Europa sunt, nominati fuerint a Patre nostro ad officium Visitatoris vel Provincialis extra Europam, non propterea privabuntur iure, quod habent veniendi ad Congregationes generales; nisi adeo expressa fuisset voluntas Patris nostri Generalis circa ipsorum discessum ex Europa, ut decretum supra memoratum Congregationis nonae locum non haberet.

y] *C. 12 d. 46.*

z] *C. 14 d. 21 n. 2.*

a] *C. 10 d. 9.*

Quomodo de impedimentis electorum iudicandum.

41. Quae autem impedimenta excusare debeant vel Provincialem vel aliquem ex electis quominus ad Congregationem generalem aut Procuratorum se conferant, si Congregatio quidem necdum fuerit dissoluta, ipsa constituet; si vero dissoluta fuerit, statuat Provincialis eodem modo, quo ante Congregationem iudicare potest de impedimentis eorum, qui Congregationi provinciali interesse debent, ut supra, paragrapho decimo; excluso *b*] semper in hac deliberatione illo, de cuius impedimentis agitur, et *c*] eo etiam, qui proxime subrogandus est, si prior impeditus censeatur. De impedimentis *d*] Procuratorum Indiarum, degentium in Europa, iudicium est unice penes Praepositum Generalem vel Vicarium. Porro huic iudicio sic facto acquiescendum est ita, ut iis, qui ea ratione iudicantur impediti legitime, ne in Urbem tempestive ad Congregationem generalem vel Procuratorum iter possint instituere, nihil iuris reliquum sit ad Congregationem generalem vel Procuratorum; et si forte nihilominus re ipsa venerint, admitti non debebunt. Praeterea, si electus in Procuratorem sit nominatus a Patre nostro in Provincialem, et hoc constet in Provincia prius quam inde discesserit; manere debebit in Provincia, eamque gubernare, et electus secundo loco tunc Romam mittendus erit.

b] *C. 8 d. 52.*

c] *C. 13 d. 22.*

d] *C. 14 d. 22.*

De impedimentis non indicandum ante electionem.

42. Porro, ut sincere procedatur, non est ferendum iudicium ante mittendorum electionem de impedimentis eorum, qui ad Congregationem generalem aut Procuratorum profecturi sunt, etiam ipsius Provincialis aut Vice Provincialis; sed unusquisque iuxta informationes, quas accipiet, suam conscientiam consulat de qualitatibus eorum, pro quibus suffragium ferendum putat. Facta autem electione, tum demum de eorum impedimentis deliberari poterit, si tamen ea ab iis ipsis proponantur; alioqui de ea re nulla fiat consultatio, nisi alicuius impedimenta adeo manifesta essent, ut de iis minime dubitaretur.

CAPUT V.

De rebus tractandis post electionem.

De quibus agendum.

43. Post electionem mittendorum agendum est de rebus, quae vel Congregationi generali vel Praeposito Generali nomine Provinciae propo-

Potestas Congregationis. a] *C. 5 d. 32.*

nenda sunt. Intelligat autem in primis Congregatio *a*] non sibi licere quidquam statuere, nec ullam sibi aliam potestatem fieri, praeter eam, quae expresse habetur in hac Formula Congregationis provincialis, quae, post Formulam in quarta Congregatione generali approbatam et in sexta recognitam, iterum a Congregatione undecima et duodecima, ac postremo a decima octava recognita et approbata est. Quocirca nec innovare quidquam poterit, nec immutare ex iis, quae a Superioribus ordinata sunt.

Nihil de substantialibus agendum, etiam cum sintne talia dubitatur. b] *C. 4 d. 26. C. 6 d. 12.*

44. Intelligat quoque, *b*] ne consultationis quidem praetextu, atque adeo ut Congregationi generali proponatur, de substantialibus Instituti nostri agere sibi integrum esse. Quin Praepositi Generalis arbitrio in eos animadvertendum erit, qui deinceps hac in re, quae tanti momenti est, peccaverint, et aliquid proposuerint contra ea, quae substantialia Instituti sunt; sive cum certum est ea, quae proponent, eiuscemodi esse; sive cum sintne talia dubitatur; sed, substantialibus positis quasi fundamentis, de caeteris, quae iis conservandis ac promovendis consentanea videbuntur, quaeque Deputati cum Provinciali maioris momenti esse iudicaverint, et quae possint tempore Congregationi praescripto absolvi, tractari poterit.

Quandonam dicendum est dubitari an aliquid sit substantiale. c] *C. 6 d. 19 n. 3. C. 7 d. 35.*

45. Et quoniam, ut superius dictum est, *c*] de substantialibus Instituti, nec quando res quidem dubia est, in Congregationibus provincialibus tractare licet; visum est in eorumdem favorem hanc regulam constituere: ut tunc res dubia et de illa tractari non posse intelligatur, si vel unus Deputatorum absolute affirmet (non tamen si solum dubitet) rem propositam esse de substantialibus Instituti; multoque magis si Provincialis ita censeat, cuius est totam Congregationem dirigere, atque omnino efficere ut Decreta serventur, eosque coercere, qui contra Institutum aliquid forte molirentur, ut dictum est. Ea autem in primis sunt, *d*] quae in Formula seu regula Societatis Iesu Iulio III, Summo Pontifici, proposita, et ab eo aliisque eius successoribus confirmata, continentur. Deinde ea, sine quibus illa aut nullo modo aut vix constare possunt, cuiusmodi sunt: esse aliqua impedimenta essentialia in admittendo; non esse necessarium ut in dimittendis forma iudicialis servetur; reddendam esse Superiori conscientiae rationem; contentum esse debere unumquemque ut omnia, quae in eo notata fuerint, per *e*] quemvis, qui extra confessionem ea acceperit, Superioribus manifestentur; paratos esse debere omnes ut se invicem manifestent debito cum amore et charitate; et alia similia. Licebit tamen unicuique ea, quae a Deputatis reiecta fuerint, in Congregatione proponere, ubi illa expedita fuerint, quae a Deputatis probata fuerint; modo non agatur de substantialibus nostri Instituti, aut de personis: haec enim ne ad Deputatos quidem referenda sunt. De reiectis autem priusquam tractetur, decernendum erit, utrum de illis agendum sit, nec ne? non proponendo *f*] in genere, an sit agendum de reiectis? sed, ubi aliquis proposuerit unum reiectum, decernatur, an de illo agendum sit? tum sic de alio, si aliud propositum fuerit, et sic singillatim de singulis.

Quaenam sunt substantialia. d] *C. 5 d. 44, 45, 58.*

e] *C. 6 d. 32 n. 4.*

Quid decernendum antequam de reiectis agatur. *C. 6 d. 25 n. 18.* f] *C. 12 d. 56 n. 8.*

Quando,

46. Et quamvis ad Congregationem

et quomodo de Constitutionibus vel Decretis proponendum.
g] C. 6 d. 13.

generalem aut Praepositum Generalem, quaecumque ipsis visa sunt, privato nomine subscripta libere transmittere poterunt; nulla *g*] tamen posthac provincialis Congregatio quidquam proponat, quo tollendae aut immutandae sint Constitutiones vel Decreta, nisi communi consensione et omnibus eorum suffragiis, qui dictis provincialibus Congregationibus intersunt, vel saltem ad duas tertias partes visum fuerit proponendum. Tum vero nequaquam petatur ut huiusmodi Constitutiones vel Decreta tollantur aut immutentur; sed incommoda tantum proponi debebunt, quae secuta vel sequi posse videntur ex eorum observatione; ad eaque vitanda remedium a Congregatione generali simpliciter petatur. Proinde *h*] generalium Congregationum Decreta in singulis Provinciis penes Provinciales esse debebunt, a quibus communicari poterunt iis, quos scire expedire iudicaverint.

Decreta Congregationum generalium exstent in Provinciis.
h] C. 6 d. 27 n. 3.

Ordo rerum tractandarum.
i] C. 6 d. 19 n. 5.

47. Porro rerum tractandarum ordo hic erit: ut, antequam aliquid tractandum proponatur, *i*] in omni provinciali Congregatione Praepositi Generalis responsa ad proxime praecedentis Congregationis quaesita praelegantur; tum, si mittendus sit Romam Procurator, priori loco de rationibus agatur, quae cuique occurrunt, cogendane vel non cogenda sit Congregatio generalis? posteriori vero de negotiis rebusque aliis cum Generali Praeposito nomine Provinciae tractandis. Secretarii autem erit, *k*] quemadmodum colligere fideliter omnia, quae in Congregatione aut dicuntur aut aguntur, ita etiam collectas rationes pro cogenda vel non cogenda Congregatione generali allatas ad provincialem Congregationem referre, eiusque iudicio praecipuas quasque seligere, quae ad commune bonum Societatis spectare videbuntur; addaturque utram in partem plurium sententia propenderit; et scribantur seorsum, ut ad maiorem status Societatis cognitionem ab iis, qui ius suffragii in Congregatione Procuratorum habuerint, privatim perlegantur: tametsi eius Provinciae Procurator eam sententiam in ferendo suffragio sequetur, quam magis in Domino probaverit, auditis caeteris Procuratoribus, et rationibus in utramque partem ex unaquaque Provincia allatis, aliisque Patribus, qui cum Generali versantur, iuxta § 6 et 7 in Formula Congregationis Procuratorum.

Quomodo agendum de cogenda vel non cogenda Congregatione generali.

Secretarii officium.
k] C. 6 d. 26 n. 2.

Quam sententiam sequi debeat Procurator.

De quibus posteriori loco agendum.

48. Quae autem posteriori loco tractanda sunt, eo spectare debebunt, ut Generali Praeposito veram et utilem notitiam de statu Domorum et Collegiorum ac totius Provinciae, universaque eius administratione, de *l*] religiosa disciplina, de Constitutionum ac Regularum, nec non de observatione eorum, quae a Superioribus ordinantur, afferre possint; et ut ipse in iis, quae in ea Provincia desiderantur et sub Generalis providentiam cadunt, opportune prospiciat. Nam de iis rebus, quibus sola generalis Congregatio providere potest, tum agendum est solum, cum electi fuerint qui ad eam mittendi sunt. In praedictorum autem tractatione meminerint omnes nihil de illis proponere posse Congregationi, quod non sit prius approbatum a Deputatis, nisi *m*] prout de reiectis § 45 dictum est; deinde ita de Provinciae administratione et necessitatibus agere, ut, si qua Superiorum personam attingere videantur, debita ac religiosa cum modestia dicantur. Quod si quis

l] C. 6 d. 35 n. 7.

m] C. 12 d. 56 n. 8. C. 22 d. 22 n. 3.

Quomodo agendum de rebus ad personas pertinentibus.

personam potius sugillare, quam negotia tractare videatur, eum Provincialis sui officii admoneat; nec existimet quispiam libertatem in dicenda sententia impediri, cum in modo agendi iuxta charitatem et modestiam dirigitur. In dicendis vero n] sententiis curandum est, ut brevi, libere, sincere, re coram Deo considerata, cum modestia dicantur; nec, qui posteriores sunt, priorum dicta inutiliter, non sine iactura temporis et aliorum taedio, repetant; agantque omnes latine; nec o] acta in Congregatione evulgent aliis extra Congregationem, sub poena pro gravitate culpae infligenda a Provinciali.

Quid in sententiis dicendis curandum. n] C. 6 d. 25 n. 7.

o] C. 7 d. 23.

49. Rerum tractandarum determinationes ad plura suffragia simpliciter definiantur; p] quae nullo modo secreta esse debebunt, sive de negotiis aliis agatur, sive quaeratur, cogenda sit generalis Congregatio, nec ne?, ob multa eaque gravia incommoda, quae praeter novitatem sequerentur. Neque in eis intercessio permittatur, ut citius expediri possint; nec publice affigenda erunt puncta, de quibus postridie sit tractandum; cum praesertim de eo tantum agendum sit, num proponenda videantur generali Congregationi aut Praeposito Generali, et quaenam sit de iis plurium sententia. Licet autem cuique, aliis auditis, mutare sententiam, antequam res omnino q] concludatur. Porro quae transigentur in actione una, in sequenti a Secretario legantur, ut Congregatio intelligat sintne omnia recte excepta et explicata, an non?

Ad plura suffragia et non secreta determinanda rerum tractatio. p] C. 6 d. 22. C. 7 d. 11.

Nulla intercessio fiat. C. 23 d. 38 n. 3.

Quandonam mutari possit sententia. q] C. 22 d. 22 n. 2.

Una die transacta legenda in alia.

50. Omnibus expeditis, dictoque alternatim et submissa voce hymno *Te Deum laudamus*, subscribent r] Provincialis et Secretarius, vel, s] hoc impedito, Pro Secretarius, tum Acta Congregationis, tum seorsim rationes de cogenda vel non cogenda generali Congregatione; tum etiam seorsim ea, quae eidem Congregationi aut Praeposito Generali nomine Congregationis provincialis proponenda sunt; omniaque t] una cum Provinciali satis erit si Secretarius post dimissam Congregationem subscribat et obsignet, eaque Provincialis vel sibi servet, si ad Congregationem generalem eundum erit, vel Procuratori tradat: qui, iis acceptis, non discurret per Provinciam plenioris informationis sumendae gratia, sed, quae illi a Provinciali vel ab aliis scripto aut verbo commendabuntur ut ea Praeposito Generali referat, sincere ac fideliter eorum nomine eidem proponet. Caeterum, u] etsi Romam ea dumtaxat mittenda erunt, quae a Congregatione provinciali probata fuerint; in Actis tamen in Provincia asservandis, quaecumque transacta in Congregatione, etiam reiecta, describi et v] a Provinciali et Secretario, vel, hoc impedito, a Pro Secretario subscribi debent.

Quomodo finienda Congregatio.

Quaenam subscribenda et a quibus. r] C. 16 d. 22. s] C. 13 d. 23.

t] C. 6 d. 25 n. 17. C. 22 d. 22 n. 1.

Procurator per Provinciam non discurrat.

u] C. 6 d. 25 n. 16.

Acta integra servanda in Provinciis.

v] C. 16 d. 22. C. 13 d. 23.

---

non cogenda generali Congregatione ad plura medietate decernent iuxta decretum 10 Congregationis VII, non obstante opposito decreto 26, § 1 Congregationis VI. In numero k] vero impari suffragiorum ad Decretum cogendae Congregationis non sufficit praecise maior pars ex duabus; sed debet superare partem oppositam tribus saltem suffragiis.

k] C. 14 d. 6.

Tempus cogendae Congregationis generalis.

9. Quod si cogendam esse Congregationem generalem decretum fuerit, absque alio scrutinio intra sesquiannum cogendam esse intelligitur, l] nam mensem ac diem Praepositi Generalis erit praescribere. Absoluta vero Congregatione, omnes alternatim submissa voce dicant *Te Deum laudamus,* etc.; et in fine eorum aliquis unam aut plures orationes in gratiarum actionem recitabit.

l] C. 6 d. 26 n. 8. C. 7 d. 71.

CAPUT II.

De iis, quae Procuratores, postquam electi fuerint, agere debent.

Non excurrant per Provinciam.

10. Postquam electi fuerint Procuratores, non propterea debent excurrere per Collegia et Domos suae Provinciae, nisi sint in via, qua itur ad Praepositum Generalem; a] nec negotia externorum suscipiant, vel in iis suam operam polliceantur sine facultate Provincialis, quam raro admodum, nec nisi gravioribus de causis concedet; b] ac Provinciali pecuniam sibi datam, et undequaque acceptam, etiam cum facultate Superiorum, consignent; ab eodemque sibi necessariam accipientes, paupertatis memores esse oportebit. c] Nam, ne maiorem sibi potestatem usurpent, quam par sit, in negotiis tractandis, in rebus emendis, in expensis in itinere faciendis, et similibus, Praepositi Generalis erit modum praescribere.

a] Mon. gen. c. 4 n. 2.

Expensae pro itinere.

b] C. 6 d. 26 n. 6.

c] C. 6 d. 26 n. 6.

Quaenam Secretario Soc. tradenda.

11. Postquam ad Praepositum Generalem venerint Procuratores, Acta suarum Congregationum provincialium, catalogus personarum, et memorialia negotiorum, de quibus cum Praeposito Generali acturi sunt, et fasciculos litterarum quam primum Societatis Secretario, scripto numero, tradant, ut citius haec videri, et postea suo tempore expediri possint.

Quando Generalem informabunt.

12. Ante vel post celebratam Congregationem, pro arbitrio P. Generalis, agent de informatione eidem danda iuxta Constitutiones, de iis rebus, quas ex suis Provinciis attulerunt. d]

d] P. 8 c. 2, B.

Indifferentes sint.

13. Procuratores non sint magis propensi ad unum Collegium quam ad aliud, nec ad unam personam potius quam ad aliam, quantum fieri potest; et ideo sine ullo respectu dicant Praeposito Generali quae pro bono suarum Provinciarum senserint dicenda, caveantque praesertim, ne qua passione aut affectione inordinata in aliquo accusando, vel defendendo, aut laudando ducantur, etiamsi de suis Superioribus agatur.

Negotia servent secreta.

14. Procuratores ne prodant negotiorum resolutiones, nec ordinationes a Praeposito Generali factas de personis, officiis et aliis rebus alicuius momenti; sed eas ad suos Provinciales deferant; et ipsi iuxta praescriptum obedientiae eas suo tempore exsequentur aut promulgabunt.

Item informationes de personis.

15. Postquam Procuratores redierint ad Provincias, nulli omnino referant ea, de quibus apud Praepositum Generalem pro informatione aliquarum personarum ac rerum interrogati forsitan fuerint, ob magna incommoda, quae cum magno cha-

ritatis dispendio evenire possent. Haec et similia, quae intellexerint apud Praepositum Generalem, praesertim si gravia fuerint, secreto servanda esse iubentur.

Responsa Generalis ad Provincias.

16. Si inter ordinationes et responsa aliis Provinciis data, quae videre debebunt, aliqua fuerint, quae ad usum suarum Provinciarum secum ferenda existimaverint; id facere poterunt iudicio Patris Generalis vel eorum, quibus ipse commiserit, et cum ea limitatione, quae iisdem videbitur: ea tamen a Patre Generali subscribentur. Haec autem ita in ea Provincia vim habebunt, si Provincialis, auditis suis Consultoribus, suae Provinciae iudicaverit expedire.

Operariorum inopia.

17. Si ad Seminaria nostrorum Scholasticorum vel Novitiorum in aliqua Provincia perficienda, vel ad transmarinarum, vel septemtrionalium, vel aliarum Provinciarum necessitates graves operariis pluribus opus esset, curent, qui earum Provinciarum Procuratores fuerint, Patri Generali suggerere, ut dispiciat, num alicuius Provinciae abundantia alterius inopiam supplere possit: et id, congregatis Procuratoribus omnibus, facilius inter eos privatim et cum Patre Generali tractari poterit.

FORMULA CONGREGATIONIS

AD ELIGENDUM

VICARIUM SOCIETATIS

C. 4 d. 43.

IN QUARTA CONGREGATIONE GENERALI CONFECTA
ET ALIARUM POSTMODUM DECRETIS PROBATA ET AUCTA.

A quibus et a quot eligendus.

1. Si Praepositus Generalis ante mortem Vicarium Societatis non nominaverit (prout habetur in Constitutionibus, octava parte, capite quarto, et Decretis) vel ante novi Generalis electionem Vicarius obierit antequam duae saltem tertiae partes Electorum advenerint (nam post horum adventum nulla est habenda Vicarii electio), aut adhuc vivente Praeposito Generali Assistentes maiori suffragiorum parte substituendum esse Vicarium iudicaverint iuxta decretum 28 et 29 Congregationis VIII, eligatur a Professis quatuor votorum, qui apud Praepositum Generalem fuerint, sicut dicitur in declarationibus eiusdem capitis, hoc est in eadem urbe, quo nomine venit Roma, si suam sedem Generalis in ea habuerit, quocumque tandem intra Provinciam romanam loco obierit. Erunt autem, ut minimum, Electores septem; quod si pauciores fuerint, tunc ex viciniorибus locis, utcumque illa distent, is numerus convocetur. Quod si in distantia aequali plures fuerint quam septem, omnes quidem Professi quatuor votorum ad eius electionem vocandi sic erunt, ut senarium quidem numerum excedant; sed plures tamen quadraginta non sint: intra quem numerum censendi sunt Assistentes, etiam seclusa professionis antiquitate; nisi contingat Generalis obitus extra Provinciam romanam; tunc enim Assistentes, qui Romae substiterint, non habent ius ad hanc Congregationem.

P. 8 c. 4 n. 1, A. C. 4 d. 21. C. 10 d. 10. C. 12 d. 55. C. 9 d. 34. C. 12 d. 48, 54. C. 6 d. 27 n. 1. C. 12 d. 54.

Quis et quando convocabit Congregationem.

2. Statim post sepulturam Generalis demortui convocabit Congregationem Praepositus Provincialis, si aderit; vel, eo absente, Praepositus Domus professae, si ea ibi sit; et Romae Vice Praepositus, si Professus quatuor votorum fuerit; sin minus, antiquissimus Professorum, qui ibi aderunt.

P. 8 c. 4, A.

Quis praeerit Congregationi.

3. Electioni quidem Romae praeerit Provincialis romanus, si aderit; sin minus, Vice Praepositus Domus, si fuerit quatuor votorum Professus: quod si talis non fuerit, praesit antiquissimus ex Professis, qui Congre-

gationi intersint. Alibi vero, qui praeest toti Provinciae, vel, ipso absente aut impedito, Praepositus Domus Professae, si in eo loco fuerit; sin minus, antiquissimus ex Professis quatuor votorum, qui ibi aderunt.

Ordo sedendi et dicendi.

4. In sedendo autem et sententia dicenda hic ordo servabitur: ut ad dexteram eius, qui praeerit, sedeant Assistentes, ordine antiquitatis in sua professione servato; ad sinistram vero eodem ordine reliqui Professi quatuor votorum. Si quid vero dubii se offerat, qui praeest, ad Congregationem quam primum referat, ut ipsa de illo constituat.

Exhortatio habenda.

5. Hymno *Veni, Creator,* simul ab omnibus alternatim et submissa voce dicto cum oratione de Spiritu Sancto et Beata Virgine, habeatur brevis exhortatio ab eo, qui praeest, vel ab alio per ipsum designato, de fine talis Congregationis, et ut omnes in his, quae agenda sunt, sincere se gerant. Deinde, an legitima Congregatio sit censenda, ad plura suffragia decernatur. Tertio loco eligatur Secretarius per scrutinium secretum, etiam ad plura suffragia elata voce numeranda, sicut et in quolibet alio scrutinio secreto, prius quam palam legantur, quae Praeses Congregationis ostendet videnda duobus antiquissimis Assistentibus. Electus vero omnia, quae fuerint acta in Congregatione, mandet scriptis, et subscribat, et sigillo Societatis signet. Ei autem adiungatur unus ex Patribus eodem modo electus, qui ad colligenda suffragia et reliqua scribenda ipsum adiuvet, et suffragia in electione Vicarii una cum Praeside et Secretario inspiciat: assigneturque integrum biduum, postquam praesentes fuerint ii, qui necessarii sunt ad hanc Congregationem celebrandam; quo exacto, Vicarii electio facienda est. Quod si sufficiens numerus electorum non adesset, biduum tunc inchoetur, cum primum ille numerus aderit.

Secretarii electio et Socii. *C. 18 d. 12 n. 1 Act. 22.*

C. 18 d. 12 n. 2.

Biduum integrum ad electionem. *Sup. n. 1.*

Quis et qualis eligendus. *P. 8 c. 4 n. 1.*

6. Eligatur autem Vicarius, iuxta Constitutiones octavae partis, capite quarto, communiter ex his, qui adesse Praeposito et ipsum iuvare soliti sunt; vel certe ex iis, qui proxime degunt et sunt in rebus Societatis versati, praemissa per biduum supra dictum oratione et informatione iuxta rationem informationis, quae in electione Generalis servari solet. Et hoc est intelligendum simpliciter, ut iacet, etiam quantum ad censuras, ut in Formula Congregationis generalis a vigesimo primo paragrapho usque ad vigesimum quartum inclusive, et a paragrapho vigesimo octavo usque ad paragraphum trigesimum septimum inclusive, excepto iuramento, quod in electione Vicarii non fit. Qui autem praeerit, unum tantum suffragium, sicut alii Professi, in hac Congregatione habebit.

C. 12 d. 54.

Praesidis suffragium.

Censurae.

7. Si quis autem (quod Deus avertat) ambitiose agere deprehensus fuerit ad sui vel alterius electionem vel exclusionem, deferatur et iudicetur ad eum modum, qui habetur in Constitutionibus et Declarationibus partis octavae, capite sexto, et in Formula Congregationis generalis a vigesimo primo paragrapho usque ad vigesimum quartum inclusive, mutato nomine Vicarii in eum, qui praeest. Quod si aliquis eorum, qui habent ius suffragii, in hoc deprehensus fuerit, deferatur ad eosdem Iudices, qui locis supra dictis constituuntur, et eorum arbitrio puniatur.

Quid tempore bidui faciendum.

8. Ipso bidui tempore Patres, qui in hac electione Vicarii suffragium

habent, informationibus, orationibus et Sacrificiis vacare debent. Deinde, postquam in locum Congregationis convenerint, praemissa per semihorae spatium oratione et consideratione, apud se et coram DEO statuant quem sint electuri. Intelligant autem se in conscientia teneri ad eligendum eum, quem senserint ad hoc munus esse maxime idoneum. Eligatur vero per scrutinium secretum ad plura medietate suffragia; sic tamen, ut si primo et secundo scrutinio nemo electus fuerit, in tertio et deinceps in caeteris inter tres tantum illos, qui in proximo scrutinio plura suffragia habuerint, suffragia dari possint. Si qui autem alii alicui ex tribus aequales suffragiis fuerint, simul etiam cum tribus ius habeant passivi suffragii. Si quando vero suffragiorum numerus fuerit impar, servetur quod in electione Generalis statuitur paragrapho 48 Formulae Congregationis generalis.

Electio per secreta suffragia ad plura medietate.

C. 18 d. 12 n. 3.

Quomodo concludenda haec Congregatio.

9. Absoluta autem Congregatione, omnes simul alternatim submissa voce dicant *Te DEUM laudamus:* et in fine is, qui praefuit, unam aut plures orationes in gratiarum actionem recitet.
